135

£400

19

NAZIONALE
BIBLIOTECA
CENTRALE V. E. II
204
5 1
19
ROMA
H.C.

2014.5.I.14

D. GREGORIJ
ROSIGNOLI
DE
SACRAMENTIS NOVÆ LEGIS IN GENERE,
BAPTISMI, ET CONFIRMATIONIS.

Digitized by Google

POTESTAS ECCLESIASTICA
AD
SACRAMENTA NOVÆ LEGIS IN GENERE, BAPTISMI, ET CONFIRMATIONIS,

AVCTORE

D. GREGORIO ROSIGNOLO

EX CLER. REGUL. S. PAULI BARNABITIS

AD EMINENTISSIMVM, ET REV.MVM

PRINCIPEM D. D. SPERELLUM
S. R. E. CARDINALEM SPERELLUM.

Cum duplici Indice, altero Titulorum, altero rerum locupletiſſimo.



MEDIOLANI, MDCCVII.

Ex Typographia Joſephi Pandulphi Malateſtæ.
SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMIN.MO, ET REV.MO PRINCIPI
D. D. SPERELLO
S. R. E. CARDINALI SPERELLO.

D. GREGORIVS ROSIGNOLVS
Perennem felicitatem.



SPectatiſsima ea Virtus; quam in Te omnibus meritorum titulis purpuratam veneror ab iſto ſacri Senatus faſtigio longiùs emicantem, EMIN.ME PRINCEPS, effecit, vt huic Operi meo Tuam ſtatuerim clientelam implorare. Cùm

enim

Digitized by Google

enim quidquid hic eſt labore, ſtudioque meo comparatum tenue admodum ſit, nec materiæ præſtantiam æquet, tantò magis indiget clariori Auſpice, cuius Nomine inſignitum fidentiùs prodeat in lucem. At quod ab Authore pretium ſperare non poteſt, abundè ſatis a rerum, quas continet, ſanctitate deriuat; atque ideo mihi viſum eſt Eminentiſsimum expoſcere Patronum, Dignitate, Pietate, ac Doctrina præſtantem. Sacramenta complectitur hoc volumen; hoc eſt Diuinorum Chariſmatum fluenta, quæ de latere Saluatoris ad humani generis ſalutem emanarunt, Septemfluus hic Nilus, qui myſticum irrigat Eccleſiæ Paradiſum, exigit altioris Ordinis Cuſtodem, in quo & vigeat oculatiſsima Sapientia, & ferueat ardor tuendæ Religionis. Talem Te prædicat non fama ſolùm, ſed vita. Talem Te in Epiſcopatus Interamnenſis adminiſtratione, talem in maximis muneribus a Sede Apoſtolica demandatis præſtitiſti. Talem te in Purpura præſtas; talem in Sacris Congregationibus, totque alijs grauioribus ad publicam vtilitatem curis, quibus ſingulis eam impendis nauiter operam; vt Te oſtendas omni rerum agendarum mole maiorem nec

enim

enim vnquam in Te fuit otioſa Virtus; priuato ſtudio contenta, ſed in commune bonum exercita ſemper, & impigra. Sequeris vtique Gentilium Tuorum ingenium, quos animi præſtantia per ardua euexit ad gloriam. Atque vt ommittam profani honoris titulos, & Militaris, & Equeſtris Ordinis domeſtica inſignia, & Armorum pariter laureas, & Legum; quot clariſsimos Præſules numerat Sperellorum Familia; quot grauiſſimos Antiſtites, qui plures Eccleſias Epiſcopalium Virtutum ſplendoribus illuſtrarunt? Et ne ſingula Maiorum Nomina repetam, adhuc in Te & Fratre Cæſare, Succeſſore Tuo, Interamnenſis Diœceſis vigilantiſsimo Paſtore, duo viua lumina præfulgent Eccleſiaſticæ dignitatis. Recens verò eſt, & nunquam interitura memoria Eugubini Epiſcopi Patrui Tui, quem & piè geſta, & grauiter ſcripta pari vtrinque laude commendant. Is notiſſimus ille eſt Alexander Sperellus, cuius egregia volumina per doctorum hominum manus eunt, quibus verſatam diu in Tribunalibus Sacri Iuris peritiam tranſmiſit ad poſteros. Simillimus quidem morum, ſtudiorumque tenor Te probat Nepotem; ſed Tu tanto excitatus exemplo magnis inſuper aſſur-

gens incrementis Infulas Oſtro meruiſti geminatis honoribus coronare. Cùm hæc igitur mecum expenderem, fieri non poſſe pro certo habui, quin aliquam etiam eius Doctrinæ vmbram in ſcriptis meis benignè reſpiceres, quam & auito, & proprio genio coluiſti ſemper, & amaſti, quæque in Te tanto decore ſplendeſcit. At quanuis multa ſint, & magna, quæ ſuaſere, vt hoc opus Tuis commendarem auſpicijs, multò magis impulit ſingularis Tua humanitas in Ordinem noſtrum propenſa, qua inuitante non ſum veritus clementiſsimo Domino quantumuis leue hoc ſoluere paginarum tributum. Hoc itaque, ſi non alio nomine, ſaltem vt obſequij, & debiti mei pignus excipe; Vale.

IN-

Digitized by Google

INDEX TITULORUM.

PARS I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

QVÆSTIO I.

De iis, quæ ſunt communia Sacramentis antiquæ, & nouæ legis, & de iis, quæ ſolis antiquis conueniunt.

ART. I. *An in omni hominum ſtatu fuerint neceſſaria, & extiterint aliqua Sacramenta.* pag. 2

2. *Quid propriè ſit Sacramentum.* 6

3. *Quomodo conueniant, & quomodo inter ſe differant Sacramenta veteris, & noua legis.* 10

QVÆSTIO II.

De Sacramentis nouæ legis quoad cauſas intrinſecas.

ART. I. *De materia, & forma Sacramentorum noua legis.* 11

2. *An intentio miniſtri ſit de intrinſecis conſtitutiuis Sacramentorum noua legis.* 13

3. *Quam ſimultatem exigant Sacramenta quo ad materiam, & formam.* 15

4. *An res, & verba in Sacramentis noua legis habeant determinationem, & quamnam.* 17

5. *An Sacramenta noua legis ſaluo eorum valore admittere poſſint aliquam mutationem, & quamnam.* 19

6. *An ex errore miniſtri poſſit induci mutatio ſubſtantialis, & irritatio Sacramentorum.* 24

7. *An verba Sacramentorum ſint conſecratoria, an tantum concionatoria.* 27

8. *An in Sacramentis noua legis dentur res tantum, Sacramentum tantum, & res, & Sacramentum ſimul, & quid hac ſint.* 29

QVÆSTIO III.

De cauſis extrinſecis Sacramentorum nouæ legis.

ART. I. *Quanam ſit cauſa principalis Phyſica, & moralis Sacramentorum noua legis.* 31

2. *An poteſtas inſtituendi Sacramenta ſit communicabilis pura creatura.* 34

3. *De cauſa miniſteriali Sacramentorum noua legis.* 36

4. *An infidelitas, & improbitas miniſtri ſit compatibilis cum po-*

poteſtate efficiendi Sacramenta. 40
5. An, & qualis intentio requiratur in miniſtro in confectione Sacramentorum. 43
6. An intentio in miniſtro debeat eſſe actualis, an ſufficiat virtualis, vel habitualis. 51

QVÆSTIO IV.

De cauſa materiali ſubiectiua Sacramentorum.

ART. 1. QVodnam ſit ſubiectum remotum Sacramentorum nouæ legis. 55
2. Quænam requirantur, vt homines viatores ſint proximè capaces Sacramentorum. 59
3. De capacitate proxima, & de ijs, quæ ad eamdem requiruntur in adultis ad Sacramenta ſuſcipienda. 63
4. De ijs, quæ requiruntur ad licitam Sacramentorum ſuſceptionem. 69
5. An Sacramenta recedente fictione ſuos effectus producant. 72
6. Ad quamtam nam gratiam Sacramenta reuiuiſcant ſublato obice. 79
7. An Sacramenta remoto obice reuiuiſcant etiam quoad remiſſionem venialium, & quo ad remiſſionem pœnæ. 82
8. An ab indignis poſſint Sacramenta exigi, & eiſdem conferri. 86

QVÆSTIO V.

De ritibus in confectione Sacramentorum ſeruandis.

ART. 1. QVid ſit ritus, quo iure inductus, & ad quemnam effectum. 97
2. Sub quonam onere in confectione, & diſpenſatione Sacramentorum ritus præſcripti ſint ſeruandi. 99
3. An variatio rituum ab Eccleſia præſcriptorum ſit peccaminoſa, & qualiter. 101

QVÆSTIO VI.

De principali effectu Sacramentorum, de gratia ſilicet habituali.

ART. 1. AN Sacramenta nouæ legis habeant efficaciam, & cauſalitatem in gratiam. 103
2. An Sacramenta cauſent immediatè aliquam diſpoſitionem ad gratiam. 105
3. An Sacramenta cauſent moraliter gratiam, & quomodo. 107
4. An Sacramenta noua legis exerceant etiam Phyſicam cauſalitatem in gratiam. 110
5. Quandonam, & an ſe totis Sacramenta cauſent Phyſicè gratiam. 116
6. An omnia Sacramenta habeant vim cauſandi primam gratiam. 119
7. An, & quomodo gratia Sacramentalis differat à non Sacramentali. 123
8. An Sacramenta cauſent gratiam in determinata quantitate, & quanam. 127

QVÆSTIO VII.

De effectu minus vniuerſali, & ſecundario Sacramentorum nouæ legis.

ART. 1. QVid ſit caracther. 132
2. In quanam ſpecie qualitatis conſtituendus ſit caracther. 135
3. Quodnam ſit ſubiectum Sacramentalis caractheris. 138
4. An, & quomodo caracther ſit indelebilis, & an ſignum ad placitum, an naturale. 140
5. An caracther ſit æqualis in omnibus, an inæqualis. 143
6. Quomodo caractheres componant cum ſubiecto, & inter ſe. 145

QVÆSTIO VIII.

De Sacramentalibus.

ART. I. *An, quid, & quotuplex ſit Sacramentale.* 147
2. *De cauſis Sacramentalium tum intrinſecis, tum extrinſecis.* 150
3. *An vſus Sacramentalium licitus ſit, & Eccleſia conueniens.* 151
4. *De effectibus Sacramentalium.* 152

PARS II.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

QVÆSTIO I.

De Inſtitutione, & exiſtentia Baptiſmi.

ART. I. *An, & quando hoc Sacramentum fuerit inſtitutum.* 158
2. *Quotuplex ſit Baptiſmus.* 162
3. *Expediuntur nonnulla pertinentia ad Baptiſmum flaminis.* 167
4. *An quomodo, & quibus ſit neceſſarius Baptiſmus.* 170
5. *Explicatur eſſentia Baptiſmi, vt eſt Sacramentum.* 173

QVÆSTIO II.

De cauſa materiali Baptiſmatis.

ART. I. *Vanam ſit materia remota huius Sacramenti.* 175
2. *Quanam ſit materia proxima eiuſdem.* 177
3. *Quomodo fieri debeat ablutio.* 179
4. *Expediuntur alia nonnulla de materia Baptiſmatis.* 183

QVÆSTIO III.

De cauſa ſubiectiua huius Sacramenti.

ART. I. *Vtrum ſint capaces Baptiſmi recipiendi.* 185
SECT. I. *An pueri in vteris maternis exiſtentes poſſint baptizari.* 185
2. *An quandoque, vt puer in vtero exiſtens poſſit baptizari, ſcindendus ſit vterus maternus.* 187
3. *An puer nondum perfectè natus, ſed egreſſus ſolum ſecundum partem poſſit baptizari.* 188
4. *An pueri poſt natiuitatem, ſed ante vſum rationis poſſint baptizari.* 189
5. *An liceat filios infidelium baptizare inuitis parentibus.* 194
6. *An filij infidelium, qui ſunt propriè ſerui dominorum fidelium poſſint baptizari inuitis parentibus.* 197
7. *An infantes perfectè nati, ſed mortui ante Baptiſmum poſſint poſt mortem baptizari.* 200
8. *An Furioſi, & Amentes poſſint baptizari.* 201
9. *An infantes expoſiti poſſint baptizari.* 203
10. *An dormientes poſſint baptizari.* 204
2. *An, & quanam intentio requiratur in adultis recipiendi Baptiſmum.* 205

3. *An in adulto requiratur fides.* 207
4. *Quomodo ſe gerere debeat Parochus, qui ex confeſſione obſtetricis nouit aliquos ſuos Parochianos inualidè baptizatos.* 209
SECT. 1. *An tutò ſtari poſſit opinioni, quod Deus ſuppleat defectum intentionis.* 210
2. *An in concurſu neceſſitatis Baptiſmi cum præcepto non violandi ſigillum Sacramentale ſit præferenda neceſſitas, an vero ſigillum.* 212
3. *An bona fides, quâ quis credit ſe validè baptizatum habeatur ſecundum ſe pro ſufficienti intentione, vt poſſit ſecreto baptizari.* 213
4. *An alijs, & quibus remedijs poſſit Parochus conſulere ſic inualidè baptizatis.* 215
5. *An Parochus ex vi proprij muneris teneatur remedia in data hypotheſi extraordinaria adhibere.* 217
5. *An in adultis ad ſuſcipiendum Baptiſmum requiratur dolor de peccatis commiſſis.* 218
6. *Quomodo remittantur originale, & actualia peccata commiſſa ante Baptiſmum, quando in eodem non fuerunt remiſſa defectu debitæ diſpoſitionis.* 222
7. *An, & quibus peccatoribus conferendus ſit Baptiſmus, & quibus non.* 227
8. *In quanam parte corporis conferendus ſit Baptiſmus.* 228

QVÆSTIO IV.

De cauſa formali Sacramenti Baptiſmatis.

ART. 1. *Qvanam ſit conueniens forma huius Sacramenti.* 232
2. *Quomodo ſibi cohæreat forma Græcorum, & Latinorum.* 234
3. *An ſit neceſſaria ad valorem Baptiſmi expreſſio Sanctiſſimæ Trinitatis.* 236
4. *Quænam mutationes in forma poſſint eandem irritare.* 241
5. *An forma cum expreſſione ſenſibili vnius perſonæ ſit ſufficiens.* 247

QVÆSTIO V.

De cauſa efficienti, & miniſteriali Baptiſmi.

ART. 1. *Qviſnam ſit miniſter huius Sacramenti ex officio.* 248
2. *Quiſnam poſſit validè baptizare.* 251
3. *An quis poſſit ſe ipſum baptizare.* 253
4. *An duo, vel plures poſſint vnum baptizare, & an plures poſſint ab vno ſimul baptizari.* 255
5. *De peccatis, & pœnis eorum, qui non habent ius baptizandi, & baptizant extra neceſſitatem.* 259
6. *De peccatis, & pœnis inducentium alios, quibus non competit hoc munus ex officio ad baptizandum.* 262
7. *An inter eos, qui poſſunt validè baptizare, ſeruandus ſit aliquis ordo, & qualis, & ſub quo onere.* 264
8. *De diſpoſitionibus requiſitis ex parte baptizantis.* 268

QVÆSTIO VI.

De concurrentibus cum miniſtro ad baptizandum.

ART. 1. *An Patrinus de neceſſitate præcepti requiratur.* 269
2. *Qualis debeat eſſe Patrinus in Baptiſmo ſolemni.* 271
3. *An plures Patrini poſſint admitti ad Baptiſmum eiuſdem, & an omnes contrahant*

bant cognationem. 275
4. *De muneribus, quæ exercent Patrini in Baptiſmo, & in qua actione contrahant cognationem ſpiritualem.* 278
5. *An, ſi vnus teneat puerum in Baptiſmo priuato, & poſtea etiam in ſupplemento cæremoniarum contrahat cognationem, & quando.* 279
6. *An, ſi quis teneat in Baptiſmo per Procuratorem, per ſe contrahat cognationem, an Procurator.* 280
7. *An tenens in Baptiſmo puerum cum errore perſonæ contrahat cum illa, & eius parentibus cognationem.* 282
8. *An per ſuſcipientem in iteratione Baptiſmi contrahatur hæc cognatio.* 283
9. *Inter quas perſonas in Baptiſmo contrahatur cognatio.* 284

QVÆSTIO VII.

De ritibus ſeruandis in collatione Baptiſmi.

ART. 1. *Præmittitur quædam expoſitio huiuſmodi rituum.* 285
2. *An conueniens fuerit, vt huiuſmodi ritus inducerentur.* 286
3. *De neceſſitate Catechiſmi ad Baptiſmum.* 288
4. *An ex neceſſitate ſint præmittendi exorciſmi.* 289
5. *An ea, quæ fiunt in exorciſmo ante Baptiſmum ſint ſolum ſignificatiua, an vero etiam effectiua.* 290
6. *An exorcizare, & catechizare in Baptiſmo ſit proprium munus Sacerdotis, an vero poſſit alijs inferioribus competere.* 292

QVÆSTIO VIII.

De tempore, quo conferendum eſt hoc Sacramentum.

ART. 1. *An ſit neceſſe puerum intra certum aliquod tempus baptizare.* 293
2. *An ex aliqua cauſa, & quanam poſſit vltra tempus à conſuetudine præſcriptum Baptiſmum puerorum differre.* 294
3. *An, & quomodo differri poſſit Baptiſmus adultorum.* 295
4. *An ſit poteſtas in Eccleſia per præceptum poſitiuum obligandi infideles ad recipiendum Baptiſmum intra certum tempus.* 298
5. *An ex aliqua cauſa poſſint homines ab obſeruantia huius præcepti excuſari.* 301

QVÆSTIO IX.

De effectu Sacramenti Baptiſmatis.

ART. 1. *An Baptiſmus ritè ſuſceptus tollat omnem culpam.* 304
2. *An Baptiſmus liberet etiam ab omni reatu pœnæ.* 307
3. *An per Baptiſmum auferantur omnes pœnalitates.* 308
4. *An per Baptiſmum ſeruus liberetur à ſeruitute, & reus ab extremo ſupplicio.* 309
5. *An Baptiſmus purget quamcunque infamiam præcedentem, & tollat quamcunque irregularitatem.* 311
6. *An, & quomodo Baptiſmus conferat gratiam, & dona ſupernaturalia.* 313
7. *An effectus gratiæ, cæterarumque virtutum, quæ infunduntur in Baptiſmo, ſit æqualis in omnibus.* 314
8. *An exiſtente obice in ſubiectum, quamuis hoc non recipiat gratiam, poſſit recipere habitus fidei, & ſpei.* 318
9. *An Baptiſmus flaminis in catechumeno, quando habere non poteſt illum fluminis, cauſet in eodem plenum effectum.* 320
10. *An Baptiſmus cauſet alios effectus à recenſitis, & quoſnam.* 321

QVÆ-

QVÆSTIO X.

De effectu caractheris in Baptiſmo.

ART. I. An in Baptiſmo verè imprimatur caracter. 324
2. Vndenam proueniat indelebilitas caractheris, ratione cuius Baptiſmus in eodem ſubiecto iterari non poſſit. 325
3. An, & quomodo in dubio poſſit iterari Baptiſmus. 327
4. Quale peccatum committant iterantes Baptiſmum. 328
5. De pœnis contra reiterantes Baptiſmum. 329
6. Expediuntur nonnulla circa irregularitatem rebaptizantium. 330
7. De pœnis rebaptizatorum. 333
8. An hanc irregularitatem contrahant etiam Patrini concurrentes ad rebaptizationem. 336
9. An, ſi Baptiſmus ſolemnitèr collatus fuerit inualidus ex defectu ſubſtantiali, ſolemnitates in reiteratione eiuſdem ſint repetendæ. 337
10. An, ſi reiterarentur caremoniæ ſine reiteratione ſubſtantiæ Baptiſmatis tam reiterans, quam ille, in quem reiterarentur, & Patrini concurrentes contraherent irregularitatem. 337

PARS III.
DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

QVÆSTIO I.

De Inſtitutione, eſſentia, & neceſſitate huius Sacramenti.

ART. I. De Inſtitutione Confirmationis. 341
2. An confirmatio verè, & propriè ſit Sacramentum nouæ legis. 343
3. An, & quomodo hoc Sacramentum ſit neceſſarium. 345

QVÆSTIO II.

De materia Sacramenti Confirmationis.

ART. I. Quænam ſit materia remota huius Sacramenti. 349
2. An ſit de neceſſitate Sacramenti, vt Chriſma ſit nouum illius anni. 354
3. An æqualis debeat eſſe quantitas balſami, & olei in confectione Chriſmatis. 355
4. An ſit de ſubſtantia Confirmationis, quod Chriſma ſit conſecratum, ſeu benedictum. 357
5. An ſit de neceſſitate Sacramenti, quod Chriſma ſit benedictum, ſeu conſecratum ab Epiſcopo. 359
6. Quænam ſit materia proxima huius Sacramenti. 362
7. An huiuſmodi vnctio neceſſariò fieri debeat pollice manus dexteræ Epiſcopi confirmatis. 363
8. An de neceſſitate Sacramenti requiratur præter Chriſmatis vnctionem alia manuum impoſitio. 365

QVÆSTIO III.

De cauſa materiali ſubiectiua Confirmationis.

ART. I. An ſolus, & omnis homo viator ſit capax huius Sacramenti. 367

2. An

2. *An pueri ante vſum rationis poſſint validè, & licitè recipere hoc Sacramentum.* 369
3. *An amentes, & furioſi ſint capaces valida, & licita receptionis Sacramenti Confirmationis.* 372
4. *An proximus morti poſſit confirmari.* 374
5. *Vtrum neceſſario in Sacramento Cōfirmationis vnctio Chriſmatis fieri debeat in frōte.* 375
6. *An neceſſe ſit, vt vnctio fiat in formam crucis.* 376
7. *Quanam diſpoſitiones requirantur in ſubiecto Confirmationis ad recipiendam ipſam cum effectu.* 377

QVÆSTIO IV.

De forma Sacramenti Confirmationis.

ART. I. *Qvanam ſit forma huius Sacramenti, & an conueniens.* 378
2. *A quo ſit inſtituta huiuſmodi forma.* 379
3. *An expreſſa inuocatio Sanctiſſima Trinitatis ſit de eſſentia huius forma.* 381
4. *An hac forma admittere poſſit aliquam mutationem.* 382

QVÆSTIO V.

De Miniſtro huius Sacramenti.

ART. I. *Qvinam ſit miniſter ex officio huius Sacramenti* 383
2. *An omnes Epiſcopi poſſint confirmare.* 386
3. *An Epiſcopi conſecrati poſſint omnes confirmare.* 389
4. *De obligationibus miniſtri Confirmationis ex officio.* 391
5. *De diſpoſitionibus requiſitis ex parte miniſtri.* 392
6. *An ſimplex Sacerdos ex commiſſione Summi Pontificis poſſit confirmare.* 393
7. *An alijs à Sacerdotibus ex priuilegio poſſit committi hoc munus confirmandi.* 395
8. *An Epiſcopus in ſua Diœceſi poſſit committere ſimplici Sacerdoti munus confirmādi.* 396
9. *An non confirmatus poſſit Sacramentum Confirmationis conferre.* 397
10. *An ad hoc Sacramentum ſolemnitèr conferendum requiratur Patrinus, & an vnus ſolum, vel poſſint eſſe plures.* 399
11. *An Patrinus ſub graui teneatur in myſterijs fidei, & in bonis moribus inſtruere ſuſceptum.* 400
12. *An Patrini Confirmationis contrahant cognationem ſpiritualem, & cum quibus.* 401
13. *An non confirmatus tenens confirmandum contrahat cum eodem cognationem ſpiritualem.* 403

QVÆSTIO VI.

De ritibus, & cæremonijs ſeruandis in Sacramento Confirmationis.

ART. I. *De ritibus, & cæremonijs, quæ fiunt in confectione Chriſmatis.* 405
2. *Quinā ritus requirantur ex parte Epiſcopi confirmantis.* 406
3. *De ritibus, qui requiruntur circa tempus, & locum.* 407

QVÆSTIO VII.

De effectibus Confirmationis.

ART. I. *An confirmatio conferat gratiam, & quamnam.* 409
2. *Quanta gratia per hoc Sacramentum producatur.* 410
3. *Per quid differat gratia Sacramētalis Confirmationis ab illa aliorum Sacramentorum.* 412
4. *De caractere, qui producitur in hoc Sacramento.* 413
5. *De Sacramento Confirmationis non iterando.* 416
6. *An confirmatio iterata inducat eaſdem pœnas, quas inducit iteratio Baptiſmi.* 417

NOS infraſcripti teſtamur in libro, qui inſcribitur, POTESTAS ECCLESIASTICA AD SACRAMENTA NOVÆ LEGIS IN GENERE, BAPTISMI, ET CONFIRMATIONIS, Patris D. Gregorij Roſignoli Congregationis noſtræ Clericorum Reg. S. PAULI Presbyteri Profeſſi à nobis de mandato Adm. R. P. D. Idelphonſi Manaræ Præpoſiti Generalis noſtri diligentèr lecto nihil reperiri, quod Catholicæ fidei, aut bonis moribus officiat, immo vtile fore cenſemus, ſi typis expreſſus euulgabitur. Dat. Mediolani in Collegio Sancti Alexandri die 15. Maij 1705.

D. JO: CLAUDIUS PUTEOBONELLUS DELEGATUS.

D. MALACHIAS PAVESIUS DELEGATUS.

DON IDELPHONSUS MANARA PRÆPOSITUS GENERALIS
Congregationis Clericorum Regularium S. PAULI.

CUM librum, cui titulus eſt: POTESTAS ECCLESIASTICA AD SACRAMENTA NOVÆ LEGIS IN GENERE, BAPTISMI, ET CONFIRMATIONIS, à Patre D. Gregorio Roſignolo Congregationis noſtræ Presbytero Profeſſo compoſitum, duo eiuſdem Congregationis noſtræ eruditi Viri, quibus id commiſimus, accurata lectione, & graui iudicio recognouerint, & poſſe in lucem edi probauerint. Nos, vt typis mandetur, quantum in nobis eſt, facultatem facimus. In quorum fidem, has fieri, ſigilloque noſtro muniri iuſſimus. Dat. Mediolani in Collegio Sancti Pauli, & Barnabæ diè 16. Maij 1705.

D. IDELPHONSUS MANARA PRÆPOSITUS GENERALIS.

Locus ✠ Sigilli.

D. Hieronymus Sitonus Cancell.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA AD SACRAMENTA NOVÆ LEGIS IN GENERE, BAPTISMI, ET CONFIRMATIONIS, Opus àb Adm. R. P. D. Gregorio Roſignolo ex Clericis Reg. S. PAULI Barnabitis perſcrutatus, ex Officij mei debito, nihil in eodem definitum reperi, quòd Catholicis aduerſetur Conſtitutionibus; vel Claſſicorum Theologorum auctoritatibus non fulciatur: & quidem clariſſimâ cum doctrinâ, atque explicatione. Quarè tùm Moralis, cùm ſpeculatiuæ Theologiæ ſectatoribus vtile illud futurum fore dijudicans, abſq; vlla difficultate imprimi poſſe arbitror. Decimo Kalendas Julij, Anno 1705.

Ego D. Hieronymus Meazza Clericorum Regularium Viſitator, Sacræ Theologiæ, & Juris Canonici Profeſſor, in Sanctiſſimæ Inquiſitionis Tribunali Mediolani Conſultor, ac pro ipſa Librorum Cenſor, &c.

IMPRIMATUR

F. Proſper de Leonibus Inquiſitor Generalis Mediolani.

Bartholomæus Craſſus Canon. Ordin. pro Emin. D. D. Card. Archiep.

Angelus Maria Maddius pro Excellentiſſimo Senatu.

PARS

Digitized by Google

PARS I.

IN VNIVERSAS
DE SACRAMENTIS IN GENERE
QVÆSTIONES.

EX ærarijs Diuinitatis, in quibus inſidet altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei theſauros profero omni bonorum vbertate repletos, omni gratiarum copia redundantes, omni bonitatis affluentia diuites, vno verbo ipſo Deo pleniſſimos. Sacramenta hæc ſunt, quæ in ſcrinio Diuini pectoris recondita, & ex eodem in communem hominum vtilitatem eructantia ipſos, vel in regeneratione æternæ gloriæ cohæredes, vel in chriſmate ſtabiles, vel in epulis opiparè conuiuantes in menſa Dei, vel in expiatione terrena labe purgatos, vel in vnctione oleo lætitiæ per Chriſtum effuſo locupletes, vel in ſacro ordine Chriſto communicantes, vel in nuptijs ſocios, eique deſponſatos conſtituunt cum plenitudine cæleſtium diuitiarum. Verè theſauri inæſtimabiles, quibus, ſi aurum gemmaſque, & quidquid pretioſum, quidquid opulentum, quidquid diues comparemus, quod hic eluceſcat, vileſcunt omnia tanquam lutum, quod habetur in terris. Hæc Diuinæ naturæ conſortes, hæc participes cæleſtium diuitiarum efficiunt, hæc omnium bonorum aggregatione perfectos. Hæc ſimul collecta coeunt in theſaurum ditiſſimum, vt & ſingula ſeorſim theſaurus ſint; ſunt quippè ſingula Diuinæ largitatis donum locupletiſſi-

mum. In his corda noſtra figamus, vt ibi theſaurizemus, ibique ſit mens noſtra, vbi theſaurus indeficiens reperitur.

Agunt latè de Sacramentis D. Thomas, eiuſque ſectatores *in tertia part. à q. 60. ad alias. D. Bonauentura, Scotus, & alij in quarto diſt. 1., Neoterici omnes in ſuis reſpectiuè tractatibus*, quos ſingillatim referre eſſet ad tædium ſermonem protrahere.

QVÆSTIO I.

De ijs, quæ ſunt communia Sacramentis antiqua, & noua legis, & de ijs, quæ ſolis antiquis conueniunt.

AB vniuerſalioribus ſeruato doctrinæ ordine eſt exordiendum, & ſecundum inſtitutionis tempus, vt quæ ſunt priora primum locum obtineant, & quæ ſunt communia præferantur peculiaribus. Ideo in primis de eiſdem in communi, & de antiquis differendum, vt per eorum notitiam facilior aditus nobis aperiatur ad noua, tanquam ad vltimum complementum, & perfectionem cæterorum.

ARTICVLVS I.

An in omni hominum ſtatu fuerint neceſſaria, & extiterint aliqua Sacramenta.

SVMMARIVM.

Referuntur quatuor hominum ſtatus. 1.
In ſtatu innocentia non fuit, nec erat neceſſarium aliquod Sacramentum. 2.
Explicatur dictum Apoſtoli ad Epheſ. 3. hoc Sacramentum magnum eſt. 3.
Dictum D. Thoma intelligendum eſt de ſtatu natura lapſa. 4.
In ſtatu innocentia vix fuiſſet inordinatio partis inferioris ad Superiorem. 5.
In ſtatu legis natura ante legem ſcriptam fuit remedium originalis tam pro paruulis, quam pro adultis. 6.
Non eſt datus ſtatus pura natura. 7.
Remedium originalis in ſtatu natura lapſa ante legem ſcriptam reſpectu paruulorum erat Sacramentum. 8.
Mera fides interna parentum in illo ſtatu reſpectu paruulorum non erat ſufficiens. 9.
Reſpectu adultorum illud remedium non erat Sacramentum. 10.
In eo ſtatu ſolum Deus conſtituit Sacramenta, quæ erant neceſſaria ad ſalutem. 11.
Remedium pro actualibus tunc non erat Sacramentum. 12.
In ſtatu legis ſcripta extiterunt plura Sacramenta. 13.
Collatio horum Sacramentorum cum Sacramentis noua legis. 14.
Quot, & qualia fuerint Sacramenta in ſtatu legis ſcripta remiſsiuè. 15.
In ſtatu legis gratia ſeptem ſunt Sacramenta nec plura, nec pauciora. 16.
Proportio vita ſpiritualis ad corporalem. 17.
Non fuerunt hæc Sacramenta inſtituta ex neceſsitate abſoluta. 18.
Suppoſita inſtitutione aliqua ſunt neceſſaria ſimpliciter, alia ſecundum quid. 19.

1 Quadruplex hominum ſtatus.

QVadruplex hominum ſtatus poteſt conſiderari; alter ſtatus innocentiæ, in quo conditus fuit Adam; alter puræ naturæ, in quo nullus conditus fuit; alter naturæ lapſæ, qui incæpit poſt originale peccatum; atque hic duplex eſt, vnus ante legem ſcriptam, allus poſt eandem. Alter naturæ reparatæ, qui eſt ſtatus legis gratiæ, & legis nouæ per Chriſtum Dominum præſcriptæ. In ordine ad hos omnes hominum ſtatus procedit titulus.

2 In ſtatu innocentiæ non fuit aliquod Sacramentum.

Aſſertio I. In ſtatu innocentiæ, nec extiterunt, nec fuerunt neceſſaria aliqua Sacramenta *D. Thomas tertia part. q. 61. art. 2., & in quarto diſt. 1. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 2., Ioannes à Sancto Thoma diſp. 13. art. 2. dub. 2., Gonetus diſp. 2. art. 1. §. 2., Vaſquez diſp. 130. c. 2., Lugus diſp. 3. ſect. 1., Cacheranus tract. 8. de Sacram. in genere c. 2. §. 1. n. 7.*

Probatur. Nec ex ſacris paginis reſultat pro tali ſtatu vllum veſtigium exiſtentiæ, nec aliqua ratione euincitur Sacramentorum neceſſitas, ergo, nec extiterunt, nec fuerunt pro tali ſtatu neceſſaria. Antecedens quoad primam partem

patet,

3 *Explicatur dictũ Apoſtoli ad Epheſ. 3.*

patet, quia nullibi de hoc conſtat; Quod, ſi dicas, euinci ex illo *Apoſt. ad Eph. 3.* vbi recitatis verbis *Geneſis 2. Erant duo in carne vna*, immediatè ſubdit *Sacramentum hoc magnum eſt*; Statim impugnaberis, quia Apoſtolus non dicit, quod tunc matrimonium fuerit Sacramentum, ſed quod futurum erat Sacramentum. Dici etiam poteſt, quod Apoſtolus per ly Sacramentum non intellexit Sacramentum in rigore, ſed lato modo, cum hoc nomen plures habeat ſignificationes; aliquando etenim importat depoſita, quæ fiebant a litigantibus in loco ſacro; aliquando iuramentum, eo quod præcipuè per Deum, aut rem ſacram fiat; aliquando rem arcanam, & abſconditam iuxta illud Tobiæ *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt*; vnde mirum non eſt, quod Apoſtolus vſus fuerit tali nomine ad indicandum quid aliud a Sacramento; nec defuerunt nonnulli, qui pro Sacramento legerint myſterium hoc magnum eſt.

Antecedens etiam quoad ſecundam partem ſic euincitur, quia, ſi quæ ratio

4 *Dictum D. Thomæ quomodo intelligendum.*

euinceret pro tali ſtatu, vel exiſtentiam, vel neceſſitatem aliquorum Sacramentorum, illa eſſet, quam adducit *D. Thomas tertia parte quæſt. 61. art. 2.*, quod ſcilicet ex conditione humanæ naturæ proprium ſit, vt per corporalia, & ſenſibilia in ſpiritualia, & intelligibilia deducatur; pertinet autem ad Diuinam prouidentiam, vt vnicuique rei prouideat ſecundum modum ſuæ conditionis, & ideo conuenientèr Diuina Sapientia homini auxilia ſalutis confert ſub quibuſdam temporalibus, & ſenſibilibus ſignis, quæ Sacramenta dicuntur; vbi nota, quod ly, *ex conditione humanæ naturæ*, importat eandem naturam humanam ſecundum ea, quæ ipſi naturalia ſunt, quæque æquè eidem conueniunt, ſiue poſt peccatum, ſiue ante; ſed hæc ratio nulla eſt, nam in ſtatu innocentiæ eſſet regulatus ordo inter partem inferiorem, & ſuperiorem, inter ſuperiorem, & Deum, quo ordine ſtante non fuit neceſſe, nec conueniens, vt pars ſuperior dirigeretur per corporalia, & ſenſibilia ſigna, ſed immediatè à Deo, cui ſubdebatur; ſecus pars ſuperior ſubijceretur inferiori, à cuius ſenſibilibus ſignis quaſi manuduceretur; nec obſtant ea, quę ex D. Thoma afferebantur de conditione humanæ naturæ, quandoquidem ea intelligenda ſunt non de conditione humanæ naturæ ſecundum ſe, prout abſtrahit ab omni ſtatu, quæ ſemper eſt eadem, & eidem naturæ ſemper conueniens, ſed de conditione eiuſdem ſecundum determinatum ſtatum, nempè naturæ per peccatum lapſæ.

Dices, etiam in ſtatu innocentiæ potuit eſſe inordinatio partis inferioris a ſuperiori, & ſuperioris a Deo, quandoquidem etiam Adamo non originalitèr peccante poterant eius poſteri, quinimmo, & ipſe Adam actualitèr peccare, in quo peccato conſiſtit talis inordinatio, ergo etiam pro illo ſtatu fuit neceſſaria aliquorum Sacramentorum inſtitutio, quibus per corporalia ſigna actualitèr peccantes ordinarentur ad Deum, & ad propriam ſalutem conſequendam; non enim debuerunt eſſe homines pro illo ſtatu deterioris conditionis, ac ſint in præſenti ſtatu; ſicque argumentum deſumptum a regulato ordine partis inferioris ad ſuperiorem nil videtur euincere. Sed contra; non improbabile crederem, homines perſeuerante ſtatu innocentiæ non habituros illam partium inordinationem, nec actualitèr peccaturos ſaltem cum illa facilitate, & inordinatione, qua modo peccant poſt peccatum originale commiſſum ab Adamo, & transfuſum in poſteros; Quod, ſi perſiſtas, quod homines ratione libertatis etiam in illo ſtatu poſſent in peccatum labi, ſicut lapſus eſt Adam, reſpectu cuius peccatum, quod in nobis eſt originale, in ipſo eſt etiam actuale, adeoque, quod in illo ſtatu ratione talis inordinationis fuerit neceſſaria aliquorum Sacramentorum inſtitutio; tunc dicam, quod illa inordinatio non ſit talis, vt inferat neceſſitatem Sacramentorum, quandoquidem non omnes, ſed pauci fuiſſent in illo ſtatu peccaturi, in ordine ad quos ex vi præſentis decreti, ſicuti iuxta noſtra principia non fuiſſet poſita Chriſti incarnatio, ita, nec fuiſſent aliqua Sacramenta inſtituta, & ſicuti remedium incarnationis non exiſtente originali peccato, exiſtentibus dumtaxat actualibus iuxta mentem Angelici Doctoris non fuiſſet poſitum, ita, nec fuiſſent poſita Sacramenta.

5 *In ſtatu innocentiæ vix fuiſſet partium inordinatio.*

6 *In ſtatu legis naturæ fuit remediũ originalis.*

Aſſertio II. In ſtatu legis naturæ ante legem ſcriptam probabilius fuit aliquod originalis remedium tam pro paruulis, quam pro adultis, fuit tamen hoc remedium pro paruulis Sacramentum, non ſic pro adultis. Prima pars eſt communitèr recepta. Secunda eſt *Amici diſp. 3. ſect. 2. n. 106.*, *Arriagæ diſp. 8. ſect. 5.*, *Maderni tract. 2. de Sacram. in gen. q. 2. art. 3. n. 2.*, *Cacherani tract. 8. de Sacram. in gen. c. 2. §. 2. n. 27.* Dixi, *in ſtatu legis naturæ ante legem ſcriptam*, qui ſtatus durauit ab Adam poſt commiſſum originale vſque ad Moyſem, per quem data eſt lex ſcripta; ex eo autem, quod dicatur lex naturæ incæpiſſe in Adamo poſt peccatum originale, ſequitur, quod nullus extiterit ſtatus puræ naturæ, cum immediatè ad ſtatum innocen-

7 *Non eſt datus ſtatus puræ naturæ.*

tiæ ſucceſſerit ſtatus naturæ lapſæ, vnde non remanet locus inquirendi, an in ſtatu puræ naturæ fuiſſent Sacramenta; & quamuis fuerit, vel ſit poſſibilis, non poſſumus certo definire, an in illo fuiſſet Deus inſtituturus aliqua Sacramenta, cum hoc à Diuina voluntate dependeat, cuius arcana non eſt noſtrum inueſtigare.

Probatur iam prima pars aſſertionis ex immenſa bonitate, & pietate Diuina elucente ex Sacris Scripturis, ſecundum quam vult omnes homines ſaluos fieri, neminemque perire, ac proinde prouidet omnibus media, & auxilia ſaltem ſufficientia ad ſalutem, ſine quibus nec mereri poſſent, nec demereri, & licet ratione originalis priuarentur viſione beata, & per conſequens ſortirentur pænam damni, non poſſent tamen ſortiri pænam ſenſus, cum ſine auxilijs ſufficientibus non poſſet eiſdem peccatum actuale imputari, ergo ſentiendum eſt, quod Deus in illo ſtatu contulerit remedium pro originali, quo etiam a pæna damni poſſent liberari. Hinc nouimus plures in lege naturæ adultos fuiſſe iuſtificatos, & præcipuè de Adamo legitur *Sap.* 10. quod *eduxerit illum Dei Sapientia à delicto ſuo*, quod vtique intelligendum eſt medijs actibus charitatis infuſæ, quibus mediante fide fuerint ad Deum conuerſi. Quoad paruulos nullus habetur expreſsè ſcripturæ locus, quo indicetur huiuſmodi remedium, ex communi tamen SS. PP., & Scholaſticorum conſenſu pro certo, & indubitato habetur, ne contra exuberantiam Diuinæ Clementiæ teneamur dicere tot paruulos ſine originalis remedio æternæ damnationi quoad pænam damni reliquiſſe, & remanſiſſe mancipatos; vnde *D. Auguſtinus lib.* 1. *contra Iulianum c.* 9. *Credendum non eſt*, inquit, *ante datam Circumciſionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento eos opitulatos eſſe paruulis ſuis*, & *D. Ciprianus lib. de Cardinalibus Chriſti operibus* ſcripſit. *Sanè originale peccatum, quod à primis parentibus in totam huius generis ſucceſſionem defluxit, omni tempore aliquibus remedijs oportuit expiare.*

Probatur iam ſecunda pars, quod ſcilicet illud remedium originalis pro paruulis fuerit Sacramentum.

8 *Remediũ originalis in ſtatu naturę reſpectu paruulorum erat Sacramẽtum.*

Sola fides parentum interna, nec ex natura eiuſdem fidei, nec ex inſtitutione Diuina erat ſufficiens ad emundandos paruulos a labe originalis, ergo debuit aliquo ſigno ſenſibili eſſe ſuffulta, ergo verè, & propriè fuit Sacramentum id, quod pro tali emundatione adhibebatur. Hæc vltima conſequentia patet, quia eo ipſo, quo talis fides debet eſſe ſuffulta ſigno ſenſibili, hoc ſimul cum eadem fide debet eſſe collatiuum gratiæ internæ ſanctificantis, &, cum ſit ſenſibile, debet eſſe talis gratiæ ſignum, adeoque propriè Sacramentum, de cuius ratione non eſt, niſi vt ſit ſignum ſenſibile gratiæ, vt infra probabimus; neque dicas, non ſufficere, quod ſit ſignum ſenſibile gratiæ, ſed vlterius requiri, quod ſit à Deo inſtitutum; de tali autem inſtitutione nullibi conſtat; contra enim impugnaberis, quia licet nullibi conſtet de inſtitutione determinati ſigni, conſtat tamen de inſtitutione determinata quoad rationem formalem, licet non conſtet de determinata quoad materiam; quam tamen poſtea determinat per ſpeciales motiones, & inſtinctus internos in parentum cordibus ipſe Deus. Deus igitur pro tali naturæ ſtatu, cum prouiderit de medijs, & auxilijs ſufficientibus, quibus poſſent ſaluari, debuit etiam determinare, quod ſalutem conſequerentur per aliquod ſignum ſenſibile, &, licet illud non determinauerit quoad materiam expreſsè, ſed reliquerit hominibus determinandum, immo potius ipſe determinet per ſpeciales inſtinctus, non propterea poteſt dici, quod non ſit ex inſtitutione Diuina, cum ſufficiat, quod à Deo ſit determinatum quoad rationem formalem, vt videre eſt in aliquo etiam Sacramento nouæ legis, nempè in illo ordinis, qui licet fuerit inſtitutus a Chriſto Domino, tamen quoad illum non determinauit materiam in ſpecie, ſed tantum in genere, relinquendo Eccleſiæ eius determinationem.

9 *Fides interna parentum non erat ſufficiens.*

Antecedens huius probationis quoad primam partem ſic euincitur, quia fides merè interna parentum non eſt paruulis applicabilis, ergo illis ad iuſtificationem non poſſet prodeſſe. Antecedens probatur, tum quia, ſi ex natura ſua eſſet eiſdem applicabilis, æquè eſſet eiſdem applicabilis pro ſtatu præſenti, ac pro illo ſtatu naturæ, quod enim conuenit fidei ex natura ſua, in quocunque ſtatu illi conuenit; tum quia æquè eſſet eiſdem applicabilis, dum exiſtunt in vtero Matris, ac dum exiſtunt extra illum, quod etiam ipſi Aduerſarij non admittunt; tum quia ſola fides ſecundum ſe non ſufficit ad iuſtificationem illius, qui eandem habet, cum poſſit ſtare fides ſine gratia, adeoque multo minus ad iuſtificationem aliorum; tum quia applicatio actus debet fieri nomine Eccleſiæ, quæ nullum habet ius in actus merè internos. Requiritur igitur, vt fiat medio aliquo actu externo, in quo conſiſtit ratio Sacramenti. Antecedens item quoad ſecundam partem ex eo euincitur, quod nullibi conſtat ex Sacris Scripturis, quod actui merè interno parentum addicta ſit iuſtificatio paruulorum.

Pro-

10 Reſpectu adultorũ illud remedium non erat Sacramentum.

Probatur iam tertia pars, quod ſcilicet remedium emundationis originalis reſpectu adultorum non fuerit Sacramentum. Ratio, quæ militat pro paruulis in illo ſtatu, non militat pro adultis, ſiquidem in tantum per illis admittitur Sacramentum, in quantum aliter illis non poſſet ſubueniri, non enim poterant per proprios actus iuſtificari, nec illis fides parentum poterat prodeſſe, & maximè congruum fuit Diuinæ Prouidentiæ, vt eiſdem ſubueniretur pro tali ſtatu; hoc autem non militat pro adultis, cum ſibi met ipſis poſſent conſulere per proprios actus fidei informatos actibus contritionis, & dilectionis Dei ſuper omnia, ergo pro iſtis non eſt conſtituendum Sacramentum, ſicuti conſtituitur pro illis.

Dices primò; ex hac ratione euinci quidem, quod non fuerit pro adultis neceſſarium Sacramentum ſimplicitèr, non tolli tamen, quod, ſi adulti elicuerint actum fidei cum illis actionibus externis, cum quibus conſtituunt Sacramentum pro paruulis, conſtituant etiam Sacramentum pro ſe ipſis; ſi enim illæ actiones externæ cum fide interna ſufficiunt ad veram rationem Sacramenti pro paruulis, cur non ſufficiunt ad talem rationem pro ſe ipſis. Sed contra, quia pro illo ſtatu Deus ea tantum conſtituit Sacramenta, quæ erant ſimplicitèr neceſſaria ad ſalutem; cum igitur reſpectu adultorum poſſet ſalus acquiri medijs proprijs actibus fidei informatæ charitate, non eſt in ordine ad ipſos conſtituenda aliqua ratio Sacramenti; nec refert, quod poſſint interuenire illæ actiones externæ, quæ conſtituunt Sacramentum in ordine ad paruulos; Non refert, inquam, quia ad conſtituendum Sacramentum non ſufficiunt illæ actiones, niſi ſint cũ inſtitutione Diuina ad hoc ordinatæ; hæc autem inſtitutio Diuina ex communi SS. PP. traditione, & conſenſu eſt dumtaxat in ordine ad paruulos propter ſummam neceſſitatem conſulendi eorum ſaluti, non autem in ordine ad adultos, qui poſſunt ſibi aliter conſulere. Cæterum, quod illæ actiones externæ ſimul cum actu fidei non ſufficiant ſecundum ſe ad conſtituendam rationem Sacramenti, niſi ſint ad hoc a Deo inſtitutæ, ex eo euincitur, quod modo illæ actiones cum proteſtatione externa fidei non ſint propriè Sacramentum, quia ad hoc non ſunt à Deo ordinatæ.

11 In eo ſtatu Deus ſolum cõſtituit Sacramẽta, quæ erant neceſſaria ad ſalutẽ.

Hinc non incongruè docent *Suarez diſp. 4. ſect. 4. §. dico ſecundo, Amicus diſp. 3. ſect. 2. n. 111., Lugus diſp. 3. ſect. 2. n. 60., Cacheranus tract. 8. de Sacram. in gen. c. 2. §. 2. n. 36.*, quod in hoc ſtatu naturæ præter remedium originalis pro paruulis non fuerit aliud Sacramentum addita etiam ratione deducta ex propria conditione ſtatus naturæ non admittentis in ordine ad ſalutem præcepta poſitiua, aut media à Deo inſtituta, niſi ſimplicitèr neceſſaria.

12 Remediũ pro actualibus tunc non erat Sacramentum.

Dices ſecundò in lege naturæ aderat remedium ſenſibile pro remiſſione peccatorum actualium, cum in quolibet ſtatu fuerit conueniens, quod Deus conſuleret de neceſſarijs ad ſalutem, quod optimè iudicauit *D. Thomas in quarto diſtinct. 1. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 3. ad ſecundum*. Sed contra fateor, quod pro illo ſtatu fuiſſet remedium etiam pro peccatis actualibus, ſed nego, quod illud deberet eſſe ex neceſſitate ſenſibile, & ſi etiam foret ſenſibile, nego fore Sacramentum, cum non eſſet tale ex Diuina inſtitutione.

13 In ſtatu legis ſcriptæ extiterunt plura Sacramenta

Aſſertio III. In ſtatu legis ſcriptæ extiterunt verè Sacramenta, & non vnum ſolum, ſed plura. Prima pars eſt communis, nec circa illam eſt ambigendum apud Catholicos, cum per Concilium Florentinum in decreto vnionis Armenorum, & per *Trident. ſeſſ. 7. c. 2.* aperte definiatur Sacramenta nouæ legis ab antiquis differre, quæ definitio, & comparatio omnino inanis eſſet, ſi antiqua non eſſent propriè Sacramenta. Secunda pars eſt etiam communitèr recepta contra Ioannem de Baſſolis non cognoſcentem in tali lege, niſi Circuncifionem, vt Sacramentum.

14 Collatio horum Sacramẽtorum cũ Sacramẽtis nouæ legis.

Omiſſa probatione primæ partis, quæ conſtat ex definitione præcitatorum Conciliorum ſic euincitur ſecunda. Sacramenta antiqua fuerunt figuræ, & ſimbolum illorum nouæ legis; atque hæc ſunt plura ergo, & illa debent eſſe plura, cum vnum non poſſit ſingula noua rapræſentare. Recenſendo iam antiqua relatiuè ad noua. Circuncifio pro maſculis, & remedium legis naturæ pro fæminis eſt figura Baptiſmi. Conſecratio, ſeu deputatio Sacerdotum, & Leuitarum figuralitèr refertur ad ordinem; Eſus Agni Paſchalis, & panum propoſitionis ad Euchariſtiam; Purificationes, & expiationes ad pænitentiam. Nullam correſpondentiam agnouit *D. Thomas prima ſecunda q. 103. art. 5.* Sacramentorum veteris legis ad Confirmationem, Extremam Vnctionem, & Matrimonium, eo quod Confirmatio ſit Sacramentum plenitudinis gratiæ, Extrema Vnctio Sacramentum præparationis introitus ad æternam gloriam, Matrimoniũ ſignificatio coniunctionis Chriſti cum Eccleſia; in lege autem ſcripta, nec plenitudo gratiæ aduenerat, nec gloriæ aditus patebat, nec habebatur coniunctio Chriſti cum Eccleſia.

Quod, ſi inquiras, quot, & qualia fuerint Sacramenta in lege veteri ſcripta;

tunc

15 Quot, & qualia tunc fuerint Sacramenta.

tunc dicam non vacare in præſenti examinare, cum iam intelligantur abolita, & eorum diſtincta notitia ad præſens inſtitutum non poſſit conferre. Recolenda ſunt, quæ habentur in libro Exodi, vbi enumerantur plures cæremoniæ, & ritus ſacri, qui, ſeu quæ, an omnes fuerint Sacramenta non vacat definire.

16 In ſtatu legis gratiæ ſeptẽ ſunt Sacramenta nec plura, nec pauciora.

Aſſertio IV. In ſtatu legis gratiæ, ſeu naturæ per Chriſtum Dominum reparatæ fuerunt, & exiſtunt ſeptem, nec plura, nec pauciora Sacramenta. Eſt veritas Catholica definita in Concil. Florentino, & Tridentino contra plures Hæreticos, qui variè ſenſerunt de Sacramentorum numero, & exiſtentia, & primò contra Archonaicos, Gnoſticos, & Fraticellos, qui omnia Sacramenta, tanquam perfectioni legis gratiæ repugnãtia de medio tollebant. Secundò contra Lutherum, & Caluinum, alioſque Nouatores, qui, quamuis admiſerint aliqua Sacramenta, nullibi veram Sacramenti eſſentiam agnouerunt. Tertiò contra Gaianos, Manicheos, & Seleucianos, qui Baptiſmum tanquam Sacramentum denegarunt, item contra Nouatianos, qui Confirmationem, & Pænitentiam ſuſtulerunt, item contra Albigenſes, qui Extremam Vnctionem non agnouerunt; item contra Eneraticos, qui Matrimonium eliminarunt. Quoad numerum etiam Sacramentorum turpitèr errarunt Hæretici recentiores, dum Caluinus, & eius ſectatores duo tantum adſtruunt Sacramenta, nempè Baptiſmum, & Cænam; Lutherus, & eius aſſeclæ tria, Baptiſmum, Euchariſtiam, & Pænitentiam. Zuingliani tria, Baptiſmum Euchariſtiam, & Matrimonium, & alij alia, quos non refert referre. Videri poſſunt apud *Bellarminum tom. 2. controu. lib. 1. c. 1., & lib. 2. c. 25.*

17 Analogia vitæ ſpiritualis ad corporalem.

Hæc veritas manifeſtè euincitur ex communi Eccleſiæ traditione ab Apoſtolis ad hæc vſque tempora firmiter perſeuerante; Ex definitione Concil. Florent. in decreto vnionis Armenorum, & *Trid. ſeſſ. 7. can. 1.*; & ex communi conſenſu SS. PP., & Scolaſticorum. Hæc ſeptem Sacramentorum, & exiſtentia, & numerus congrua quadam ratione ex conformitate vitæ ſpiritualis cum corporali deducitur; ſicuti enim vita corporalis in ordine ad quaſcunque priuatas perſonas perficitur per ſe generatione, augmentatione, & nutritione, & per accidens remotione contrariorum, auertendo ſcilicet morbos per eorundem curationem, & reparatione à reliquis morbi, ita vt penitus conualeſcat, & vlterius in ordine ad Rempublicam poteſtate, & propagatione; ita & vita ſpiritualis regeneratione per Baptiſmum, augmentatione gratiæ per Confirmationem, nutritione ſpirituali per Euchariſtiam, remotione contrariorum per Pænitentiam, liberatione a reliquijs ſpiritualis morbi per Extremam Vnctionem, poteſtate in corpus Chriſti reale, & miſticum per ordinem, & propagatione per Matrimonium perficitur.

18 Non fuerunt hæc Sacramẽta inſtituta ex neceſſitate abſoluta.

Hic pro complemento eorum, quæ ſub hoc titulo examinanda aſſumpſimus, remanet inquirendum, an fuerit neceſſaria huiuſmodi Sacramentorum inſtitutio in ordine ad ſalutem acquirendam. Sub duplici ſenſu poteſt ſumi hæc diſquiſitio. Primò, an fuerit aliqua neceſſitas ea inſtituendi; ſecundò, an ſuppoſita inſtitutione eorum vſus ſit neceſſarius ad ſalutem. In ordine ad primum ſenſum certum eſt, non fuiſſe neceſſitatem ſimplicitèr ea inſtituendi, cum Deus optimus maximus potuerit aliter humanæ ſaluti conſulere, quam per inſtitutionem Sacramentorum; ex congruitate tamen fuit poſita eorum inſtitutio, tum ob conformitatem vitæ ſpiritualis cum corporali, tum ob oppoſitionem eorum tanquam ſalubrium medicinarum ad ſeptem Capitalia vulnera, nempè peccata læthalia, tum ob relationem ad expiationes, quæ habebantur in veteri teſtamento, quæ ſeptenario numero concludebantur. In ordine ad ſecundum ſenſum certum eſt aliqua eſſe ſimplicitèr neceſſaria, alia tantum ſecundum quid, & non omnia omnibus.

19 Suppoſita inſtitutione aliqua ſunt neceſſaria ſimplicitèr, aliqua ſecundũ quid.

In particulari Baptiſmus eſt ſimplicitèr neceſſarius paruulis in re, adultis vel in re, vel in voto, quando haberi non poteſt in re; poſt Baptiſmum lapſis eſt neceſſaria pænitentia, vel in re, vel ſaltem in voto; Euchariſtia eſt neceſſaria non quidem in re loquendo de neceſſitate medij, nec in voto explicito, ſed tantum implicito; Sacerdotibus eſt neceſſarius ordo; Reipublicæ Matrimonium non tamen ſingulis; reliqua ſunt tantum neceſſaria ſecundum quid, vel ex præcepto. Sed de hac neceſſitate erit ſermo, dum de ſingulis Sacramentis.

ARTICVLVS II.

Quid propriè ſit Sacramentum.

SVMMARIVM.

Sententia docens Sacramenta non eſſe definibilia. 1.
Non ſunt entia merè per accidens. 2.
Nec entia rationis. 3.
Etiam ſi eſſent ens per accidens, & rationis poſſent definiri. 4.

Varia

Variæ definitiones Hæreticorum. 5.
Vera, & propria definitio Sacramenti, vt Sacramenti. 6.
Explicatur per ſuas particulas hæc definitio. 7.
Conuenit omnibus Sacramentis. 8.
Excluditur à ratione Sacramenti martirium. 9.
Excluditur etiam Sacrificium, vt Sacrificium. 10.
An Sacramentum non ſolum ſit ſignum, ſed etiam cauſa. 11.
Non eſt eſſentiale Sacramento, vt ſic cauſare Phyſicè gratiam. 12.
Cauſat tamen ex genere ſuo aliquam ſanctitatem externam, legalem, & cæremonialem. 13.
Non eſt eſſentiale Sacramentis, vt ſic etiam cauſare gratiam internam moraliter. 14.
Quandoque ſe habent per modum conditionis. 15.
Eſſentiale eſt Sacramento, vt ſic cauſare gratiam externam, & legalem per modum cauſæ formalis. 16.

1 **Sententia docens Sacramẽta non eſſe definibilia.**

NOn defuerunt aliqui, inter quos *Maior in quarto diſt.* 1., *& ibidem Scotus q.* 2., *Faber diſp.* 1. *c.* 2., *Vaſquez diſp.* 128. *c.* 2., qui Sacramentis denegarunt propriam, & perfectam definibilitatem, eo quod ſint entia per accidens, vel entia rationis. Sed merito communitèr reijciuntur huiuſmodi DD.; nam in primis errant in ſuppoſito; deinde etiam in conſequentia, quam ex eodem ſuppoſito deducunt; errant in ſuppoſito, cum ſupponant Sacramenta eſſe merè entia pee accidens, & rationis, quod tamen falſum eſt, & quidem, quod non ſint merè entia per accidens, ex eo euincitur, quia licet, ſi conſiderentur huiuſmodi Sacramenta ſecundum partes, quibus conſtant ſecundum proprias, & abſolutas rationes ſecundum ſe ſeorſim, & ſpecificatiuè, dici poſſunt entia per accidens, attamen, ſi conſiderentur reduplicatiuè, atque ſecundum quod afficiunt ſe inuicem, atque denominant, non poſſunt dici entia per accidens, ſed per ſe, ſi non Phyſicè, ſaltem moralitèr, & ſic, quamuis non poſſit adduci vnica definitio, quæ explicet partes, quibus conſtant, ſecundum proprias cuiuſcunque partis rationes ſpecificatiuè, eo modo, quo vnica definitione non poteſt homo definiri, per quam eſſentialitèr quidditates corporis, & animæ ſpecificatiuè exprimantur; poteſt tamen adduci vnica definitio, quæ prædicetur de eiſdem reduplicatiuè, & ſecundum quod ſe mutuò afficiunt, & denominant. Dixi, *ſaltem moralitèr*, quatenus Deus Auctor Sacramentorum, ità ea, quæ componunt Sacramenta, ordinauit, vt in vnum morale coaleſcant reſultans ex ſubiecto denominato, & forma denominante.

2 **Non ſunt entia merè per accidens.**

3 **Nec entia rationis.**

Quod verò non ſint mera entia rationis ex eo euincitur, quod coaleſcant ex rebus, quibus Sacramenta conſtant tanquam ſignis ſignificantibus, ex gratia tanquam termino, & re ſignificata, ex Diuina inſtitutione tanquam ratione fundandi, quæ vtique omnia ſunt realia; atque hęc omnia in noſtris principijs conſtituentibus relationem in complexo non videntur pati aliquam difficultatem.

4 **Etiam ſi eſſent ens per accidens, & rationis poſſent definiri.**

Errant item in conſequentia, quia etiam ens per accidens, ſi ſit improprium, & ordinatum poteſt vnica definitione explicari per ea, quæ latè docuimus in quæſtionibus de ſcientia in communi, & licet ens per accidens ſit multa diuiſiuè, & in eſſe ſimpliei, eſt tamen quid vnum ſumptum collectiuè, & in eſſe complexo, ſecundum quam rationem nulla poteſt eſſe repugnantia, quin vnica definitione ſit definibile. Ens deinde rationis etiam ſecundum ſe eſt definibile, nam licet non habeat realem exiſtentiam, quin potius repugnantiam ad realitèr exiſtendum; hæc tamen repugnantia poteſt eſſe obiectum veræ definitionis, vnde nos etiam in eiſdem quæſtionibus de ſcientia latè probauimus de eodem ente rationis ſumpto metaphyſicè poſſe dari veram, & realem ſcientiam. Deinde aduerto, quod, quamuis Sacramenta poſſent dici entia rationis, non eſſent tamen entia rationis metaphiſica, prout important merè eſſe obiectiuum in intellectu, ſed ad ſummum eſſent entia rationis logica importantia vltra ſubſtratum ſecundam intentionem, quæ certè nemine diſceptante ſunt definibilia, ſicuti genus, ſpecies &c.

5 **Varię definitiones Hæreticorum.**

Suppoſita igitur definibilitate Sacramentorum, ipſorum definitionem iam inquirimus. Plures definitiones Sacramentorum congerunt ſectarij *Lutherus de captiuit. Babil. c. vltimo,* ſic definit. Promiſſio ſigno externo annexa. *Caluinus lib.* 4. *Inſtit. c.* 14. §. 1. Externum ſimbolum, quo beneuolentiæ erga nos ſuæ promiſſiones conſcientijs noſtris Dominus obſignat ad ſuſtinendam fidei noſtræ imbecilitatem; alij alitèr. Vtraque hæc definitio merito à *Bellarmino lib.* 1. *c.* 14., *& alijs ſeqq.* reijcitur, & ab eodem ſoluuntur omnia argumenta, quibus huiuſmodi ſectarij innituntur. Plures etiam definitiones adducunt Scholaſtici Catholici, quæ licet optimè attingant quidditatem Sacramentorum, quia tamen aliquæ laborant nimia breuitate, aliæ nimia prolixitate, ideo ijs omiſſis ſit.

Aſſertio. Sacramentum, prout extenditur

6 Vera definitio Sacramentorum.

tur tum ad noua, tum ad antiqua poteſt benè ſic definiri. Eſt ſignum ſacrum gratiæ internæ in quantum ſanctificantis homines. In hac conueniunt *D. Thomas tertia part. q. 60. art. 2. in corpore*, *Scotus in quarto diſtinct. 1. q. 2.* licet ſub diuerſis terminis, qui tamen in eundem ſenſum coincidunt.

Explicatur definitio. Dicitur ſignum, quæ particula ſtat loco generis, & per ipſam conuenit Sacramentum cum quocunque ſigno nos inducente in cognitionem alterius; eſt autem hoc ſignum non naturale, ſed ad placitum, quia non habet naturalem connexionem cum re ſignificata, ſed dumtaxat ex inſtitutione Diuina. Neque dicas, quod, cum ſignum ad placitum importet relationem rationis, ex conſequenti Sacramenta non eſſent entia realia; quod autem ſignum ad placitum inuoluat relationem rationis, ex eo deducitur, quod hoc conſiſtat formalitèr in relatione ad rem ſignificatam habente pro ratione fundandi inſtitutionem, quod non

7 Explicatur definitio per ſuas particulas.

dicit aliquod reale intrinſecum ipſi ſigno; Contra enim impugnaberis, quia iuxta noſtra principia conſtituentia relationem in complexo fundamenti, & termini, ſuppoſita ratione fundandi; hæc inſtantia vim aliquam non habet, cum tale complexum nullam inuoluat relationem rationis. Dicitur, *ſacrum*, quod non eſt intelligendum ſolum in ordine ad rem ſignificatam, nempè gratiam ſupernaturalem, ſed etiam in ordine ad ſe ipſum; inuoluit enim quandam ſacram, & externam cæremoniam, hæc autem particula, *ſacrum*, quodammodo contrahit genus ſupremum ſigni ad genus ſpeciale Sacramenti; licet enim omne Sacramentum ſit ſignum, non tamen omne ſignum eſt Sacramentum; ſub hac ratione conueniunt etiam Sacramenta veteris legis cum nouis. Dicitur *gratiæ internæ* per quas particulas deſignatur terminus, & finis, ad quem diriguntur omnia Sacramenta, nempè ad perfectam ſanctitatem cauſandam, quæ vtique habetur per gratiam iuſtificantem, gratum facientem, quæ internè afficit ſuſcipientem; Dicitur, *in quantum ſanctificantis homines*, & per hoc duo innuuntur; primum, quod Sacramenta dirigantur ad homines, & propterea ſint humana; ſecundum, quod debeant eſſe in aliquo ſigno ſenſibili, cum homines non dirigantur, niſi per ſigna ſenſibilia. Poſita hac explicatione manifeſtè ſequitur eius probatio, quæ ſic exponitur.

Per hanc definitionem importantur omnia, quę ſunt propria Sacramentorum, & excluduntur ea, quæ eiſdem Sacramentis non poſſunt conuenire, ergo tanquam legitima eſt admittenda. Antecedens euincitur; quia Sacramentis vtpotè ad homines ordinatis conuenit, quod eoſdem homines deducant ad effectum per eadem Sacramenta ab inſtitutore intenta, & vtique per ſigna corporalia, & ſenſibilia; hoc autem habent ex eo, quod ſint *ſigna ſacra*, & cum dirigantur ad homines debent eſſe ſenſibilia; id autem, ad quod conducunt, eſt gratia interna, per quam

8 Conuenit omnibus Sacramétis.

homines iuſtificatur, & ſanctificatur, quod habetur per ly *gratiæ internæ*; hæc autem omnia expreſsè importantur per allatam definitionem, & per eandem ſecernuntur ab alijs, quæ non ſunt Sacramenta; licet enim alijs pluribus puta contritioni, & dilectioni Dei ſuper omnia conueniat gratiam ſanctificantem producere, & cauſare, non conuenit tamen eiſdem per ſigna ſenſibilia a Deo inſtituta; Neque dicas, hanc definitionem non conuenire omnibus, nec ſolis Sacramentis, non omnibus, quia non conuenit Euchariſtiæ, quia in hac id, quod principalius ſignificatur, non eſt gratia interna, ſed Chriſtus Dominus; immò Euchariſtia homines non ſanctificat, niſi in ſumptione, non autem quando præcisè eſt; non ſolis, quia conuenit Martirio, & Sacrificio, & aliquibus alijs, quæ Sacramenta non ſunt; ſunt etenim, & Martirium, & Sacrificium ſigna ſenſibilia, & ſacra, & religioſa vtpotè Religionis proteſtatiua, & collatiua gratiæ, cum per vtrumque fuerint quandoque homines iuſtificati; contrà enim impugnaberis, nam falſum omnino eſt, quod non conueniat omnibus, & ſolis, nec aliquid euincit id, quod primo loco affertur de Euchariſtia; dicendum etenim eſt, quod ſignificatione Sacramentali potius importatur gratia, quam ipſe Chriſtus quoad effectum in eius inſtitutione à Chriſto Domino intentum, cum ſit inſtituta per modum cibi ad ſpiritualitèr animam nutriendum, quod vtique habetur per gratiam, & licet Euchariſtia gratiam non cauſet, niſi in ſumptione, attamen ante ſumptionem eandem ſignificat quaſi ſignatè, quod ſufficit, vt dicatur Sacramentum ante ſumptionem.

Falſum item eſt, quod non conueniat ſolis Sacramentis, & quidem loquendo de

9 Excluditur à ratione Sacramenti martiriũ.

Martirio, ſi inſiſtamus opinioni *Maioris in quarto diſt. 4. q. 3.* volentis Martirium eſſe Sacramentum, & comprehendi ſub Baptiſmo, quod extẽditur æquè ad Baptiſmum aquæ, ac ad Baptiſmum ſanguinis, iam clarè patet definitionem eidem conuenire, vt Sacramento, & propterea, dum ad idem extenditur, non exire à Sacramentis; ſed inſiſtendo in cõmuniori conſenſu negante martirium eſſe Sacramen-

tum

tum definitio eidem non conuenit; nam, licet martyrium conferat gratiam non ſolum ex opere operantis reſpectu adultorum, ſed etiam ex opere operato etiam reſpectu paruulorum, & propterea conueniat cum Sacramentis quoad effectum, quem cauſat, non conuenit tamen quoad rationem ſigni, cum non ſit ſignum ſacrum, & Religioſum, prout continet ſacram, & Religioſam cæremoniam, quia non ſeruatur in eodem aliquis ritus, & eſt in Religionis odium, non in proteſtationem, & licet reſpectu patientis martyrium poſſit dici ſanctificatiuum, & in proteſtationem fidei, non poteſt tamen dici tale reſpectu miniſtri, ideſt Carnificis illud exercentis, & actio religioſa non ſolum denominat ſubiectum, in quo recipitur, ſed etiam agens, à quo fit; neque martyrium poteſt dici ſignum à Deo inſtitutum, nec à Deo intentum, cum martyrium inuoluat peccatum reſpectu eorum, à quibus infertur; vnde eſt mera conditio, qua poſita Deus confert gratiam, non ſignum ad eandem gratiam ſignificandam.

10 Excluditur item Sacrificiũ vt tale.

Neque ea, quæ dicuntur de Sacrificio, vim aliquam habere poſſunt, quandoquidem Sacrificium, vt tale principalitèr non ordinatur ad ſanctificationem hominis, ſed in proteſtationem Diuinæ excellentiæ, & propriæ ſubmiſſionis, & licet in Eucharistia inuoluatur ratio Sacrificij, & Sacramenti, definitio tamen Sacramenti eidem non conuenit, vt Sacrificium eſt, ſed tantum, vt Sacramentum, quod ſufficit ad præſens inſtitutum.

11 An Sacramentum non ſolum ſit ſignum, ſed etiam cauſa.

Hic oritur aliqua difficultas, an Sacramentum ſit precisè ſignum ſignificatiuum gratiæ internæ, an verò etiam cauſa productiua eiuſdem; ſi etenim ſit ſimul cauſa, definitio allata videtur mutila, cum hoc prædicatum non contineat. Difficultas æquè poteſt procedere in ordine ad cauſam Phyſicam, vel in ordine ad cauſam moralem; nec hæc procedit in ordine ad aliquod Sacramentum in particulari, vel in ordine ad omnia Sacramenta nouæ legis, ſed in ordine ad Sacramentum, vt ſic prout extenditur ad omnia ſiue nouæ, ſiue veteris legis; nam, ſi loquamur de Sacramentis nouæ legis, infra videbimus, eadem probabilius cauſare gratiam non ſolum moralitèr, ſed etiam Phyſicè; ſed ex hoc non infertur, quod ſit eſſentiale Sacramento, vt ſic, eſſe cauſam gratiæ, ſicuti infertur, eidem eſſe eſſentiale eſſe ſignum.

12 Non eſt illi eſſentiale cauſare Phyſicè gratiam.

Dico igitur, non eſſe eſſentiale Sacramento, vt ſic, cauſare gratiam Phyſicè, prout videtur aſſerere *D. Thomas tertia part. q. 62. art. primo, & ſecundo, Ioannes à Sancto Thoma diſp. 22. art. 1. dub. 1., & alij Thomiſtæ magis communitèr*. Ratio ex eo deducitur, quia, quod eſt eſſentiale Sacramento, vt ſic, debet conuenire omnibus, quæ continentur ſub ratione Sacramenti, ſed eſſe cauſam Phyſicam internæ gratiæ non competit omnibus Sacramentis, cum non competat Sacramentis antiquæ legis, quæ præcisè ſignificabant gratiam per Chriſtum conferendam, non autem efficientèr Phyſicè conferebant, ergo &c.

Dico vlterius, Sacramento, vt ſic competere eſſe cauſam alicuius ſanctitatis, ſeu gratiæ externæ, cæremonialis, & legalis. Conueniunt *D. Thomas prima ſecundæ qu. 101. art. 4., & q. 102. art. 5., Ioannes à Sancto Thoma diſp. 22. art. 1. dub. 3., Lugus diſp. 1. ſect. 2., Arriaga diſp. 1. ſect. 4. ſubſect. 1.* Ratio ex eo deducitur, quia Sacramento, vt ſic eſt eſſentiale eſſe ſignum ſacrum, quod intelligendum eſt non præcisè in ordine ad effectum, quem cauſat, ſeu melius ſignificat, ſed etiam in ordine ad ſeipſum; eo autem ipſo, quod ratione ſui eſt ſacrum, debet conferre ſuſcipientibus aliquam ſanctitatem, ſeu ſacrare, quod, cum non habeatur per gratiam internam, perfectam, & ſanctificantem, vtique habetur per externam, legalem, & cæremonialem, per quam conſtituimur Dei cultores, & fidei profeſſores. Neque ex hoc inferas, ergo omnibus Sacramentis, ſeu Sacramento, vt ſic eſſentiale eſt non ſolum eſſe ſignum, ſed etiam eſſe cauſam alicuius ſanctitatis, & ſic definitio Sacramenti, vt ſic à nobis allata eſt manca, cum non exprimat id, quod eidem Sacramento eſſentiale eſt; contra enim impugnaberis, quia definitio ſemper ſumitur in ordine ad effectum formalem, & primarium definiti, qui effectus eſt gratia perfecta interna, & ſanctificans, non in ordine ad effectum ſecundarium, qualis eſt illa gratia externa, & legalis. Cùm igitur in ordine ad effectum formalem non ſit Sacramentum eſſentialitèr cauſa, ſed tantum ſignum, ideo in definitione eiuſdem exprimitur dumtaxat ſignum, non cauſa; & ſicuti, quia effectus formalis hominis eſt rationalitas, & riſibilitas ſolum effectus ſecundarius, non exprimitur in eius definitione riſibilitas, ſed dumtaxat rationalitas, ità, quia &c.

13 Cauſat ſanctitatem aliquam externam, & legalē.

Dico vlterius Sacramento, vt ſic non eſſe eſſentiale cauſare gratiam perfectam, & internam in genere cauſæ efficientis moralis. In hoc conuenire videntur *D. Thomas tertia part. q. 60. art. 1., & 2., D. Bonauentura in quarto diſt. 1. part. 1. art. 1. q. 1. contra Gonetum diſp. 1. art. 1. §. 1., & alios.* Rationem ex eo deduco, quia ad hoc, vt aliquid dicatur cauſa moralis alicuius effectus debet, vel eſſe tale, vt per aliquod

14 Nec item eſt eſſentiale cauſare gratiam internam moralitèr.

ſui intrinſecum moueat cauſam efficientem Phyſicam ad cauſandum effectum intentum, vel quod ſit cauſa inſtrumentalis agentis moralitèr producentis effectum; ſed quoad Sacramenta veteris legis nihil intrinſecum reperimus, quod moueat Deum ad gratiam cauſandam, nec poſſunt eadem Sacramenta dici, quod ſint inſtrumenta Dei moralitèr operantis, ergo. Verum tamen eſt, quod Deus ad illorum poſitionem præſtet illum effectum gratiæ, ex hoc tamen non ſequitur, quod ſit cauſa moralis, ſed tantum conditio, qua poſita Deus præſtet illum effectum.

15 Quandoque ſe habet per modum conditionis.

Neque dicas, quod Sacramenta veteris legis mouebant Deum ad dandam, & ſuſcipientibus, & nobis gratiam, quandoquidem erant ſigna, & figuræ paſſionis Chriſti Domini; ſed paſſio Chriſti futura mouebat Deum ad conferendam gratiam, ergo erant cauſæ morales gratiæ &c. Contra enim impugnaberis; nam admiſſo, quod Sacramenta veteris legis eſſent ſigna, & figuræ paſſionis Chriſti Domini, nego tamen, quod eſſent cauſæ paſſionis Chriſti, & gratiæ per ipſum conferendæ, cum paſſio, & merita Chriſti Domini eſſet decreta ante inſtitutionem Sacramentorum, quorum propterea non poterunt eſſe cauſæ. Erant igitur illa Sacramenta ſolum quaſi pignus, ſeu condítio, ſine qua non fuiſſet danda gratia per Chriſtum.

16 Cauſant gratiam externã, & legalẽ per modũ cauſę formalis.

Dico vltimo Sacramenta, vt ſic eſſentiale eſſe cauſare gratiam externam, & legalem, vt cauſam formalem Phyſicam, non verò, vt efficientem. Rationem ex eo deduco, quod ſupra innuebam, quod ſcilicet ipſa Sacramenta ſint ſigna ſacra non ſolum in ordine ad effectum, ſed etiam in ſe ipſis, vnde ſe ipſis Sacramenta, & conſtituunt cultores, & profeſſores fidei; hoc autem præſtant communicando ſe ipſa ſubiecto, & ſicuti albedo conſtituit album in genere cauſæ formalis communicando ſe ipſam ſubiecto, ità vt Sacramenta vtpote in ſe ipſis ſacra conſtituunt ſubiectum, in quo recipiuntur, ſacrum per ſui communicationem in genere cauſæ formalis.

ARTICVLVS III.

Quomodo conueniant, & quomodo inter ſe differant Sacramenta veteris, & nouæ legis.

SVMMARIVM.

Conueniunt in eo, quod vtraque ſunt ſignum ſacrum. 1.
In qua ratione conueniunt vniuocè. 2.
Item conueniunt in eo, quod ſignificant gratiam perfectam, & per ſe conferant imperfectam. 3.
Differunt in modo cauſandi gratiam perfectam, & quomodo. 4.
Item differunt tum ex parte cauſæ intrinſecæ, tum extrinſeca. 5.

1 Conueniunt in eo, quod ſint ſignũ ſacrum.

CONueniunt primo in eo, quod vtraque ſint ſigna ſacra, & clarè deducitur ex definitione Sacramenti vniuerſalitèr ſumpti, in qua ly ſignum ſacrum appoſitum eſt tanquam genus proximum; genus autem reſpectu ſuorum inferiorum, quæ ſub eodem continentur, ſemper eſt æquale; ex quibus deduces, quod ſub tali ratione ſigni ſacri conueniant vniuocè; nec obſtare poteſt, ſi dicatur, quod hæc ratio ſigni ſacri participetur inæqualitèr ab vtriſque, quandoquidem noua ſunt longè excellentiora, & perfectiora antiquis; item antiqua ſignificabant gratiam dependentèr à nouis, ergo ratione maioris, vel minoris perfectionis, & ratione dependentiæ inæqualitèr participant rationem communem ſigni ſacri, adeoque non vniuocè. Non, inquam, obſtare poteſt, quia illa maior, & minor perfectio, illa inæqualitas, & dependentia ſe tenet ex parte differentiarum, non ex parte rationis genericæ, & communis; inæqualitas autem differentiarum non tollit vniuocationem in ratione communi, ſecus tolleretur de medio omnis ratio vniuoca, cum differentiæ contrahentes ſemper ſint diuerſæ, & inæquales.

2 Et conueniunt in hoc vniuocè.

3 Item in eo, quod ſignificãt gratiam perfectã, & conferant imperfectã.

Conueniunt ſecundò, & quidem etiam vniuocè in eo, quod ſignificent perfectam, & per ſe formalitèr conferant imperfectam gratiam. Conſentiunt *Sotus in quarto diſt. 1. q. 1. art. 1.*, *Ioannes à Sancto Thoma diſp. 22. art. 2.*, *Vaſquez diſp. 128. cap. 5.* Ratio ex eo deducitur, quia id, quod ſignificant primario, & ſecundum ſuum effectum formalem proprium tum Sacramenta antiqua, tum noua, eſt gratia ſanctificans, gratum faciens, & interna per Chriſtum; atque hæc eſt eadem; neque diuerſificantur ratione modi ſignificandi, quandoqui-

doquidem hic modus in vtriſque eſt perfectus, & proprius, ſtabilis, infallibilis, & ex Diuina inſtitutione, ergo quoad ſignificationem perfectæ gratiæ inter ſe æqualiter conueniunt; Quoad collationem vero gratiæ imperfectæ, quæ fit æqualis in vtriſque, ex eo deducitur, quod hæc gratia imperfecta in eo conſiſtit, quod reddat ſuſcipientes veræ Religionis cultores, quod eſt imperfectè illos ſacrare, ſed hoc æquè præſtant Sacramenta antiqua, ac noua, ergo &c.

4 Differunt in modo cauſandi gratiam perfectã, & quomodo.

Differunt poſtea primò in modo cauſandi gratiam internam, & ſanctificantem, nam noua omnia, & ſingula per ſe loquendo eandem cauſant de præſenti in ſuis ſuſceptoribus, ſiue paruulis, ſiue adultis, & per veram cauſalitatem moralem, & ſecundum ſententiam, quam infra commendabimus, etiam Phyſicam obedientialem; Sacramenta vero antiqua non omnia cauſabant gratiam de præſenti in ſuis ſuſceptoribus, ſed ſolummodo circuncìſio, & remedium originalis eandem cauſabant, & ſolum in paruulis, reliqua vero, ſicut, & circuncìſio relatè ad adultos ſolum erat cauſatura gratiam de futuro. Deinde etiam in modo cauſandi in eo differunt, quod Sacramenta antiqua, vt innuebam in præcedentibus, neque in rigore, tanquam cauſæ morales cauſabant gratiam, ſed ſe habebant, vt meræ conditiones, &, ſi velis dicere, quod erant cauſæ morales, hoc intelligendum eſſet lato modo, eo quia non continebant merita Chriſti, vt conſummata, ſed ſolum connotarent futura; Sacramenta autem noua ſunt veræ cauſæ morales, cum contineant actiones Chriſti Domini iam adimpletas, & conſummatas.

5 Differunt item ex parte cauſæ.

Differunt ſecundò tum ex parte cauſæ extrinſecæ inſtituentis, tum ex parte cauſæ intrinſecæ conſtituentis; ex parte cauſæ extrinſecæ, quatenus Sacramentorum antiquæ legis fuit inſtitutor Deus; Sacramentorum vero legis gratiæ fuit Chriſtus Dominus inſtitutor; ex parte cauſæ intrinſecæ, quatenus Sacramenta nouæ legis conſtant rebus, & verbis; antiqua verò conſtabant ſolum rebus, nec vllam requirebant formam verborum.

QVÆSTIO II.

De Sacramentis nouæ legis quoad cauſas intrinſecas, eorum conſtitutiuas.

EXaminato Sacramento ſecundum generalem eiuſdem rationem, iam deſcendimus ad examen Sacramentorum nouæ legis, quod eſt meta præſentium diſceptationum; nec inſiſtimus in præſenti in indagine eorum inſtitutionis, exiſtentiæ, & numeri, cum de eiſdem iam egerimus in præcedentibus. Suppoſita igitur eorum exiſtentia, & numero inquirimus cauſas, vel à quibus, vel ex quibus fiunt, ideſt, vel extrinſecas, vel intrinſecas, ſed prius in præſenti quæſtione de intrinſecis, in ſequenti de extrinſecis latè peragemus.

ARTICVLVS I.

De materia, & forma conſtitutiuis Sacramentorum nouæ legis.

SVMMARIVM.

Sententia docens Sacramentum pænitentiæ, & Matrimonij conſtare ſolum verbis. 1.
Omnia Sacramenta nouæ legis conſtant verbis, & rebus ſaltem æquiualentèr. 2.
Quidnam habeat rationem rei in Sacramento Pænitentiæ. 3.
Quid habeat rationem rei in Sacramento Matrimonij. 4.
Res etiam interueniunt in Sacramento ordinis. 5.
Res in Sacramentis nouæ legis habent rationem materiæ, verba rationem formæ. 6.
In Sacramento Euchariſtiæ, licet verba tranſeant Phyſicè, permanent tamen moralitèr. 7.
Sacramenta ſunt complexa moralia ſubſtantialia. 8.

1 Sẽtentia docens pænitentiam, & Matrimonium ſolis verbis conſtare.

NOn defuerunt aliqui etiam ex Catholicis, qui aſſeruerunt, non omnia Sacramenta nouæ legis intrinſecè conſtare rebus, & verbis, inter quos *Durandus in quarto diſtinctione 1. q. 3. n. 8.* aſſeruit Sacramentum Pænitentiæ ſolis verbis confeſſionis, & abſolutionis conſtitui, illud vero Matrimonij ſolis verbis, quibus coniu-

ges conſenſum prębent, perfici, quod etiam in ordine ad Matrimoniũ firmauit *Adrianus q. 2. de Baptiſmo*. Nihilominus ſit

2 Omnia Sacramẽta nouæ legis conſtant rebus, & verbis.

Aſſertio I. Omnia Sacramenta nouæ legis conſtant rebus, & verbis, vel formalitèr, vel æquiualentèr. Conſentiunt in vniuerſum Theologi ſecuti *D. Thomam in quarto diſt. 1., & tertia part. q. 60, art. 6.*, & expreſsè definitur à Concil. Florẽt. in decreto vnionis, vbi de Sacramentis nouæ legis ſic loquitur. *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona miniſtri conficientis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia.*

Elucet etiam diſcurrendo per ſingula Sacramenta, in quibus, & res, & verba interueniunt; ſic in Sacramento Baptiſmatis indicantur res per illa verba *Baptizantes eos*, & item verba, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; in Sacramento Confirmationis res habentur in illo *Actorum 8. Tunc imponebant manus ſuper illos*, verba vero ibidem, *Cum veniſſent orauerunt pro ipſis*; In illo Euchariſtiæ res manifeſtantur per illud *Matthæi 26. Accepit Ieſus panem, & accipiens Calicem &c.* verba vero, *Hoc eſt Corpus meum, Hoc eſt Calix meus*; In illo Extremæ Vnctionis habentur res, *Iacobi vlt. Vngentes eos oleo*, & verba, *In nomine Domini, & oratio fidei alleuiabit infirmum*; in reliquis vero non ità expreſsè habentur res, & verba in Sacra Scriptura, habentur tamen ex traditione Eccleſiæ, definitione Conciliorum, & SS. PP. teſtimonio.

Dato iam quod ſufficientèr ex traditione, & definitione Conciliorum habeatur, quod concurrant res, & verba quoad Sacramenta Pænitentiæ, Ordinis, & Matrimonij, inquirẽdum modo remanet, quomodo huiuſmodi Sacramenta conſtent rebus, & verbis; & primo loquendo de Sacramento Pænitentiæ, nonnulli aſſerunt res conſiſtere in peccatis; ſed hi aſſignant ſolum materiam remotam, & circa Quam, non materiam proximam, & ex Qua.

3 Quomodo verificetur, quod Sacramentum Pænitentiæ conſtet rebus.

Alij aſſignant ipſam confeſſionem, quæ, quamuis regularitèr conſiſtat in verbis; hæc tamen æquiualent rebus, cum non ſolum importent internum animi dolorẽ quoad ipſum loquentem, ſeu confitentem, ſed etiam expreſſionem malitiæ peccatorum, & ſic æquiualet reali exhibitioni peccatorum patratorum. Alij ſtatuunt pro rebus dolorem internum, qui, quamuis ſecundum ſe non ſit ſenſibilis, redditur tamen ſenſibilis, vel per ipſa verba, vel per nutus, & ſigna, & ſic ipſe dolor, vel per ſigna, vel per verba expreſſus eſt res eiuſdem pænitentiæ Sacramenti. Vterque hic modus aptus eſt, & accomodus ad rem præſentem. Illum, qui magis arridet, amplectimini.

Secundò loquendo de Sacramento Matrimonij plures etiam apud auctores exiſtunt modi explicandi, quomodo in eodem interueniant res, vel verba ſaltem æquiualentèr. Primus modus illorum eſt, qui dicunt verba, quæ à primo coniuge proferuntur, habere rationem rei, & materiæ determinabilis, quæ vero poſteà à ſecundo eliciuntur, habere rationem verborum, & formæ determinantis, & complentis, & licet verba à primo prolata verè, & formalitèr ſint verba, quia tamen ſe habent per modum determinabilis, æquiualent rebus; atque iuxta hunc modum dicendi procedunt *Riccardus in quarto diſt. 16. art. 4. q. 2., Henriquez lib. 11. c. 2.*

4 Explicatur quomodo in Matrimonio interueniant res.

Secundus illorum eſt, qui dicunt verba ab vtroque coniuge prolata duplici fungi munere, altero, quo exprimunt traditionem mutuam corporum ad actus, & obſequia coniugalia; altero, quo ſignificant acceptationem mutuam eorundem corporum; primum munus, quod exercent habet rationem rerum, ſeu æquiualent rebus, cum habeant rationem imperfecti, & complebilis, nec compleantur, niſi per acceptationem; ſecundum habet rationem propriam verborum, cum habeat rationem complentis, & perficientis; atque iuxta hunc modum procedunt *Suarez diſp. 2. ſect. 1. §. ſed occurrit, Sanchez lib. 2. de Matrim. diſp. 5. n. 6.*, & alij recentiores communitèr. Tertius illorum eſt, qui dicunt, in Matrimonio interuenire res non ſolum æquiualentèr, ſed etiam formalitèr diſtinctas ab ipſis verbis, quæ res conſiſtunt in mutuo interno conſenſu, qui exhibetur, & redditur ſenſibilis per ipſa coniugum verba. Primus, & ſecundus modus eſt valdè aptus ad præſens inſtitutum, adeoque poteſt ſine vlla hæſitatione amplecti. Tertius mihi non arridet, quia iuxta hunc modum dicendi ille internus conſenſus haberet rationem rei, ſeu materiæ; verba autem rationem formæ; ſenſibilitas autem ad rationem Sacramenti requiſita debet eſſe talis non ſolum ratione formæ, ſed etiam ratione materiæ; nec ſufficit ſenſibilitas formæ, per quam non redditur ſufficientèr ſenſibilis materia; ſic non ſufficit ſenſibilitas abſolutionis in Sacramento pænitentiæ ad reddendum ſenſibilem internum animi dolorem, ſed etiam hic debet reddi ſenſibilis, vel per verba, vel per nutus ex parte pænitentis; ſic nec etiam ſufficit forma conſecrationis ad reddendum validum Sacramentum Euchariſtiæ, quando eius materia non eſt per ſe, vel per aliud ſe tenens ex parte eiuſdem materiæ ſenſibilis.

Tertiò

5 Quænam ſit res in Sacramēto Ordinis.

Tertiò loquendò de Sacramento ordinis, quamuis Chriſtus Dominus in eius inſtitutione non determinauerit certam materiam, ex communi tamen DD., & SS. PP. placito inſtituit materiam indeterminatam, determinandam tamen ab Eccleſia eius interprete, quæ certè habet rationem rei; verba poſtea, quæ proferuntur à miniſtro ordinante, retinent rationem verborum, & propriæ formæ.

6 Res habent rationem materiæ, & verba rationem formæ.

Aſſertio II. Res, quæ dicuntur eſſentialitèr interuenire in omnibus Sacramentis nouæ legis habent rationem materiæ; verba vero, quæ à legitimo miniſtro proferuntur, rationem formæ. Concordant ſatis communitèr ſcribentes, quamuis diſcrepet *Cabrera diſp. 2. art. 6.*, qui aſſerit non aliam eſſe formam in Sacramentis, niſi ſignificationem, quæ reſultat ex verbis, qui tamen poteſt in ſano ſenſu intelligi, quatenus velit verba, vt ſignificantia haberè rationem formæ; Diſcrepat etiam in parte *Suarez diſp. 2. ſect. 2. §. dico tamen*, quoad Sacramentum Euchariſtiæ, quod, cum conſiſtat in re permanente, non in actione tranſeunte, non poteſt intrinſecè conſtitui per verba tranſeuntia.

Expreſsè deducitur ex verbis Concilij Florentini relatis in probatione præcedentis aſſertionis, quæ non ſolum requirunt res, & verba quomodocunque, ſed illas tanquam materiam, iſta tamquam formam. Deinde etiam ratione euincitur, quia ſuppoſita inſtitutione Sacramentorum nouæ legis in rebus, & verbis, verba, & res conſtituunt quoddam totum conflatum ex vtriſque; illud autem, quod in toto habet rationem imperfecti, & determinabilis, habet rationem materiæ, & illud, quod ſe habet, vt determinans, habet rationem formæ; ſed res in Sacramentis habent rationem imperfecti, & determinabilis, verba autem rationem perficientis, complentis, & determinantis, ergo &c. Maior elucet ex analogia ad omnia compoſita ſiue ſubſtantialia, ſiue accidentalia, in quibus id, quod eſt indifferens, & determinabile, habet rationem materię, id, quod determinat, rationem formæ. Minor probatur, tum quia res prius ponuntur, & ſecundum ſe magis ſunt vagæ ad ſignificandum; verba autem rebus accedunt, & ſunt magis ſignificatiua, tum quia verba recipiuntur in rebus, non è contrà, ergo &c.

7 Verba in Sacramēto Euchariſtiæ remanent moralitèr.

Neque obſtant, quæ ex Suarez, & alijs ſupra afferebantur de Sacramento Euchariſtiæ, quod conſiſtit in re permánente, non in actione tranſeunte, ſicuti in hac conſiſtunt alia Sacramenta, quod propterea non videtur poſſe conſtitui per verba tranſeuntia; Non obſtant, inquam, quia, licet verba tranſeant Phyſicè, & quoad ſonum, permanent tamen moralitèr, & quoad ſignificationem, quod ſufficit ad rem præſentem; non enim vacat in ijs immorari, de quibus latè egimus in quæſtionibus de Sacrificio Miſſæ.

Hinc fas erit deducere, Sacramenta nouæ legis eſſe quædam concreta, ſeu compoſita ſubſtantialia moralia conſtantia ex materia, & forma ſe habentibus, vt partes ſubſtantiales morales; quod, ſi dicatur, verba non eſſe de ſubſtantia Sacramentorum nouæ legis, adeoque non eſſe de eorum eſſentia; tunc dicam, quod, quamuis non ſint de ſubſtantia in eſſe Phyſico, ſint tamen in eſſe morali, vel dicas, quod, quamuis daremus, non eſſe de ſubſtantia, non benè tamen inferatur, non eſſe de eſſentia, vt videre eſt in complexis accidentalibus, in quibus, quamuis forma accidentalis non ſit de ſubſtantia, eſt tamen de eſſentia. 8 Sacramēta ſunt complexa moralia ſubſtantialia.

ARTICVLVS II.

An intentio miniſtri ſit de intrinſecis conſtitutiuis Sacramentorum nouæ legis.

SVMMARIVM.

Sententia docens intentionem miniſtri non ingredi intrinſecè. 1.
Rationes pro hac ſententia. 2.
Sententia docens intrinſecè conſtituere. 3.
Rationes pro hac ſententia. 4.
Probabilius intentio miniſtri non ingreditur intrinſecè conſtitutionem Sacramenti. 5.
Illa moralitas ſe tenet ex parte efficientis, non conſtituentis. 6.
Conſenſus coniugum conſideratur duplicitèr, & quomodo. 7.
Sacramenta in fieri important actionem, cui intrinſecum eſt agens, in facto eſſe illam connotant, cui propterea non eſt intrinſecum agens. 8.
Soluitur inſtantia aduerſus mox dicta. 9.

COncilium Florentinū in decreto vnionis, cuius verba ſupra retulimus, ſtatuit quidem, quod res ſint tanquam materia, verba vero, tanquam forma, de intentione tamen miniſtri loquens neque materiæ adſcribit, neque formæ, ſed ſimplicitèr dicit, quod etiam ex illa perficiantur Sacramenta, quod tribuit occaſionem Theologis inquirendi, an eadem intentio ingrediatur intrinſecè conſtitutionem eorundem Sacramentorum. 1 Sentētia docēs intentionē miniſtri nō ingredi intrinſecè.

Communius negant intrinſecè ingredi eorum conſtitutionem, licet enim ſine illa nequeant Sacramenta conſtitui, non propterea poteſt dici intrinſecū conſtitutiuum eorun-

eorundem, vt videre etiam eſt in compoſitis ſubſtantialibus Phyſicis, quæ nequeunt eſſe ſine cauſa efficiente, & tamen cauſa efficiens non eſt cauſa intrinſeca cōſtitutiua eorundem. Plures pro hac ſententia negante rationes coegerunt eiuſdem aſſertores, & primam deducunt ex eodem Concilio Florentino, quod intentionem, nec attribuit materiæ, nec formæ, & vtitur verbis, nempè *perficiuntur*, potius connotantibus cauſalitatem extrinſecam, quam intrinſecam conſtitutionem, quæ importatur per verbum *componuntur*, ſeu *conſtituuntur*, ſecundò, quia potius perſona miniſtri deberet poni tanquam conſtitutiua Sacramentorum, quam eius intentio deſumpto fundamento ex eodem Concilio, quod perſonam eiuſdem primo, & per ſe recenſet, intentionem vero ſolum concomitantèr, & ſe tenentem ex parte eiuſdem miniſtri. Tertiò, quia intrinſeca conſtitutiua Sacramentorum debent eſſe ſenſibilia, vel in ſeipſis, vel per aliquod aliud; intentio autem miniſtri, nec eſt ſenſibilis in ſe ipſa, cum ſit actus ſpiritualis, & internus; non per aliquod aliud, nam hoc

2 Rationes pro hac ſentētia.

deberet eſſe res, vel verba, vel materia, & forma; res autem, & verba non ſignificant intentionem miniſtri, nec ex natura ſua, nec ex Diuina inſtitutione; non ex natura ſua, vt per ſe patet; non ex inſtitutione Diuina, quia hæc non eſt ordinata ad ſignificandum aliquid ex parte miniſtri, ſed ad ſignificandam gratiam Sacramentalem.

3 Sentētia docens intrinſecè ingredi.

E contra alij; inter quos *Lugus diſp. 2. ſect. 7., Arriaga diſp. 3. ſect. 2., Eſparza lib. 10. q. 6.*, ſentiunt intentionem non merè extrinſecè perficere, ſed intrinſecè conſtituere Sacramenta, & multis quidem rationibus mouentur, primò, quia omnia Sacramenta nouæ legis, ſi excipias Euchariſtiam, conſiſtunt eſſentialiter in aliqua actione miniſtri conficientis Sacramenta, ſic Baptiſmus in ablutione, Confirmatio in vnctione in fronte, & ſic de cæteris, ſed hæc actio non debet eſſe ſimplicitèr Phyſica, & exercita modo mortuo, ſed humana, & moralis, & quatenus

4 Rationes pro hac ſententia.

humana, & moralis debet eſſe ex intentione alicuius finis intenti a Chriſto Domino, & faciendi, quod Chriſtus inſtituit, ergo intrinſecè inuoluunt intentionem miniſtri. Secundò loquendo ſpecialitèr de Sacramento Matrimonij, in quo vterque coniux eſt miniſter, denegari non poteſt, quin vtriuſque conſenſus ingrediatur intrinſecè conſtitutionem eiuſdem, ſed talis conſenſus eſt intentio vtriuſque, ergo vtriuſq; intentio ingreditur intrinſecè &c. Hoc argumentum reſtrictum ad Matrimonium poteſt etiam extendi ad ſacrum ordinem, in quo Epiſcopus, vt miniſter communicat poteſtatem in corpus reale, & fortè etiam miſticum Chriſti Domini, & ſicuti vterque coniux communicando alteri poteſtatem ſui corporis per conſenſum ingreditur intrinſecè conſtitutionem Matrimonij, ita Epiſcopus commmunicando alteri poteſtatem in corpus Chriſti per ſui conſenſum, ſeu intentionem intrinſecè ingreditur Sacramentum, quod conſtituit per illam communicationem. Tertiò, quia illud, quo ſimul cum alijs poſito ponitur concretum, & quo non poſito, licet alia omnia ponantur, non ponitur, ingreditur intrinſecam conſtitutionem illius concreti, ſed talis eſt intentio miniſtri reſpectu Sacramenti, ergo hæc ingreditur intrinſecè conſtitutionem eiuſdem Sacramenti. Quid iam in hoc diſſidio concludendum?

Aſſertio. Probabilius eſt, intentionem miniſtri non ingredi intrinſecè conſtitutionem Sacramentorum *Vaſquez diſp. 129. cap. 3., De Caſtillo tract. 1. diſp. 1. dub. 19., Gonetus diſp. 1. art. 7. n. 107., Madernus q. 1. art. 13., & alij magis communitèr.* 5 Probabilius non ingreditur intrinſecè.

Rationes pro prima ſententia adductæ videntur ſatis præſentem aſſertionem euincere, quibus, ſi addas, quod intentio ſe teneat ex parte miniſtri tanquam conditio ipſum habilitans ad operandum cum effectu, conijcias, quod ſicuti perſona miniſtri non ingreditur intrinſecè Sacramentorum conſtitutionem, ita nec eius intentio eadem Sacramenta intrinſecè conſtituat.

Nec obſtant ea, quæ pro contraria ſententia afferebantur; non primum deſumptum ex moralitate actionis exercitæ per miniſtrum conferentem, ſeu conficientem, quia illa moralitas eſt ſolummodo denominatio extrinſeca ſe tenens ex parte miniſtri, ſeu cauſæ extrinſecè efficientis, non intrinſecè proueniens ex intrinſecè conſtituentibus, quod ex eo elucet, quod illa moralitas, ſeu actio facta modo humano, quamuis ſit ſenſibilis ratione actionis, quæ ſecundum ſe externa eſt, non eſt tamen ſenſibilis ratione moralitatis, ſeu ex eo, quod facta ſit modo humano. 6 Soluitur primum argumētum contrarium.

Non ſecundum deſumptum ex Matrimonio, quia conſenſus coniugum poteſt duplicitèr conſiderari; primò, quatenus vterque coniux conſentit facere id, quod Chriſtus inſtituit; ſecundò, quatenus vterque intendit transferre in alterum dominium ſui corporis ad actus coniugales; primò modo ſumptus vtriuſque conſenſus 7 Soluitur ſecundū argumētum. vtique habet rationem intentionis, ſed ſub hac ratione non ingreditur intrinſecè conſtitutionem Sacramenti; ſecundò modo

ſum-

Digitized by Google

ſumptus non ſe habet, vt intentio, ſed tanquam res, & verba, & ſub hac ratione ingreditur intrinſecè Sacramentum; atque ex hoc ſoluitur etiam argumentum extenſum ad Sacramentum ordinis; cùm etenim conſenſus Epiſcopi conferentis poteſtatem in corpus reale, & myſticum Chriſti Domini ſe habeat præciſè, vt intentio, non autem, vt res, & verba, ideo non ingreditur intrinſecè conſtitutionem eiuſdem ordinis.

Non tertium, quia non ſemper verum eſt, quod illud, quo ſimul cum alijs poſito

8 Soluitur tertium argumentum.

ponitur aliquod totum, & quo non poſito, licet alia ponantur, non ponitur, ingrediatur intrinſecè conſtitutionem illius, quandoquidem etiam quoad compoſita Phyſica ſubſtantialia poſito ſimul agente cùm alijs requiſitis ponuntur eadem compoſita, non poſito agente etiam alijs poſitis non ponuntur, & tamen agens non ingreditur intrinſecè ipſa complexa ſubſtantialia. Quamobrem pro directa ſolutione argumenti aduerto, quod, ſicuti complexa ſubſtantialia Phyſica poſſunt dupliciter conſiderari, vel in fieri, vel in facto eſſe, ità, & Sacramenta, prout ſunt complexa quædam moralia, poſſint duplici illo modo ſumi, & ſicuti complexa Phyſica in fieri important actionem, qua fiunt, quæ actio importat aliud complexum dependentiæ effectus ab agente, cui ſecundo complexò eſt intrinſecum tùm agens, tum effectus, ità, & moralia ſumpta in fieri, cum etiam dicant actionem, inuoluant intrinſecè, & agens, ſeu cauſam efficientem, cuius eſt actio, & effectum. Cæterum, ſicuti complexum Phyſicum in facto eſſe dicit intrinſecè ſolummodo materiam, & formam connotando ſolum extrinſecè agens, ità, & morale in facto eſſe intrinſecè inuoluit ſolummodo res, & verba, tanquam materiam, & formam connotando extrinſecè agens cum ſua intentione.

Neque vrgeas, paritatem adductam de complexis ſubſtantialibus Phyſicis non poſſe vim habere in complexis moralibus

9 Soluitur inſtantia oppoſita.

Sacramentorum, quandoquidem complexa Phyſica poſita eorum conſtitutione, in fieri permanent, & perſeuerant; complexa autem moralia Sacramentorum, cum conſiſtant præciſè in actione tranſeunte, ſi excipias Sacramentum Euchariſtiæ, non permanent, ſed immediatè poſita eadem actione ceſſant, & ſic ſemper inuoluunt actionem, adeoque ſolum poſſunt conſiderari in fieri, ſub qua ratione, ſicuti ex mox dictis inuoluunt perſonam agentis, ità, & eius intentionem important; contrà enim impugnaberis, quia, quamuis Sacramenta conſiſtant in actione tranſeunte, & in tantum ſint Sacramenta, in quantum fiunt, poteſt tamen conſiderari ſaltem virtualitèr in eiſdem, & fieri, & factum eſſe; fieri, prout conſideratur actio importans concretum ſignificationis, & rei ſignificatæ; factum eſſe, prout importat ſubſtratum Sacramentalis ſignificationis præciſè, & iuxta hunc ſecundum ſenſum à nobis ſumitur Sacramentum, in quo intrinſecè non importatur agens, nec eius intentio.

ARTICVLVS III.

Quàm ſimultatem exigant Sacramenta quoad materiam, & formam.

SVMMARIVM.

Varia ſententia circa hanc ſimultatem. 1.
Aliqua Sacramenta maiorem, aliqua minorem exigunt ſimultatem. 2.
Regularitèr contenta ſunt morali. 3.
Sacramenta, quæ conſiſtunt in actione tanquam in materia proxima, & fiunt per pronomina demonſtratiua, exigunt maiorem ſimultatem, cuiuſmodi ſunt Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo. 4.
Sacramentum Pænitentiæ, quod fit per modum iudicij, non exigit talem, & tantam ſimultatem. 5.
Idem dic de Sacramento Matrimonij. 6.
Quamnam ſimultatem exigat Sacramentum Ordinis. 7.
Euchariſtia exigit ſimultatem Phyſicam. 8.
Soluuntur nonnulla obiecta oppoſita. 9.

QVodlibet concretum, ſeu compoſitum debet ex genere ſuo importare ſimultatem inter componentia; compoſitum enim ex ipſà nominis ethimologia dicit poſitionem plurium ſimul. Hæc autem ſimultas in ordine ad diuerſa compoſita poteſt eſſe diuerſa, & ſicuti alia ſunt compoſita Phyſica, alia moralia, ità alia poteſt eſſe ſimultas Phyſica, alia moralis. Modo iam inquirimus, quæ, & quanta debeat eſſe hæc ſimultas inter materiám, & formam in conſtitutione Sacramentorum?

Gloſa *in c. detrahe 1. q. 1.* requirit ſimultatem methamaticam inter applicationem materiæ, & vltimum inſtans prolationis formæ. Alij, inter quos *Riccardus in quarto diſt. 3. art. 4. q. 1., Gabriel item in quarto diſt. 6. q. 1. art. 2. concl.* 8. requirunt coexiſtentiam Phyſicam, ſi non in toto, ſaltem in parte, adeout, vel incipiat applicatio materiæ, antequam abſoluatur forma, vel incipiat forma antequam abſoluatur applicatio materiæ. Communius tamen ſuſtinent ſufficere coexiſtentiam moralem, quam diuerſimodè explicant in ordine ad diuerſa Sacramenta.

1 Quid ſenſerint DD. circa hanc ſimultatem.

Aſſer-

2 Non eadem requiritur ſimultas quoad omnia.

Aſſertio. Quamuis Sacramenta vtpotè concreta moralia regularitèr contenta ſint ſimultate, ſeu coexiſtentia morali, in ordine tamen ad aliqua modo maiorem, modo minorem exigunt, & in ordine ad alia exigunt etiam Phyſicam attenta eorum natura, & conditione. Intellige aſſertum, quoad ea Sacramentà, quæ exigunt ſimultatem Phyſicam, non quoad partes formæ inter ſe comparatas, nam iſtæ vtpotè ſucceſſiuè prolatæ non poſſunt habere coexiſtentiam Phyſicam, vt ex ſe patet, ſed quoad materiam, & formam inter ſe comparatas.

3 Regularitèr contéta ſunt morali.

Probatur, & ſimul explicatur, & primò, quod regularitèr contenta ſint ſimultate morali, ex eo deducitur, quod regularitèr commenſuranda eſt ſimultas ad normam vnionis, qua extrema componunt; ſed extrema componunt tantum moralitèr, ergo regularitèr loquendo exigunt tantum ſimultatem moralem. Hæc vero ſimultas moralis accipienda eſt in ordine ad normam actuum humanorum, cum Sacramenta conſiſtant in rebus, & verbis, quæ ſunt actus humani; & ſic deducitur ſecundò, quod, ſicuti actus humani diuerſam admittunt ſimultatem; alij etenim ſeruant formam iudicij, alij formam ciuilis contractus, alij fiunt per pronomina demonſtratiua, alij alio modo, ità Sacramenta, quæ conſtituuntur per res, & verba humano modo, non eandem, ſed quandoque diuerſam admittunt ſimultatem; ſic, quia Sacramenta, quæ conſiſtunt in actione, tanquam in materia proxima, & in forma, quæ fit per pronomina demonſtratiua, exigunt ex genere ſuo maiorem ſimultatem cuiuſmodi ſunt Baptiſmus, Confirmatio, & Extrema Vnctio, quia

4 Baptiſmus, Cófirmatio, & Ordo exigunt maiorem ſimultatem.

vero Sacramentum Pænitentiæ fit per modum iudicij, in quo manifeſtatio criminis præſuponitur ad abſolutionem eiuſdem, nõ tanta ſimultas requiritur, adeout ſubſiſtat Sacramentum, quantumuis in nulla parte materiæ coexiſtat forma, & quia Sacramentum Matrimonij imitatur contractus ciuiles, qui, quandoque celebrantur inter abſentes, modicam etiam exigunt ſimultatem, & temporis, & loci; Sacramentum vero ordinis, quamuis ſecundum opinionem Caietani, & aliorum

5 Pænitentia non exigit tátá ſimultatem.

videatur requirere ſimultatem Phyſicam ſaltem in aliqua parte inter materiam, & formam, adeout, ſi ponatur prolatio verborum ante, vel poſt contactum nullo modo ſubſiſtat Sacramentum; nihilominus non improbabile eſt, quod ſufficiat coexiſtentia moralis, adeout, ſi forma proferatur, vel immediatè ante contactum, vel paulo poſt illum adhúc validum ſit Sacramentum, & hoc probat praxis nonnullorum Epiſcoporum, qui teſte *Marchino de Ordine tract. 1. part. 1. c. 16. n. 13.* pluribus initiandis dicunt *Accipite poteſtatem &c.* quamuis in prolatione verborum non omnes tangant materiam, ſed alij poſtquam primi tetigerint; atque ita fuiſſe Romæ deciſum teſtatur *Martinus Fornarius in addit. ad Toletum de Sacramento Ordinis c. 2.*, nec tollitur propriè ſignificatum illorum verborum, *Accipite poteſtatem &c.* quamuis in prolatione eorundem non coexiſtat Phyſicè contactus, ſed tantum moralitèr, hoc eſt paulo poſt.

6 Idem dic de Matrimonio.

7 Quid de Ordine.

8 Euchariſtia exigit Phyſicam.

De Sacramento Euchariſtiæ diuerſa omnino eſt ratio, & hoc exigit coexiſtentiam Phyſicam in ſui conſtitutione inter materiam, & formam, & hoc ad verificandam formam verborum; ſi etenim non eſſet præſens materia, quando incipit forma conſecrationis, non verificarentur pronomina *Hoc*, & *Hic*, quæ, cum ſint demonſtratiua, debent habere præſentem materiam, quam demonſtrant.

Aduerſus hanc noſtram aſſertionem nonnulla congerunt Aduerſarij argumenta, quorum primum deſumitur a verificatiuo propoſitionis, quod eſt, vt ſignificatum correſpondeat tempori conſignificato, ſed non poteſt eſſe hæc correſpondentia temporis conſignificati per formas, niſi pro eodem tempore coexiſtat materia; ergo, ſi non coexiſtat pro eodem tempore materia, quo profertur forma, non erit verificatiuum propoſitionis, adeoque, nec validum Sacramentum. Secundum, quia materia, & forma debent in eo inſtanti adeſſe, in quo perficitur ſignificatio verborum; ergo ſaltem in inſtanti terminatiuo formæ debet adeſſe materia, & ſic non ſufficit, quod materia exiſtat paulo poſt prolationem formæ.

9 Soluuntur nonnulla obiecta oppoſita.

Sed facili negotio his obiectis occurrimus. Ad primum dicendum eſt, verificatiuum propoſitionis conſiſtère quidem in eo, vt ſignificatum correſpondeat tempori conſignificato, vel Phyſicè, vel moralitèr, non tamen ſemper Phyſicè, maximè, ſi ſit ſermo de complexo morali, non Phyſico; Ad hanc autem correſpondentiam moralem ſufficit, quod vel materia paulo ante prolationem formæ exiſtat, vel paulo poſt iuxta conditiones Sacramentorum. Ad ſecundum etiam dico, materiam, & formam debere eſſe in eo inſtanti ſiue Phyſico, ſiue morali, in quo perficitur ſignificatio verborum tum Phyſicè, tum moralitèr; non autem ſolum in inſtanti Phyſico, in quo perficitur ſignificatio duntaxat Phyſicè; quamuis etenim, quando profertur vltima ſillaba formæ, non ſit Phyſicè applicatio materiæ, prolatio tamen verborum continuatur quaſi

mo-

moralitèr, quouſque materia exiſtat. Hoc quod exiſtat prolatio formæ applicationi materiæ in paucis dumtaxat Sacramentis poteſt, ſeu ſolet euenire, quandoquidem res, quæ habent rationem materiæ, videntur ex genere ſuo debere præexiſtere formæ, vt videre eſt in Sacramento Pænitentiæ, & Euchariſtiæ; Nihilominus, quia verſamur in moralibus, quoad aliqua Sacramenta poteſt præexiſtere prolatio formæ, vt videre eſt in Sacramento Matrimonij.

ARTICVLVS IV.

An res, & verba in Sacramentis nouæ legis habeant determinationem, & quamnam.

SVMMARIVM.

Referuntur errores Hæreticorum. 1.
Sacramenta nouæ legis habent determinationem quoad res, & verba ex inſtitutione Chriſti Domini. 2.
Verba comparata ad res in eodem Sacramento habent rationem determinatiui. 3.
Soluitur inſtantia oppoſita. 4.
Verba in Sacramento Matrimonij, & Ordinis habent minorem determinationem, ac alia Sacramenta. 5.
Res in aliquibus Sacramentis ſunt magis determinatæ, in alijs minus. 6.
Idem dicendum eſt de vno Sacramento comparato ad aliud. 7.
Soluitur argumentum deductum à Sacramento Matrimonij, & Ordinis. 8.

1 Errores Hæreticorum.

Longa hic eſſet inſtituenda controuerſia contrà Hæreticos, quorum alij denegantes verbis determinationem aſſerebant eadem, quæ à nobis proferuntur ſupra res in confectione Sacramentorum non eſſe operatoria, ſed ſuperſtitioſa, & magica, & ſolum adhibenda eſſe ad populi inſtructionem ad modum concionis, & ſicuti verba concionum non ſunt determinata, ità, nec verba, quibus Sacramenta conficiuntur; alij è contrà agnoſcentes ſolum determinationem in verbis, nullam in rebus admittebant, adeout aſſererent, quod ſeruata verborum forma poſſent quæcunque res adhiberi in confectione Sacramentorum. Sed, quia noſtrum non eſt controuerſias contrà ſectarios inſtituere, ſatis erit eorum errores indicaſſe remiſſa controuerſiſtis eorum confutatione.

2 Habent determinationē à Chriſto Domino.

Aſſertio. Omnia Sacramenta nouę legis habēt determinationem quoad res, & verba ex inſtitutione Chriſti Domini, non tamen æqualem reſpectu omnium, ſed pro diuerſis diuerſam. Conſentiunt communitèr Scholaſtici cum *D. Thoma tertia part. q. 60. art. 5., & 6.*

Probatur primò quoad primam partem. Omnia Sacramenta nouæ legis ſunt à Chriſto Domino quoad ſubſtantiam inſtituta, & in determinato numero, & ſub ſua quodlibet ratione ſpecifica, qua vnum ab alio diſtinguitur, ergo à Chriſto Domino habent determinationem, & quoad res, & quoad verba. Antecedens eſt in confeſſo apud omnes Catholicos, & expreſſe definitur à *Concil. Trident. ſeſs. 7. can. 1.* vbi anathematizat eos, qui dixerint Sacramenta nouæ legis non fuiſſe omnia à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta. Conſequentia probatur, quia determinatio, quæ eſt in toto, non poteſt reſultare, niſi ex determinatione partium illud totum conſtituentium; tale etenim eſt conſtitutum, qualia ſunt conſtituentia, ergo, ſi totum conſtitutum eſt à Chriſto Domino inſtitutum vnumquodque ſecundum ſuam rationem ſpecificam, etiam conſtituentia in ſua ratione ſpecifica erunt à Chriſto Domino inſtituta.

Probatur quoad ſecundam partem, quæ poteſt multiplicitèr ſumi, vel comparando 3
verba in vnoquoque Sacramento ad res in eodem, vel verba vnius Sacramenti ad verba alterius, vel res vnius ad res alterius, vel verba, & res ad verba, & res in alio; & quidem primo, ſi comparentur verba ad res in vnoquoque Sacramento maiorem eſſe determinationem in verbis, quam in rebus ex eo elucet, quod verba ſint inſtituta ad ſignificandas res, non è contrà, & res vtpotè habentes rationem materiæ ſint determinabiles, verba verò tanquam forma ſint determinatiua; Quod, ſi dicas, quod, cum verba ſignificent ad placitum ex inſtitutione humana, poſſent ex eadem humana inſtitutione mutari, & id, quod modo habet vnam ſignificationem ſuppoſita alia inſtitutione diuerſificante poſſet in aliam tranſire, ſic ly *abſoluo*, v. g. in Sacramento Pænitentiæ, quod ſecundum præſentem inſtitutionem ſignificat remiſſionem peccatorum, ſecundum aliam inſtitutionem poſſet quid diuerſum importare, ergo verba ſecundum ſe quoad effectum ſignificationis non ſunt magis determinata, quam res, cum iſtæ ſecundum ſe 4
ſemper ſint eædem; Statim impugnaberis, quia attendenda eſt ſubſtantia ſignificationis verborum ad effectum Sacramentorum, quæ ſemper debet eſſe eadem, & ſi contingeret ex humana inſtitutione variatio verborum, illa verba eſſent adhibenda in confectione Sacramentorum, quæ haberent illum ſenſum, quem modo habent formæ præſentes Sacramentorum, nec poſſet dici, quod in hac hypotheſi fie-

Verba in eodem Sacramēto habēt rationem determinatiui.

Soluitur inſtantia oppoſita.

ret variatio quoad ſignificationem, ſed tantum quoad ſonum, cum verba noua, quæ ſubſtituerentur antiquis, haberent eandem ſignificationem, quam habebant antiqua, vnde illa variatio eſſet materialis, & accidentalis, non formalis, quæ deſumitur penes ſignificationem.

5 Verba in Matrimonio, & Ordine habēt minorē determinationē.

Si comparentur verba vnius Sacramenti ad verba alterius elucet potiſſimum minor determinatio in Sacramentis Matrimonij, & Ordinis, quam in alijs, quandoquidem Matrimonium contentum eſt verbis virtualibus, & admittit nutus, & ſigna loco verborum, ordo vero admittit verba idem ſignificantia quoad ſubſtantiam, licet differant in modo ſignificationis, vt videre eſt in forma, qua vtuntur Græci ab illa, qua vtuntur Latini, nam Latini vtuntur his verbis, *Accipe poteſtatem &c.* exprimendo munera, ad quæ ordinati deputantur; Græci vero hæc alia adhibent *Diuina gratia, quæ infirma ſanat, promouet hunc in Subdiaconum, vel Diaconum, &c.* Reliqua vero Sacramenta habent magis determinata, & formalia verba; Quod, ſi dicas, quod alia etiam Sacramenta ab Ordine admittant in verbis mutationem accidentalem, dummodo ſit ſalua eorum ſubſtantia, prout infra latè videbimus, adeoque, quod ex hoc capite non habeat minorem determinationem quoad verba Sacramentum Ordinis ab alijs; Statim impugnaberis, quia variatio in alijs Sacramentis, quæ compatitur cum validitate ipſorum, eſt ſolum accidentalis, & in ſignificatione, & in modo ſignificandi; variatio autem formæ Sacramenti Ordinis, quæ eſt apud Latinos, & Græcos, licet ſit accidentalis in ſignificatione, non eſt tamen talis in modo ſignificandi, cum hæc importetur ſolum per verba implicitè ſignificantia, & non explicet actionem miniſtri, ſed id tantum, quod præſtat gratia Dei, illa vero Latinorum importat explicitè actionem, & poteſtatem, quam confert miniſter, & vtique per verba expreſsè, & formalitèr ſignificantia, vnde merito *Cacheranus tract. 8. de Sacramentis in genere c. 1. §. 2. n. 38.* aſſerit, quod mutatio in verba idem ſignificantia, ſed ſolum implicitè, & valdè confusè ſubſtantialis ſit, ſaltem, ſi excipias Sacramentum Ordinis.

Quod, ſi inquiras, cur variatio in Sacramento Ordinis in verba ſolum implicitè ſignificantia idem non tollat valorem Sacramenti, vt conſideratur in forma, quæ adhibetur à Latinis, & in illa, quæ adhibetur a Græcis, tollat tamen in alijs Sacramentis, cum iuxta eundem *Cacheranum loc. cit.* in alijs Sacramentis ſit ſubſtantialis, tunc dicam, hoc prouenire ex Diuina inſtitutione, ſecundum quam alia Sacramenta inſtituta ſunt in materia, & forma determinata, Sacramentum verò Ordinis non eſt inſtitutū in re, & verbis aliquod determinatum ſpecificè ſignificātibus, ſed ſolum aliquod ſenſibile ſpecialitèr aptum exprimere poteſtatem, quę traditur ordinato relinquendo liberum Eccleſiæ eligere res, vel verba in ſpecie. Sed de his latior erit ſermo, dum de Sacramento Ordinis.

6 Res, in aliquibus Sacramētis ſunt magis determinatæ, in alijs.

Si comparemus res vnius Sacramenti ad res alterius etiam eluceſcet maior determinatio in aliquibus, minor in alijs; ſic pro materia, ſeu re in Baptiſmo determinata eſt aqua naturalis, & ablutio; in Confirmatione oleum oliuarum mixtum balſamo, & vnctio in fronte; in Extrema Vnctione oleum oliuarum, & vnctio ſenſuum; omnis autem aqua naturalis eſt vna in ſpecie athoma, & ſic etiam omne oleum oliuarum, & omne mixtum ex oleo, & balſamo; in Sacramento verò Pænitentiæ determinata eſt pro materia, ſeu re confeſſio, & dolor, & in illo Euchariſtiæ panis triticeus, & vinum de vite; dolor autem, & confeſſio non videntur eſſe ſub vna ſpecie athoma, cum dolor diſtinguatur in atritionem, & contritionem, quæ vtraque ſufficiens eſt in Sacramento, & ſecundum cōmuniorem opinionem differunt inter ſe ſpecie; confeſſio item, cum poſſit eſſe de diuerſis peccatis, & poſſit fieri, vel nutibus, vel ſcriptis, & verbis, videtur eſſe diuerſa; in Sacramento vero Euchariſtiæ vinum de vite in multorum ſententia admittit plures ſpecies; Quæ autem continentur in ſpecie athoma ſunt magis determinata, quam quæ extenduntur ad ſpecies etiam ſubalternas.

7 Idem dic de vno Sacramēto comparato ad aliud.

Si comparemus tandem res, & verba vnius Sacramenti ad res, & verba alterius, ex prædictis elucet in pleriſque maiorem, in alijs dari minorem determinationem; &, ne teneamur ſingula Sacramenta repetere, argumentum in genere ſic deducite, maior, & minor determinatio in toto reſultat ex maiori, & minori determinatione in partibus, ſed in partibus aliquorum Sacramentorum datur maior determinatio, in partibus aliorum minor, vt recolenti ſupradicta ſit manifeſtum, ergo &c.

Aduerſus primam partem aſſertionis noſtræ, quod ſcilicet res, & verba Sacramentorum ſint a Chriſto Domino in eorum inſtitutione determinata, arguunt aliqui primo hoc pacto. Res, & verba à Chriſto Domino in inſtitutione Sacramentorum determinata non poſſunt aliqua poteſtate humana mutari, ſed de facto materia Sacramenti Matrimonij fuit ab Eccleſia mutata; cum ante Concilium

Tri-

Tridentinum conſenſus per coniuges exhibitus etiam ſine præſentia Parochi, & teſtium eſſet validus, & ſufficiens, & poſt idem Tridentinum nec ſit ſufficiens, nec validus, ergo &c. ſecundò in Sacramento Ordinis eſt diuerſa in ſpecie materia, quæ adhibetur à Latinis ab illa, quæ adhibetur a Græcis, cum iſti ordinent per ſolam manuum impoſitionem; illi vero exhibendo determinatam materiam aptam ad indicandam poteſtatem, quæ confertur in illo ordine, qui confertur.

Sed contrà; vtrumque obiectum facilè

8 Soluitur argumẽtum oppoſitum. diſſoluitur. Ad primum dicendum eſt, Chriſtum Dominum pro materia Matrimonij determinaſſe conſenſum vtriuſque coniugis ſenſibilitèr exhibitum, qui eſſet validus ſecundum humanas leges, nec determinauit conditiones requiſitas ad hoc vt ſit validus, ſed conſenſum, qui ſit validus ſecundum leges humanas ſtatuit pro materia Matrimonij; vnde poſtea Concilium Tridentinum requirens præſentiam Parochi, & teſtium non mutauit materiam à Chriſto Domino ſtatutam, ſed ſolum appoſuit conditiones, ſine quibus noluit eundem conſenſum eſſe validum. Ad ſecundum iam patet ex dictis quid reſpondendum; non enim Chriſtus Dominus aliquam materiam determinatam in ſpecie conſtituit pro Sacramento Ordinis, ſed tantum in genere ſigni ſenſibilis apti ad indicandam poteſtatem, quæ confertur, vnde mirum non debet videri, quod ab Eccleſia Latina vna ſpecies, à Græca altera adhibeatur, cum vtraque adhibeat in ſigno ſenſibili, in quo Chriſtus inſtituit.

ARTICVLVS V.

An Sacramenta nouæ legis ſaluo eorum valore admittere poſſint aliquam mutationem, & quamnam.

SVMMARIVM.

Mutatio ſiue in rebus, ſiue in verbis altera accidentalis, altera ſubſtantialis. 1.

Sacramenta poſſunt admittere mutationem accidentalem ſine eorum deſtructione, non ſic ſubſtantialem. 2.

Per accidentalem mutationem non tollitur ſignificatio. 3.

Benè tamen per ſubſtantialem. 4.

Mutatio ſubſtantialis non contingit ſolum, quando res mutatur ſubſtantialitèr Phyſicè, ſed etiam quando remanente ſubſtantia Phyſicè mutatur ſecundum ſignificationem. 5.

Mutata ſignificatione mutatur ſubſtantia. 6.

Explicatur in pluribus caſibus particularibus, quandonam contingat ſolum mutatio accidentalis in rebus. 7.

Item quandonam ſolum accidentalis in verbis. 8.

Forma partim adhibita in vno idiomate, partim in alio ſubſiſtit. 9.

Sententia docens in Baptiſmo validam eſſe formam conceptam in nomine Domini Ieſu Chriſti. 10.

Reuera illa forma non ſubſiſtit. 11.

Apoſtoli nõ vtebantur illis verbis in nomine Chriſti, *tanquam forma, ſed in virtute, & nomine eiuſdem.* 12.

Forma Baptiſmi etiam concepta in nomine Trinitatis ſine expreſſione perſonarum non ſubſiſteret. 13.

Quandonam mutatio per additionem ſit ſubſtantialis, & quandonam accidentalis. 14.

Quandonam irritet per detractionem, & quando non irritat. 15.

Quandonam per interruptionem verborum. 16.

Quandonam per traſportationem eorundẽ. 17.

Mutatio accidentalis, quamuis non irritet Sacramenta, inducit tamen culpam in mutante maiorem, vel minorem, prout maior, vel minor eſt mutatio. 18.

NOn procedit titulus ſolum de mutatione formæ, ſed etiam de mutatione materiæ, an ſcilicet, ſi vna, vel altera varietur, tollatur Sacramentum, an vero adhuc in ſuo eſſe perſeueret. Pro quo

Aduerte, ſiue in materia, ſiue in forma duplicem poſſe interuenire mutationem; 1 Mutatio altera ſubſtantialis, altera accidentalis. alteram accidentalem, alteram ſubſtantialem. Accidentalis quoad materiam, qua non læditur ſubſtantia eiuſdem materiæ, ſed in ſuo eſſe perſeueret, licet affecta aliqua qualitate, qua prius non afficiebatur, vel amiſſa aliqua qualitate, qua prius erat prædita. Accidentalis quoad formam eſt illa, qua non variatur ſignificatio eius, quod intenditur, ſed ſolum modus, quo exprimitur. Subſtantialis eſt, per quam ſubſtantia rei in aliam ſubſtantiam ſpecie diuerſam transfertur, vel noua ſpecie afficitur. Subſtantialis quoad formam, tunc eſt quando ſubſtantialitèr mutatur ſignificatio eiuſdem. Quibus poſitis ſit

Aſſertio. Sacramenta nouæ legis poſſunt admittere mutationem accidentalem ſiue in rebus, ſiue in verbis ſine eorum deſtructione; non tamen ſubſtantialem. 2 Mutatio accidentalis non tollit ſubſtantiam. *D. Thomas tertia part. q. 60. art. 8. & in quarto diſt. 3. q. vnica art. 2. Scotus ibid. diſt. 3. q. 2.* & cum ipſis omnes ferè ſcribentes.

Probatur prima pars affirmatiua de mutatione accidentali ex *Concil. Trid. ſeſs. 21. c. 2.* vbi tribuitur Eccleſiæ poteſtas mutandi circa diſpenſationem Sacramentorum ſalua eorum ſubſtantia, quod eſt

 idem,

idem, ac dicere mutandi accidentalitèr, nō ſubſtantialitèr; ſi enim debet eſſe mutatio ſalua ſubſtantia, ſubſtantialia debent in ſuo eſſe perſeuerare, ergo hæc facultas mutandi non poteſt eſſe, niſi circa accidentalia. Confirmatur ratione, quia in Phyſicis per mutationem accidentium non tollitur ſubſtantia rei, ſic aqua non deſinit eſſe talis, vel ex eo, quod ſit calida, vel frigida, ergo neque per mutationem accidentalem deſinet compoſitum morale ſubſtantiale, cuiuſmodi eſt Sacramentum, ſic non deſinet eſſe Baptiſmus ex eo, quod fiat ablutio vel per aquam calidam, vel frigidam, nec deſinet eſſe Euchariſtiæ Sacramentum ex eo, quod adhibeatur panis triticeus, vel fermentatus, vel azimus cum huiuſmodi qualitates reſpectu Sacramenti non ſint, niſi accidentales, non deſtructiuæ ſubſtantiæ. Hæc videntur procedere quoad mutationem accidentalem rerum.

3 Cum accidentali mutatione ſtat ſignificatio.

Probatur iam eadem prima pars quoad mutationem accidentalem verborum, ſeu formæ; Subſtantia verborum quantum ad effectum ad quem ſunt inſtituta, eſt ſignificatio, ergo erit ſemper ſalua eorum ſubſtantia, quouſque erit ſalua eorum ſignificatio, ſed per mutationem accidentalem non mutatur eorum ſignificatio, ergo, nec ſubſtantia, adeoque firma erunt in ſua ſubſtantia Sacramenta.

4 Nō cum ſubſtantiali.

Probatur ſecunda pars negatiua de mutatione ſubſtantiali, ſiue in rebus, ſiue in verbis in vniuerſum. Sacramenta nouæ legis ſunt inſtituta à Chriſto Domino in determinata ſpecie, ergo extra talem ſpeciem non poſſunt ſubſiſtere, ſed facta mutatione ſubſtantiali, ſiue in rebus, ſiue in verbis non ſaluatur eorum ratio ſpecifica à Chriſto Domino inſtituta, ergo nec ſaluantur Sacramenta. Minor ſubſumpta probatur, quia mutatis partibus ſubſtantialitèr componentibus mutatur totum ſubſtantialitèr, cum tale ſit totum, quales ſunt partes componentes, ergo facta mutatione ſubſtantiali ſiue in rebus, ſiue in verbis non ſaluabitur ratio ſpecifica, adeoque nec ſubſtantia.

5 Mutatio ſubſtantialis poteſt eſſe manente ſubſtantia Phyſica.

Difficultas ſolummodo hic verſatur in explicando, quandonam contingat mutatio ſubſtantialis, ſiue in rebus, ſiue in verbis, & quandonam accidentalis ſolummodo; non enim mutatio ſubſtantialis, quantum pertinet ad præſentem materiam, contingit ſolum quando mutatur ſubſtantia Phyſica rerum, ſed etiam quandoque, quando mutantur res phyſicæ ſolum accidentalitèr; vt videre eſt in materia Baptiſmi, nempè in aqua, quæ, quamuis Phyſicè ſubſtantialitèr non differat à glacie, ſed tantum accidentalitèr ratione denſitatis, intelligitur tamen talitèr differre, vt glaciès non ſit materia apta ad valorem Baptiſmatis, vnde poteſt dici quoad hunc effectum, quod aqua à glacie differat ſubſtantialitèr moralitèr, licet tantum accidentalitèr Phyſicè. Pro ſolutione huius difficultatis nota, quod, tunc intelligatur quoad præſentem materiam interuenire mutatio ſubſtantialis in rebus, quando res ipſæ, quæ mutantur, non retinent idem nomen, nec eandem rationem ſignificatam per nomen cum rebus, quæ ſunt à Chriſto Domino inſtitutæ, tunc verò intelligatur ſolummodo mutatio accidentalis, quando res, in quas fit mutatio ſecundum communem hominum acceptionem, & idem nomen, & eandem rationem retinent cum re, quam Chriſtus Dominus determinauit; & cum hac regula ſtare poteſt quod ſit tantum in eiſdem rebus mutatio accidentalis Phyſica ſecundum ſe, eadem tamen ſit ſubſtantialis moralitèr in ordine ad Sacramentum; vt patet ex exemplo allato de aqua, & glacie, quæ, quamuis ſint ſubſtantialitèr aqua ſecundum ſe, & differat ſolum accidentalitèr Phyſicè; in ordine tamen ad Sacramentum differunt moralitèr ſubſtantialitèr, quia glacies non retinet idem nomen aquæ, nec habere poteſt, vt talis, eandem rationem, ſeu effectum ablutionis requiſitæ ad valorem talis Sacramenti; E contrà cum eadem regula ſtare poteſt, quod res ſint diuerſæ ſubſtantialitèr Phyſicè; & in ordine ad Sacramentum differant ſolum accidentalitèr, nec irritent Sacramentum, vt videre eſt in attritione, & contritione in Sacramento Pœnitentiæ, quæ ſecundum ſe differunt ſubſtantialitèr, & tamen ſiue in vna, ſiue in altera fiat Sacramentum, validè ſit, & hoc non alia ratione, niſi, quia tam attritio, quam contritio continentur ſub eodem nomine doloris, & eadem ratione. Tunc igitur in rebus Sacramentorum erit mutatio ſubſtantialis, quando res, in quas ſit mutatio ſecundum communem hominum conceptum non retinent idem nomen, nec eandem rationem; tunc vero ſolum accidentalis, quando retinent idem nomen cum eadem ratione.

Loquendo vero de mutatione ſiue ſubſtantiali, ſiue accidentali verborum ſentiendum eſt, tunc dari mutationem in eiſdem ſubſtantialem, quando variatur eorum ſignificatio, adeo vt non amplius retineant eundem ſenſum; tunc vero accidentalem ſolummodo, quando fit variatio ſolum in modo, ſeu in ſono retenta eadem ſignificatione.

6 Mutata ſignificatione mutatur ſubſtantia in verbis.

Ex prima regula quoad mutationem rerum deducunt moraliſtæ plures caſus

in

Digitized by Google

in particulari in ſingulis explicantes, & decidentes, an interueniat ſubſtantialis, an tantum accidentalis mutatio. Nobis ſufficiat aliquos exponere, reliquos reſeruabimus, dum de ſingulorum Sacramentorum materia, vtpotè in propria ſede.

7 Explicatur in particulari, quãdonam contingat mutatio ſolum accidentalis in rebus.

Loquendo de Sacramento Euchariſtiæ quoad eius materiã dico eſſe mutationem accidentalem, ſi adhibeatur panis fermentatus pro azimo, vel azimus pro fermentato, vel vinum album, vel rubeum, vel Hiſpanicum, vel Italicum &c. quantumuis in multorum ſententia huiuſmodi vina ſint in ſpecie Phyſica diuerſa eo quia contineantur ſub communi nomine, & ratione vini; eſſe vero in eodem mutationem ſubſtantialem; ſi adhiberetur paſta pro pane triticeo, vel panis ordeaceus pro triticeo, eo quia in primo caſu paſta non retinet nomen panis ſecundum communem conceptum, nec rationem eiuſdem; in ſecundo hordeaceus non habet rationem panis ſimpliciter, ſed cum addito *ex hordeo*. Loquendo de Sacramento Baptiſmatis quoad eius materiam dico eſſe mutationem accidentalem, quod adhibeatur aqua vel frigida, vel calida, ſiue ſit pluuialis, ſiue fluminum, ſiue etiam per miraculum producta, quia ſemper in ſubſtantia eſt aqua naturalis; è contra eſt mutatio ſubſtantialis, ſi adhiberetur aqua roſacea, vel expreſſa ex floribus, quia non habet vſum aquæ naturalis.

Ex ſecunda regula quoad mutationem verborum deducitur primo, quod non ſit mutatio ſubſtantialis, ſi varietur forma quoad idiomata, dummodo in eiſdem ſeruetur idem ſenſus, ſeu eadem ſignificatio; nec in hoc eſt hæſitandum, quandoquidem forma Sacramentorum inſtituta eſt à Chriſto Domino, vel in idiomate Hæbraico, vel Siriaco, & tamen Eccleſia Latina latino, Græca græco vtitur idiomate, & tamen nemine diſceptante vtraque Eccleſia validè Sacramenta conficit.

8 Item quando ſolum accidentalis in verbis.

Secundò, quod non ſit mutatio ſubſtantialis, ſed merè accidentalis, ſi adhibeantur verba ſinonima cum ſemper importetur eadem ſignificatio. Secundò, quod ſit mutatio merè accidentalis, ſi in Baptiſmo dicatur per corruptionem, ſeu alterationem verborum, *Ego te baptizo in nomine Patria, Filia, & Spiritua Sancta*, præcipuè, ſi procedat ex ignorantia latini idiomatis, prout refertur *in c. retulerunt de conſecratione diſt.* 4. vbi Baptiſmus ſub tali forma collatus fuit declaratus validus. In Sacramento Euchariſtiæ etiam accidentalis reputatur mutatio ſub hac forma. Hæc res eſt caro mea. Hoc eſt vas ſanguinis mei. Sed in iis non inſiſtimus cum latè de his egerimus in quæſtionibus de Sacrificio Miſſæ, & de alijs in materia aliorum Sacramentorum agemus, dum de ſingulis Sacramentis in particulari. E conuerſo eſt mutatio ſubſtantialis, quando verba mutata habent diuerſam ſignificationem, quod, quando contingat, videbimus, dum de ſingulis Sacramentis in particulari.

Hæc quæ hactenus ex prædictis regulis deduximus videntur ſine controuerſia procedere; Nonnulli tamen extant caſus in quibus mutata forma poteſt eſſe dubium, an Sacramenta ſub eadem celebrata ſint valida. Primus eſt, an ſi in forma alicuius Sacramenti adhiberentur verba partim ſub vno, partim ſub alio idiomate, puta vnum verbum ſub idiomate Hæbraico, aliud ſub Græco, aliud ſub Latino, aliud ſub Italico vitiarent, ſeu irritarent Sacramentum, an non. Non irritare Sacramentum affirmat *Madernus tract. 2. de Sacram. in genere q. 1. de Sacram. eſſentia art. 11. n. 7.* qui pro ſe citat Caietanum, & alios, eo quia arbitretur non interuenire, niſi mutationem accidentalem, quam opinionem à veritate alienam non arbitror, quamuis aliquam duritiem præſeferre videatur in cortice, durum enim videtur, quod verba diuerſorum idiomatum in vnam orationem conflata poſſint in vnum ſenſum coaleſcere, & vnam ſignificationem habere perfectam; poteſt item verbum in vno idiomate puta Hæbraico habere apud Hæbreos vnum ſenſum, & apud Latinum illud proferentem alium diuerſum, & ſic non efformare veram orationem ſimul cum alijs verbis, vel Latinè, vel Italicè prolatis.

9 forma adhibita partim in vno idiomate, partim in alio ſubſiſtit.

Verum hæc durities de facilè tollitur, ſi conſideretur, quod illa verba ſecundum ſe, ſi Hæbraicè proferantur, habeant eundem ſenſum, quem habent eadem latinè prolata, & ſicuti, ſi quis eandem formam, v. g. Baptiſmi partim in Italico, partim in Latino idiomatè proferret, validum conficeret Sacramentum, & ſi diceret, *Ego ti baptizo in nomine Patris, e del Filiolo, & Spiritus Sancti*, quia omnia verba habent eadem ſignificationem variatam ſolùmodo quoad idioma, ita, ſi proferret partim in Hæbraico, partim in Latino idiomate, validè &c. nec obeſſe poteſt, quod verbum in idiomate Hæbreo prolatum poſſit apud Latinos habere diuerſam ſignificationem, quia, dum adhibetur tanquam Hæbraicum intelligitur adhiberi ſecundum eam ſignificationem, quam habet in eodem Hæbraico idiomate.

Secundus caſus eſt, an ſi in Baptiſmo adhiberetur hæc forma. *Ego te baptizo in nomine Domini Ieſu Chriſti*, intelligeretur facta mutatio ſubſtantialis irritatiua Sacramenti, an vero tantum accidentalis,

& com-

& compatibilis cum ſubſtantia eiuſdem Sacramenti. Mouet hanc difficultatem id, quod legitur in actibus Apoſtolorum, quod ſcilicet Apoſtoli baptizabant in Nomine Domini Ieſu Chriſti; nec dubitandum eſt de valore Sacramenti per eoſdem collati. Non defuerunt aliqui, qui dixerunt Baptiſmum tunc collatum ſub tali forma validum fuiſſe ex ſpeciali diſpenſatione Chriſti Domini, nunc tamen fore inualidum, cum nunc ceſſet cauſa diſpenſationis; aſſerunt enim quod tunc fuerit congruum baptizare in nomine Chriſti Ieſu, eo quia, cum tunc tale nomen eſſet Iudæis exoſum, vt redderetur gratum, & amabile initiandis fidei per Baptiſmum adhibebatur in actione, qua primo conſtituebantur eiuſdem Chriſti ſectatores. Sed nunquam arriſit, nec modo arridere poteſt hæc opinio, quandoquidem apertè conſtat, Chriſtum Dominũ formam huius Sacramenti conſtituiſſe in expreſſa inuocatione Sanctiſſimæ Trinitatis, eamque Apoſtolis promulgaſſe dicens *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, nec alicubi conſtat, indulſiſſe, vt ſub alia forma per Apoſtolos fideles baptizarentur; nec ratio diſpenſationis adducta aliquid euincit ad variandam formam à Chriſto Domino inſtitutam; quandoquidem æquè erat odioſum nomen Trinitatis Iudæis, ac nomen Chriſti Domini, vnde ex hoc capite non erat potius inducendum nomen Chriſti, quam nomen Trinitatis; Deinde ſine variatione ſignificationis expreſſæ Trinitatis poterant ſub hac forma baptizare. *Ego te baptizo in nomine Patris, & Ieſu Chriſti, & Spiritus Sancti*; vbi ex vno capite erat inſinuatio intentæ amabilitatis quoad nomen Chriſti Domini, & ex alio capite erat inuocatio expreſſa Trinitatis a Chriſto Domino inſtituta.

10 Sentẽtia docens valere formam conceptã in nomine Domini Ieſu Chriſti.

Quamobrem dico Baptiſmum collatum adhibito dumtaxat nomine Chriſti Domini, tanquam forma eſſe omnino inualidum. Dixi, *tanquam forma*, vt ſecernerem à Baptiſmo, qui conferebatur ab Apoſtolis, qui, cum dicerentur baptizare in nomine Chriſti, non intelligebantur vti nomine Chriſti tanquam forma, ſed baptizare tanquam miniſtros Chriſti, & eius nomine, vt infrà latius. Probatur noſtra aſſertio negatiua. Forma inſtituta à Chriſto Domino eſt ſub expreſſa inuocatione omnium, & ſingularum perſonarum Diuinarum iuxta illud Euangelij. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, & quidem congruè illa expreſſa inuocatio Trinitatis fuit pro forma Baptiſmi inducta, quandoquidem, cum Baptiſmus ſit ianua omnium Sacramentorum, & per ipſam inducantur fideles ad communicationem omnium Diuinorum myſteriorum, debuerant expreſsè erudiri de eo, quod eſt principale fundamentum omnium eorundem myſteriorum; nec obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod Baptiſmus in nomine Chriſti Domini importet ſaltem implicitè omnes Diuinas perſonas; quandoquidem Chriſtus idem ſonat, ac *unctus*, quod tria importat, nempè ipſum vnctum, vngentem, & à quo vngitur, adeoque non variat ſubſtantiam inuocationis, cum explicita, & implicita inuocatio non differant ſubſtantialitèr; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, licet ſecundum ſe implicitum, & explicitum non differant ſpecie, differunt tamen ſpecie, quando expreſſio ex inſtitutione eſt de ſubſtantia ex fine, qui intenditur in tali inſtitutione.

11 Reuera illa forma non ſubſiſtit.

Hinc deduces primò ſolutionem argumenti deducti ex Baptiſmo collati ab Apoſtolis in nomine Chriſti Domini; Dic etenim Apoſtolos non contuliſſe Baptiſmum in nomine Chriſti Domini tanquam forma; cum etenim præceptum acceperint à Domino baptizandi *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, non eſt præſumendum, quod voluerint ſub alia forma baptizare, ſed contuliſſe in fide, in merito, & in perſona Chriſti, cuius erant miniſtri, & adimplentes munus, quod illis mandauerat; atque iuxta hunc ſenſum procedunt *Suarez diſp. 2. ſect. 2. verſ. ad decretum*, & alij apud *Bonacinam de Baptiſmo diſp. 2. q. 2. punct. 4. n. 9. verſ. reſpondeo ſecundo*.

12 Explicatur ſenſus illorũ verborũ in nomine Chriſti.

Deduces ſecundò, nec etiam ſubſiſtere Baptiſmum collatum in nomine Trinitatis ſimpliciter propter eandem rationem, quod requiratur ex inſtitutione Chriſti explicita inuocatio Trinitatis; Neque obeſſe poteſt *textus in c. à quodam Iudæo de conſecr. diſt. 4.* vbi interrogatus Nicolaus I. quid agendum eſſet de baptizatis a Pagano, reſpondit in hæc verba. Hi profectò, ſi in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, vel tantum in nomine Chriſti, ſicut in actis Apoſtolorum legimus, baptizati ſunt (vnũ quippe, idemque eſt, vt Sanctus exponit Ambroſius) conſtat eos non eſſe denuo rebaptizandos; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia textus non eſt intelligendus excluſiuè quoad perſonarum expreſſionem, ſed incluſiuè, quatenus nomine Sanctiſſimæ Trinitatis veniat Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, nomine verò Chriſti veniat Filius ſimul cum alijs perſonis, vt ſi pro ly in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, dicatur in nomine Patris, & Chriſti, & Spiritus Sancti; atque hanc fuiſſe mentem Pontificis, colligitur ex eo,

13 Concepta in nomine Trinitatis non ſubſiſteret.

quod

quod dixit, *ſicut Sanctus exponit Ambroſius* D. autem Ambroſius in libro de Sacramentis ſæpè, & ſæpius dixit formam baptiſmatis conſiſtere in illis verbis, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Quod, ſi quandoque inueniatur dixiſſe in nomine Trinitatis, intelligendus eſt relatiuè ad prædicta, non Trinitatis ſimplicitèr, ſed explicitè cum expreſſione perſonarum.

Tertius caſus dubitabilis eſt, an, ſi fiat mutatio formæ, vel per additionem, vel per detractionem, hæc intelligatur eſſe ſubſtantialis, & irritatoria, an vero tantum accidentalis. In hoc etiam diſtinguendum eſt, vel etenim additio, vel detractio mutant ſenſum formæ, & ſic procul dubio irritant, vel non mutant ſenſum, & ſic inducunt tantum mutationem accidentalem, & non irritant. Aduerte tamen in particulari quoad additionem non ſolum conſiderandum eſſe, an id, quod additur, mutet ſenſum necne, ſed etiam, an verum contineat, an falſum, & quidem, ſi non mutet ſenſum, inuoluat tamen falſitatem, adhuc diſtinguendum eſt, vel etenim falſitas, quam continet illa additio eſt ex priuato errore loquentis, vel ex ſuppoſito errore Eccleſiæ, & quidem, ſi illa additio non mutet ſenſum, inuoluat tamen falſitatem ex priuato errore loquentis, vt ſi quis in collatione Baptiſmi dicat, *Ego te baptizo in nomine Patris, quem ego exiſtimo maiorem, & Filij, quem arbitror minorem &c.* habeat tamen intentionem faciendi id, quod facit Eccleſia, ſentiendum eſt, mutationem illam per additionem non inualidare Sacramentum, prout ſentit *Madernus tract. 2. de Sacramentis in genere q. 1. de Sacram. eſſentia art. 11. n. 15.* addita etiam ratione, quia, cum hac additione remanet verus ſenſus, quem non tollit priuatus error, & ſicuti Paganus, qui non credit myſterijs fidei, ſi baptizet ſeruata forma Baptiſmi cum intentione efficiendi, quod facit Eccleſia, validè baptizat, ità &c. Si vero inuoluat falſitatem, quæ ſecundum ſe modificet principale ſignificatum formæ, vt ſi dicatur, *Ego te baptizo in nomine Patris, verè maioris, & Filij minoris*, & tunc idem Madernus arbitratur per illam additionem irritari Sacramentum eo quia, cum deſtruatur æqualitas perſonarum, tollitur etiam proprius ſenſus verborum. Hac eadem ratione videtur inualidari Sacramentum per additionem in Sacramento baptiſmatis, ſi diceretur, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Beatæ Virginis, & Filij, & Spiritus Sancti*, eo quia poneretur falſitas, quæ modificaret ly in nomine, & ſenſus eſſet, quod non tantum eſſet forma huius Sacramenti inuocatio explicita Sanctiſſimæ Trinitatis, ſed etiam inuocatio Deiparæ, & quod Baptiſmus non tantum fieret in virtute Dei, ſed etiam Virginis, quod eſt falſum. Si vero illa additio, nec mutaret ſenſum, nec falſitatem importaret, vtique non irritaret Sacramentum, vt ſi quis diceret, *Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, Filij vnigeniti, & Spiritus Sancti Paracliti*, & item, ſi diceret, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & B. Virgo Maria te adiuuet*; hoc etenim non poneretur tāquam forma Sacramenti, ſed ſolum ad inuocandum patrocinium Deiparæ poſt completam formam Baptiſmi.

14 Quando eam mutatio per additionem irritet, & quando non.

Si verò loquamur de detractione verborum videndum eſt, an cum illa ſtet perfectus ſenſus formæ à Chriſto inſtitutæ, an vero ille ſenſus deſtruatur, & quidem, ſi permaneat perfectus ſenſus, non eſt ambigendum illam mutationem eſſe merè accidentalem, nec irritare Sacramentum; ſecus vero, ſi perfectus ſenſus non permaneat. Sic in particulari non eſt mutatio ſubſtantialis, ſi detrahatur à forma baptiſmatis, vel pænitentiæ particula *Ego*, nec a forma Sacramenti Euchariſtiæ particula *enim*, cum non tollant ſenſum eiuſdem formæ; ſi vero omittatur particula *Te* in Sacramento Baptiſmatis, & pænitentiæ in communiori ſententia erit omiſſio ſubſtantialis, & irritatiua Sacramenti, cum non importetur in eadem forma ſubiectum, ſupra quod cadit ablutio, & abſolutio, & quamuis Scotus conſtituens eſſentiam Sacramenti pænitentiæ quoad formam in illo verbo præcisè *Abſoluo*, vnde videtur excludere ab eſſentia expreſſionem ſubiecti, ſupra quod cadere debet abſolutio; attamen in hoc communitèr reijcitur; &, quamuis dicat, quod ſubiectum ſufficientèr determinetur per præſentiam pænitentis ſuppoſitā eiuſdem confeſſione; hoc tamen non videtur ſufficere, quia expreſſio eiuſdem debet importari in forma, quæ cæteroqui eſſet ſecundum ſe indifferens, vel ad vnum, vel ad alterum.

15 Quid dicendum ſit de mutatione per detractationem.

Quartus caſus dubitabilis eſt, an per interruptionem, & moram inter vnam, & alteram partem formæ inducatur mutatio ſubſtantialis irritatiua Sacramenti; In hoc ſentiendum eſt, quod, ſi interruptio, vel mora ſit talis, & tanta, vt moralitèr tollat continuationem ſermonis, ſeu orationis, certè tollat rationem Sacramenti; ſecus, ſi non tollat moralitèr eandem continuationem, adeout perſeueret iam ſenſus. Quanta autem debeat eſſe talis interruptio, vt tollat perfectum ſermonem, remittendum eſt prudenti hominum exiſtimationi.

16 Quid de interruptione verborum.

Quid vero ſentiendum ſit de tranſportatio-

17 Quid de tráſportatione. tatione verborum, dico, ſeruandam eſſe mox appoſitam regulam de interruptione, ſi etenim per eandem varietur ſenſus, & principale ſignificatum verborum, certè per eandem irritabitur Sacramentum, ſi vero idem ſignificatum, & ſenſus perſeueret, non irritabitur; ſic in particulari validum erit Sacramentum Baptiſmi, ſi dicatur, *Ego in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti te baptizo*, & validum Sacramentum Euchariſtiæ, ſi dicatur, *Hoc eſt meum corpus*; ſecus vero, ſi dicatur, *meum enim eſt hoc corpus*, cum per formam hac modo conceptam non importetur tranſitus ab eo, quod erat panis, in ſubſtantiam corporis Chriſto, cum prius importetur corpus Chriſti per ly meum antequam fuit tranſubſtantiatio.

Hactenus locuti fuimus de validitate, & inualiditate Sacramentorum, quando interuenit mutatio vel in rebus, vel in verbis; nunc autem inquirendum remanet, an quando interuenit mutatio ſolummodo accidentalis ſemper ſit illicita, quamuis valida eadem mutatio. Quoad

18 Mutatio accidentalis inducit culpam in mutante. hoc reſpondendum exiſtimo regularitèr illicitam eſſe talem mutationem, quoties fiat vel fieret ex propria auctoritate, & ſine aliqua neceſſitate, grauitèr, vel leuitèr prout grauis, vel leuis eſt mutatio attentis circunſtantijs. Dixi ex propria auctoritate, nam, ſi fieret auctoritate Eccleſiæ non eſſet damnandus noxæ, qui illa vteretur; ſic non eſt damnandus ritus Græcorum, qui maxime in Sacramento Ordinis vtuntur diuerſa forma accidentalitèr à forma Latinorum. Dixi, *& ſine aliqua neceſſitate*; nam vrgente aliqua neceſſitate aliquando poteſt eſſe licita talis mutatio, vt ſi Latinus non poſſet perficere ſacrificium incohatum, niſi conſecraret in fermentato; aliquando etiam ignorantia, vel inaduertentia poteſt a peccato ſaltem graui excuſare. Cæterum regularitèr loquendo illicitam eſſe talem mutationem, quantumuis ſolum accidentalem ex eo euincitur, quia non eſt arbitrarium cuicunque recedere etiam quoad accidentalia à rebus, & formis a Chriſto Domino inſtitutis, & relinquere vſitatum morem Eccleſiæ in adminiſtratione Sacramentorum; cæteroqui de facili tanta induceretur in Eccleſia Dei varietas, vt non vna, ſed multiplex videretur.

ARTICVLVS VI.

An ex errore miniſtri poſſit induci mutatio ſubſtantialis, & irritatio Sacramentorum.

SVMMARIVM.

Procedit titulus de errore circa accidentalia. 1.
Si error circa accidentalia ſit ex ignorantia, vel inaduertentia non irritat Sacramentum. 2.
Si error fuerit ex malitia miniſtri intendentis nouum ritum inducere in Eccleſia, huncque exiſtimet eſſentialem, irritat Sacramentum. 3.
Illa intentio cum tali errore eſt contraria intentioni Eccleſiæ. 4.
Si error fuerit formalis etiam circa accidentalia irritat, & hoc explicatur. 5.
Adhibita forma æquiuoca validitas, & inualiditas Sacramenti deſumenda eſt ab intentione miniſtri. 6.
Exemplo hoc euincitur. 7.
Si miniſter conſecrans calicem ſumat ly Hic *aduerbialitèr non conficit Sacramentum.* 8.
Poſita intentione determinatiua ad verum Sacramentalem ſenſum verba impropriata, quandoque non irritant. 9.
Soluitur obiectum contrarium. 10.
Adhibens verba æquiuoca apta ſignificare ſenſum verborum Sacramentalium, & alium ſenſum validè Sacramentum conficit, ſi ſuam intentionem referat ad id, quod intendit Eccleſia. 11.
Adhibens verba æquiuoca in ſenſu non proprio cum intentione tamen ſe conformandi Eccleſiæ, an validè conficiat ſub diſtinctione reſoluitur. 12.

NOn procedit titulus de errore circa ſubſtantialia Sacramentorum, nam, ſi ſubſtantialia mutentur, certum eſt irritari Sacramenta; procedit igitur ſolummodo de errore circa accidentalia. Hic autem error vel poteſt eſſe ex ignorantia, vel inaduertentia miniſtri, vel ex malitia, vel peruerſitate eiuſdem intendentis nouum ritum inducere in Eccleſiam Dei diuerſum ab eo, quo eadem Eccleſia vtitur. Porrò error circa mutationem formæ poteſt conſiſtere in eo, quod ſenſus eiuſdem formæ reddatur æquiuocus, adeout ſecundum aliquem ſenſum intelligatur verus, & ſecundum alium ſit falſus, & iuxta hanc acceptionem ſenſus æquiuoci inquiri poteſt, an Sacramentum ſub tali forma conceptum ſit validum, an vero inualidum.

1 Eſt ſermo de errore in accidentalibus.

Aſſer-

2 Error circa accidentalia ex ignorantia non irritat.

Aſſertio I. Si error miniſtri circa accidentalia, vel materiæ, vel formæ ſit ex ignorantia, vel inaduertentia, Sacramentum non redditur irritum. Ab hac opinione neminem arbitror diſſentiri.

Ratio ex eo deducitur, quia manente materia, & forma ſubſtãtialiter inuariatis cũ intentione efficiẽdi id ex parte miniſtri, quod facit Eccleſia, nil deeſt, quod requiratur ad valorem Sacramenti, ſed ſtante errore miniſtri circa accidentalia ſolummodo ex ignorantia, & inaduertentia, manet materia, & forma, nec tollitur intentio efficiendi id, quod facit Eccleſia, ergo &c. Minor probatur, quia cum ignorantia, & inaduertentia circa variationem accidentalem in materia, vel forma compati poteſt intentio ſe conformandi Eccleſiæ in illa actione, quam exercet; Quid enim obeſt, quominus ego ex inaduertentia vtens pro forma Baptiſmi his verbis, *Ego te abluo in nomine Patris Omnipotentis, & Filij unigeniti, & Spiritus Sancti Paracliti* habeam intentionem efficiendi, quod facit Eccleſia?

3 Si error ſit ex malitia miniſtri intendentis inducere nouum ritum irritat.

Aſſertio II. Si error contingat ex malitia miniſtri intendentis cum illo errore inducere nouum ritum diuerſum ab eo, quo vtitur Eccleſia Dei, hancque exiſtimet eſſentialem, probabilius eſt, quod validum non efficiatur Sacramentum. Conſentire videntur *Ioannes à Sancto Thoma diſp. 22. art. 8. dub. 1., Cacheranus tract. 8. de Sacram. in genere c. 1. §. 2. num. 40. in fin., D. Bonauentura in quarto diſt. 3. art. 2., D. Antoninus tertia part. tract. 14. c. 13.,* & alij volentes errorem cum tali malitia, & intentione etiam circa accidentalia redundare in ſubſtantialia ex defectu intentionis; nec ab hac noſtra opinione diſſentiri arbitror *Maderum tract. 2. de Sacram. in genere q. 1. art. 12. num. 3.,* qui, quamuis aſſerat poſſe eſſe intentionem efficiendi, quod facit Eccleſia, etiam ſi miniſter intendat inducere nouum ritum, ſeu errorem in Eccleſia, quem putet eſſentialem, limitando tamen in fine eiuſdem numeri aſſerit, hoc tantum procedere, quando error in miniſtro eſt ex inaduertentia.

4 Illa intentio eſt contraria Eccleſiæ.

Probatur. Cum intentione faciendi id, quod facit Eccleſia, non compatitur intentio inducendi nouum ritum diuerſum ab eo, quo vtitur eadem Eccleſia, ergo cum hac intentione erronea inducendi nouum ritum &c. non poteſt ſubſiſtere valor Sacramenti, quandoquidem hoc confici non poteſt ſine intentione faciendi, quod facit Eccleſia. Antecedens probatur, quia intendere facere, quod facit Eccleſia, & intendere inducere nouum ritum in Eccleſia contrarium ei, quo vtitque eadem Eccleſia, ſibi directè contrariantur, cum hæc tertia intentio ſit contraria Eccleſiæ, adeoque etiam primæ intentioni.

Dices, hanc contrarietatem ad ſummum verificari, quando nouus ille ritus, qui intenditur, eſt per errorem in ſubſtantia Sacramentorum, ſecus quando eſt tantum circa accidentalia eorundem; poteſt enim eſſe intentio ſe conformandi in illa actione cum Eccleſia quoad ſubſtantiam, & non ſe conformandi cum eadem quoad accidentia, quæ duæ intentiones, cum reſpiciant diuerſa, ſibi non contrariantur; Sed contra, nam, ſi loquamur de errore in ſubſtantialibus, iam de inſubſiſtentia Sacramenti aliundè conſtat, quã ab intentione illa inducendi nouum ritum diuerſum ab illo, quo vtitur Eccleſia. Quamobrem ſiſtendo in errore circa accidentalia, conſidera, an error fuerit, vel ſit formalis, quatenus miniſter errans ſciat ſe errare, & nihilominus intendat ſuum errorem, ſuumque ritum Eccleſiæ contrarium in eandem inducere; an vero ſit tantum materialis, quatenus neſciat, ſe errare, nec putet ritum, quem ipſe intendit, eſſe contrarium Eccleſiæ; & quidem, ſi error fuerit primi generis, inducit intentionem non faciendi id, quod facit Eccleſia, ſed potius contrarium intentioni Eccleſiæ, adeoque non conſtituit Sacramentum; Neque obſtat id, quod in præcedentibus dicebamus, nempè errorem priuatum non irritare Sacramenta; non obſtat, inquam, quia id, quod ibi diximus, procedit tantum, quando errans cum illo errore intendit facere, quod facit Eccleſia, quod explicuimus in illo, qui baptizans diceret. *Ego te baptizo in nomine Patris, quem ego exiſtimo maiorem*, intenderet tamen in illa actione id efficere, quod intendit Eccleſia, quod non militat in caſu præſenti, in quo intendit inducere ritum contrarium intentioni Eccleſiæ; ſi vero error fuerit materialis, ſeu ſecundi generis, cum non habeat intentionem diſſidendi à ritu Eccleſiæ, quin potius putet intentionem ſuam eſſe conformem illi Eccleſiæ, non inducit aliquid, quod irritat Sacramenta; atque iuxta hunc ſenſum procedunt *Ioannes à Sancto Thoma diſp. 22. art. 8. dub. 1., Gonetus diſp. 1. art. 9. n. 134., & alij.*

5 Error formalis quando irritet explicatur.

6 Quid ſentiendum ſit, quando adhibetur forma æquiuoca.

Aſſertio III. Facta mutatione in forma, per quam ſenſus reddatur æquiuocus, tunc quod Sacramentum ſit validum, vel inualidum pendat ab intentione miniſtri conficientis. In hoc arbitror DD. communitèr conſentire.

Ratio ex eo deducitur, quod ſtante aptitudine verborum ad ſignificationem Sacramentalem, vel ad aliam ſignificatio-

nem à Sacramẽto aptius determinatiuum haberi non poteſt, quã ab intentione miniſtri reſtringẽtis vel ad vnum, vel ad alterũ ſenſum, ergo, quod Sacramentum ſit validum ſub tali forma procedit ab eo, quod miniſter per ſuam intentionem illam indifferentiam tollat, & reſtringat ad veram ſignificationem Sacramentalem, & quod non ſit validum pendet ab eo, quod idem miniſter eadem verba, ſeu formam referat in ſenſum diuerſum; Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod intentio vtpotè actus merè internus nequeat inducere ſenſibilitatem externam, vel pro vno, vel pro altero ſenſu; ſignificatio autem Sacramentalis debet eſſe per ſignum externum; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, cum illa forma æquiuoca habeat per verba ſignificationem ſenſibilem, & externam pro vtroque ſenſu, ſublata illà indifferentia per actum internum iam habet ſenſibilitatem externam in eiſdem verbis, & vtique determinatam pro ſignificatione Sacramentali per illum internum actum, qui non ponit ſenſibilitatem, cum iam illam ſupponat, ſed præcisè determinationem; neque hoc nouum debet apparere, quandoquidem in pleriſque ſimilibus hoc ſine controuerſia ab omnibus admittitur.

7
Exemplo hoc euincitur.

Hoc in particulari elucet in conſecratione, in qua, ſi adſint duæ Hoſtiæ, altera ad dexteram, altera ad ſiniſtram, & miniſter per ſuum actum internum determinet conſecrare exiſtentem in dextera, & non exiſtentem in ſiniſtra, quamuis huius determinationis nullum ſignum exterius apponat, validè illam, non iſtam conſecrat; Quamuis enim particula *Hoc* apta ſit ad ſignificandam vnam, vel alteram, & etiam vtramque ſimul, ex quo tamen ex intentione miniſtri reſtringitur potius ad vnam, vnam conſecrat, quam determinauit, non alteram.

8
In conſecratione Calicis, ſi ly *Hic* ſumatur aduerbialitèr irritat.

Hinc deducitur primò, quod, ſi quis in conſecratione Calicis illam particulam *Hic*, quæ ſecundum ſe eſt indifferens ad ſignificandum vel vt aduerbium, vel vt pronomen, ſumeret aduerbialitèr, non conficeret validum Sacramentum, quia per hanc ſignificationem ab ipſo intentum non importaretur actio tranſubſtantiatiua, ſed meram exiſtentiam ſanguinis Chriſti in illo loco, quod verum non eſſet, cum ibi non conſtituatur, niſi per tranſubſtantiationem, quæ ibi non interueniret; Validum è contra conficeret Sacramentum, ſi illam ſumeret, vt pronomen, cum hoc importat ſubſtantiam indeterminatam, vel ad eſſe vini, vel ad eſſe ſanguinis Chriſti, quæ propterea conuertitur in ſanguinem Chriſti Domini determinatè, & ſic importatur actio tranſubſtantiatiua.

9
verba impropriata, ſtante vera intentione non irritant.

Deducitur ſecundò, quod ſtante intentione determinatiua loquentis, ſeu conficientis Sacramentum, verba etiam impropriata poſſint habere ſufficientem determinationem ad valorem Sacramenti, licet in tali impropriatione poſſint habere diuerſum ſenſum. Hoc colligitur expreſsè *in c. retulerunt de conſecr. diſt. 4.* vbi Pontifex declarauit validum Sacramentum collatum a Sacerdote imperito linguæ latinæ ſub hac forma *Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritua Sancta*, dummodo non intenderit in collatione eiuſdem inducere hæreſim, aut errorem in Eccleſiam Dei, quam certè induxiſſet, niſi habuiſſet intentionem baptizandi *in nomine verè Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; ſi etenim intellexiſſet perſonas Diuinas fæminas eſſe, vtique errorem, & hæreſim induxiſſet.

In hoc tamen videtur vrgere magna difficultas deducta ex ijs, quæ in præcedentibus dicebamus, nempè, quod variata ſignificatione intelligatur variata ſubſtantia verborum; Quis autem ambigat diuerſam eſſe ſignificationem illorum verborum *Patria, & Filia, & Spiritua Sancta* ab illis *Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; prima etenim ſignificant fæminas, ſecunda perſonas in genere maſculino; rurſus ly *Patria* ſignificat locum, in quo quis natus eſt, vel habitat; è conuerſo ly *Patris* ſignificat perſonam, à qua alia procedit in ſimilitudinem naturæ, quæ certè omnia ſunt diuerſa; nec intentio proferentis valida eſt ſecundum ſe tribuere ſignificationem verbis, quam non habent, vt ex ſe patet;

10
Soluitur obiectum contrarium.

Sed ad hoc reſponderi poteſt, quod quamuis attento rigore ſermonis ſecundum ſe habeant illa verba inter ſe comparata diuerſam ſignificationem; attentis tamen circunſtantijs, & imperitia loquentis habeant eandem ſignificationem, ſed modo improprio, & imperfecto explicatam per vocabulorum corruptionem, vnde erit quidem ſolecismus grammaticalis, non tamen varians ſubſtantialitèr ſenſum. Deinde, quamuis illa verba *Patria, Filia, & Spiritua Sancta*, ſecundum ſe, & ſeorſim ſumpta habeant diuerſam ſignificationem ab illis *Patris, Filij, & Spiritus Sancti*, ſumpta tamen in contextu ſermonis, prout coniunguntur in vnam formam, non videntur habere ſignificationem ſaltèm ſubſtantialitèr diuerſam; cum determinentur a verbis præcedentibus, & à connexione eorundem.

11
Adhibens verba æquiuoca, nec determinans ſenſum validè conficit, ſi cõformet ſe Eccleſiæ.

Deducitur tertiò, quod, ſi quis adhiberet verba æquiuoca habentia diuerſum ſignificatum in confectione Sacramentorum, nec determinaret, in quemnam ſenſum eadem proferat, haberet tamen inten-

tionem

Digitized by Google

tionem id efficiendi, quod facit Eccleſia, vtique validum conficeret Sacramentum, quia ex quo ſuam intentionem refert in intentionem Eccleſiæ, & Eccleſia eadem verba ſumat ſecundum ſignificationem propriam Sacramentalem, & ipſe videtur implicitè referre ſuam in eandem Eccleſiæ ſignificationem.

Sed quid erit dicendum, ſi miniſter vtatur verbis æquiuocis in confectione Sacramentorum, illaque ſumat in ſenſu non Sacramentali, & proprio, ſed in alio ſenſu, & intendat facere id, quod facit, & intendit Eccleſia, an hic validè conficiet Sacramentum? *Cardinalis de Lugo diſp. 2. n. 122.* exiſtimat validè confici Sacramentum, & rationem adducit fundatam in eo, quod ſtare poſſit error priuatus circa ſignificationem vocis cum generali intentione ſignificandi id, quod ſignificare intendit Eccleſia; cum etenim voluntas priuata ſignificandi ſit minus efficax, cedere debet voluntati generali Eccleſiæ; poſita autem materia, & forma cum voluntate ſignificandi id, quod intendit ſignificare Eccleſia, habetur quidquid requiritur ad validum eſſe Sacramenti. Ego autem in hoc cum diſtinctione procedendum eſſe exiſtimo, vel etenim, qui vtitur illis verbis æquiuocis in ſignificatione non propria ſecundum intentionem, quam habet, vtitur cum intentione conditionata, vel cum intentione omnino abſoluta de illa impropria ſignificatione; Si intentione conditionata, quatenus dicit. Ego vtor his verbis in tali ſenſu, quem arbitror eſſe proprium, & germanum; (hic tamen ſenſus eſt falſus) ſi tamen Eccleſia eiſdem verbis alium ſenſum attribuit, ſecundum hunc Eccleſiæ ſenſum ego intendo & adhibere, & proferre; certè ſentiendum eſt, validum confici Sacramentum, quia intentio illa priuata, & conditionata corrigitur per intentionem abſolutam ſubſequentem ſignificandi id, quod ſignificare intendit

12 An adhibens verba æquiuoca in ſenſu nõ proprio cum intentione faciendi id, quod intendit Eccleſia validè conficiat cum diſtinctione reſoluitur.

Eccleſia; Si intentione firma, & abſoluta falſo ſenſui innixa, quatenus abſolutè ſentiat ſuum illum ſenſum eſſe verum, cum tamen talis non ſit, & tunc certè validum non conficitur Sacramentum, quantumuis conficiens intendat facere, quod facit Eccleſia, nam tunc non adhibet formam aptam confectioni Sacramenti; & ſicuti, ſi quis intenderet facere, quod facit Eccleſia, adhiberet materiam non aptam Sacramento, non validum efficeret Sacramentum ob defectum proportionatæ materiæ, ita, ſi quis intendens facere, quod facit Eccleſia, adhiberet formam diuerſam ab ea quoad ſenſum, quem exigit Sacramentum, non validè &c. In præſenti autem hypotheſi, cum vteretur verbis in alio ſenſu ab illo, qui requiritur, vteretur forma non apta; nec obſtant ea, quæ ex aduerſo afferebantur, quod ſcilicet voluntas priuata vtpotè minus efficax cedere debeat voluntati generali ſignificandi id, quod ſignificat Eccleſia; Non obſtant, inquam, nam, ſi voluntas priuata eſſet ſolum conditionata, vtique cederet voluntati ſignificandi id, quod intendit Eccleſia, & per hanc corrigeretur; ſi autem ſit abſoluta, & firma, & eum conceptu, quod ita ab Eccleſia ſumatur, vtique non corrigitur per voluntatem illam &c.

ARTICVLVS VII.

An verba Sacramentorum ſint conſecratoria, an tantum concionatoria.

SVMMARIVM.

Referuntur errores ſectariorum. 1.
Fundamenta quibus innituntur Hæretici. 2.
Hæretici conantes fidei fauere, ipſam deſtruunt. 3.
Verba Sacramentorum ſunt conſecratoria, non merè concionatoria. 4.
Euincitur hæc veritas contra Caluinum. 5.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 6.
Concio non ſiſtit in pura inuocatione Sanctiſſimæ Trinitatis, ſed extenditur ad omnia fidei dogmata, & ad moralia. 7.
Pueri ſunt capaces Baptiſmi, non concionis. 8.
Soluuntur argumenta Hæreticorum. 9.

NVnc nobis colluctatio eſt cum ſectarijs, qui ſentientes homines tantum iuſtificari per fidem denegabant Sacramentis veram gratiæ iuſtificantis efficientiam, & per conſequens aſſerebant verba Sacramentorum conferre ſolum ad inſtructionem fidei, non ad collationem gratiæ, & ſic inferebant, eſſe dumtaxat concionatoria, non conſecratoria. Vltra innumeras inſanias, quas adhibent in confirmationem exitialis huius dementiæ, fundamentum non erubeſcunt deſumere ex textu nõ legitimè ab ipſis percepto *D. Auguſtini tract. 80. in Ioannem*, vbi, poſtquam interrogauerunt. *Vnde tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat*, reſpondit, *niſi faciente verbo non quia dicitur, ſed quia creditur*; ex quo ſic arguunt. Verbum, quod operatur, non quia dicitur, ſed quia creditur, operatur in quantum inſtruit audientem ad credendum, ergo operatur modo inſtructorio, & concionatorio.

1 Referuntur errores Hęreticorum.

Hinc auſu temerario procedunt ad improperandum Catholicos, quod ſuperſtitioſè, & magicè vtantur verbis Sacra-

2 Fundamenta inania ipſorum.

mentorum, dum eadem ſumunt, vt conſecratoria, & propterea aduerſus eoſdem ſic inuehunt. Loqui ad elementum inanime, & locutioni tribuere vim aliquid efficiendi, quod ſit ſupra vires naturæ abſq; eo quod id, quod dicitur, credatur, eſt quid ſuperſtitioſum, & magicum, ſed taliter ſe haberent verba Sacramentorum, ſi modo conſecratorio proferrentur, ergo &c. Alia plura congerunt, in quibus confutandis non vacat immorari, cum hoc ſit propria meſſis controuerſiſtatum; Ne tamen materiã hanc taciti omnino prætereamus, nonnulla quodamodo per tranſitum attingemus.

3 Hæretici, vt fidei faueant fidem deſtruunt.

Hoc in primis moneo ſectarios, vt fidei faueant, quam ſolum eſſe iuſtificatiuam adſtruunt, eandem fidem deſtruere; cum etenim hæc habeat pro obiecto formali Diuinam veracitatem, quæ vnica eſt, ſi in vno deficit, in omnibus deficit; Cum igitur ipſi efficaciam denegent verbis Sacramentorum, quæ eſt de fide, fidei derogant, adeoque eandem penitus deſtruunt.

4 Verba Sacramẽtorum ſunt conſecratoria.

Stat igitur, quod ſit veritas catholica, quod verba Sacramentorum ſit conſecratoria, non merè concionatoria. Hoc colligitur ex Concil. Florent. in decreto vnionis, vbi aſſignantur pro ſingulis Sacramentis determinatæ, & ſpeciales formæ verborum, quæ, ſi conſiderentur attentè non habent vim præciſè concionum, ſed veræ effectionis eius, quod ſignificant. Hoc expreſsè docent *SS. PP. Auguſtinus lib. 20. contra Fauſtum c. 13.* vbi habet. *Noſter panis, & calix certa conſecratione myſticus fit nobis*, & *tract. 80. in Ioannem. Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*. Hoc indicant verba Sacræ Scripturæ *prima ad Corinth. 10. Calix benedictionis cui benedicimus*, (hoc eſt quem conſecramus) *nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt*, & *prima ad Corinth. 1. Non miſit me Deus baptizare, ſed Euangelizare*, vbi diſtinguitur munus baptizandi, & conficiendi Sacramenta à munere concionandi, & Euangelizandi.

5 Euincitur hæc veritas contra Caluinũ.

Deinde aduerſus eoſdem ſectarios pluribus rationibus inſurgimus; & primò ad hominem contra *Caluinum lib. 4. Inſtit. c. 15. §. 16.* vbi admittit Baptiſmum Catholicorum eſſe verum Baptiſmum, & tamen Catholici omnes aſſerunt verba Baptiſmi eſſe conſecratoria, non concionatoria, ergo ex neceſſaria conſequentia debet admittere, quod verba Sacramentorum, vt conſecratoria, conficiant Sacramentum.

Dices, hoc argumentum mutato ſermone poſſe contra nos verti hoc pacto. Catholici admittunt Baptiſmum collatum ab Hæreticis ſeruata debita materia, & forma eſſe validum, & verum Baptiſmum, & tamen Hæretici aſſerunt verba Sacramentorum eſſe merè concionatoria, non conſecratoria, ergo ex neceſſaria conſequentia debent Catholici admittere, quod verba vt concionatoria conficiant Sacramentum; Sed contra; attendenda eſt ſignificatio verborum ſecundum ſe, quæ, ſi coniungatur cum intentione efficiendi, quod facit Eccleſia, habet ſuam efficaciam, quamuis ille, qui profert talia verba, prout ſunt re vera ſignificatiua illius effectus, qui intenditur in illo Sacramento, falſo arbitretur ſumi modo diuerſo ab illo, quo ſumitur ab Eccleſia. Quamobrem, ſi Hæretici vtantur forma propria, qua vtitur Eccleſia Catholica cum intentione efficiendi, quod facit Eccleſia, quamuis falſo putent, eam ſumi modo concionatorio, errant quidem in modo, non autem in ſubſtantia, & ſic Eccleſia probat eorum Baptiſmum tanquam validum. In hoc igitur ſolum diſcrepant quoad valorem Sacramenti Catholici ab Hæreticis, quod, cum iſti aſſerant verba Sacramentorum ſumi tantum modo concionatorio, aſſerunt per conſequens non eſſe determinata, ſed poſſe ad libitum variari, ſicuti variantur cæteræ conciones, quæ non ſunt alligatæ certis verbis, quod denegant Catholici; vnde, ſi Hæretici variarent ſubſtantialitèr verba non validam conſtituerent Sacramentum ob defectum debitæ formæ; quod non poteſt Catholicis opponi, qui, cum agnoſcant determinationem in verbis, quæ dicuntur conſecratoria, ſemper ſeruant eandem formam ſaltem ſubſtantialitèr, quam non reprobant Hæretici. Deinde Hæretici aſſerunt formam, vt conſecratoriam eſſe ſuperſtitioſam, & magicam, & tamen non reprobant Baptiſmum Catholicorum collatum ſub tali forma, quod videtur pluſquam ſuperſtitioſum, quin potius omnino chimericum; Catholici autem, ſi ſeruetur debita forma, quamuis reprobent modum, quo confertur ab Hæreticis, non reprobant tamen ſubſtantiam, cum in hac conueniant. Vno verbo Hæretici abſolutè approbant Sacramentum Catholicorum tanquam validum, cum ſemper Catholici vtuntur eadem forma; è contra Catholici non approbant abſolutè tanquam validum Sacramentum Hæreticorum, ſed tantum, quando vtuntur forma, qua vtitur Eccleſia Catholica; cum autem ijdem Hæretici, vtpotè ſentientes ſumi modo concionatorio varient eandem formam eo modo, quo variantur verba concionum, ideo Catholici non approbant, ſi ſub diuerſa forma ab Hæreticis concipiantur.

6 Soluuntur rationes oppoſitæ.

Alia inſtantia diſſoluitur.

Inſtabis. Si miniſter errans circa accidentalia intendat inducere ritum diuerſum

ſum ab eo, quo vtitur Eccleſia Catholica iuxta præacta inualidum conſtituit Sacramentum, ergo etiam, cum Hæretici intendant concionatorio modo conferre Sacramentum, quo modo non vtitur Eccleſia, inualidum Sacramentum conſtituent, ergo, cum Eccleſia ſtatuat, quod illud Sacramentum hæreticorum ſit validum, debemus dicere, quod verba Sacramentorum ſumpta concionatoriè iuxta mentem Eccleſiæ, ſint valida. Sed contra admiſſo antecedente neganda eſt conſequentia, ſi Hæretici adhibeant conſuetam formam Eccleſiæ. Ratio eſt, quia in caſu antecedentis inualiditas Sacramenti non prouenit ex defectu materiæ, & formæ, ſed tantum ex defectu intentionis, cum intentio inducendi nouum ritum diuerſum ab illo, quo vtitur Eccleſia, non poſſit compati cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia; in caſu autem conſequentiæ ſupponuntur habere intentionem efficiendi, quod facit Eccleſia, nec variatur forma quoad ſubſtantiam, cum retineat eandem ſignificationem; vnde illa intentio formalis efficiendi, quod facit Eccleſia ſuppoſita identitate ſignificationis non deſtruitur per intentionem applicandi formam modo concionatorio.

7 Concio intenditur ad omnia dogmata.

Secundò aduerſus Hæreticos ſic inſurgimus. Forma Sacramenti Baptiſmatis continet præciſè inuocationem Sanctiſſimæ Trinitatis, & ſignificat actionem ablutionis, & non quid aliud, ſed concio non conſiſtit ſolum in inuocatione Sanctiſſimæ Trinitatis, ſed tendit per expoſitionem ſcripturarum, & ſpiritualia dogmata ad inſtructionem populorum, ergo forma Sacramenti non habet rationem concionis, vt malè ſentiunt Hæretici.

8 Pueri nó ſunt capaces concionis.

Tertiò, quia Baptiſmus, vt plurimum confertur paruulis incapacibus concionis percipiendæ, & ſi quandoque confertur adultis inſtructio in eiſdem præmittitur ad Baptiſmum, nec per famam Sacramentalem inſtruuntur; vnde Chriſtus Dominus *Matthæi vlt.* prius præmittit inſtructionem populorum *Docete omnes gentes*, & poſtea ſubdit formam baptiſmatis in ablutione *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

Quartò ex Apoſtolo ad Ephæſios 4. dicitur, quod vnum ſit Baptiſma, vnus Deus, & vna fides; non eſſet autem vnum baptiſma, ſi eius forma eſſet indeterminata, & præciſè concionatoria, cum verba indeterminata, & per modum concionis non ſint eadem, & quid vnum apud omnes gentes.

9 Soluuntur argumenta Hæreticorum.

Hinc ſoluuntur Hæreticorum verſutiæ aſſerentium verba Sacramentorum fore ſuperſtitioſa, & magica, ſi eſſet conſecratoria deducta ratione ex verbis ſupra recenſitis D. Auguſtini; ſoluuntur, inquam, quia nos non dicimus ineſſe verbis nudè, & materialitèr ſumptis vim efficiendi aliquod ſupernaturale, quaſi, quod hoc illis conueniat ab intrinſeco, & naturalitèr, quia hoc certè eſſet quid ſuperſtitioſum; ſed dicimus, hanc virtutem eiſdem ineſſe ex virtute Diuina, & inſtitutione Chriſti, per quam eleuantur ad effectum ſupernaturalem producendum; Nec verba D. Auguſtini, quibus innituntur Hæretici vim aliquam habent ad euincendum eorum intentum; per illa etenim intelligit Sanctus Doctor, quod verba Sacramentorum non habeant illam vim, quia dicuntur, hoc eſt quatenus habent talem ſonum materialem, & vocis dearticulationem, ſed quia continent vim aliquam ſupernaturalem ſola fide cognoſcibilem.

ARTICVLVS VIII.

An in Sacramentis nouæ legis dentur res tantum, Sacramentum tantum, & res, & Sacramentum ſimul, & quid hæc ſint.

SVMMARIVM.

Quid veniat nomine rei, & quid nomine Sacramenti. 1.

In omnibus Sacramentis datur res tantum, Sacramentum tantum, & res, & Sacramentum ſimul. 2.

Aſſignantur res, & Sacramentum in ſingulis Sacramentis. 3.

Quid nam ſit res, & Sacramentum ſimul in Sacramentis Pænitentiæ, & Extremæ Vnctionis. 4.

Soluitur argumentum contra mox dicta. 5.

1 Quid veniat nomine rei, & quid nomine Sacramenti.

ADuerto hic, nomine rei non venire materiam dumtaxat Sacramentorum, prout in præcedentibus dicebamus, nec nomine Sacramenti venire ſignum ſacrum gratiæ internæ ſanctificantis, ſed nomine rei venire id, quod ſignificatur, & non ſignificat; nomine Sacramenti id, quod ſignificat, & non ſignificatur; nomine rei, & Sacramenti ſimul venire, & id, quod ſignificatur, & ſignificat; in eodem etenim Sacramento plura complexa ſaltem virtualitèr diſtincta poſſumus conſiderare; aliud materiæ, & formæ moralitèr componentium, de quo iam ſatis locuti fuimus in præcedentibus; aliud ex re ſignificante, & ſignificatione; aliud ex re tanquam effectu ſignificata; ex Sacramento tanquam ſignificante, ex re, & Sacramento tanquam re ſignificata, & re

ſigni-

ſignificante, quod tamen ſecundum aliqua videtur coincidere cum præcedenti complexo ex re ſignificante, & ſignificatione. Hoc tertium complexum cum ſuis partibus componentibus primo induxerunt *Hugo à Sancto Victore tom. 3. lib. 2. de Sacram. part. 8. c. 7., & Innocentius III. in c. cum Marthæ de celebr. Miſs.*

Aſſertio in vnoquoque Sacramento nouæ legis datur res tantum, Sacramentum tantum, res, & Sacramentum ſimul.

2 In Sacramentis datur res, & Sacramentum, & res, & Sacramētū ſimul.

Hæc veritas clariſſimè patebit, ſi in omnibus, & ſingulis Sacramentis inuenietur id, quod ſignificatur tantum, & non ſignificat; id quod ſignificat, & non ſignificatur, & id, quod ſimul ſignificat, & ſignificatur; & quidem loquendo de Sacramentis irriterabilibus, & imprimentibus caractherem, qualia ſunt Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, hæc tria apertè dignoſcuntur; materia etenim, & forma conſtitutiua eorundem ſignificant gratiã, & non ſignificantur; gratia, quam cauſant ſignificatur, & non ſignificat; caracther vero, quem imprimunt, ſignificatur quidem, & ſimul ſignificat eandem gratiam; in cæteris Sacramentis non imprimentibus caractherem licet facilè cognoſcatur res, quæ ſignificatur, nempè gratia, & id, quod ſignificat, nempè materia, & forma; non ita tamen facilè cognoſcitur id, quod ſignificatur, & ſignificat; nihilominus diſcurrendo per ſingula, non tanta erit, quanta præſumitur difficultas in eo adinueniendo; ſic in particulari in Euchariſtia pro re, & Sacramento ſimul aſſignatur corpus, & ſanguis Chriſti Domini, quæ ſignificatur per materiam, & formam, & ſimul ſignificant gratiam, quæ per ipſa confertur; in matrimonio eſt indiſſolubilitas res, & Sacramentum ſimul; quæ indiſſolubilitas ſignificatur per formam, & materiam eiuſdem, & ſimul ſignificat indiſſolubilem vnionem Chriſti cum Eccleſia, Verbi Diuini cum natura humana. In Sacramento Extremæ Vnctionis, res, & Sacramentum ſimul conſtituitur ab aliquibus hilaritas, & confortatio mentis, quæ ſignificatur per materiam, & formam, & ſimul ſignificat gratiam præſentem, per quam cauſatur eadem hilaritas, & confortatio; ab alijs conſtituitur ſanitas corporis, quæ, quamuis in actu exercito non ſemper obtineatur, ſemper tamen in actu ſignato ſignificatur; communius tamen, & rectius conſtituitur in eadem mentis ſerenitate, & cõfortatione; in Sacramento Pænitentiæ magna eſt controuerſia inter DD. in aſſignanda re ſimul, & Sacramento, dum Thomiſtæ communitèr aſſignant internum animi dolorem, qui ſcilicet ſit Sacramentum, quatenus ſimul cum confeſſione, & abſolutione cauſat gratiam Sacramentalem, ſimulque ſignificet; ſit vero res, quatenus ſignificatur per confeſſionem. Sed hanc opinionem alij impugnant eo, quia dolor licet ſignificetur per confeſſionem, non tamen ab illa cauſetur. Alij vero inter quos *Lugus diſp. 2. ſect. 8. num. 166.* aſſignat pro re, & Sacramento ſimul pacem, ac ſerenitatem conſcientiæ, quod videtur etiam colligi *ex Trident. ſeſs. 14. c. 3.* vbi loquens de Sacramento Pænitentiæ hæc habet, *Sanè vero res, & effectus huius Sacramenti quantum ad eius vim, & efficaciam pertinet, reconciliatio eſt cum Deo,* quam interdum in viris pijs, & cum deuotione hoc Sacramentum percipientibus conſcientiæ pax, & ſerenitas cum vehementi ſpiritus conſolatione conſequi ſolet. Vtraque opinio ſuſtineri poteſt; probabilior tamen, & communior eſt prima de interno animi dolore; cui obeſſe non poteſt, quod non cauſetur à confeſſione, cum non ſit de ratione eius, quod dicitur res tantum, vt cauſetur, cum ſufficiat, vt ſignificetur ab eo, quod dicitur Sacramentum tantum.

3 Aſſignātur res, & Sacramētum in ſingulis.

4 Quid nã ſit res, & Sacramētū ſimul in Sacramentis Extremæ Vnctionis, & Pœnitentiæ.

Difficultas ſolummodo aliqua eſſe poteſt in eo, quod aſſignetur pro Extrema Vnctione hilaritas, & confortatio mentis pro re, & Sacramento ſimul; & in Sacramento Pænitentiæ in ſententia Lugi, quam probabilem iudicauimus, pax, & tranquillitas conſcientiæ; quæ ſunt effectus ſolummodo ſecundarij Sacramentorum; ſi etenim effectus ſolummodo ſecundarij poſſent eſſe res, & Sacramentum ſimul, plures in ſingulis Sacramentis poſſent aſſignari effectus, qui eſſent ſimul res, & Sacramenta, cum non eſſet maior ratio de vno, quam de alio; quod tamen communitèr non admittitur. Sed ad hoc reſponderi poteſt, quod licet quandoque in aliquo Sacramento aſſignetur effectus aliquis ſecundarius pro re, & Sacramento, non propterea quilibet effectus ſecundarius ſit res, & Sacramentum ſimul; Si autem inquiratur ratio, cur vnus ſit talis, non tamen omnes, cum omnes contineantur in eadem linea effectuum ſecundariorum? Plures rationes congerit Lugus, quæ tamen, an efficaces ſint, alij viderint. Cum verſemur potius in quæſtione de nomine, quam de re, nobis ſufficiat conuenire cum cõmuni Scholaſticorum conſenſu accipientium hanc, vel illum effectum ſecundarium pro re, & Sacramento ſimul, non autem omnes, & fortè aſſignant magis principales inter effectus ſecundarios.

5 Soluitur argumētum contra mox dicta.

QVÆ-

QVÆSTIO III.

De cauſis extrinſecis Sacramentorum nouæ legis.

CAuſæ extrinſecæ Sacramentorum, ſicut, & aliarum rerum ſunt efficiens, finalis, & materialis non prout componit ſimul cum forma, ſed prout recipit. De finali erit ſermo vberimus in ſubſequenti quæſtione. In hac igitur latè agemus de efficienti, & ſubiectiua prout eadem Sacramenta recipit. Cauſa autem efficiens, prout pertinere poteſt ad præſens inſtitutum triplex eſſe poteſt, altera principalis Phyſica, altera principalis moralis, altera miniſterialis, ſeu inſtrumentalis, & exequens. De ijs omnibus primò, deindè de ſubiecto proprio, & capaci Sacramentorum diſſeremus.

ARTICVLVS I.

Quænam fuerit cauſa principalis Phyſica, & moralis Sacramentorum nouæ legis.

SVMMARIVM.

Rationes dubitandi circa titulum. 1.
Chriſtus Dominus, vt Deus eſt cauſa Phyſica principalis efficiens Sacramentorum poteſtate imparticipata. 2.
Vt Deus non poteſt eſſe cauſa moralis. 3.
Chriſtus vt homo fuit auctor, & inſtitutor omnium Sacramentorum poteſtate principalis miniſterij, & excellentiæ. 4.
Eſt tantum de facto cauſa moralis. 5.
Chriſtus vt homo immediatè per ſe ipſum omnia ſeptem Sacramenta inſtituit. 6.
Euincitur auctoritatibus Concil. Trident. 7.
Etiam aliqua ratione. 8.
Extrema vnctio immediatè à Chriſto Domino inſtituta euincitur ex Concil. Trid. 9.
Euincitur etiam Confirmationem fuiſſe ab eodem immediatè inſtitutam. 10.
Eſt de fide, quod Chriſtus immediatè omnia inſtituerit. 11.
Eximuntur à nota infidelitatis Magiſter, & D. Bonauentura. 12.

CHriſtus Dominus conſiderari poteſt, vel vt Deus, vel vt homo, & ſic inquiri, an inſtituerit Sacramenta, vt Deus, an vero, vt homo. Chriſtum inſtituiſſe omnia nouæ legis Sacramenta certum eſt apud omnes Catholicos, quidquid obſtrepant nonnulli Hæretici, qui, quamuis aſſerant omnia Sacramenta eſſe à Chriſto Domino inſtituta, negant tamen eſſe ſeptem reſtringentes ad duo, vel tria; Sed an immediatè per ſe ipſum illa omnia inſtituerit, diſſidium etiam fuit inter Catholicos, dum *Magiſter in quarto diſt. 23. c. 2., Hugo de Sancto Victore lib. 2. de Sacramentis part. 15. c. 2., Aleſſis quarta part. q. 5. art. 1., D. Bonauentura in quarta diſt. 7. art. 1. q. 1., & diſt. 23. art. 1. q. 2.* aſſeruerunt Extremam Vnctionem non fuiſſe immediatè à Chriſto Domino inſtitutam, ſed a Iacobo Apoſtolo poteſtate commiſſionis in ſua *Epiſt. can. c. 5.*, & duo poſtremi docuerunt Confirmationem fuiſſe ab Eccleſia immediatè inſtitutam in Concil. Meldenſi.

1 Articuli examinandi ſub hoc titulo.

Id igitur, quod ſub præſenti titulo examinandum venit, erit primò, an Chriſtus vt Deus tanquam cauſa Phyſica principalis fuerit auctor, & inſtitutor omnium ſeptem Sacramentorum nouæ legis. Secundò, an vt homo fuerit cauſa principalis Phyſica poteſtate ſaltem participata, an vero tantum cauſa moralis principalis. Tertiò, an ipſe immediatè inſtituerit per ſe ipſum omnia ſeptem Sacramenta. Quartò, an ſit de fide, quod ipſe immediatè omnia inſtituerit.

2 Chriſtus, vt Deus, eſt cauſa Phyſica principalis Sacramentorum.

Aſſertio I. Chriſtus Dominus, vt Deus omnia Sacramenta nouæ legis inſtituit tanquam cauſa efficiens principalis Phyſica poteſtate auctoritatis, & imparticipata. Eſt verius à nemine controuerſa.

Probatur. Eius eſt condere poteſtate auctoritatis, & imparticipata Sacramenta, cuius eſt eadem poteſtate producere gratiam habitualem, & iuſtificantem; Sed ſoli Deo competit tali poteſtate producere, & conferre gratiam, ergo ſoli Deo competit eadem poteſtate condere Sacramenta. Maior non videtur pati difficultatem; quandoquidem cum gratia habitualis ſit primarius effectus Sacramentorum, qui non poteſt eam producere, nec poteſt condere id, per quod producatur. Minor ſupponitur ex quæſtionibus de Diuina gratia; ex quibus infertur, quod, cum inſtitutio Sacramentorũ tribuatur Chriſto Domino, eidem ſit tribuenda, quatenus facta fuit auctoritate imparticipata, prout eſt Deus, cum ſoli Deo competat tali poteſtate ea inſtituere.

3 Vt Deus non poteſt eſſe cauſa moralis.

Quod autem inſtituerit, tanquam cauſa efficiens principalis Phyſica ex eo deducitur primò, quia Deus continet in ſe eminentèr eadem Sacramenta, & vim eadem producendi, ergo eadem inſtituit tanquam cauſa Phyſica productiua ipſorum. Secundò,

candò, quia Chriſtus, vt Deus non potuit eſſe cauſa tantum moralis inſtitutiua eorundem Sacramentorum, quandoquidem cauſa moralis eſt tantum cauſa mouens cauſam Phyſicam ad producendum effectum intentum, ſicque præſupponit cauſam Phyſicam, ſed Chriſtus, vt Deus non præſuponit aliam cauſam Phyſicam diſtinctam a ſe ipſo, vt tali, quæ ſit Phyſicè productiua eorundem Sacramentorum, ergo Chriſtus Dominus non poteſt eſſe cauſa moralis tantum, vt eſt Deus, Sacramentorum.

4 Chriſtus, vt homo fuit auctor poteſtate principalis miniſterij, & eccellentiæ.

Aſſertio II. Chriſtus, vt homo fuit auctor, & inſtitutor omnium Sacramentorum poteſtate principalis miniſterij, & excellentiæ. Eſt veritas Catholica communitèr recepta.

Probatur per ſingulas partes, & quidem, quod fuerit auctor, & inſtitutor omnium Sacramentorum expreſsè definitur a *Concilio Tridentino ſeſs. 7. cap. 1.* vbi anathematizantur, qui dixerint Sacramenta nouæ legis non fuiſſe omnia à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura, vel pauciora; quam ſeptem; ex qua Concilij definitione duo deducuntur, primum, quod omnia fuerint ab ipſo inſtituta; ſecundum contra Hæreticos volentes, quod non ſint ſeptem Sacramenta, ſed tria dumtaxat, vel quatuor. Quod vero inſtituerit poteſtate principalis miniſterij, & excellentiæ ex eo euincitur primò, quod Deus credatur contuliſſe Chriſto, vt homini omnem poteſtatem, & maiorem, ac potuerit cuicunque puræ creaturæ conferre in ordine ad Sacramenta inſtituenda; Secundò ex eo, quod inſtituerit non per ſolam Sacramentorum applicationem, vt fit à cæteris Sacramentorum miniſtris, ſed per ſingularem excellentiam fundatam in eo, quod Chriſtus nobis ſuis actibus gratiam Sacramentalem meruit, & in nomine eius Sacramenta adminiſtrantur, & ipſe Sacramenta inſtituit, & ſigna ſalutaria elegit, quibus vim ſanctificandi impertiuit, & ita gratiam per eadem Sacramenta difundit, vt potuerit alio modo à Sacramentis diffundere, cum ipſi ſit collata omnis poteſtas in Cælo, & in terra; quæ omnia conſiderauit *D. Thomas tertia part. q. 64. art. 4.* ad inferendam excellentiam, qua Chriſtus Sacramenta inſtituit.

5 De facto eſt tantũ cauſa moralis.

Sed hic oritur difficultas, an Chriſtus vt homo inſtitutor Sacramentorum poteſtate illius excellentiæ, ſeu excellentis miniſterij dici poſſit cauſa Phyſica Sacramentorum, an vero tantum moralis licet principalis. Probabilius eſt, de facto eſſe tantum cauſam moralem, licet principalem, cum ſit cauſa meritoria principalis effectus eorundem Sacramentorum, qui eſt gratia iuſtificans; & hæc ſolum Deum agnoſcat auctorẽ; adeout plurimi in quæſtionibus de Diuina gratia aſſerant vim producẽdi Phyſicè principalitèr gratiam non eſſe cõmunicabilem alteri, qui non ſit Deus, vnde, ſi conuenit Chriſto eidem conuenit, vt Deo; Accedit, quod, ſi Chriſtus, vt homo eſſet cauſa Phyſica Sacramentorum, eſſet etiam cauſa Phyſica Euchariſtiæ, adeoque Phyſicè efficientèr produceret ſe ipſum in eodem Sacramento, quod videtur repugnare conditioni cauſæ efficientis, quæ vtpotè cauſa extrinſeca debet producere effectum realitèr à ſe ipſa diſtinctum. Dixi, *de facto*, nam, an potuerit Chriſto, vt homini conferri vis Phyſica principalitèr productiua Sacramentorum infra latè examinabitur.

Aſſertio III. Chriſtus Dominus, vt homo immediatè per ſe ipſum omnia ſeptem Sacramenta nouæ legis inſtituit. Eſt directè contra *Magiſtrum in quarto, diſt. 23. c. 2.*, *Vgonem de Sancto Victore lib. 2. de Sacramentis part. 15. c. 2.*, qui, quamuis videantur abſolutè negare Extremam Vnctionem inſtitutam eſſe à Chriſto Domino, ſed à D. Iacobo Apoſtolo, mitius tamen eorum mentem interpretando intelligendi ſunt voluiſſe ſolum non fuiſſe immediatè à Chriſto inſtitutam, ſed medio miniſterio D. Iacobi; Item contra *Alenſem quarta part. q. 5. n. 2. art. 3.*, *& D. Bonauenturam in quarto diſt. 7. art. 1. q. 1.*, *& diſt. 23. art. 1. q. 2.* volentes Confirmationem fuiſſe inſtitutam ab Eccleſia in Concil Meldenſi. 6 Chriſtus vt homo immediatè per ſeipſum omnia ſeptem Sacramẽta inſtituit.

Chriſtum fuiſſe inſtitutorem omnium ſeptem Sacramentorum conſtat ex mox dictis, & ex Concil. Trid. ſupra recenſito; Sed, an omnia inſtituerit immediatè per ſe ipſum, an vero mediante miniſterio D. Iacobi, & Eccleſiæ communicata eiſdem poteſtate inſtituendi, id eſt, quod venit modo dubitandum, præcipuè, cum Tridentinum tribuens inſtitutionem omnium Chriſto Domino, non tribuat ſub qualitate immediatæ inſtitutionis. Sed nos ex eodem Concilio inſtitutionem immediatam a Chriſto Domino deducimus hoc pacto. Nemine diſceptante Chriſtus Dominus aliqua Sacramenta immediatè per ſe ipſum inſtituit, ergo omnia immediatè inſtituit. Conſequentia probatur, quia idem *Concil. Trident. d. ſeſs. 7. can. 1.* aſſerit æquè omnia Sacramenta fuiſſe a Chriſto inſtituta, & anathematizat, qui contrarium dixerit; non æquè autem diceretur omnia inſtituiſſe, ſi aliqua immediatè, alia tantum mediatè inſtituiſſet. 7 Euincitur auctoritatibus Concil. Trid.

Secundò eadem veritas ex eo deducitur, quod habet idem *Concil. Trid. ſeſs. 21. c. 2.*,

nempè

nempè hanc poteſtatem perpetuo fuiſſe in Eccleſia, vt in Sacramentorum diſpenſatione, ſalua illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret &c. quæ expedire iudicaret, vbi nota, quod Concilium tribuit poteſtatem Eccleſiæ ſtatuendi, & mutandi circa accidentalia, non autem circa ſubſtantiam, cum dicat *ſalua illorum ſubſtantia*, ergo nunquam fuit in Eccleſia poteſtas circa ſubſtantialia Sacramentorum, adeoque multo minus poteſtas inſtituendi; ſi etenim fuiſſet poteſtas inſtituendi, fuiſſet multo magis in eadem poteſtas mutandi.

8 Etiam aliqua ratione.

Tertiò ex mediata inſtitutione rituum, & cæremoniarum ex poteſtate Eccleſiæ communicata à Chriſto Domino non dicitur Chriſtus Inſtitutor eorundem rituum, & cæremoniarum, quæ ſeruantur in diſpenſatione, & effectione Sacramentorum, ergo etiam, ſi Chriſtus immediatè non inſtituiſſet Sacramenta, ſed ſolummodo poteſtate communicata Eccleſiæ, non dicendus eſſet illorum inſtitutor.

Nec obſtant primò ea, quæ dicebantur de Extrema Vnctione, quod ſcilicet eius auctor fuerit D. Iacobus, cum ipſe dumtaxat illius meminerit; Non obſtant, inquam, quia, vt notat, & definit *Concil. Tridens. ſeſs.* 14. *can.* 1. extrema vnctio fuit à Chriſto Domino noſtro inſtituta, & ſolum à Beato Iacobo Apoſtolo promulgata.

9 Extrema Vnctio immediatè à Chriſto inſtituta euincitur.

Nec obſtant ſecundò ea, quæ dicebantur de Confirmatione, quod ſcilicet eiuſdem auctor fuerit Concilium Meldenſe; nam reſpondetur, quod illud Concilium non inſtituerit, ſed ſolum ſtatuerit, quod chriſma conficeretur feria V. maioris hebdomadæ, & alia nonnulla circa dignam, & fructuoſam eiuſdem ſumptionem. Cæterum, quod idem Concilium Meldenſe non fuerit auctor eiuſdem Sacramenti manifeſtè euincitur ex eo, quod Clemens primus poſt D. Petrum Pontifex, & Fabianus, qui vixit multo tēpore ante dictum Concilium meminerint eiuſdem Confirmationis tanquam Sacramenti, quod eſſe non potuiſſet, ſi fuiſſet inſtitutum à Concil. Meldenſi. Si autem quæratur, quandonam à Chriſto Domino hoc Sacramentum fuerit inſtitutum; Dicam ex *Concil. Senon. decret.* 10. *de Sacram. Ordin.* fuiſſe inſtitutum *Matthæi* 19. quando Chriſto oblati ſunt paruuli, vt manus eis imponeret, vel prout refert *Fabianus Papa in ſecunda Epiſt. ad Epiſcopos Orient. tom.* 1. *Concil. p.* 1. *pag.* 97. inſtitutum eſſe in vlt. cæna; ait enim. *In illa die Dominus Ieſus poſtquam cænauit cum Diſcipulis ſuis, & lauit pedes eorum, ſicuti à S. Apoſtolis Prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſque reliquerunt, Chriſma conficere docuit;* ex quibus Verbis colligitur de inſtitutione immediata huius Sacramenti nobis conſtare ex traditione Apoſtolorum &c.

10 Idem euincitur de Confirmatione.

Aſſertio IV. Non ſolum certum eſt omnia Sacramenta nouæ legis fuiſſe immediatè à Chriſto Domino inſtituta, ſed etiam probabilius eſt de fide. Ita ſentiunt *Vaſquez diſp.* 135. *c.* 1., *Amicus diſp.* 8. *n.* 4., *Lugus diſp.* 7. *ſect.* 1. *n.* 4., *Gonetus diſp.* 5. *art.* 1. §. *dico tamen*, *Madernus tract.* 2. *de Sacram. in gen. q.* 5. *art.* 1. *n.* 4., *Cacheranus tract.* 8. *de Sacram. in gen. c.* 2. §. 1. *num.* 6. Mitius tamen ſentiūt *Suarez diſp.* 12. *ſect.* 1. §. *dico primo*, *Arriaga diſp.* 18. *ſect.* 2. *n.* 3. qui licet ſentiant aſſertionem noſtram eſſe certam, negant tamen eſſe de fide.

11 Hæc veritas eſt de fide.

Probatur, quia de inſtitutione immediata eorundem à Chriſto Domino facta conſtat, vel ex Sacris Scripturis, vel ex traditione Apoſtolorum, vel ex Conciliorum definitionibus; & primò de Baptiſmo, & Euchariſtia conſtat ex *Matthæi* 26., & *vlt.*, *Marci* 14., & *Lucæ* 22. De Pænitentia *Ioannis* 20. vt notat *Trident. ſeſs.* 24. *c.* 1. De Confirmatione, vel ex illo *Matthæi* 19. ſupra recenſito, vel ex traditione Apoſtolorum in vltima cæna, vt tradit *Fabianus Papa loc. ſupra cit.* De Ordine ex *Concil. Trident. ſeſs.* 22. *c.* 1. conſtat fuiſſe inſtitutum in vltima cæna, quando tradidit Apoſtolis poteſtatem conficiendi corpus, & ſanguinē ipſius. De Matrimonio *Matthæi* 19., & *Marci* 10. De Extrema Vnctione conſtat *ex Concil. Trident. ſeſs.* 14. *c. & can. primo*, vbi D. Iacobum promulgatorem tantum aſſerit, non inſtitutorem; quæ certè omnia inducunt veritatem fidei.

12 Eximuntur à nota infidelitatis magiſter, & D. Bonauentura.

Solum aliquid negotij videtur faceſſere nota, quæ ex hac noſtra aſſertione inuritur tum Magiſtro Sententiarum, tum Vgoni à Sancto Victore, & quod præcipuum eſt D. Bonauenturæ, quod ſcilicet in fide errauerint, adeoque poſſint infidelitatis notari; nec poterunt excuſari ex eo, quod ſcripſerint ante Tridentinum. Verum dici poteſt, quod ante Trident. hæc veritas de immediata inſtitutione à Chriſto Domino non eſſet expreſsè ab Eccleſia propoſita, ſicuti, nec de Confirmatione, adeoque non poſſint de infidelitate ſaltem formali notari. Dici etiam poteſt cum *Cacherano loc. cit.*, quod huiuſmodi Doctores inſtitutionem impropriè vſurparint, vel cum promulgatione, vel cum inſtauratione rei antecedentèr neglectæ; & ſic dixerunt, quod D. Iacobus inſtituerit, quatenus promulgauerit, & item, quod Concilium Meldenſe Confirmationem inſtituerit, vel quatenus cæremonias, & ritum eiuſdem præciſè præſcripſerit, vel fortè tanquam rem tunc neglectam quaſi reſtaurauerit, & in vſum reuocauerit.

ARTICVLVS II.

An poteſtas inſtituendi Sacramenta ſit communicabilis puræ creaturæ.

SVMMARIVM.

Sententia docens hanc poteſtatem non eſſe communicabilem puræ creaturæ. 1.
Sententia affirmans eſſe communicabilem. 2.
Rationes pro prima ſententia negante. 3.
Præfertur ſententia affirmatiua. 4.
Inſtitutio Sacramentorum eſt opus ad extra finitum. 5.
Creatura eſſet tantum cauſa moralis inſtituens poteſtate communicata, & dependenti. 6.
Euincitur paritate. 7.
In lege veteri Deus erat inſtitutor remedij originalis non obſtante, quod ſigna eligerentur ab hominibus, & quarè. 8.
Ex eo, quod facultas inſtituendi procedat à Diuino decreto non tollitur, quin creatura poſſit dici inſtitutrix. 9.
Determinatio non inciperet à creatura, ſed à Deo. 10.
Non tribueretur creaturæ tanta vis quanta eſt tributa Christo, vt homini. 11.

INdubitatum eſt poteſtatem inſtituendi auctoritate primaria, & imparticipata non poſſe puræ creaturæ communicari, quia poteſtas imparticipata eſt propria ſolius Dei, & tribuere hanc poteſtatem creaturæ eſt illam conſtituere primariam auctricem gratiæ, quod omnino repugnat creaturæ conditioni. Solum hìc venit examinandum, an creaturæ conferri poſſit poteſtas dependens participata, & commiſſionis, ſeu delegata quoad inſtitutionem Sacramentorum; qua in difficultate video DD. in duas partes diuiſos. Alij, inter quos *Scotus in quarto diſt. 1. q. 3. §. de ſecundo dico, Durandus diſt. 2. q. 1., Vaſquez diſp. 135. c. 2., Pontius diſp. 41. q. 6. num. 40.* abſolutè negant hanc poteſtatem poſſe puræ creaturæ communicari.

1 Sentētia docens hanc poteſtatem non eſſe communicabilē puræ creaturæ.

Alij vero è contra, inter quos *D. Thomas tertia part. q. 64. art. 3., & 4., Gonetus diſp. 5. art. 2., Lugus diſp. 7. ſect. 2., Arriaga diſp. 18. ſect. 2.* abſolutè ſentiunt, hanc poteſtatem poſſe conferri.

2 Sententia affirmans.

Pro prima parte mouetur Vaſquez hac ratione. Inſtituere nullum ſupponit eſſe præcedens rei, quæ inſtituitur, ſed eſt primo rem ipſam facere, ſed hoc non poteſt creaturæ competere ex poteſtate delegationis, & commiſſionis, quandoquidem ille, qui committit, debet neceſſario habere decretum de illa commiſſione danda, & de illa re, quæ committitur executioni mandanda; ſicque res illa, quæ committitur, iam incæpit habere eſſe ab illo decreto, ergo Commiſſarius non poteſt rem illam incohare, adeoque nec propriè inſtituere.

3 Rationes pro prima.

Secundò mouetur Scotus ea ratione, quia, ſi creatura etiam ex poteſtate commiſſionis poſſet Sacramenta inſtituere, poſſet Deum determinare ad producendam gratiam, quæ eſt effectus primarius eorundem Sacramentorum; alligaret etenim gratiam alicui ſigno ſenſibili, quo Deus teneretur gratiam ponere; ſed hoc non videtur dicendum; ſiquidem Deus conſtitueretur cauſa ſecunda reſpectu illius, qui Sacramenta inſtitueret.

Tertiò, mouetur Durandus. Deus ad ſummum poteſt committere creaturę electionem rerum, & verbòrum, in quibus Sacramenta conſiſtant; ſed hoc non eſt inſtituere Sacramenta, ergo non poteſt eidem committere inſtitutionem Sacramentorum. Minor probatur primò, quia determinare res, & verba, eſt ſupponere Sacramenta à Deo inſtituta cum indeterminatione earundem rerum, & verborum relicta determinatione eidem creaturæ, ea proportionali ratione, qua, ſi teſtator aliquis reliquerit ſua bona ei, quem Petrus elegerit, ſeu determinauerit, non diceretur Petrus eligens determinatam perſonam relinquere illa ſua bona, nec eam hæredem inſtituere, ſed ipſe teſtator. Secundò, quia de facto Deus in veteri lege reliquit hominibus eligere rem, ſeu actionem, in qua conſiſteret remedium originalis, nec tamen tunc dicebantur ex commiſſione inſtituere illud remedium, aut Sacramentum iuſtificatiuum paruulorum. His tamen non obſtantibus ſit

Aſſertio pro parte affirmatiua aſſerente poteſtatem commiſſionis potuiſſe creaturis communicari in ordine ad inſtituenda Sacramenta. Conſentiunt DD. allegati pro ſecunda ſententia, & vlterius *Contenſon lib. 11. part. 1. diſſert. 1. c. 1. §. quæres, an ſaltem, Madernus tract. 2. de Sacram. in communi q. 5. art. 2., Cacheranus tract. 8. de Sacram. in gen. c. 2. §. 2. n. 14.*

4 Præfertur ſententia affirmatiua.

Probatur primò. Inſtitutio Sacramentorum eſt opus ad extra finitum, & limitatum, ergo diuinitus poteſt committi creaturæ iure delegationis, ſeu commiſſionis. Antecedens probatur, quia huiuſmodi inſtitutio nil aliud eſt, quam electio ſignorum, ad quorum præſentiam, & applicationem gratia conferetur, ſed talis electio eſt opus ad extra, & quidem limitatum, quandoquidem, ſicuti eſſe Phyſicum gratiæ, & ſanctificationis inſtrumentum finitum creaturæ Diuinitus euectæ facul-

5 Eſt opus ad extra finitum.

facultatem non excedit, ità, nec electio eorundem ſignorum limitatam creaturæ ſuperat poteſtatem.

Neque dicas, quod inſtitutio Sacramentorum non ſit pura, & frigida ſignorum electio, ſed exigat etiam vim imprimendi ſignis illis efficacem producendæ gratiæ poteſtatem; atque hanc vim rebus ſenſibilibus Deus ſolus impertiri poteſt, cum ipſe ſolus ſit auctor gratiæ, ergo nulli puræ creaturæ poteſt committi, ſeu communicari; Contrà enim impugnaberis primò, quia data hac ratione, nec Christo, vt homini competere poſſet poteſtas imprimendi rebus ſenſibilibus vim illam efficacem gratiæ producendæ. Secundò, quia licet ſolus Deus ſit auctor primarius gratiæ, nulla eſt tamen repugnantia, quin poſſit poteſtatem delegatam conferre creaturæ ad illam moralitèr producendam, & ſicuti tribuere rei ſenſibili ex facultate intrinſeca, & independenti vim producendi gratiam eſt proprium ſolius Dei, & inſtituere Sacramenta poteſtate auctoritatiua, & ordinaria, ita tribuere eidem rei ſenſibili illam poteſtatem ex commiſſione, & delegatione eſt communicabile creaturæ, & inſtituere Sacramenta poteſtate delegata, & commiſſeria; & hinc

6
Eſſet tātum cauſa moralis inſtituens auctoritate communicata.

Probatur ſecundò aſſertio. Eſt creatura per potentiam obedientialem eleuabilis à Deo tanquam cauſa inſtrumentalis ad producendam gratiam, vt videre eſt in aqua in Baptiſmo eleuata, ergo etiam poterit eleuari ſignum aliquod materiale à creatura electum ex poteſtate à Deo eidem commiſſa tanquam inſtrumentum ad eandem gratiam producendam; neque dicas, quod hac ratione illud ſignum cum illa virtute cauſandi gratiam non poſſit dici inſtitutum à creatura, ſed tantum à Deo, cuius eſſet vim illam imprimere eidem ſigno, & ſic illa inſtitutio eſſet potius Dei, quam creaturæ; contrà enim impugnaberis, quià, ſicuti aqua quantumuis à Deo eleuata dicitur productiua gratiæ, ita illa creatura per commiſſionem à Deo dignificata dicenda eſt inſtitutiua, ſeu inſtitutrix eiuſdem ſigni gratiæ productiui.

7
Euincitur paritate.

Neque vrgeas, non ſufficere, vt quis dicatur inſtitutor Sacramentorum, vt eligat ſigna ſenſibilia, quibus Deus conferat vim productiuam gratiæ, quandoquidem etiam Deus in lege naturæ reliquit hominibus facultatem eligendi ſigna in remedium originalis, & iuſtificatiua paruulorum, quibus vim ipſe Deus contulit ad iuſtificandum, & tamen in eo ſtatu homines non dicebantur inſtitutores illius remedij, ſeu Sacramenti, ſed ipſe Deus; Contrà enim adhuc impugnaberis, quia aliud eſt eligere præcisè, & determinare res, & verba, in quibus Sacramenta conſiſtant; aliud eſt, vel ex proprijs operibus, vel etiam ex ſolo Dei pacto gratiam alijs obtinere, & velle affigere quodamodo rei ſenſibili infallibilitatem eiuſdem gratiæ obtinendæ; iuxta primum ſenſum propriè non inſtituitur Sacramentum, & iuxta eundem res ſe habebat in ſtatu naturæ, in quo ſupponebatur à Deo inſtitutum remedium originalis, & homines ſolum determinabant ſigna, ſeu materiam, qua poſita, ſeu determinata Deus gratiam remiſſiuam originalis conferebat, nec erat in eorum poteſtate maiorem, vel minorem gratiam pro libertate determinare; iuxta ſecundum ſenſum propriè Sacramentum inſtituitur, cum non ſupponatur Deus inſtituiſſe Sacramentum ſub materia indeterminata, & ſolum hominibus contuliſſe poteſtatem eligendi, ſeu determinandi ſigna, ſed propriè eiſdem contuliſſe poteſtatem deſignandi certam materiam, & imprimendi eidem infallibilitèr vim gratiæ producendæ, vel ex proprijs meritis, vel etiam ſolum ex Dei pacto; vnde in hoc ſecundo ſenſu habentes poteſtatem eligendi materiam, eidemque affigendi vim gratiæ productiuam, poſſent determinare materiam illam, ſeu actionem externam ad maioris, vel minoris gratiæ collationem; non ſic in primò ſenſu, ſeu in illo ſtatu naturæ.

8
Soluitur inſtantia oppoſita.

Iam ad argumenta contraria reſpondendum eſt; & quidem ad illud, quod afferebatur ex Vaſquez de opere incohato ex Diuino decreto; dicendum eſt primo hoc argumentum æquè eundem Vaſquez premere, ac nos premat. Ipſe *diſp.* 135. admittit Eccleſiam eſſe inſtitutricem cæremoniarum, & rituum, quæ, ſeu, qui adhibentur in adminiſtratione Sacramentorùm, & tamen denegare non poteſt quod Eccleſia illas, ſeu illos condiderit ex poteſtate ſibi à Christo Domino commiſſa. Deinde omnia, quæ fiunt, ſemper fiunt dependentèr à Diuino decreto, nec per hoc tollitur, quin homines, qui primo illa efficiunt poſſint dici eorum inſtitutores; ſic in particulari Principes in condendis legibus pendent à Diuino decreto, nec tamen per hoc tollitur, quin dicantur leges inſtituere; ſic Religionum fundatores dicuntur Religiones inſtituere, quamuis id præſtent ex facultate à Summo Pontifice accepta. Quamobrem dicendum eſt verbum *inſtituere* verificari de eo, qui primus aliena commiſſione vtendo opus aliquod primo exequitur, & perficit.

9
Non deſinit eſſe inſtitutrix ex eo quod facultas dependeat à decreto.

Ad ſecundum deſumptum ex Scoto dicendum eſt, eundem etiam ac nos æquè premere; quandoquidem, dum peccator elicit actum contritionis ex auxilijs actua-

libus ipſi à Deo conceſſis poſſet dici, quod Deum determinaret ad conferendam gratiam iuſtificatiuam, ſeu remiſſiuam peccatorum. Quamobrem directè dico creaturam non poſſe determinare Deum determinatione incipiente ab ipſa creatura, bene tamen determinatione incipiente ab

10 Determinatio non incipit à creatura, ſed à Deo

ipſo Deo; vt eueniret in præſenti hypotheſi, in qua, cum creatura facultatem acceperit ab ipſo Deo ad affigendam rei ſenſibili ab ipſa creatura electæ vim infallibilitèr gratiæ productiuam, & præmoueatur ab ipſo Deo ad illam electionem, & affixionem, diceretur determinare actione à Deo incipiente ratione illius facultatis, & præmotionis.

Ad tertium iam patet ex dictis quid reſpondendum; nec in hoc aliquid euincit exemplum à teſtatore relinquente electionem hæredis certæ perſonæ puta Petro deductum, quandoquidem ipſe Petrus habet præciſè electionem hæredis, ſeu determinationem, non autem habet ex ſuo conferre hæreditatem, nec habet ius ad maiorem, vel minorem pro ſuo libito hæreditatis portionem perſonæ electæ conferendam; vnde ſe habet, vt merus executor, non vt inſtitutor.

Solum aliquid difficultatis videtur facеſcere, quod data hac noſtra ſententia

11 Non tribueretur tanta vis creaturæ, quanta eſt tributa Chriſto, vt homini.

tribuente communicabilitatem Sacramentorum inſtituendorum puræ creaturæ videamur tribuere puræ creaturæ tantam vim, ac tribuatur Chriſto Domino, cui ratione vnionis hypoſthaticæ ſemper excellentior virtus eſt tribuenda non æquabilis per vim puræ creaturæ communicabilem. Sed ad hæc poteſt facilè reſponderi longè excellentiori modo hanc virtutem Chriſto Domino competere, ac competeret puræ creaturæ, ſi eidem conferretur; quamuis etenim vtraque poteſtas ſit poteſtas delegationis, & commiſſionis, excellentiori tamen modo inſidet in Chriſto Domino, vt benè notauit *D. Thomas tertia part. q. 64. art. 3.*, & in hoc ſpecialius elucet excellentia in Chriſto, quod meritum, & virtus paſſionis vim conferat eiſdem Sacramentis, & vtique de condigno ad gratiam ſiue primam, ſiue ſecundam conferendam, quod meritum de condigno non poteſt in pura creatura conſiderari; quod propterea non poteſt in Sacramenta transferre, ſed ad ſummam de congruo; ex quo ſequitur, quod eminentia, & perfectio, quæ ex merito paſſionis redundat in Sacramentorum inſtitutione facta à Chriſto Domino non poſſit reſultare in inſtitutione facta a pura creatura.

ARTICVLVS III.

De cauſa miniſteriali Sacramentorum nouæ legis.

SVMMARIVM.

Soli homines de lege ordinaria ſunt miniſtri Sacramentorum. 1.
Sententia docens ſolos homines viatores eſſe miniſtros. 2.
Sententia extendens etiam ad comprehenſores. 3.
Probabilius de lege ordinaria hæc poteſtas non competit comprehenſoribus. 4.
Soluuntur rationes contrariæ ſententiæ. 5.
Si anima poſt ſeparationem reuniretur corpori, & naturalitèr viueret, poſſet Sacramenta conficere. 6.
Quoad aliqua tamen pertinentia ad iuriſdictionem, & politiam poſt reſurrectionem non remanet eadem poteſtas. 7.
De lege extraordinaria poſſunt Angeli, & animæ ſeparatæ eſſe miniſtri Sacramentorum, ſi excipias Matrimonium. 8.
Verba poſſunt ab Angelis proferri cum debita ſignificatione. 9.
Et cum debita intentione, non ſic Pſitacus. 10.
Quamuis ex vi præſentis inſtitutionis ſolus homo viator ſit miniſter Sacramentorum, non tamen quoad omnia omnis homo. 11.
Quænam Sacramenta omnis homo capax rationis poſſit conficere, & quænam non poſſit. 12.

CVm Sacramenta nouæ legis ordinata ſint ad homines vtpotè pro ipſis inſtituta, & vtiquè in ſignis materialibus, 1
& verbis organicè prolatis videntur ſoli homines ex lege ordinaria eſſe miniſtri Sacramentorum, quæ Chriſtus Dominus inſtituit, vt miniſterium correſpondeat actioni, quæ geritur, & ſubiecto, ad quod ordinatur, potiſſimum, cum hominibus ex eadem lege ordinaria competat ſolum vitalis, & organica verborum prolatio.

Soli homines ſunt miniſtri Sacramentorum.

Accedunt aliæ congruentiæ alligatum ſoli homini Sacramentorum miniſterium euincentes, quarum altera eſt, quod cauſa principalis Sacramentorum eſt Chriſtus, vt homo, & cauſa ſubiectiua materialis eſt ſolùs homo, ergo, vt ſeruetur proportio inter cauſam principalem, & inſtrumentalem, inter ſuſceptorem, & collatorem ſolus homo debet eſſe miniſter, altera, quod Chriſtus Dominus inſtituens Sacramenta ſolos homines eſt allocutus, vt apertè, vel ex ſacris paginis, vel ex Apoſtolorũ traditione innoteſcit, ergo ſolos homines Sacramentorum miniſtros coſtituit.

Sed,

Digitized by Google

2 Sentẽtia docens hoc competere ſolum viatoribus.

Sed, an hæc poteſtas conficiendi Sacramenta, quæ ſolis hominibus de lege ordinaria dicitur affixa intelligatur ſolummodo conceſſa hominibus viatoribus, an vero etiam comprehenſoribus diſſidium magnum eſt inter DD., Solis viatoribus conceſſam affirmant *Eſparza q. 12. art. 2., & 3., Lugus diſp. 8. ſect. 2. n. 3., Contenſon lib. 11. part. 1. diſſert. 1. c. 1. verſ. cauſa miniſterialis Sacramentorum*, & alij plures. Negant vero ad ſolos viatores eſſe reſtrictam *Suarez diſp. 13. ſect. 1. §. atque ex his, Arriaga diſp. 18. ſect. 4. num. 21., Madernus tract. 2. de Sacram. in communi q. 5. art. 3.*, vnde extendunt etiam ad comprehenſores, ſi qui ſint tales habentes vnionem animæ cum corpore.

3 Sentẽtia extendẽs etiam ad comprẽſores.

Prima opinio reſtringẽs poteſtatem ad ſolos viatores his innititur rationibus, primo, quia Chriſtus Dominus ſolos viatores allocutus eſt in inſtitutione eorundem Sacramentorum. Secundò, quia ſoli viatores ſunt capaces Sacramentorum recipiendorum. Tertiò, quia poſt diem iudicij nullum conficietur Sacramentum, ergo, quia poteſtas ea conficiendi eſt reſtricta ad ſtatum viæ. Quartò, quia ad miniſterium Extremæ Vnctionis ex D. Iacobo Apoſtolo requiritur fides, quæ eſt propria viatoris.

Secunda ſententia extendens etiam hanc poteſtatem ad comprehenſores innititur primo auctoritati *D. Thomæ tertia part. q. 54. art. 7.* Secundò rationi, quod Chriſtus Dominus hanc poteſtatem conceſſit hominibus abſolutè ſine vlla reſtrictione ſtatus viæ. Tertiò, quia animæ Sacerdotum egreſſæ ab hac vita, ſeu ſtatu viæ adhuc retinent caractherem Sacerdotalem, ergo, ſi ex Diuina diſpenſatione corpus reaſſumerent adhibita debita materia, & forma, & intentione poſſent valida conficere Sacramenta. Quartò, quia in ſacris hiſtorijs, vt refert *Madernus loc. cit.* caſus huic opinioni fauentes referuntur, in quibus Sacramenta aliqua fuerunt à comprehenſoribus collata.

Huius controuerſiæ deciſio, vt refert *Herinez diſp. 3. q. 1. n. 7.* modicæ vtilitatis eſt, cum vix caſus poſſit contingere, niſi extraordinarius ex ſpeciali Dei diſpenſatione ad indicandos mirabiles Diuinæ Prouidentiæ effectus, in quo mirum non eſſet, quod ſicuti ille extraordinariè eueniret, ità extraordinariam exigeret poteſtatem. Probabilius tamen arbitratur, poteſtatem ordinariam ſaltem quoad actum ſecundum, ſeu exercitium eiuſdem comprehenſoribus non competere non ſolum propter rationes pro prima opinione adductas, ſed etiam, quia, ſicuti comprehenſores in illo ſtatu non poſſent gratiam acquirere ex Sacramentis prouenientem; ità, nec poſſent per Sacramenta gratiam alijs conferre, & ſicuti nonniſi de via extraordinaria poſſunt eorum animæ corporibus reuniri, & inter homines apparere, ita nonniſi de lege extraordinaria videntur poſſe cum illis communicare conficiendo, & conferendo Sacramenta.

4 Probabilius de lege ordinaria hęc poteſtas non cõpetit cõprehenſoribus.

Adde, quod, ſi egreſſis è ſtatu viæ poſſet ordinaria poteſtas competere conficiendi Sacramenta, damnatis, in quibus non demitur caracther Sacerdotalis, ſi corporibus reunirentur ex aliqua ſpeciali Dei diſpoſitione poſſet competere, conſecrare, & conficere corpus, & ſanguinem Chriſti Domini adhibita debita materia, & proportionata forma, quod certè ſine horrore dici non poteſt, nec arbitrandum eſt hanc poteſtatem in ipſis impediri ob eorum peruerſitate, quandoquidem ſemel dato, quod eſſe extra ſtatum viæ compati poſſit cum poteſtate Sacramenta conficiendi illa peruerſitas non adimit illam poteſtatem, cum hæc reperiri poſſit etiam in peccatoribus maximè peruerſis, & obduratis in prauitate, vt infra latè videbimus.

5 Soluuntur rationes contrariæ sẽtentiæ.

Nec obſtant adducta pro contraria ſententia; Non auctoritas D. Thomæ, quia ipſius mens non eſt admodum expreſſa, & negatiuam partem omittit potius, aut permittit, quam adſtruat; Non caracther adhuc permanens, quia licet hic vtpotè indelebilis in æternum permaneat, eius tamen vis exerceri non poteſt, niſi in ſtatu viæ, quantum eſt de lege ordinaria, & ſicuti hic caracther, quamuis impreſſus remaneat in anima etiam ſeparata non poteſt tamen ab illa in illo ſtatu ſeparationis exerceri in confectione Sacramentorum, quia hæc eſt alligata hominibus, non animabus ſeparatis, ità quamuis remaneat in animabus glorioſis vnitis ex ſpeciali Dei diſpenſatione corporibus non poterit exerceri in eorundem Sacramentorum confectione, quia hæc eſt allegata viatoribus, cum Sacramenta ſint ſolius Eccleſiæ militantis ſigna, quibus in vnum Religionis nomen fideles adunantur, & quaſi vnum corpus coaugmentantur; Non illa poteſtas indefinitè collata hominibus, quandoquidem illa poteſtas intelligenda eſt relata dumtaxat ad eos, quos Chriſtus in illius collatione alloquebatur, quiq; erant capaces primarij illorum effectus, nempè gratiæ Sacramentalis recipiendæ; Non vltimum de Sacramentis collatis à comprehenſoribus, vel etiam ab Angelis, qui dicuntur Epiſcopos aliquos, & Eccleſias conſecraſſe, & Sacramenta miniſtraſſe; quandoquidem hæc facta ſunt de lege extraordinaria, & ex ſpeciali diſpenſatione Dei, non de via, & poteſtate ordinaria, & ſi quan-

quandoque dicantur Angeli, vel comprehenſores miniſtraſſe Sacramentum Euchariſtiæ aliquibus perſonis Deo dilectis, vt legitur de D. Catherina Senenſi; & Beato Stanislao Koſta (præterquam quod hoc intelliguntur præſtitiſſe ex ſpeciali, & extraordinaria Dei diſpenſatione) hoc præſtiterunt purè adminiſtrando, hoc eſt transferendo Euchariſtiam à Sacerdotibus conſecratam, non conſecrando, ſeu conficiendo Sacramentum.

Sed quid erit dicendum, ſi anima poſt ſeparationem a corpore iterum ex Diuina
6 diſpenſatione eidem reuniretur, vt contigit in Lazaro a Chriſto Domino reſuſcitato, & contingere poteſt in alijs pluribus; ità tamen, vt poſita reunione naturalitèr viueret, nec gauderet ſtatu beatitudinis, & comprehenſoris; an tunc adhuc poſſet Sacramenta conficere. Abſolutè ſentiendum eſt, vtique poſſe adhuc Sacramenta conficere; & ratio eſt, quia adhuc eſſet viator, & verus homo, nec per mortem præcedentem ſoluitur poteſtas, quæ homini, vt homini viatori ex diſpoſitione Chriſti collata eſt; quamuis etenim perſeuerante ſtatu mortis intelligatur extincta, cum non ſit pro illo ſtatu homo, redeunte tamen ſtatu vitæ, per quem iterum conſtituitur homo, & vtique viator, non eſt, cur non debeat redire illa poteſtas. Hoc tamen hic aduertendum eſt, quod aliqua Sacramenta, vel in ipſorum conſtitutione, vel in perſeuerantia in effectu non dependeant ſolùm ex intentione Diuina, ſed etiã ex hominum voluntate quoad ea, quæ pertinent ad ſocietatem, & politiam humanam, cuiuſmodi eſt Matrimonium, & Pænitentia, quæ non ſolum exigit poteſtatem ordinis, ſed etiam iuriſdictionis; In his certe per mortem interuenientem, vel diſſoluitur poteſtas antecedentèr habita, vel vinculum prius contractum; ſic, ſi Sacerdos Confeſſarius moreretur, & poſtea reſurgeret ex vi prioris facultatis iuriſdictionis non poſſet Sacramentum Pænitentiæ miniſtrare, & ſi coniux mortuus reſurgeret, non poſſet in priori Matrimonio ex vi primi conſenſus permanere; quia per mortem poteſtas prioris iuriſdictionis in Sacerdote ceſſaret, & vinculum prioris Matrimonij diſſolueretur. Hac eadem
7 ratione, ſi Pontifex moreretur, & poſtea reſurgeret, quamuis haberet eandem ordinis poteſtatem, non tamen haberet iuriſdictionem, quam antea habebat. Ratio horum omnium ea eſt, quia in ſpectantibus ad ſocietatem, & politiam humanam mors eſt ſimpliciter diſſolutiua, nec reditus miraculoſus ad vitam, quod diſſolutum eſt, remittit; ſicuti enim hic reditus ad vitam non eſt poſſibilis naturalibus hominum viribus, ita, nec videtur ad naturalem eorundem prouidentiam pertinere. In ordine vero ad Pontificem rediuiuum, qui non reaſſumit poteſtatem iuriſdictionis, quam habebat in Eccleſia, aliam ſpecialem rationem aſſignat *Madernus d. art. 5. num. 9.*, quia ſcilicet iuriſdictionem, quam habet Pontifex in Eccleſia (quod idem dic de Epiſcopo in ſua Diæceſi) habet ex vi ſpiritualis Matrimonij; quod ille habebat cum vniuerſali Eccleſia, iſte cum ſua particulari, quod Matrimonium, ſicuti diſſoluitur per mortem, ità per hanc tollitur, & illa iuriſdictio.

Si ex Diuina diſpenſatione anima reuniretur corpori, & naturalitèr viueret, poſſet Sacramẽta conficere.

Excipiũtur aliqui caſus.

Quamuis autem in coniuge rediuiuo, & in Pontifice, ſeu Epiſcopo, renocato ad vitam intelligatur prius Matrimonium carnale in illo, & ſpirituale in iſtis diſſolutum, non tollitur tamen, quin eiſdem competat facultas, & celebrandi nouum Matrimonium ſiue carnale, ſi coniux rediuiuus velit, ſiue ſpirituale, ſi illi eligantur iterum ad dignitates; quas per mortẽ perdiderunt; intellige quoad iſtos in ordine ad iuriſdictionem, nam quoad poteſtatem ordinis ratione caractheris in ipſis permanentis alio non indigent, vt illam valeant exercere.

Hæc, quæ hactenus diximus, procedunt de poteſtate ordinaria. Cæterum de lege extraordinaria, & ſpeciali Dei diſpenſatione poſſe etiam Angelos, & animas ſeparatas eſſe miniſtros Sacramentorum videtur ſine difficultate procedere, ſi tamen excipias Sacramentum Matrimonij, quia cum in ipſo ipſi contrahentes ſint miniſtri, & per mutuum conſenſum alter in alterum transferat ſui corporis poteſtatem in ordine ad coniugalia obſequia, & carnales concubitus, perſpicuum eſt, hoc non poſſe Angelis, & animabus ſeparatis competere vtpotè ſubſtantijs omnino ſpiritualibus; & carentibus materia corporea. Ratio autem, propter quam de lege extraordinaria poſſint Angeli, & animæ ſeparatæ eſſe Sacramentorum miniſtri, ea eſt, quia virtus Diuina nulli eſt alligata ſigno, nullique affixa determinato miniſtro, nec Sacramenta ſecundum ſe, exigunt hunc potius, quam illum effectorem, ſeu diſpenſatorem, ergo &c.

8 De lege extraordinaria poſſunt Angeli eſſe miniſtri.

Neque dicas, quod, quamuis potuerint Sacramenta inſtitui in ſignis materialibus æquè exequibilibus ſiue per homines, ſiue per Angelos, & animas ſeparatas, ſicque conſtituere Angelos, & animas ſeparatas eorum miniſtros; ex quo tamen de facto inſtituit in rebus, & verbis humanis non poſſit eorum miniſtros etiam de lege extraordinaria eos conſtituere, cum propriè nequeant loqui humana verba proferendo, vnde vel nõ eſſent Sacramenta ab illis

9 Non eſt neceſſe, quod verba vitali modo proferantur, ſed quod ſit ſignificatiua.

con-

confecta, vel ſaltem non eſſent eiuſdem rationis cum Sacramentis, quæ de facto dantur, cum verba conſtitutiua eorundem eſſent diuerſæ rationis ab humanis; contrà enim impugnaberis, quia licet Angeli in corporibus aſſumptis nequeant verba vitali modo proferre ſicuti proferunt homines, poſſunt tamen verba proferre ſignificatiua eius, quod intenditur in Sacramentorum confectione. Ad valorem autem Sacramentorum, cum ſint in genere ſigni, pertinet, quidem quod verba ſint ſignificatiua, non autem quod ſint vitali modo prolata, & ſic licet verba non vitali modo producta differant à verbis vitalibus, in ratione tamen ſignificatiui pertinente ad rationem ſigni, & Sacramenti non differunt.

10 Debent tamen eſſe cum debita intentione. Neque vegeas, hac ratione etiam Pſitaci poſſent de lege extraordinaria conſtitui Sacramentorum effectores, & miniſtri, cum poſſint verba ſecundum ſe ſignificatiua proferre; ſi etenim non requiritur, quod verba ſint humano modo prolata, ſed ſolum, quod ſint ſignificatiua, & hæc poſſint a Pſitaco proferri, non erit, cur &c. Contrà etiam impugnaberis, quia licet voces à Pſitaco prolatæ dici poſſint ſecundum ſe ſignificatiuæ, non ſunt tamen ab eodem applicabiles ſignis materialibus, vt cum illis efficiant Sacramentum, quandoquidem nequeunt eſſe cum intentione efficiendi, quod Chriſtus inſtituit, & facit Eccleſia.

Reſtricta iam poteſtate ordinaria Sacramentorum conficiendorum ad homines viatores ex vi præſentis inſtitutionis, comparamus iam eoſdem homines inter ſe, & inquirimus, quinam ſint apti eorum miniſterio, & quinam ab eodem excludendi, & quidem relatiuè ad omnia, & ſingula Sacramenta. Pro quo ſit

11 Ex vi præſentis inſtitutionis non omnis homo eſt omnium Sacramẽtorum miniſter. Aſſertio I. Quamuis ex vi præſentis inſtitutionis ſolus homo viator ſit miniſter deputatus Sacramentorum nouæ legis, non tamen omnis homo. In hoc tenentur conſentire quotquot ſuſtinent Sacramenta conficienda eſſe humano modo, & cum debita intentione.

Ratio ex eo deducitur, quia ad validè conficienda Sacramenta præter debitam materiam, & congruam formam requiritur in miniſtro rationalis intentio efficiendi id, quod Chriſtus inſtituit, & facit Eccleſia prout in ſequentibus latè oſtendemus, ſed plures dantur, ſeu dari poſſunt homines, quibus nequit competere talis rationalis, & debita intentio, cuiuſmodi ſunt paruuli, perpetuo amentes, & ſi qui alij vſu rationis careant, ergo in ordine ad iſtos non poteſt competere miniſterium Sacramentorum, ità vt validè conficere poſſint Sacramenta.

Aſſertio II. Suppoſito vſu rationis reſpectu aliquorum Sacramentorum omnis homo eſſe poteſt miniſter idoneus; reſpectu aliorum ſolummodo determinati homines ad id munus ſpecialitèr deputati. In hoc conueniunt omnes Catholici.

Probatur, & explicatur diſcurrendo per ſingula Sacramenta; & primo loquendo de Sacramento Baptiſmatis certum eſt apud omnes, quod tam viri, quam fæminæ poſſint illud validè conferre, & etiam licitè, ſi conferatur vrgente neceſſitate; cum etenim hoc ſit Sacramentum maximæ neceſſitatis, maximè congruum fuit, vt eius miniſterium non alligaretur certæ hominum conditioni, ne ſalus baptizandorum æterna periclitaretur ob defectum miniſtrorum; Hæc eadem extenſio quoad omnes homines videtur competere in ordine ad Matrimonium poſt ſuſceptum Baptiſmum, niſi ex conditione perſonæ aliquo impedimento detineantur. Dixi poſt ſuſceptum Baptiſmum, nam licet poſſit contrahi Matrimonium etiam inter infideles, hoc tamen nullo modo eſt Sacramentum. Ratio autem, cur extendatur ad omnes, ex eo deducitur, quod hoc eſt inſtitutum in officium naturæ, & cum miniſtri ſint ipſi contrahentes, omnibus idem officium debet competere. In ordine vero ad Euchariſtiam, Pænitentiam, & Extremam Vnctionem non omnes homines ſunt apti miniſtri, ſed ſoli Sacerdotes; in ordine tandem ad Confirmationem, & Ordines regularitèr miniſtri ſunt Epiſcopi. Si autem inquiratur ratio talis diuerſitatis, non aliundè eſt deſumenda, quam ex inſtitutione, & voluntate Chriſti Domini inſtituentis nobis, vel per ſcripturas, vel per traditionem manifeſtata. Sed de his omnibus erit ſermo, dum de ſingulis Sacramentis in particulari. 12 Quænam Sacramẽta omnis homo capax rationis poſſit cõficere, & quænam non.

ARTI-

ARTICVLVS IV.

An infidelitas, & improbitas miniſtri compati poſſit cum poteſtate efficiendi Sacramenta.

SVMMARIVM.

Qualitates in miniſtro requiſitæ aliæ negatiuæ, aliæ poſitiuæ. 1.
Infidelitas, & improbitas in miniſtro non vitiat Sacramentum. 2.
Intellige, ſi ſint cætera requiſita. 3.
Euincitur ex Conciliorum definitionibus. 4.
Soluuntur quædam obiecta deducta ex alijs Concilijs. 5.
Actio miniſtri poteſt dici actio Dei, prout eſt ſenſibilis, & ſignificatiua, non prout deficit à recta ratione. 6.
Vindicatur D. Ciprianus à nota erroris. 7.
Sacramenta ab Hæreticis, & improbis collata conferunt effectum ſusceptoribus. 8.
Dicta SS. PP., quæ videntur nobis aduerſari, quomodo intelligenda. 9.
Improbitas, & infidelitas miniſtrorum reddit illicitam illorum actionem. 10.
Ad licitam confectionem Sacramentorum requiritur in miniſtro ſtatus gratiæ. 11.

1 Qualitates miniſtri in duplici genere.

IAm incipimus examinare qualitates, quæ requiri poſſunt in miniſtro, vt validè, & licitè conficere poſſit Sacramentum. Hæc autem qualitates, aliæ ſunt quaſi negatiuæ conſiſtentes in negatione alicuius qualitatis, vel repugnantis cum eſſe ſimpliciter Sacramentorum, vel cum licito eſſe eorundem; aliæ poſitiuæ, quæ habent perficere principium operatiuum eorundem Sacramentorum, & aptius ad eadem conficienda reddere. Nunc agimus quodamodo de negatiuis, nempè de infidelitate, & improbitate miniſtri inquirentes, an iſtæ adimant poteſtatem in eodem conficiendi Sacramenta, vel ſaltem reddant eorum confectionem illicitam.

2 Infidelitas, & improbitas miniſtri non irritat.

Aſſertio I. Infidelitas, & improbitas in miniſtro, ſi cætera requiſita non deſint, non officit validitati Sacramentorum. Eſt communitèr recepta à Catholicis aduerſus Agripinum Epiſcopum Cartaginenſem, alioſque Epiſcopos Affricanos volentes Sacramenta collata ab Hæreticis, & Schiſmaticis eſſe inualida, & Baptiſmum ab ijſdem collatum eſſe reiterandum, item contra Donatiſtas, Valdenſes, & alios reprobantes non ſolum tanquam inualida Sacramenta collata ab Hęreticis, ſed etiam confecta à peccatoribus manifeſtis.

3 Intellige, ſi ſint cætera requiſita.

Dixi, *ſi cætera requiſita non deſint*, quod intelligitur in ordine ad Hæreticos baptizatos; nam non baptizati, licet poſſint validè conferre Baptiſmum, non poſſint tamen validè alia Sacramenta conficere, cum Baptiſmus ſit ianua omnium Sacramentorum, ſine qua non poteſt eſſe aditus in Eceleſiam, nec ad Sacramenta eiuſdem Eceleſiæ, & licet non baptizati poſſint Matrimonium contrahere, non poſſunt tamen contrahere, vt Sacramentum; Intelligitur etiam in ordine ad legitimè ordinatos quoad alia Sacramenta; ſi etenim non ſint legitimè, & validè ordinati Sacerdotes, nec poterunt validè Euchariſtiam, Pænitentiam, & Extremam Vnctionem conficere, nec Confirmationem, nec Ordinem, ſi non fuerint validè ordinati Epiſcopi, maximè non accedente Pontificis diſpenſatione, quæ diſpenſatio, an ſufficiat in ſimplici Sacerdote ad valorem eorundem Sacramentorum videbimus, dum de eiſdem Sacramentis in particulari.

4 Euincitur ex Conciliorum definitionibus.

Probatur iam aſſertio primo ex pluribus Conciliorum *Nicæni celebrat anno 327.* quod approbauit tanquam valida Sacramenta ab Hæreticis confecta. *Cartaginenſis 1. can. 1., Arelatenſis 1. can. 8., Conſtantienſis ſeſs. 8. Trident. ſeſs. 7. can. 12. de Sacram. in gen., & can. 4. de Baptiſmo*, quæ omnia Concilia nullam inualiditatem agnoſcunt in Sacramentis collatis ab Hæreticis, & Schiſmaticis; & licet Concil. Tridentinum mox allegatum videatur ſolum loqui de Baptiſmo, & Ordine, & non quidem in Ordine ad Hæreticos, ſed dumtaxat ad miniſtros in peccato mortali exiſtentes; nihilominus quoad primum *Concilium Tridentinum d. can. 12.* expreſſit quodlibet Sacramentum, & licet alia allegata Concilia meminerint tantum Baptiſmi, & Ordinis, non ideo tamen excluſerunt alia Sacramenta cum par ratio militet de omnibus; Quod vero expreſsè meminerint ſolius Baptiſmi, & Ordinis, hoc erat, quia tunc agebant aduerſus ſectarios, qui ſingillatim ſuos errores in talibus Sacramentis promulgabant; Quoad ſecundum, quod Tridentinum locutum fuerit dumtaxat de exiſtentibus in peccato læthali, non de Hæreticis, dicendum eſt Concilium, vſum fuiſſe illo generico nomine peccati læthalis ad comprehendenda omniã, inter quæ eſt etiam peccatum infidelitatis.

5 Soluuntur quædam obiectam deducta ex alijs Cõcilijs.

Quod, ſi dixeris allegatas Conciliorum definitiones pati diuerſas expoſitiones, quod colligitur ex eo, quod vel eadem, vel alia Concilia, & Pontificum ſanctiones contrarium definierint; ſic inter cætera *Concilium Nicænum*, quod pro nobis allegauimus, ſtatuit *can. 19.* Paulianiſtas ad fidem conuerſos eſſe rebaptizandos; ſic in

can.

Digitized by Google

can 45. *Apoſtolorum*, præcipitur damnandos eſſe Epiſcopos, & Presbyteros, qui Hæreticorum ſuſceperint Baptiſma; ſic *Gelaſius Papa c. ſchiſma* 24. q. 1. dicit non eſſe corpus Chriſti; quod ſchiſmaticus cõficit, ergo, ne teneamur admittere ſchiſma inter Conciliorum definitiones, & Summorum Pontificum ſanctiones debemus dicere, quod priora Concilia intelligenda ſint in diuerſo ſenſu ab expoſito; Statim impugnaberis, quia cum illa expreſsè, & ex profeſſo damnent reiterantes Baptiſmum ab Hæreticis collatum, & damnantes Sacramenta ab ipſis confecta, tanquam inualida, non indigeat diuerſa expoſitione, ſed potius poſteriora; vnde ad illud, quod dicitur de *Concilio Niceno can.* 19. dicendum eſt Concilium ipſum dixiſſe rebaptizandos eſſe Pauliniſtas conuerſos ad fidem, quia eorum Baptiſmus non erat ſub Eccleſiæ forma, ſed alia ſubſtantialitèr diuerſa, vnde defectus non erat fidei, ſed formæ; Ad illud *de canon.* 45. *Apoſtolorum*, dicendum eſt per illum canonem damnari eos Epiſcopos, & Preſbyteros, qui approbabant varia baptiſmata à diuerſis diuerſimodè confecta, non ſub debita materia, & forma, vel damnari non quia inualida Sacramenta recipiebant, ſed quia communicabant in ſacris cum Hæreticis. Ad illud tandem de Gelaſio Papa dic ibi dici non eſſe corpus Chriſti, quod ſchiſmaticus conficit, quia ſupponit ſchiſmaticum non conficere ſub conſueta Eccleſię forma; vel dic loqui non de corpore reali Chriſti, ſed de miſtico, nempè de Eccleſia, quod ſchiſmaticus non conficit, cum ſit ab eodem ſegregatus.

Probatur ſecundò ratione, quia Chriſtus Dominus in inſtitutione Sacramentorum non fuit alligatus aliquo determinatò inſtrumento, cum eidem tribuat totam vim, & efficaciam, vnde poterat adhibere; vel inſtrumentum viuum, & coniunctum, vel inanime, & ſeparatum hoc eſt, vel viuum per gratiam, & coniunctum per fidem, vel mortuum ob defectum gratiæ, & ſeparatum ob carentiam fidei, & charitatis; nec in eadem inſtitutione potius viuum, quam mortuum elegit, & determinauit, ſed ſolum voluit debitam materiam, & congruam formam cum proportionata intentione, ergo miniſter ſiue fuerit fidelis, & probus, ſiue infidelis, & improbus erit aptus ad Sacramenta conficienda, ſi alia requiſita non deſint; quinimmo maximè congruum fuit, ne hoc miniſterium ſolum fidelibus, & probis alligaret, ne dubietas ingereretur de Sacramentorum valore ob incertitudinem, an miniſter fuerit probus, vel improbus, fidelis, vel infidelis.

6 Dices. Actio inſtrumenti dicitur actio principalis cauſæ, & motoris, ſed actio, qua conficitur Sacramentum à miniſtro improbo, & infideli non poteſt eſſe actio Dei, vt principalis motoris, nec Chriſti, vt principalis miniſtri, ergo per ipſam non poteſt validum confici Sacramentum, cum hoc non poſſit eſſe, niſi per actionem Dei. Sed contra, quia actio improbi, & infidelis miniſtri licet ſit peccaminoſa, quatenus exercetur in miniſterio Sacramentorum ab exiſtente in peccato læthali, vel hæreſi, poteſt tamen in eodem duplex ratio conſiderari, altera, qua deficit a recta ratione, & peccaminoſa eſt, altera, qua ſenſibilis eſt, ſignificatiua, & relata ad id, quod intendit facere Eccleſia; hinc dico eſſe actionem Dei, prout eſt ſenſibilis, ſignificatiua, & relata ad intentionem Eccleſiæ; non prout deficit à recta ratione.

Quomodo actio miniſtri improbi poſſit dici actio Dei.

7 Solum hic inducitur aliqua difficultas, quod D. Ciprianus Martir acritèr propugnauit pro Epiſcopis Africanis ſententibus Baptiſmum collatum ab Hæreticis, & ſchiſmaticis eſſe inualidum, & reiterandum, quinimmo expreſsè ſe oppoſuit aduerſus Stephanum Summum Pontificem, qui contra eoſdem Epiſcopos epiſtolam ſcripſit damnantem eorum opinionem tanquam erroneam; quomodo autem poteſt compati hæc opinio, ſi eſſet erronea cum ſanctitate tanti viri, & maximè ab vniuerſali Eccleſia commendati tanquam eiuſdem defenſoris, & propugnatoris acerrimi? Sed dicendum eſt non obſtante erroneitate ſententiæ non eſſe damnandum hæreſis, aut erroris in fide D. Ciprianum ſaltem formalis, cum tunc contrarium non fuerit per aliquod Concilium generale deciſum; Quod, ſi ſe oppoſuerit Epiſtolæ Stephani Pontificis, ſe eidem oppoſuit non vt loquenti ex cathedra, ſed, vt ſimplici Doctori. Deinde probabilius eſt, quod ante mortem hunc errorem retractauerit: aſſerente *D. Auguſtino lib.* 2. *de Baptiſ. c.* 5. *Cuius correctionem, ſi litera taceant, merita clamant, ſi in Epiſtolis non inuenitur, corona martirij teſtatur.*

Vindicatur D. Ciprianus à nota erroris.

8 Ex hactenus dictis deducitur, quod non ſolum Sacramenta ab Hæreticis collata ſint valida, ſed etiam ſuſceptoribus conferant effectum, ſeu fructum eorundem Sacramentorum, & ratio videtur ſecundum ſe manifeſta, quandoquidem Sacramenta ſecundum ſua ſubſtantialia poſita infallibilitèr ſuos conferunt effectus, vbi obex non reſiſtit, cum ſint cauſæ quodamodo neceſſariæ, quæ poſitis omnibus requiſitis infallibilitèr operantur; nec improbitas, & malitia conferentis poteſt huiuſmodi effectus impedire, quandoquidem,

Sacramẽta ab Hæreticis collata conferũt ſuſceptoribus gratiam.

ſicuti non impedit valorem Sacramentorum, nec videtur poſſe impedire eorum efficaciam, & ſicuti infirmitas Medici non tollit, quin remedia ab eo collata conferant ſanitatem, ita, nec infirmitas miniſtri laborantis hæreſi, vel labe læthali tollere poteſt, quin ſpiritualia remedia ideſt Sacramenta conferant ſpiritualem ſanitatem. Neque obeſſe poteſt id, quod dicitur *Eccleſiaſtici 34. Ab immundo quis mundabitur?* Conformitèr ad hæc verba SS. PP. aſſerunt Sacramenta ab Hæreticis collata non ſanctificare, & ſanare, ſed potius polluere; vnde D. Hermenegildus communionem ab Hæreticis iuſſu Patris delatam reiecit; & *D. Gregorius Nazianzenus oratione* 40. admittens Sacramenta à peccatoribus collata, non ſolum valida eſſe, ſed etiã efficacia, limitat tamen in ordine ad collata ab Hæreticis, *dummodo non apertè condemnatus ſit, & ab Eccleſia alienus*, ergo ſaltem, vt collata ab Hæreticis non poſſunt parere effectum gratiæ; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia huiuſmodi ſcripturæ, & SS. PP. textus intelligendi ſunt, quando, qui recipit cooperatur, ſeu communicat cum prauitate conficientis; admittens conſortium Hæreticorum in rebus ſacris, quod vetitum eſt; vnde, ſi Hæretici conferrent Sacramenta ignorantibus ipſorum peruerſitatem, puta Baptiſmum paruulis non video quomodo in eiſdem poſſint immunditiam, & prauitatem transferre; atque huius explicationi maximè conſonat id, quod ex Diuo Gregorio Nazianzeno aſſertur per illam limitationem, ſeu conditionem, dummodo non apertè condemnatus ſit, & ab Eccleſia alienus, quia tunc eſt vitandus, adeoque non licitum eſt cum ipſo communicare, & multo minus in ſacris; & ſi fieret communicatio in hoc cum ipſis, eorum actio vtique non ſanctificaret, quin potius pollueret non ex improbitate, & infidelitate conficientis, ſed ex indiſpoſitione, & malitia recipientis contra vetitum Eccleſiæ. Ad illud, quod primo loco dicebatur ex *Eccleſiaſtico 34.* dicendum eſt ad ſummum verificari, quando immundus operatur virtute propria, non autem quando operatur virtute Dei, cuius eſt inſtrumentum aſſerente *Apoſtolo 1. ad Corinth. 6.* Ego Plantaui, Apollo rigauit; ſed Deus incrementum dedit, neque enim, qui plantat eſt aliquid, neque, qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus ex quibus verbis clarè deducitur ex miniſtrorum culpa ſuſceptores Sacramentorum nihil vitij contrahere, quemadmodum, nec arbores contrahunt immunditiam ex eo, quod ſemina ſordente manu agricolæ ſerantur, vel rigentur.

9
Dicta SS. PP. quomodo intelligenda.

10
Improbitas miniſtri reddit illicitam illius actionem.

Aſſertio II. Quamuis valorem Sacramentorum improbitas, & infidelitas miniſtrorum non impediat, reddit tamen illicitam ipſorum actionem. In hoc nullus eſt, qui poſſit rationabilitèr diſſentiri. Eam ſuſtinent *D. Thomas tertia part. q. 64. art. 6., & ibi Caietanus, Gonetus diſp. 6. art. 4., Suarez diſp. 15. ſect. 4., Vaſquez diſp. 136. c. 3., Lugus diſp. 8. ſect. 9., Arriaga diſp. 20. ſect. 1.*

Probatur primò ex varijs Scripturæ locis *Exodi 14., Leuit. 19., Iſaiæ* 58. vbi maxima ſanctitas præcipiebatur in miniſterio ſacrificiorum antiquæ legis, & ſi hæc requirebatur in Sacrificijs, & Sacramentis in figura, quid erit de figurato? Secundò ex varijs textibus iuris canonici, & præcipuè *ex c. quæſitum de temp. ordin. ex c. neceſſe eſt 1. q. 1., & c. Sacerdotes ibid.* Tertiò ex SS. PP. auctoritatibus, & ſignantèr *Auguſtini lib. 2. contra Epiſt., Parten. c. 10.* vbi habet omnia Sacramenta cum obſint indignè tractantibus, proſunt tamen per eos dignè ſumentibus. Quartò ratione, quia improbitas Sacerdotis in actu conficientis Sacramenta valdè diſſona eſt ſanctitati actionis, qua conficitur Sacramentum, effectus, qui per Sacramentum confertur, Chriſti, cuius nomine miniſter operatur, conſecrationis, qua ad Sacramentale miniſterium deputatur; vnde omnes conueniunt, quod miniſter improbus, & infidelis in improbitate, & infidelitate conficiens Sacramentum contrahat peccatum ex genere ſuo læthale in ſpecie ſacrilegij, & quidem grauius, ſi miniſter fuerit conſecratus propter oppoſitionem ad conſecrationem.

11
Vt licitè fiant requiritur ſtatus gratiæ.

Hinc deduces ad licitam confectionem Sacramentorum requiri in miniſtro ſtatum gratiæ, vt magis conformetur ſuo principio; debet enim conſiderare quid ſit, cuius miniſter ſit, & quid agat; ſanè ſicut Chriſti inſtrumentum eſt, vt alios ſanctificet, ita Diuinam in ſe Chriſti ſanctimoniam debet in Sacramentorum exercitio imitari, quod præcipuè verificatur, quando Sacramentum exigit in miniſtro conſecrationem; nihil enim inquit *D. Ambroſius lib. 1. de dignit. Sacerd. c. 1. eſt in hoc ſæculo excellentius Sacerdotibus, ſi quod ſumus profeſſione, actione potius, quam nomine demonſtremus, vt nomen congruat actioni, actio reſpondeat nomini, ne ſit honor ſublimis, & vita deformis, ne ſit deifica profeſſio, & actio illicita.*

AR-

ARTICVLVS V.

An, & qualis intentio requiratur in miniſtro in confectione Sacramentorum.

SVMMARIVM.

Quænam veniant ſub hoc titulo diſcutienda. 1.
Sententia docens ſufficere intentionem conficiendi opus purè externum. 2.
Auctoritates Conciliorum, & SS. PP. euincentium ſufficere intentionem conficiendi opus externum. 3.
Rationes ſuadentes eandem opinionem. 4.
Comparatur miniſter Procuratori deferenti voluntatem ſui Principalis. 5.
Eccleſia approbat Baptiſmum collatum ab Hæbreis, & Paganis, in quibus non ſupponitur intentio faciendi, quod facit Eccleſia. 6.
Euincitur exemplo Notarij deputati à publico conficientis inſtrumentum ſine intentione &c. 7.
Eccleſia non fuit ſollicita de intentione miniſtri infidelis in conficiendis Sacramentis, ſicuti fuit ſollicita de materia, & forma. 8.
Inconuenientia plura, quæ ex contraria ſententia oriẽtur. 9.
Ad valorem Sacramenti non ſufficit intentio peragendi ſerio opus merè externum. 10.
Euincitur definitionibus Conciliorum. 11.
Non requiritur intentio directa inducendi effectum Sacramenti, ſed ſufficit indirecta, & quomodo. 12.
Eccleſia non facit opus, vt merè externum, ſed, vt Sacramentum. 13.
Soluitur inſtantia oppoſita. 14.
Euincitur etiam auctoritatibus D. Thomæ non ſufficere intentionem efficiendi opus merè externum. 15.
Explicatur mens D. Thomæ, vt non contraria ſibi, nec noſtro aſſerto. 16.
Clarius explicatur mens eiuſdem. 17.
Miniſtri non ſunt inſtrumentum merè inanime. 18.
Non eſt eadem ratio de iudicijs forenſibus, ac de Sacramentali. 19.
Per intentionem materia, & forma quodammodo determinantur. 20.
Dicta SS. PP., & Conciliorum in contrarium adducta non aduerſantur noſtræ concluſioni. 21.
Miniſteria etiam in Politica Republica ſunt in duplici genere, alia materialia, & puræ executionis, alia formalia, & veræ cooperationis. 22.
In miniſtro baptiſmatis non requiritur fides. 23.
Notarij ſolum exprimunt voluntatem contrahentium. 24.
Eccleſia etiam ſollicita eſt in inquirenda intentione miniſtri, vbi eſt dubium de exiſtentia eiuſdem. 25.
Eluduntur inconuenientia ab Aduerſarijs adducta. 26.
Eluduntur alia obiecta deducta ex Eccleſiaſticis hiſtorijs remiſſiuè. 27.
Intentio inducendi effectum Sacramenti non eſt neceſſaria ad valorem Sacramenti. 28.
Procedit de intentione directa. 29.
Eſt neceſſaria intentio relatè ad finem faciendi Sacramentum, ſeu ad id, quod facit Eccleſia ritu Sacramentali. 30.
Quid importet intentio faciendi Sacramentum ſupra intentionem ſeriò faciendi opus externum. 31.

IAm ſatis in præcedenti quæſtione diximus intentionem miniſtri non ingredi intrinſecè, ſeu non eſſe intrinſecè conſtitutiuam Sacramentorum; requiri tamen eſſentialiter ad eius confectionem, ita vt ſine ipſa non poſſit validum confici Sacramentum, vt definitum eſt *in Concil. Flor. in decret. vnionis Armenorum, & in Trident. ſeſſ. 7. can. 11. de Sacram. in genere*; vnde non eſt, cur in hoc immoremur. Id, quod in præſenti titulo remanet examinandum, eſt, quæ intentio requiratur, hoc eſt de quo obiecto debeat eſſe, & qualis, ſcilicet, an actualis, an virtualis, an merè habitualis, an directa, an etiam indirecta, an abſoluta, an ſufficiat conditionalis.

1 Articuli examinandi circa titulum.

Quoad primum duas inuenio opiniones quaſi extremè oppoſitas. Prima docet, ſufficere intentionem conficiendi opus purè externum applicando materiam, & proferendo verba ſine alio, dummodo applicatio materiæ, & formæ fiat eo exteriore ritu, quem Eccleſia ſeruat, etiam ſi internus animus non exiſtat. Hæc opinio tribuitur *Catharino opuſc. de intent. miniſtri, Scribonio diſp. 1. de Sacram. in gen. q. 6., & 7.* Secunda docet, neceſſariam eſſe intentionem non ſolum efficiendi Sacramentum, ſed etiam inducendi effectum Sacramenti; atque iuxta hunc ſenſum procedunt *Vaſquez diſp. 138. num. 35., Valentia q. 5. punct. 3. §. quarto igitur, Eſparza q. 13. art. 5.* Media via communius procedunt DD. aſſerentes, primam non eſſe ſufficientem; ſecundam non eſſe neceſſariam, ſicque dicunt ſufficere, & neceſſariam eſſe intentionem efficiendi Sacramentum, ſeu id, quod facit Eccleſia, etiam ſi non ſit intentio directa inducendi Sacramentum.

2 Variæ opiniones circa intentionem de obiecto.

Singulas has opiniones placet ſub hoc titulo examinare; reliqua, quæ ad hanc intentionem pertinere poſſunt, reſeruabibus in ſequentibus.

Primam opinionem præter præcitatos DD. ſuſtinere videntur ex antiquioribus *Magiſter ſententiarum in quarto diſt.27. lit.C.* loquens in terminis Matrimonij, dùm vult, quod ſi à contrahentibus verba ſeriò, & liberè proferantur apta ad manifeſtandum conſenſum ceſſante vi, & dolo, ſufficiat ad valorem Sacramenti, quantumuis voluntas interius renitatur. *Paludanus in quarto diſt. 6. q.2.* vbi multa congerit in confirmationem huius opinionis *Angelus de Clauaſio*, qui eſt auctor ſummæ Angelicæ *verbo Baptiſmus c. 5.*, *Silueſter in ſumma verb. Baptiſmus tit. 3.*, *Chriſtophorus Iatollus part. 5. Phyloſophiæ Chriſtianæ tract. 2. de Baptiſmo c.6. in fin.*, qui omnes docent ſufficere intentionem peragendi externi ritus, qui Chriſtianis Religioſus eſt ſine alia intentione, quinimmo cum malitioſa intentionis retentione. Idipſum docent ex recencioribus, qui à tempore Concilij Trid. ſcripſerunt *Alphonſus Salmeron lib. 1. comment. ſuper Paulinas Epiſtolas tertia part. diſp. 2.*, *Vigueriius lib. Inſtit. c. 16. de Sacram. in gen.*, *Zacharias Paſqualigus diſp.72. ſect.4.* & alij plures.

3 Auctoritates Cõciliorum, & SS.PP. definientium ſufficere intentionẽ de opere externo.

Hanc SS. PP. auctoritatibus confirmare ſatagunt, & primò *D. Ioannis Chryſoſtomi homil. 85. in Ioannem*, vbi habet. *Quia Sacerdos linguam, & manus præbet; neque enim iuſtum eſt propter aliorũ malitiam ad ſalutem noſtram accedentes offendi*; ſuſcipientibus autem obreperet offenſio, ſi intentionis retentione, quæ, non niſi à malitia proficiſcitur; vis Sacramentis eriperetur. *D. Auguſtini lib.7. de Baptiſmo c.53.* vbi prohibet iterari Baptiſmum cum interna dantis ſimulatione collatum. Item auctoritatibus Summorum Pontificum, & Conciliorum *Adriani 1. Epiſt. 8. relata tom. 2. Conciliorum Galliæ*, vbi ſtatuit Saxones verè Sacramentum ſuſcepiſſe baptiſmatis, *& ſi foris tantum, non intus conſenſerint*, quod eſt ſimulato animo, & intentione accedere; ille etenim ſimulat, qui aliquid exterius facit, cui intus non conſentit; Quod, ſi dicas, hoc Pontificis dictum reſpicere ſolum ſuſcipientem, reſpectu cuius ſufficit intentio habitualis conſiſtens in multorum ſententia in mera negatione repugnantiæ, non autem conficientem, de quo modo agitur, reſpectu cuius requiritur intentio ſaltem virtualis; ſtatim reſpondent, quod, ſicuti ſufficit externus forinſecus ritus, quo materia, & forma applicantur, reſpectu ſuſcipientis, ita idem ſufficiat reſpectu conficientis, cum iſte ſe habeat, vt merum inſtrumentum applicans, & intentio ſolum ſit conſideranda reſpectu principalis agentis. *Innocentij III. tertia part. decret. tit. 42. c. maiores*, cuius hæc ſunt verba. *Is, qui terroribus, atque ſupplicijs violentèr atrahitur, & ne detrimentum capiat, Baptiſmi ſuſcipit Sacramentum, talis ſicut, & is, qui fictè ad Sacramentum accedit, & caracterem ſuſcipit Chriſtianitatis impreſſum, & ipſe tanquam conditionalitèr volens, licet abſolutè non velit, cogendus eſt ad obſeruantiam fidei Chriſtianæ*; ex quibus verbis huius opininionis aſſertores ſic efformant argumentum. Non minus requiritur in adulto ſuſcipiente Baptiſmum intentio, ac requiratur in miniſtro illum conficiente, ergo, ſi in adulto ſufficit intentio ſuſcipiendi ritum externum, quinimmo ſimulata, & libera receptio, etiam ſufficiet in conficiente. *Concilij Toletani IV.* in quo fuit definitum eos, qui fuerunt baptizati ritu externo adhibito àb Eccleſia licet inuiti, teneri Catholicam fidem ſeruari. *Concilij Rotomagenſis celebrati anno* 1581. in quo damnantur illi, qui dubitabant de valore Baptiſmi à Caluiniſtis collati ex eo, quod conficientes non haberent intentionem baptizandi in remiſſione peccatorum.

Pluribus etiam rationibus hoc conantur euincere. Primò, quia miniſter eſt tantummodo inſtrumentum, nuntius, & quaſi Procurator Chriſti Domini; Procurator autem, nuntius, & inſtrumentum validè adimplet munus ſuum, dummodo deferat per verba expreſſa mentem ſui principalis, quantumuis ipſe iocosè, & ſine propria intentione deferat. Hoc confirmant exemplo ſerui ex commiſſione Domini vendentis rem eiuſdem Domini, qui certè legitimè vendit, & transfert dominium eiuſdem rei, ſi deferat verba eiuſdem Domini ſeriò, quamuis ſine propria intentione deferat, ergo etiam miniſter Sacramentorum, cum ſit inſtrumentum Chriſti Domini legitimè conficiet Sacramenta, ſi materiam, & debita verba applicet, quamuis ſine intentione propria.

4 Rationes ſuadentes eandẽ opinionem.

Ad hoc magis roborandum comparant miniſtrum Sacramentorum ad applicantem ignem ad materiam combuſtibilem diſpoſitam, quæ vtique comburitur, quamuis applicans non intendat combuſtionem; item ad applicantem medicinam aptam corpori ſanabili, quæ certè ſalutem afferet, quantumuis applicans non intendat in illo corpore ſanitatem, ergo etiam, cum virtus Sacramentorum ſit a Chriſto Domino, facta applicatione eorundem per miniſtrum eadem Sacramenta vim conſequentur, quantumuis intentio applicantis non interueniat.

5 Comparatur miniſter Procuratori deferenti voluntatem ſui principalis.

Secundò, quia Eccleſia recipit tanquam valida Sacramenta præcipuè baptiſmatis confecta ab Hæreticis, Iudæis, & Ethnicis dummodo ſit adhibita debita materia, & congrua forma, ſed hæc Sacramenta non poſſunt eſſe confecta, niſi ex intentione

6 Eccleſia approbat Baptiſmũ collatum ab infidelibus.

effi-

Google

efficiẽdi opus externum applicationis verborum ad congruam materiam, ergo &c. Minor probatur, quia Hæretici, Iudæi, & Ethnici Sacramenta non credunt, negant Chriſtum potuiſſe eadem inſtituere, Eccleſiam credunt eſſe congregationem iniquitatis; quomodo poſſunt intendere Sacramentum, quod negat? facere, quod fecit Chriſtus, ſi eum non agnoſcunt inſtitutorem? Intendere, quod intendit Eccleſia, quam arbitrantur congregationem iniquitatis?

7 Euincitur exẽplo Notarij conficientis inſtrumentum ſine intẽtione.

Tertiò, quia Chriſtus Dominus humano modo Sacramenta pro Chriſtiana Republica inſtituit, & homines miniſtros eorundem conſtituit, & deputauit, ſed actiones in quacunque benè ordinata Republica à miniſtro deputato confectæ cum ſolitis formulis vim habent, quantumuis ipſe miniſter ſedulò cum intentione non conficiat, ergo etiam Sacramenta à miniſtro à Chriſto Domino deputato confecta cum debita materia, & ſolita verborum forma ſubſiſtunt, quantumuis &c. Minor probatur, quia, ſi Notarius à publico deputatus rogatus à partibus inſtrumentum conficiat, validè conficit, ſi adhibeat omnia ex Reipublicæ præſcripto requiſita, quamuis intentionem &c. & hoc, quia, vt Reibuplicæ vicibus fungens ſeriò operatus eſt, ergo etiam cum miniſter vicibus Chriſti; & Eccleſiæ fungatur in miniſterio Sacramentorum, validè &c. quamuis &c.

8 Eccleſia non eſt ſollicita circa intentionẽ.

Quartò, quia Eccleſia, quæ ſemper in dirimendis quæſtionibus circa valorem Sacramentorum ſollicita fuit in inquirendo, an debita materia, & forma fuerit adhibita in eorum confectione, nunquam fuit ſollicita in inquiſitione circa intentionem miniſtri, non obſtante, quod Sacramenta fuerint ab infidelibus confecta, quin potius ſemper declarauit valida Sacramenta à peruerſis miniſtris confecta, quantumuis iſti poſt peractos ſeriò ritus declarauerint ſe nullã intentionem habuiſſe; ex quibus manifeſtiſſimè liquet nunquam ad valorem Sacramentorum aliam intentionem deſideraſſe Eccleſiæ præſules, præter illam Eccleſiæ, quæ operè externo ritè confecto per conſuetam formam ſeriò prolatam continetur.

9 Abſurda, quæ ex contraria ſententia oriren-tur.

Vltimo, quia data contraria ſententia exigente ad valorem Sacramentorum ſaltem intentionem efficiendi Sacramentum, ſeu id, quod facit Eccleſia, innumeris ſubiacerent fideles anxietatibus, innumeris agitarentur curis, an validè Sacramenta receperint; & dato, quod ſemel perfidus aliquis miniſter retenta intentione, aut poſita peruerſitate intentionis aliquem baptizaret, qui poſtea promoueretur ad ſacros ordines, & fortè etiam ad Epiſcopalem dignitatem in magna aliqua Diæceſi oh quot ruinæ, oh quot confuſiones in illa Diæceſi obreperent? Si plures eſſent ab eodem Sacerdotes ordinati, nullus ex his vera Sacramenta perficeret, & ſic quot inualidè abſoluerentur? quot ſacra Euchariſtia non reficerentur? Quot ſubſtantiam panis pro vero Chriſti Domini corpore adorarent? quæ omnia, & ſimilia abſurda ceſſant data ſententia, quod ſufficiat intentio efficiendi opus merè externum applicando ſcilicet materiæ idoneæ conſuetam Eccleſiæ formam. His tamen non obſtantibus ſit

Aſſertio I. Ad valorem Sacramentorum non ſufficit intentio ſeriò peragendi externum ritum, ſeu opus externum applicationis materiæ, & formæ. In hunc conſentiunt *Scotus in quarto diſt. 6. q. 5.*, *Gabriel in quarto eadem diſt. q. 1.*, *Alenſis quarta part. ſummæ q. 13. memb. 1. art. 2.*, *Suarez diſp. 13. ſect. 2.*, *Vaſquez diſp. 137.*, *Madernus q. 5. art. 4.*, *Cacheranus tract. 8. de Sacram. in gen. c. 2. §. 5. n. 57.*, *& ſeqq.* 10

Non ſufficit intẽtio peragendi opus merè externum.

Probatur primò auctoritatibus, & definitionibus Conciliorum *Florentini in decreto vnionis*. Ibi *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona miniſtri conferentis Sacramentum.* Trident. *ſeſs. 7. de Sacramentis in genere can. 11.* Ibi *Si quis dixerit in miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia, anathema ſit*; ex quibus definitionibus, & verbis ſic ad rem noſtram efformo argumentum. Intentio faciendi, quod facit Eccleſia ponitur tanquam quid diſtinctum ab applicatione materiæ, & formæ; non poteſt autem applicari materia, nec poſſunt verba proferri ſine intentione faciendi ritum externum cum hic ritus ſit in illa applicatione materiæ, & prolatione verborum, ergo cùm illa intentio faciendi, quod facit Eccleſia ponatur tanquam quid diſtinctum ab applicatione materiæ, & prolatione verborum debet ad quid aliud referri, quam ad ritum externum; cum autem Eccleſia intendat facere cæremoniam ſacram, & exercere actionem formalitèr Sacramentalem intentio miniſtri debet ad eandem referri; & ſine tali relatione non poterit Sacramentum ſubſiſtere. 11

Euincitur definitionibus Conciliorum.

Dices primò. Hoc argumento euinci, quod nedum requiratur intentio faciendi rem ſacram, & exercendi actionem Sacramentalem, ſed etiam producendi in ſubiecto recipiente effectum Sacramentalis gratiæ, quod à nobis ex infra dicendis non requiritur. Aſſumptum autem ſic euincitur. Eccleſia in confectione Sacramen-

Digitized by Google

12 Non requiritur intentio directa producendi effectū Sacramenti, ſed ſufficit indirecta.

mentorum intendit facere rem ſacram, vt eſt actio quædam Sacramentalis productiua gratiæ, & aliorum effectuum ſupernaturalium, ergo, ſi intentio requiſita à Concil. Tridentino debet referri ad intentionem Eccleſiæ; prout diſtinguitur ab applicatione materiæ, & prolatione formæ, debet ad eandem referri non præciſè, vt intendit actionem ſacram, ſed etiam, vt eſt productiua gratiæ, & per conſequens intendere eiuſdem gratiæ productionem. Sed contrà, quia duplex intentio tam in Eccleſia, quam in miniſtro poteſt conſiderari; alia indirecta, alia directa in ordine ad Sacramentalem effectum; indirecta eſt indiſtincta ab intentione conficiendi Sacramentum, cum intentio cauſæ ex genere ſuo indirectè inuoluat intentionem effectus, à qua non poteſt præſcindere; directa vero eſt formalis actus, quo directè, & expreſsè intenditur eiuſdem effectus productio: Prima, ſicuti eſt in Eccleſia intendente Sacramentum, ità ſemper eſt etiam in miniſtro intendente ipſum, cum ſit indiſtincta ab intentione Sacramenti. Secunda, nec eſt neceſſaria reſpectu Eccleſiæ, nec reſpectu miniſtri; cuius veritatis ſignum eſt ſaltèm in ordine ad miniſtrum, quod, quamuis hic ignoret Sacramenta conferre gratiam, adeoque non habeant directam intentionem inducendi in ſuſcipiente gratiam, adhuc validum poteſt conficere Sacramentum, non reluctante Eccleſia, quæ rata habet Sacramenta ab Hæreticis collata, quamuis iſti ex ſuo priuato errore habeant intentionem poſitiuam non inducendi eandem gratiam. Hoc idem expreſsè habet *D. Thomas tertia part. q.64. art. 10.* vbi dicit, quod peruerſa intentio miniſtri, ſi ſit reſpectu ipſius Sacramenti tollat veritatem eiuſdem Sacramenti, ſecus, ſi ſit reſpectu effectus Sacramenti. Quando igitur nos dicimus non requiri ad valorem Sacramenti intentionem producendi effectum Sacramenti, loquimur non de indirecta imbibita in ipſa ratione Sacramenti tanquam cauſæ, ſed de directa, quod certè veriſſimum eſt.

13 Eccleſia non facit opus, vt mere externum, ſed vt Sacramentum.

Dices ſecundò *Concilium Tridentinum loc. cit.* non dicit, quod requiratur in miniſtro intentio efficiendi id, quod intendit Eccleſia, ſed id, quod facit Eccleſia, quæ duo ſunt valdè diuerſa; nam id, quod facit Eccleſia eſt ritus externus ſacer in certa materia, & forma; id, quod intendit Eccleſia eſt ſanctificatio hominum, ad quam ſigna illa externa ſunt ordinata; ſufficiet igitur intentio iuxta Tridentinum efficiendi ſeriò illum actum externum, quem facit Eccleſia, nec requiritur id, quod intendit Eccleſia. Sed contra id, quod facit Eccleſia in confectione Sacramentorum non eſt opus externum materialitèr ſumptum, ſed opus quidem externum, ſed ſimul, vt inſtitutum a Chriſto Domino; & aptum ad finem, ad quem eſt ordinatum; prout autem eſt opus à Chriſto inſtitutum, eſt ſub ratione Sacramenti, adeoque facit, vt Sacramentum. Sed hoc melius explicabitur infra, dum de obiecto intentionis miniſtri faciendi, quod facit Eccleſia.

Dices tertiò impugnando ſpecialitèr id, quod dicebatur in principio probationis noſtræ, nempè intentionem, eſſe quid diſtinctum ab applicatione materiæ, & formæ, nec poſſe materiam applicari, nec verba proferri ſine intentione faciendi ritum externum, & tamen Tridentinum præter talem applicationem requirere intentionem, quæ per neceſſarium conſequens debet eſſe diſtincta ab illa; hoc, inquam, impugnando dices applicationem materiæ, & formæ indifferentem eſſe, vt fiat modo iocoſo, ſcœmico, & deriſorio, vel fiat modo accurato, ſeriò, & iuxta quod exigit officium conficientis; licet igitur illa intentio à Tridentino requiſita ſit diſtincta ab applicatione materiæ, & formæ facta modo iocoſo, & ludrico; non eſt tamen diſtincta, quando ſeriò, & accuratè fit iuxta officium, quod gerit, & ſic ſeriò, & accuratè efficiendo, quod facit Eccleſia, ſeu opus externum, quod fit ab eadem, intelligitur fieri Sacramentum, quamuis intentio non referatur ad quid aliud ab illo, quod fiat opus externum cum applicatione materię, & formæ ſeriò, & accuratè. 14 Soluitur inſtantia oppoſita. Sed contrà, quia non eſt præſumendum, quod Concilium diſtinguens inter materiam, & formam, & perſonam, ſeu intentionem miniſtri voluerit diſtinctionem intentionis ſolùm intercedere, quando fit applicatio materiæ, & formæ iocosè, & deriſoriè, non autem quando illa fit ſeriò, præciſè, vt opus externum, quod præcipuè ex eo euincitur, quod Concilium in confectione Sacramentorum non conſiderauerit actionem iocoſam, & deriſoriam, cùm hæc ſit contra naturam, & conditionem Sacramenti; vnde aliud eſt, quod actio non ſit iocosè, & illuſoriè facta, aliud quod ſit facta, vt ſit Sacramentum. Primum dicit ſolum excluſionem ioci, & deriſionis, & intentionem non eludendi, & hæc non diſtinguitur ab ipſa actione, & applicatione materiæ, & formæ; ſecundum importat intentionem efficiendi actionem Sacramentalem, quæ eſt quid aliud ab ipſa applicatione non iocosè, ſed ſeriò facta. Deindè illa intentio, quæ requiritur ex parte miniſtri ad conficiendum Sacramentum ex ſuperius latè probatis non eſt intrinſecè conſtitutiua Sacramenti, & per

con-

Digitized by Google

conſequens eſt diſtincta ab opere externo, in quo conſiſtit Sacramentum, adeoque non ſolum à iocoſa applicatione, in qua non ſaluatur ratio Sacramenti, ſed etiam à ſeria.

15 Euincitur etiā auctoritate D. Thomæ.

Probatur ſecundò pluribus D. Thomæ auctoritatibus, & primò deſumpta *ex tertia part. q. 64. art. 8. in corpore*, vbi ſic habet. *Quando aliquid ſe habet ad multa, oportet, quod per aliquid determinetur ad vnum, ſi illud effici debeat. Ea verò, quæ in Sacramentis aguntur poſſunt diuerſis modis agi, ſicuti ablutio aquæ, quæ fit in Baptiſmo poteſt ordinari, & ad munditiam corporalem, & ad ſanitatem corporalem, & ad ludum, & ad multa alia huiuſmodi; & ideo oportet, quod determinetur ad vnum idest ad Sacramentalem effectum per intentionem abluentis, & hæc intentio exprimitur per verba, quæ in Sacramentis dicuntur;* ex quibus verbis clarè deducitur ex mente S.D. requiri intentionem miniſtri relatam ad effectum, hoc eſt ad eſſe Sacramentale; Neque dicas ex ſubſequentibus verbis, nempè, *& hæc intentio exprimitur per verba, quæ in Sacramentis dicuntur*, colligi ſufficere intentionem per verba ſeriò prolata expreſſam, quidquid aliud peruerſus miniſter intus velit, intus moliatur, adeoque non requiri aliam intentionem in miniſtro, niſi efficiendi ſeriò opus externum; contra enim impugnaberis; quia cum S.D. dicat indifferentiam tolli, & determinari ad eſſe Sacramentale per intentionem miniſtri, iam ſupponit intentionem eiuſdem relatam ad eſſe Sacramentale, quod deindè dicat, hanc intentionem exprimi per verba, non efficit, quod intentio conſiſtat præcisè in illis verbis ſeriò prolatis, ſed in alio præſupoſito, quod exprimunt eadem verba; expreſſio etenim eſt alterius, ſicuti figura eſt figurati, & imago repræſentati, non ſui ipſius.

Dices D. Thomam *ead. q. 64. art. 8. ad ſecundum*, contrarium huic noſtræ expoſitioni expreſsè habere, quandoquidem ibi inquirens, quomodo haberi poſſet ſerenitas, & pax conſcientiæ de valida receptione Sacramentorum ſuppoſita neceſſitate intentionis miniſtri, cum ſemper poſſit eſſe dubium de interuentu huius intentionis, in hæc verba reſpondit. *Dicendum, quod circa hoc eſt duplex opinio* (& ibi recitata opinione illorum, quod non exiſtente tali intentione Chriſtus in pueris ſuppleat eiuſdem defectum; & in adultis eorum fides,

16 Explicatur mens D. Thomæ in alio textu.

& deuotio quantum ad effectum primarium eorundem Sacramentorum) ſubdit. *Et ideo alij melius dicunt, quod miniſter Sacramenti agit in perſona totius Eccleſiæ, cuius eſt miniſter; in verbis autem, quæ profert, exprimitur intentio Eccleſiæ, quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti, niſi contrarium exterius exprimatur ex parte miniſtri, vel recipientis Sacramentum*, vbi vides S. D. velle ſufficere intentionem Eccleſiæ expreſſam per verba miniſtri ſeriò prolata excludendo intentionem mentalem eiuſdem miniſtri per excluſionem prioris opinionis. Sed contra; ſi benè perpendantur verba S.D., & ad quem finem, ſeu effectum illa protulerit, clarè innoteſcet, per eadem non excludere intentionem internam miniſtri, nec repugnare noſtro aſſerto; Ibi erat ſermo, quomodo fideles poſſent eſſe certi de valore Sacramentorum, ſi requireretur interna intentio miniſtri, qui ex ſua peruerſitate poteſt, vel intentionem retinere, vel contrariam apponere; & ſic reſpondet haberi ſufficientem certitudinem per hoc, quod miniſter agens in perſona totius Eccleſiæ proferat ſeriò verba, quibus vtitur eadem Eccleſia, per quam reſponſionem non excludit internam miniſtri intentionem, ſed vult tantum, eam ſufficientèr manifeſtari per verba Eccleſiæ ab eodem miniſtro ſeriò prolata, nec aliam manifeſtationem requirit talis intentionis; vnde ſubdit, quod de hac ſatis conſtet, *niſi contrarium exterius exprimatur ex parte miniſtri*; ex quibus vltimis verbis argumentum ad rem noſtram ſic efformo. Hæc verba, *niſi contrarium exterius exprimatur*, non poſſunt referri ad intentionem Eccleſiæ, quando verba ſunt ſeriò prolata, ergo referuntur ad intentionem ipſius miniſtri, quæ ſupponitur adeſſe, niſi contrarium exprimatur. Antecedens patet, quia non eſt in poteſtate miniſtri tollere intentionem Eccleſiæ, quæ quoties fit applicatio materiæ, & formæ nunquam ſuam retrahit intentionem. Hac reſponſione etiam ſatisfit alteri obiecto ex eodem *D. Thoma in quarto diſtinct. 6. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 2. ad ſecundum* deducto, cum ferè ſonat in eadem verba, ac proindè eadem ſolutione euacuatur. Dici etiam poteſt S. D. intelligendum eſſe de negatione intentionis internæ, qua miniſter comprehendat clarè, & explicitè obiectum a ſe intentum in Sacramentali miniſterio, quæ certè difficilè haberi poteſt in quolibet Sacerdote, adeoque, ſi iſta requireretur maxima adeſſet ratio dubitandi de valore Sacramenti; non autem de negatione intentionis internæ, qua ſolum implicitè, & confusè attigeretur obiectum eiuſdem intentionis, de qua infrà agemus, quæ certè intentio, ſicuti facilè haberi poteſt, ità facilè excludit dubietatem, & incertitudinem valoris Sacramenti. 17 Clarius explicatur mens eiuſdem.

Non amplius immorandum in inquiſitione mentis S. D. cum ipſam expreſsè habeamus ex verbis, ità claris, & dilucidis *in opuſc. 5. in ſecunda part. ſub tit. de Eccleſiæ Sacra-*

Digitized by Google

Sacramentis, vt ad oculum noſtram exhibeat ſententiam, & omne aduerſantium ſubterfugium excludat; ſic enim loquitur. *Requiritur etiam in quolibet Sacramento perſona miniſtri cum intentione conferendi, & faciendi, quod facit Eccleſia*, & nonnullis interpoſitis ſubdit. *Et ſi miniſter Sacramenti non intendit Sacramentum conficere, non perficitur Sacramentum*. Quo quid clarius ad rem noſtram? Hæc quoad mentem S. D.

Probatur tertiò rationibus primò, quia miniſtri Sacramentorum iuxta præſentem inſtitutionem Chriſti Domini non ſunt inſtrumenta inanimia, quæ eatenus operantur, quatenus præcisè mouentur à principali agente, cuiuſmodi eſt inſtrumentum artificis, quod niſi motum ab eodem operatur, ſed ſunt inſtrumenta animata, quibus collata eſt à Chriſto Domino poteſtas eadem Sacramenta conficiendi, quique agunt poteſtate, & virtute ipſis ab eodem communicata; ſed hæc poteſtas non eſt ad opus externum merè materialitèr, ſed ad id præſtandum humano modo, quod Chriſtus intendit in collatione talis poteſtatis, & propterea creaturas rationales ſolummodo miniſtros inſtituit, vt non merè materialitèr, ſed cum debita directione in tali miniſterio agerent iuxta præſcriptum inſtitutoris; hinc in collatione poteſtatis abſoluendi à peccatis in Sacramento Pænitentiæ non retulit ad merum opus externum, ſed ad quid alius, nempè ad remiſſionem per veram ſententiam Sacramentalem conferendam; in collatione poteſtatis conficiendi corpus reale in Sacramento Euchariſtiæ præcepit, vt fieret in eius commorationem, & ſic in alijs omnibus quid amplius præcipit, quam opus externum, eiuſque intentionem, nam intentio, v. g. requiſita ad remittendum debitum non eſt præcisè intentio proferendi extrinſecus verba, ergo &c. vnde Concil. Trid. ſpecialitèr in miniſtro pænitentiæ non agnoſcit nudum miniſterium, ſed actum iudicialem, quo ab ipſo velut a Iudice ſententia pronuntiatur.

18 Miniſtri non ſunt inſtrumentum merè inanime.

Dices ex hac ratione poteſtatis per modum iudicij communicatæ quoad Sacramentum Pænitentiæ potiùs euinci ſufficere, quod in exercitio eiuſdem ſententia proferatur ſeriò ab habente talem poteſtatem, quam quod requiratur intentio abſoluendi interna reſpectu proferentis; quandòquidem in iudicijs etiam temporalibus ſententia Iudicis ſedentis pro tribunali, & ſeruatis omnibus, quæ ex iurium præſcripto ſunt ſeruanda, rata habetur, & valida, quamuis Iudex interius non habeat intentionē abſoluendi, ergo etiam &c. Sed contrà, quia in purè exterioribus, & iudicijs forenſibus purè exteriora metimur; in interioribus autem, & quæ concernunt internum animarum forum, non ſolum conſideranda ſunt requiſita pro foro exteriori, ſed etiam quæ ex diſpoſitione inſtitutoris, & conferentis poteſtatem deſiderantur; vnde in illis attenduntur, quæ hominibus apparent, & quæ per Rempublicam præſcribuntur, quæ non reſpicit purè interna; in iſtis, quæ innoteſcunt apud Deum, qui etiam interna ſcrutatur; & quamuis dicatur, quod Sacramentum pænitentiæ inſtitutum ſit ad normam humani iudicij, quod purè in exterioribus verſatur, hoc non officit, quin potius comprobat aſſertum noſtrum, quia cum tale iudicium debeat eſſe humanum debet eſſe cum rationis regula, & cum ſit emendatiuum debet eſſe cum intentione ponendi id, quo poni poſſit emendatio; vnde *Concil. Trid. ſeſſ.* 14. *c. 6.* aſſerit hoc iudicium non poſſe eſſe validum, ſi Sacerdoti animus ſeriò agendi, & verè abſoluendi deſit.

19 Non eſt eadem ratio de iudicijs forenſibus, ac de Sacramentali.

Secundò alia ratione idem euincitur. Quando aliquid ſecundum ſe eſt indifferens ad plura, vt ſuum effectum conſequatur in vno, debet per aliquam actionem ad illud determinari, ſed in Baptiſmo tam materia, & forma, quam actio eſt indifferens ad indicandum, vel munditiam corporis, vel refrigerationem, vel ablutionem ſordium ſpiritualium conſiſtentium in originali, & etiam peccatis actualibus, ergo per actionem miniſtri debet determinari ad eſſe Sacramentale ablutiuum originalis, cæterorumque actualium; atque hoc eſt, quod aſſerebat *D. Thomas d. q. 64. art. 8. in corpore*.

20 Per intentionem materia, & forma determinatur.

Nec multum negotij faceſcunt ea, quæ pro contraria ſententia aſſerebantur; Non primum deſumptum ex auctoritatibus SS. PP., ſanctionibus Pontificum, & Conciliorum definitionibus; nam imprimis *D. Chriſoſtomus* per allegata verba damnat illorum dumtaxat opinionem, qui aſſerebant Sacramenta à perfidis miniſtris, collata non ſuffragari ſuſcipientibus, quantumuis benè diſpoſitis, quæ certè damnatio iuſtiſſima eſt iuxta ea, quæ nos etiam in præcedentibus docuimus. Deindè *D. Auguſtinus loco cit.* retulit plures caſus, in quibus poterat eſſe dubium, ſeu tunc dubietas vigebat de validitate baptiſmatis, circa quos ferè omnes anceps fuit, & pendulus, cum non fuerint, vt ipſe aſſerit, in aliquo plenario Concilio definiti; ſed cum modo hæc dubia in Concilio Generali Trident. ſint reſoluta pro inualiditate *ſeſſ. 14. c. 6. Si Sacerdoti animus ſeriò agendi, & verè abſoluendi deſit*, ſunt verba eiuſdem Concilij, non videtur amplius ambigendum. Ad verba Epiſtolæ 8. Adriani 1. dicentis

21 Dicta SS. PP., & Conciliorum non officiunt.

Saxo-

Saxones vere Sacramentum Baptiſmatis ſuſcepiſſe, *& ſi foris tantum, non intus conſenſerint*, dicendum eſt per ly *non intus conſenſerint*, non intellexiſſe Pontificem poſitiuam excluſionem cuiuſcunque voluntatis internæ, ſed ſolum voluntatis omninò liberæ; cum in ordine ad recipientem Sacramentum Baptiſmatis ſufficiat intentio etiam mixta inuoluntario, ideſt illa, quæ etiam per metum grauem inducitur, vt videbimus infra, dum de cauſa materiali receptiua Sacramentorum; vnde aduerte Pontificem ibi non loqui de miniſtro conficiente, reſpectu cuius maior intentio requiritur, ſed de recipiente, reſpectu cuius ſufficit intentio voluntaria ſecundum quid; atq; iuxta hanc intelligentiam procedunt reliqui textus ſiue ex Pontificum ſanctionibus, ſiue ex Concilijs allegati.

Non ſecundum à ratione inſtrumenti, nuntij, & Procuratoris deductum; quandoquidem miniſteria etiam in Politica

22 Miniſteria in duplici differentia.

Republica ſunt in duplici genere, alia materialia, & meræ executionis, in quibus committitur miniſtro ſola manifeſtatio, & executio alienæ voluntatis; alia formalis, & veræ cooperationis, in quibus committitur aliqua poteſtas ex iudicio, & arbitrio proprio exercenda. In miniſterijs primi generis ſufficit merum opus externum declaratiuum voluntatis cauſæ principalis, quamuis nulla ſit intentio miniſtri; in illis ſecundi generis, cum requiratur operatio propria eiuſdem miniſtri, requiritur etiam eius intentio directa ad opus exercendum; Miniſteria autem Sacramentalia non ſunt primi, ſed ſecundi generis, vnde *prima ad Corint.* 4. miniſtri Sacramentorum dicuntur diſpenſatores myſteriorum Dei; & per hanc reſponſionem ſoluuntur ea omnia, quæ in primo argumento a ratione deducto afferebantur.

Non tertium deductum à Sacramento

23 In miniſtro baptiſmatis non requiritur fides.

Baptiſmatis collato ab Hæreticis, Hæbreis, & Ethnicis; nam iuxta ſuperius dicta in miniſtro ad validam Sacramentorum confectionem non requiritur fides, vnde à quocunque conferatur, dummodo conferatur cum intentione efficiendi id, quod Chriſtus inſtituit, & facit Eccleſia, quantumuis nec in eundem Chriſtum, nec in Eccleſiam credat, validè confertur.

Non quartum deductum à paritate miniſtrorum a Republica deputatorum puta

24 Notarij ſolum exprimūt voluntatem contrahentium.

Notariorum ad conficienda inſtrumenta ad inſtantiam partium, qui, ſi adhibeant debitas formulas ab eadem Republica inſtitutas, & præſcriptas, quantumuis ipſi non conſentiant, validè eadem inſtrumenta conficiunt, quandoquidem etiam in hoc non valet paritas, quandoquidem in hoc genere ipſi præciſè exequuntur partium voluntatem, nec habent àliud præſtare, niſi auctoritate publica teſtari talem fuiſſe contrahentium voluntatem, quod non ita ſe habet in miniſtro Sacramentorum, qui debet per propriam voluntatem concurrere ad eorundem Sacramentorum confectionem; Quod, ſi ad eludendam hanc reſponſionem afferas exemplum de Iudice proferente ſententiam adhibitis iuris ſolemnitatibus, quantumuis hic non habeat intentionem internam abſoluendi, in quo caſu certè non conſideratur, vt merus executor, ſed vt operator; reſponſionem accipies iuxta ea, quæ ſupra dicebamus, nempè in iudicijs forenſibus, & externis attendi præciſè externa, cum interna non innoteſcat; in iudicijs autem, ſeu actionibus Sacramentalibus attendi quoad eorum valorem etiam interna à Chriſto Domino præſcripta, cum Deus etiam interiorum ſit ſcrutator.

Non quintum deductum ex ſollicitudine Eccleſiæ in inquirendo, an interuenerit debita materia, & forma, non in inquirenda intentione miniſtrorum; quan-

25 Eccleſia etiam ſollicita eſt in inquirenda intentione.

doquidem hoc aſſumptum in praxi falſum apparet, vt ſpeciatim videre eſt in baptiſmate collato a D. Athanaſio pueris, dum ipſe eſſet puer, exiſtentibus in littore maris, nam tunc interrogatus Athanaſius à Patriarcha Alexandrino de intentione reſpondit ſe habuiſſe intentionem faciendi, quod fieri viderat ab eodem Patriarcha, quod idem ex pluribus alijs iuris canonici textibus aperte colligitur, nec verum eſt, quod Eccleſia declarauerit valida Sacramenta a perfidis miniſtris collata, ſi iſti poſt peractos ritus ſe declarauerint nullam habuiſſe intentionem.

Non vltimum deductum ex inconuenientibus, quæ oriri poſſent, ſi requireretur vltra actionem miniſtri ſeriò factam

26 Eluduntur illa inconuenientia, quæ ab aduerſarijs adducuntur.

etiam intentio efficiendi, quod facit Eccleſia ob incertitudinem valoris eorundem Sacramentorum. Non, inquam, hoc quid negotij faceſcit; nam data peruerſitate miniſtri æquè illudi poſſent ſuſcipientes per negationem illius intentionis relatæ ad id, quod facit Eccleſia, ac per defectum in forma maximè quoad ea, quæ clam, & ſecreto fiunt. Quis enim me certum reddit, quod conſecratio facta à Sacerdote peruerſo, & fortè etiam Hæretico conſecrato fuerit in debita forma? Quis fideiubebit pro Sacerdote, quod in abſolutione à peccatis quoad formam non adhibuerit verbum irritatiuum? Si ergo ex hoc capite incertitudinis ob defectum internæ intentionis negant aduerſarij hanc requiri, ſed ſufficere actionem externam ſeriò factam, & ego negare poſſem ex codem capite

capite incertitudinis ſufficere conſecrationem, vel abſolutionem clam, & verbis non patentibus factam, ſed requiri verba clara, & perceptibilia ab omnibus adſtantibus. Fateor quidem ex actione completa, & ſeriò facta argui validitatem Sacramenti, non quia illa per ſe ſufficiat, ſed quia ex illa præſumi poteſt illa interna intentio; qui etenim ſeriò operatur, præſumitur cum recta intentione operari, & velle id, quod operatur; & ſic præſumendum eſt, quod Deus ex ſua ineffabili prouidentia non permittet fideles in hoc decipi, ne illæ perturbationes, illaque mala obueniant in Eccleſia Dei, de quibus fit mentio in argumento allato aduerſariorum. In hoc fiducia in ſolo Deo habenda eſt habita morali certitudine in prouida ipſius diſpoſitione erga ſuam Eccleſiam, & in illa ſeria actione indicante internam intentionem.

27 Eluduntur alia obiecta deducta ex Eccleſiaſticis hiſtorijs remiſſiuè.

Hinc eſſent ſoluenda nõnulla argumenta deducta ex Eccleſiaſticis hiſtorijs altera relata a *Ruffino lib.* 10. *hiſt. c.* 14., *& Nicefo-ro lib.* 8. *c.* 40. de D. Athanaſio, qui adhuc puer ludens alios pueros baptizauit; altera ex *Surio lib.* 4. *in vita S. Geneſij, & ab eodem Nicephoro lib.* 8. *c.* 44. *de eodem* S. Geneſio baptizato illuſoriè in ſcena ab altero mimo; altera relata in *tom.* 3. *Conciliorum, & c. à quodam Iudæo de conſecrat. diſt.* 2. de nonnullis baptizatis a Iudeo, de quorum Baptiſmi valore cum dubitaretur, Nicolaus Summus Pontifex interrogatus reſpondit fuiſſe validum, ſi fuerit adhibita debita materia, & forma nihil dicens de interna intentione baptizantis. In his omnibus caſibus ratus fuit habitus Baptiſmus, nec vlla in illis rationabilitèr præſumi poteſt interna intentio baptizantium, cum Baptiſmus, vel fuerit collatus per ludum, vel irriſoriè, vel à non credente in Baptiſmum, nec in Eccleſiam. Sed quia de his latius fuit habitus ſermo, dum de Sacrificio Miſſæ *q.* 3. *art.* 3. *verſ. hic potes deducere*, ideo vos ad ibi dicta pro ſolutione remitto.

Aſſertio II. Intentio inducendi effectum Sacramenti non eſt neceſſaria ad valorem eiuſdem. In hanc magis communitèr propendent ſcribentes.

Probatur primò auctoritate *D. Thomæ tertia part. q.* 64. *art.* 10. vbi aſſerit prauam, & peruerſam intentionem miniſtri, ſi ſit reſpectu ipſius Sacramenti tollere Sacramenti veritatem, ſecus ſit reſpectu eius, quod ſequitur, ergo ex mente eiuſdem S. D. defectus intentionis circa effectum Sacramenti ipſum non inualidat. Secundò ratione; Sacramenta collata ab infidelibus ſeruata debita materia, forma, & intentione tanquam rata, & valida ab Eccleſia approbantur, & tamen per infideles vt plurimum Sacramenta gratiam non conferunt, cum arbitrentur iuſtificationem per ſolam fidem haberi, & licet aliqui ex illis admittant eſſe cauſatiua gratiæ, plurimi tamen erroneè arbitrantur illam gratiam non cauſare, ergo valida ſunt Sacramenta abſque eo quod intentio conficientis referatur ad eandem gratiam producendam.

28 Non eſt neceſſaria intẽtio inducendi effectum Sacramenti.

Tertiò, quia poſitis omnibus ex inſtitutione Chriſti Domini requiſitis ad ponendum Sacramentum non poteſt non poni Sacramentum, quamuis directè ab agente non intendatur eius effectus, ſed poſita materia congrua, & debita forma cum intentione miniſtri relata ad Sacramentum intelliguntur poſita omnia requiſita ad formalem, & effectiuam eius poſitionem, ergo intelligitur poni ipſum Sacramentum, quantumuis efficiens non intendat directè ipſius effectum, qui eſt de conſequenti, non de formali conſtitutiuo eiuſdem.

Dices effectus Sacramenti in actu primo eſt indiſtinctus ab eodem Sacramento, ergo non poteſt intendi idem Sacramentum, quin ſimul intendatur eius effectus ſaltem in actu primo, ergo indiuiſibilitèr requiritur, & intentio Sacramenti, & intentio effectus eiuſdem. Sed contra; duplex poteſt in hoc conſiderari intentio effectus altera indirecta, & implicita, altera directa, & explicita; prior eſt indiſtincta ab intentione conficiendi Sacramentum, cum intentio cauſæ ſit indirectè intentio effectus, ſed de hac non habetur ratio, cum veniat indiuiſibilitèr ex natura ſua ab intentione cauſæ, à qua non poteſt præſcindere; poſterior non eſt neceſſaria, vt patet ex probationibus pro aſſertione adductis.

29 Procedit de intentione directa.

Aſſertio III. Intentio neceſſaria, & ſufficiens ad valorem Sacramentorum debet eſſe relata ad finem faciendi Sacramentum, ſeu ad id, quod facit Eccleſia ritu formali, & Sacramentali. Conſentiunt *Scotus in quarto diſt.* 6. *q.* 5., *Alenſis quarta part. ſummæ q.* 13. *memb.* 1. *art.* 2., *Maſtrius diſp.* 1. *q.* 7., *Suarez diſp.* 13. *ſect.* 2., *Vaſquez diſp.* 137., *Madernus de Sacram. in genere q.* 5. *art.* 4., *Cacheranus tract.* 8. *de Sacram. in gen. c.* 2. *§.* 5. *num.* 57.

30 Eſt neceſſaria intentio faciendi, quod intendit Eccleſia.

Videtur ſufficientèr deduci ex duobus præmiſſis aſſertionibus, cum etenim requiratur intentio miniſtri ad valorem Sacramentorum iuxta definitionem Concil. Florent., & Trident. loc. cit., & pura intentio faciendi ſeriò opus externum non ſufficit, vt probatum eſt in prima aſſertione, & intentio formalis inducendi effectum Sacramenti non ſit neceſſaria, ſequitur directè, quod intentio media inter

vtram-

vtramque, qualis eſt intentio faciendi Sacramentum neceſſaria ſit, & ſufficiens, cum non ſit alia aſſignabilis. Deinde cum ex definitione Concil. Tridentini debeat intentio miniſtri eſſe relata ad id, quod facit Eccleſia, & Eccleſia non faciat opus merè externum ritu merè externo, & materiali, ſed formalitèr, & ritu Sacramentali, vtique ſequitur, quod intentio eiuſdem miniſtri debeat eſſe ad illud opus ritu Sacramentali efficiendum.

Tota difficultas quoad hoc conſiſtit in explicando, quid importet opus externum factum ritu Sacramentali ſupra opus externum feriò factum, ſed ritu tantum materiali, & exteriori, ſeu, quod idem eſt quid importet Sacramentum ſupra opus externum ſeriò factum. Miſſis pluribus

31 Quid importet Sacramentum ſupra opus externum ſeriò factum.

dicendi modis, quibus vtuntur DD. pro reſolutione huius difficultatis adhæreo opinioni aſſerenti Sacramentum ſupra actionem, ſeu opus externum importare non partes ipſas materialitèr ſumptas, & diuiſim, ſicut importat opus merè externum, ſed eaſdem, vt formalitèr vnitas, & facientes complexum rei Sacramentalitèr ſignificantis, & ſignificationis, & ſic ſufficit, ſi intentio miniſtri referatur confusè ad tale complexum, quod præſtat intendendo præcisè facere Sacramentum; Neque ex hoc ſequitur, quod talis intentio haberet ſe ipſam pro obiecto, quandoquidem, cum conſtituatur in ratione talis complexi per intentionem eiuſdem miniſtri, eadem habendo pro obiecto tale complexum haberet etiam ſeipſam pro tali obiecto; Non, inquam, hoc ſequitur, nam cum iuxta noſtra principia intentio non ingrediatur intrinſecè conſtitutionem Sacramenti, non poteſt dici habere ſe ipſam pro obiecto, ſed complexum, quod reſultat dependentèr a tali intentione.

ARTICVLVS VI.

An intentio in miniſtro debeat eſſe actualis, an ſufficiat virtualis, vel habitualis.

SVMMARIVM.

Triplex intentio, actualis, virtualis, & habitualis. 1.
Quid importet virtualis intentio ſupra habitualem. 2.
Sententia diſtinguens per hoc, quod virtualis præſuponat actum, non ſic habitualis. 3.
Sententia Riccardi volentis per actum præcedentem produci qualitatem in potentia motiua, qua perſeuerante eſt virtualis intentio, qua deſinente habitualis. 4.
Sententia Lugi volentis virtualem intentionem conſiſtere in actu præcedente, ſed diminuto. 5.
Sententia Coninchi volentis virtualem habere aliquid ſui præſens in imaginatiua. 6.
Virtualis conſiſtit in eo, quod prior actus virtute permaneat in actibus potentiarum externarum. 7.
Quomodo intelligi poteſt hæc virtualis permanentia. 8.
Quænam interruptio requiratur, vt dicantur actus moralitèr diſcontinuari. 9.
Intentio actualis in miniſtro non eſt neceſſaria. 10.
Habitualis non eſt ſufficiens. 11.
Virtualis eſt neceſſaria, & ſufficiens. 12.
Soluuntur rationes, ſuadentes eſſe neceſſariam intentionem actualem. 13.
Nonnulla dubia circa intentionem diſſoluta remiſſiuè. 14.

1 Quotuplex ſit intentio.

HActenus conſiderauimus de quo obiecto debeat eſſe intentio miniſtri, nunc conſiderandum venit qualis debeat eſſe, an actualis, an virtualis, an etiam ſufficiat habitualis. Nomine intentionis actualis intelligimus actum formalem Phyſicè exiſtentem, qui influit actu in effectum, in quem tendit; Nomine virtualis intelligimus actum, qui, quamuis in ſe ipſo ſit preteritus, exiſtit tamen adhuc in aliquo ſuo effectu, ſeu virtute, vi cuius agit in effectum. Habitualis nomine illam intentionem intelligimus, quæ quamuis extiterit, non tamen in ſe ipſa perſeuerat, nec in aliquo ſuo effectu.

2 Quid importet virtualis intentio ſupra habitualē.

Maior difficultas ſita eſt in explicando, in quo conſiſtat illa habitualis intentio, prout contradiſtinguitur a virtuali, quæ difficultas licet videatur ſoluta ex eo, quod virtualis licet in ſe ipſa non permaneat, permanet tamen in effectu, vel in aliqua virtute; habitualis nec in ſe ipſa, nec in effectu, vel aliqua virtute perſeueret; nihilominus, quia ſuppoſito actu præcedente in vtraque difficile eſt explicare, quomodo vna, & non altera perſeueret in effectu, vel in virtute, ideò vt rem medulitus penetremus, placet introſpicere, & exactius eandem difficultatem examinare diſcurrendo per varias opiniones, in quas auctores abierunt.

3 Sentētia docens virtualē præſuponere actum, non ſic habitualem.

Hanc difficultatem diſtinguendi vnam ab altera certè euitant illi, qui conſtituunt habitualem non in aliquo actu præcedenti non retractato, ſed in mera non repugnantia; ſed non euitant aliam maiorem difficultatem conſiſtentem in eo, quod illa non repugnantia non poſſit dici intentio, ſed ſolummodo potentia, & indifferentia ad exeundum in actum intentionis, quam nemo conſtituit ſufficientem ad id operan-

 dum,

dum, quod exigit intentionem, quam etiam difficultatem non euitant alij conſtituentes intentionem habitualem in promptitudine, & inclinatione ad actum ex vſu, vel habitu acquiſito relicta; nam, vel iſti nomine illius inclinationis, & promptitudinis ex habitu relictæ intelligunt illam facilitatem ex alijs actibus non relatis ad hunc actum nulla præexiſtente actuali intentione de iſto, vel intelligunt illam facilitatem præexiſtente aliquo actu non retractato relato ad iſtam actionem; ſi primum intelligant, incidunt in eandem prorſus difficultatem, cui ſubiacent aſſertores primæ opinionis, quandoquidem illa promptitudo non importat, niſi potentiam licet magis expeditam ratione vſus; ſi ſecundum; non euitant difficultatem iam propoſitam in explicando, quomodo hæc habitualis intentio contradiſtinguatur à virtuali; ſi etenim dicant diſtingui per hoc, quod virtualis perſeueret in effectu, non ſic habitualis; peto quinam ſit hic effectus, in quo perſeuerat virtualis intentio? Si dicant (vt dicit Madernus in caſu ſpeciali de intentione virtuali requiſita ad Sacrificium Miſſæ) effectum illum, in quo perſeuerat, eſſe acceſſum ad Sacramentum conficiendum, & alia, quæ præambulè fiunt ad illius confectionem; dicam hæc omnia interuenire etiam in eo, qui habet ſolummodo intentionem habitualem; quicunque etenim miniſterium aliquod exercet, ſiue hoc præſtet ex habitu, ſiue ex actu etiam moralitèr interrupto, actiones illas præambulas exercet. Quamobrem adhuc remanet explicandum ſuppoſito actu præcedente in vtraque, quomodo vna ab altera diſtinguatur.

4 Sentẽtia Riccardi volentis per actũ produci qualitatem, qua perſeuerante eſt virtualis intentio.

Qui verò in vtraque intentione cognoſcunt actum præcedentem, ſed in virtuali perſeuerantem in effectu, non ſic habitualem, in varios abierunt dicendi modos, vt diuerſitatem inter vtramque aſſignent. *Riccardus in quarto diſt. 6. q. 3. art. 2.* dicit per actum præcedentem produci in potentia motiua qualitatem, quæ quamdiu durat, intentio virtualis dicitur, & continuo mouet potentiam externam in finem per illum actum præcedentem volitum; ceſſante vero illa qualitate aſſerit remanere ſolum intentionem habitualem. Sed hunc dicendi modum impugnat *Scotus in quarto diſt. 6. q. 6. §. nec requiritur*, eo quia imperceptibile exiſtimat, quod voluntas poſſit illam qualitatem in potentia organica producere, & quando etiam produceretur non cognoſcit, quomodo per ſe ipſam poſſit paulatim deſinere, cum nullum habeat contrarium appugnans.

Alij inter quos *Lugus diſp. 8. ſect. 5. n. 83.* ſentit intentionem virtualem, vt contradiſtinguitur ab habituali, ſemper importare actum Phyſicè præſentem, ſed diminutum; atque hoc pacto procedit. Supponit primò, quod voluntas volitione actuali expreſſa intendat conficere Sacramentum, & tunc aſſerit eſſe intentionem actualem; Secundò, cum idem Sacramentum continuatè intendatur, ſed attenuetur intentio, adeout vix percipiatur, tunc aſserit, quod licet ille primus actus perſeueret, quia tamen attenuatur, dicatur non amplius intentio actualis, ſed virtualis, & ſic hanc virtualem diſtinguit ab actuali ratione illius remiſſionis in ipſo actu, & ab habituali ratione permanentiæ illius actus remiſſi. Sed hic etiam dicendi modus nullatenus arridet; primò, quia imperceptibile videtur, quod ille prior, & expreſſus actus voluntatis, in quo conſiſtit intentio actualis, poſſit in ſe ipſo formalitèr perſeuerare; Secundò data permanentia eiuſdem ſecundum eſſe actuale vix poſſet aſſignari diſcrimen inter virtualem, & actualem intentionem, nec ad diſtinguendum prodeſſe poteſt intenſio, & remiſſio eiuſdem actus, cum ſemper verificaretur, quod intentio eſſet in actu, adeoque actualis, quod explicari poteſt in duobus ſe conuertentibus ad Deum per actus contritionis, altero per actum intenſum, vt octo, altero per actum remiſſum vt duo; Hi certo dicuntur iuſtificati per actum formaliſſimum contritionis, non vnus per actum formalem, & actualem, alter ſolum per virtualem ratione actus remiſſioris. Tertiò, quia dato hoc docendi modo tolleretur communis diuiſio intentionis in actualem, virtualem, & habitualem, & ſolum poneretur ſubdiuiſio intentionis actualis in expreſſam, & confuſam, in intenſam, & remiſſam. Tandem imperceptibile videtur, quod dentur actus adeo debiles, & tenues, vt excitari non poſſint ad ſuam cognitionem, & ex alia parte habeant vim excitandi potentias externas ad operandum, & influendum in opus externum; & per hanc rationem eluditur id, quod aſſerit *Arriaga loc. cit.*, quod tunc eſt intentio virtualis, quando actus ita eſt attenuatus, vt vix poſſit cognoſci.

5 Sentẽtia Lugi volentis cõſiſtere in actu præcedenti, ſed diminuto.

Reijcitur hæc opinio.

Alij, inter quos *Coninchus q. 64. art. 8. dub. 2.* inter virtualem, & habitualem intentionem hoc cognoſcunt diſcrimen, quod virtualis habeat aliquid ſui præſens ſaltem in imaginatiua, non ſic habitualis. Sed hunc dicendi modum latè improbat *Madernus d. tract. 2. de Sacrament. in genere q. 5. art. 5. n. 14.* ſupponens non poſſe eſſe aliquod actuale intentionis in imaginatiua, quin ſimul ſic in intellectu, cum imaginatio nihil cognoſcat, quod intellectus non intelligat, quo ſuppoſito aſſerit experien-

6 Sentẽtia Coninchi volẽtis virtualem habere aliquid præſens in imaginatiua.

riētia compertum eſſe nos aliquid operari propter finem primò intentum abſque eo, quod conſideremus actu finem, nec attendamus ad media conducentia ad eundem finem, & exemplum affert in eo, qui decreto per actum voluntatis expreſſum itinere ad determinatum locum in ſuſcepto itinere totus applicaretur cum amico agēdo de rebus ſerijs totum hominem applicantibus, adeout ad aliud non aduerteret; hic certè poſſet conſequi finem intentum perueniendo ad terminum ſtatutum, & tamen non poteſt dici, quod primus actus intentionis, vel perſeuerauerit in imaginatiua, nec in intellectu.

7 **Virtualis conſiſtit io perſeuerantia virtuali prioris actus in act·bus potētiarum externarū.**

Communior ſententia ſtatuit, non eſſe neceſſe ad intentionem virtualem, vt contradiſtinguatur ab habituali, vt prima intentio actualis perſeuerat ſecundum aliquid ſui actuale, vel in imaginatiua, vel in intellectu, vel in ſe ipſa ſecundum eſſe attenuatum, ſed rantum virtute in actibus potentiarum externarum, prout referuntur ad voluntatem intentiuam; Sed quomodo poſſit perſeuerare hæc virtus in actibus talium externarum potentiarum cesſante ipſo actu formali intentionis, & in ſe ipſo, & in imaginatiua? hoc opus, hic labor. Pro quo aduerte ad hoc, vt aliqua cauſa dicatur in ſua virtute operari, non eſſe neceſſe, vt ſit præſens ſecundum ſui ſubſtantiam, vt videre eſt in Sole operante aurum in viſceribus terræ, quibus ſubſtantialitèr non eſt præſens, ſed tantum in effectu ab ipſo producto nempè luce, & calore; quod, ſi dicas, quod licet Sol non ſit ſubſtantialitèr præſens auro, quod producitur, ſit tamen coniunctus cum qualitatibus, medijs quibus producit ſaltem mediatè; tunc alio exemplo dicam, quod etiam non poſita coniunctione cauſæ principalis cum virtute producta, & producti, vi alterius effectus poſſit eſſe effectus in ſola virtute producta, & etiam diſiuncta; hoc videre eſt in agente producente impulſum in mobili ad aliquam metam, ſeu terminum, tunc etenim ſeparata virtute in lapidem impreſſa ſequitur motus, ex vi eiuſdem impreſſionis, ſeu qualitatis impreſſæ, quamuis hæc ſit ſeparata a proijciente.

8 **Explicatur quomodo hoc verificetur.**

Aduerte vlterius, non eſſe neceſſe, vt virtus illa media, qua intentio præterita operatur ſit aliqua qualitas diſtincta, vel producta in Phantaſia, vel in aliqua potentia ſenſitiua, ſed ſufficere actus potentiarum externarum à voluntate imperatos, & non diſcontinuatos, vel per actus contrarios, vel per moralem interruptionem. Quibus pro notitia ſuppoſitis dico, intentionem virtualem ab habituali per hoc diſtingui, quod virtualis etiam ceſſante actu formali in ſe ipſo perſeueret in actibus externarum potentiarum relatis ad voluntatem intentiuam non diſcontinuatis tamen moralitèr; habitualis vero in actu præcedente non exiſtente amplius in ſe ipſo, nec in actibus prædictis proptèr moralem diſcontinuationem; atque iuxta hunc ſenſum communitèr Thomiſtæ iuxta mentem *S. D. tertia part. q. 64. art. 8. ad tertium, & ſecunda ſecundæ q. 83. art. 13., & lib. 3. contra gentes c. 138., Caietanus d. q. 64. art. 8., Vaſquez diſp. 138. c. 6.*

Sed hic adhuc remanet inquirendum, quid requiratur ad hoc, vt ille prior actus dicatur diſcontinuari moralitèr, & interrumpi ad effectum, vt intentio habitualis contradiſtinguatur à virtuali, nec dicatur intentio actualis perſeuerare in virtute actuum potentiarum externarum? Aliqui arbitrantur abſolutè, interrumpi per actiones diſparatas intermedias quomodocunque. Sed nimis durum videtur aſſerere, quod ſi quis poſt elicitam intentionem actualem conficiendi Sacramentum, & facta etiam aliqua diſpoſitione præparatoria, ad ipſum breue aliquod negotium intercederet, interrumperetur intentio, adeout ſine nouo actu elicito Sacramentum redderetur inualidum. Quamobrem dico ad interruptionem requiſitam ad hunc effectum non ſufficere actionem intermediam quomodocunque diſparatam, & Phyſicam, ſed requiri cum eadem actione diſparata, & non ſubordinata aliquam temporis diſtantiam, adeo vt non ſolum Phyſicè, ſed etiam moralitèr prior actus a ſubſequentibus ſeparetur.

9 **Quid requiratur ad moralem actuum interruptionem.**

Hæc autem temporis diſtantia ad interruptionem moralem requiſita poteſt eſſe, vel maior, vel minor, prout actio intermedia poteſt eſſe, vel magis, vel minus diſcors ab intentione conficiendi Sacramentum; ſi etenim hæc actio eſſet contraria immediatè ſine temporis mora induceret interruptionem; ſi vero non eſſet contraria, ſed maximè abſtractiua, adeo vt nullum relinqueret veſtigium prioris intentionis, cuiuſmodi eſſet ſomnus, vel ebrietas; tunc etiam per breue tempus interrumperet, adeout requireretur poſt ſomnum, & ebrietatem noua intentio; ſi vero eſſet ſecundum ſe diſparata, ſed cum intentione coniuncta reaſſumendi actus incæptos pro conficiendo Sacramento, vt ſi quis cum præcedenti intentione conficiendi Sacramentum acceſſerit ad Eccleſiam, ſed vocatus ad aliquod negotium receſſerit cum poſitiuo animo reuertendi ad ſacrum peragendum, tunc arbitrarer peracto illo negotio, dummodo longum tempus non interceſſerit non intelligi illam intentionem moralitèr interruptam, adeo vt ad validum Sacramentum requiratur

noua intentio. His pro notitia ſuppoſitis ſit

Aſſertio. Ad valorem Sacramentorum intentio miniſtri actualis non eſt neceſſaria, purè habitualis non eſt ſufficiens; virtualis eſt neceſſaria, & ſimul ſufficiens. Conſentiunt communitèr Scholaſtici cum *D. Thoma tertia part. q. 64. art. 8. ad tertium*.

10 Intentio actualis in miniſtro non eſt neceſſaria.

Probatur prima pars, quia nimis difficilè, quinimmo redderetur moralitèr impoſſibile quoad eorum valorem Sacramentorum miniſterium, ſi eſſet neceſſaria in miniſtro intentio actualis, quandoquidem, vt aſſerit *D. Thomas loc. cit.*, non eſt totalitèr poſitum in hominis poteſtate habere ſemper intentionem actualem, quod etiam affirmat *D. Auguſtinus lib. 1. de lib. arbitrio*, per ea verba, *non eſt in noſtra poteſtate ſemper cogitare, quod volumus*, ergo non eſt præſumendum, quod Deus optimus maximus voluerit affigere valorem Sacramentorum intentioni actuali tanquam neceſſariæ, cum ſuauis ipſius diſpoſitio ſe accomodet hominum naturæ, & conditioni, nec beneficia ſua, quæ liberalitèr in hominum vtilitatem profundit, obſtringat actionibus eiſdem hominibus impoſſibilibus moralitèr. Accedit, quod nimis incertus redderetur valor Sacramentorum, cum ſemper poſſet dubitari de exiſtentia illius actualis intentionis ſtante difficultate eam ſemper habendi.

11 Habitualis non ſufficit.

Probatur ſecunda pars, quia intentio habitualis nec in ſe ipſa, nec in aliquo ſuo effectu, nec Phyſicè, nec moralitèr perſeuerat, ergo non eſt ſufficiens ad Sacramentum validè conficiendum. Antecedens patet ex differentia ſupra aſſignata inter intentionem habitualem, & virtualem. Conſequentia probatur, quod non eſt, nec in ſe ipſo Phyſicè, nec moralitèr in aliquo effectu, ſeu virtute non poteſt in aliud influere, nec alteri eſſe tribuere. Accedit, quod huiuſmodi intentio habitualis, ſiue ſumatur pro habitu acquiſito nulla præexiſtente intentione actuali de illo determinato Sacramento conficiendo, ſiue pro actu præexiſtente præterito, ſed moralitèr interrupto poteſt æquè reperiri in dormientibus, & ebrijs, in quibus non poteſt eſſe ſufficiens ad Sacramentum efficiendum, cum non poſſit conſtituere actum humanum, hoc eſt cum humana directione elicitum, ergo ſecundum ſe non eſt ſufficiens &c.

12 Virtualis eſt neceſſaria, & ſufficiens

Probatur tertia pars, quia intentio virtualis non eſt nimium difficilis, nec humanæ conditioni moralitèr impoſſibilis, & ex alia parte eſt accomoda ad veram actionem humanam eliciendam, ergo, quia non eſt admodum difficilis, nec humanæ conditioni moralitèr impoſſibilis non ſubeſt illi rationi, ob quam actualis intentio dicitur non neceſſaria, quia vero eſt accomoda ad veram actionem humanam eliciendam, erit ſufficiens ad validum efficiendum Sacramentum, quandoquidem illa intentio ſufficit ad hunc effectum, ex qua ſequitur actio humana. Quod autem intentio virtualis ſit ſufficiens ad actionem humanam ex eo euincitur, quia actio humana per hoc habetur, quod fiat cum directione mediorum ad finem, talis autem eſt intentio virtualis, cum ſit actus voluntatis directus a ratione, qui actus quamuis non exiſtat formalitèr in ſe ipſo, exiſtit tamen in motu, quem cauſat in potentijs exterioribus relato ad talem finem. Confirmatur, quia non eſt aſſignabilis alia intentio, quam actualis, virtualis, & habitualis; prima non eſt neceſſaria, vt probatum eſt in prima parte; tertia non eſt ſufficiens, vt oſtenſum eſt in probatioae ſecundæ partis, ergo ſecunda vtpotè media inter vtramque erit neceſſaria, & ſufficiens.

Contrà primam partem aſſertionis noſtræ congerunt nonnulli argumenta aliqua ad euincendam neceſſitatem intentionis actualis; & primò, quia actio, qua quis conficit Sacramentum debet eſſe libera in ſe ipſa, nec ſufficit, quod ſit libera in cauſa, ſed non poteſt eſſe libera in ſe ipſa, niſi in illius actione interueniat actu aliqua intentio, ergo &c. Maior ex eo euincitur, nam, ſi ſufficeret libertas in cauſa etiam actio dormientis, & ebrij poſſet eſſe humana, & ſufficiens, quod nemo admittit. Minor etiam probatur, nam non exiſtente actu formali libero tota libertas eſſet in potentijs externis, quæ non poteſt eſſe, niſi in cauſa, cum potentiæ externæ non ſint formalitèr liberæ. Secundò, quia intentio ſufficiens ad Sacramentum conficiendum debet eſſe cauſatiua gratiæ; vt autem ſit talis, debet eſſe actu, ergo talis intentio debet eſſe actu, quod magis ex eo euincitur, quod potentiæ externæ non poſſunt percipere intentionem, quæ actu non ſit, nec ab illa recipere impulſum, ergo, vt moueantur, exigunt intentionem actu. Tertiò, quia non poſſunt operari potentiæ exteriores, niſi dirigantur per imperium ſuperioris, ergo ſemper actu debet interuenire tale imperium, nam eodem ceſſante, ceſſare debent, & potentiæ directæ. Sed hæc omnia argumenta vnica reſponſione eliduntur, ſi dicatur ſufficere ad ea omnia exiſtentiam intentionis

13 Soluuntur rationes ſuadentes eſſe neceſſariam intentionẽ actualem

tionis

tionis virtualem ; nec in ordine ad primum ſequitur, quod actio eſſet tantum libera in cauſa, quandoquidem licet potentiæ exteriores non ſint formalitèr liberæ in ſe ipſis, important tamen libertatem, prout faciunt complexum cum intentione libera virtualitèr exiſtente ; nam ità ſunt formalitèr liberæ, ac ſi actu eſſet intentio libera voluntatis ; nec in hoc currit paritas de actione dormientis, & ebrij, quia in illo ſtatu illæ actiones non ſunt hominis liberi, ſed ad inſtar actionum brutorum, cum in illis ſit impeditum iudicium ; Nec maiorem exiſtentiam, quam virtualem exigit hoc, quod eſt eſſe cauſatiuum gratiæ, potiſſimum cum verſemur in cauſis moralibus, quæ non exigunt coexiſtentiam Phyſicam, & quamuis potentiæ exteriores non percipiant intentionem, quæ non ſit actu, à qua cognitione mouentur ad operandum. Eadem ratione non exigunt ex neceſſitate ad ſui directionem imperium voluntatis actu exiſtens, ſed ſufficit, quod habuerint, & virtualitèr perſeueret.

14 Dubia aliqua circa intentionē remiſſiuè

Circa hanc intentionem, & eius qualitates eſſet examinandum hic primò, an talis intentio debeat eſſe directa, an ſufficiat indirecta, & quomodo, an debeat eſſe abſoluta, an ſufficiat conditionata, an ſufficiat, quod fuerit poſita tempore ſanæ mentis, quamuis ante opus Sacramenti ſuperuenerit dementia, vel furor in miniſtro, an verò requiratur, quod compleatur opus ſana mente perſeuerante, an debeat eſſe ad materiam determinatam, an ſufficiat, quod ſit ad indeterminatam, an debeat eſſe præuia, vel concomitans, vel ſufficiat ſubſequens, an relata ad prauum finem extrinſecum inualidet Sacramentum, & alia his ſimilia ; ſed quia memini me de his latè egiſſe, dum de Sacrificio Miſſæ *q. 3. art. 3., & 4. per totum*, ideo Lectorem ad ibi dicta remitto.

QVÆSTIO IV.

De cauſa materiali ſubiectiua Sacramentorum.

CVm Sacramenta, ſi excipias Euchariſtiam, conſiſtant in actione tranſeunte, exigunt non ſolum principium efficiens, à quo producantur, ſed etiam ſubiectum in quo recipiantur ; ideo examinatis in præcedenti quæſtione ijs, quæ pertinent ad principium effectiuum, nunc ſeruato ordine in doctrina, quem ſeruant actiones, & paſſiones, ſeu agens, & paſſum inter ſe, aſſumimus examinandum cauſam ſubiectiuam, ſeu ſubiectum, in quo eadem Sacramenta recipiuntur. Hoc autem duplex eſt alterum remotum, quod alij appellant Phyſicum, prout appellat capacitatem præciſè ſecundum ſe ; alterum proximum, quod alij appellant morale, & appellat capacitatem proximam, prout appellat diſpoſitiones ex parte eiuſdem ſubiecti requiſitas ad dignè, & aptè eadem Sacramenta recipienda.

ARTICVLVS I.

Quodnam ſit ſubiectum remotum, ſeu ſecundum ſe capax Sacramentorum nouæ legis.

SVMMARIVM.

Variæ conſiderationes circa titulum. 1.
Ex vi præſentis inſtitutionis etiam de lege extraordinaria creaturæ irrationales ſunt incapaces Sacramentorum. 2.
Angeli, & animæ ſeparatæ quoad vim, quam habent de facto Sacramenta, ſunt eorum incapaces. 3.
Quoad vim eiſdem communicabilem ſunt capaces. 4.
Animæ in corpore immortali exiſtentes ſunt de lege abſoluta capaces. 5.
De lege ordinaria ſoli homines viatores ſunt capaces Sacramentorum nouæ legis, & omnes omnium, ſi excipias fæminas quoad Sacramentum Ordinis. 6.
Incarnatio propter ſolos homines poſita eſt. 7.
Extra ſtatũ viæ homines de lege ordinaria ſunt incapaces gratiæ, ſeu augmenti eiuſdem. 8.

Obiecta

Obiecta contraria diſſoluuntur. 9.
Signantèr oſtenditur omnes homines viatores eſſe remotè capaces. 10.
Proximè oſtenditur non omnes eſſe capaces. 11.
Infantes in vtero matris exiſtentes, an ſint capaces Sacramentorum. 12.
Quid ſentiendum de Deipara Virgine. 13.

1 **Variæ conſiderationes circa titulum.**

TItulus, vel poteſt procedere ex vi præſentis inſtitutionis, & de lege ordinaria, vel ex vi alterius inſtitutionis, & de lege extraordinaria, & quidem, ſi loquamur de lege extraordinaria ex vi præſentis inſtitutionis, hoc eſt quoad Sacramenta nouæ legis de facto inſtituta, quæſtio, vel poteſt agitari in ordine ad creaturas irrationales, vel in ordine ad rationales exiſtentes extra ſtatum viæ, & ſi, ad rationales, vel in ordine ad Angelos, & animas ſeparatas, vel in ordine ad animas in corpore immortali exiſtentes; rurſus, ſi in ordine ad animas in corpore immortali exiſtentes, vel ad eaſdem in ſtatu beatitudinis, vel in ſtatu damnationis. Si de lege extraordinaria ex vi alterius inſtitutionis ideſt quoad Sacramenta de nono inſtituenda, quæſtio poteſt referri ad omnes recenſitos.

2 **Etiam de via extraordinaria creaturæ irrationales sūt incapaces Sacramentorum.**

Incipiendo iam a creaturis irrationalibus ex vi præſentis inſtitutionis certum omnino eſt, eas etiam de lege extraordinaria eſſe incapaces Sacramentorum, & incapacitas reſpectu ipſarum non ſolum oritur ex parte eiuſdem Sacramenti, quatenus eſt ſignum ſenſibile, ſed etiam ex parte finis, ad quem eadē Sacramenta ordinātur; ex parte Sacramenti, quia Sacramentum ideo inſtitutum eſt in ſigno ſenſibili, vt per ipſum creaturæ deducerentur in cognitionem non ſolum cultus, & venerationis debitæ Deo, ſed etiam gratiæ habitualis, quam ſignificant; creaturæ autem irrationales ſunt incapaces, vt per talia ſigna deducantur in cognitionem intellectualem talis ſignificationis, ſeu ordinationis; ex parte finis, qui eſt ſanctificatio ſubiecti cuius ſunt incapaces creaturæ irrationales.

3 **Angeli, & animæ ſeparatæ de facto ſunt incapaces.**

Quoad creaturas rationales, nempè Angelos, & animas ſeparatas exiſtentes extra ſtatum viæ *Cacheranus tract. 8. de Sacram. in genere c. 3. §. 1. n. 4.* ſentit etiam de lege extraordinaria eſſe incapaces Sacramentorum, prout de facto ſunt inſtituta addita ea ratione, quia, cum careant corpore, & ſenſibus, non videntur per illa ſigna ſenſibilia poſſe deduci in cognitionem ſignificationis, cum eadem ſigna non poſſint ſui ſpeciem illis ingerere, nec actiones materiales per materialem contactum poſſint eiſdem applicari. Si Cacheranus procedat de Sacramentis ſecundum vim, quam habent de facto, rectè procedit, & rationes per eundem adductæ ſatis euincunt ipſius intentum; ſed ſi conſiderentur eadem Sacramēta de lege extraordinaria, non quatenus ſolum referantur ad ſubiecta, ad quæ Chriſtus Dominus de facto eadem non ordinauit, ſed quatenus etiam eadem Sacramenta eleuet ad producendam ſpeciem ſpiritualem, ſicuti eadem eleuat ad producendam gratiam, non video, cur per eandem ſpeciem ſpiritualem ſic a Sacramentis productam non poſſint Angelos, & animas ſeparatas excitare ad cognitionem veræ ſignificationis, & cultus Deo debiti; cum ex alio capite idem Cacheranus non cognoſcat de lege extraordinaria in eiſdem incapacitatem augmenti gratiæ.

4 **De poſſibili ſunt capaces.**

5 **Animæ in corpore immortali exiſtentes ſunt capaces.**

Quoad animas in corpore immortali exiſtentes non videtur dubitandum, quin de lege extraordinaria ſint capaces ſecundum ſe Sacramentorum, & hoc, ſiue ſint in ſtatu beatitudinis, ſiue in ſtatu damnationis æternæ. In hoc conſentit *Cacheranus loc. cit.* Ratio ex eo deducitur, quia, licet de facto Beati exiſtentes extra ſtatum viæ nequeant acquirere augmentum gratiæ, nec damnati primam gratiam, de lege tamen abſoluta, & illis augmentum, & iſtis gratia non repugnat, & quamuis daremus reſpectu damnatorum gratiam repugnare, non propterea repugnaret ſuſceptio Sacramentorum, vt etiam videre eſt de facto in recipientibus eadem cum obice peccatorum læthalium, qui quamuis gratiam non recipiant, non tamen dicuntur non recipere Sacramenta. Ex alio capite cum Sacramenta eoſdem per ſigna ſenſibilia poſſint mouere ad cognitionem, & cultum &c. non eſt, cur ſecundum ſe de lege extraordinaria non ſint capaces &c.

Loquendo iam de Sacramentis ex vi alterius inſtitutionis, hoc eſt de Sacramentis diuerſis a modo exiſtentibus a Deo producibilibus, & conferibilibus Angelis, & animabus ſeparatis non auderem hanc potentiam Deo denegare, cum etiam per ſigna ſenſibilia poſſit eaſdem excitare, vel eleuando eadem ſigna ad producendam ſpeciem ſpiritualem, vel excitando eaſdem per applicationem talium ſignorum, tanquam per conditionem ad cognitionem, & cultum. In his amplius non immoror cum vtpotè res extraordinariæ parum aut nihil conferre poſſint ad præſentem materiam. Quamobrem me confero ad ſubiectum de lege ordinaria ex vi præſentis inſtitutionis capax Sacramentorum.

6 **Omnes homines viatores ſunt capaces Sacramentorum.**

Aſſertio. De lege ordinaria ſoli homines viatores ſunt capaces Sacramentorum nouæ legis, & omnes remotè omnium, ſi fæminas excipias quoad Sacramentum

Ordi-

Digitized by Google

Ordinis. Prima pars eſt communis apud omnes. Secunda pars eſt contra ſectarios, quorum aliqui volunt ſolum prædeſtinatos eſſe capaces Sacramentorum, alij ſolos iuſtos.

Prima pars ex eo euincitur, quod Sacramenta tanquam media ordinata ſunt ad eum finem, ad quem ordinata fuit Chriſti incarnatio, ſed propter homines, & propter noſtram ſalutem facta eſt incarnatio, ergo, & propter eoſdem, & propter eorum ſalutem inſtituta ſunt etiã Sacramenta. Maior non videtur pati difficultatem, quandoquidem Chriſtus Dominus venit, vt vitam habeant homines, & abundantius habeant, & licet Chriſtus Dominus per ipſam ſolam incarnationem, & per aliquem actum etiam iuternum potuerit humanam ſalutem operari, voluit tamen per media ſupernaturalia conformari medijs naturalibus, quibus vita naturalis gignitur, & augetur vitam ſpiritualem inducere, & augere, ſic per Baptiſmum vitam ſpiritualem, ſicuti per generationem vita naturalis inducitur, induxit, ſic per Euchariſtiam augmentum gratiæ inferre voluit, ſicuti per nutritionem augmentum vitæ infertur, & ſic de cæteris. Minor vero patet ex ijs, quæ fusè docuimus in quæſtionibus de Deo Incarnato, vbi quod incarnatio ex vi præſentis decreti ordinata fuerit ad homines, non ad Angelos, & ideo in Simbolo Apoſtolorum dicitur: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cælis*, non autem dicitur propter Angelos, & licet ad humanam ſalutem dicatur ordinata, non tamen intelligitur ad homines in quocunque ſtatu exiſtentes ordinata, ſed pro illo ſtatu, pro quo ſalutem poſſint conſequi, qui eſt ſtatus viæ, nam vbi ad terminum peruenerint ex vi præſentis iuſtitiæ, nec gratiam poſſunt conſequi, quam prius non acquiſierint, nec augmentum eiuſdem, & ſic referri non poteſt ad eoſdem homines exiſtentes in termino, & extra ſtatum viæ; vnde ſi exiſtant in ſtatu beatitudinis poſſunt quidem dici, quod dependentèr à Diuina Incarnatione, & ex meritis Chriſti Domini fuerint vitam ſupernaturalem conſecuti, non autem quod poſſint conſequi merendo ex meritis Chriſti.

7 Rationes pro aſſerto.

Eadem prima pars ſecundò ex eo euincitur, quod tota, & adæquata ratio Sacramentorum nouæ legis conſiſtit in ratione ſigni ſenſibilis, & in ratione ſignificati, nempè gratiæ per illud ſignum; ſed ex eo, quod ſint ſignum ſenſibile, quantum eſt de lege ordinaria, non poſſunt ordinari nec ad Angelos, nec ad animas ſeparatas, eo quia cum ſint ſigna naturalia non poſſunt ſpeciem ſui proportionatam naturæ ſpirituali ingerere Angelis, & animabus ſeparatis; ex eo autem, quod inuoluant ſignificatum gratiæ conferendæ, non poſſunt referri ad homines extra ſtatum viæ, quia in illo ſtatu non ſunt capaces gratiæ acquirendæ, aut augmenti illius.

8 Extra ſtatum viæ de lege ordinaria homines ſunt incapaces gratiæ.

Quod ſi dixeris, quod ex incapacitate gratiæ, ſeu augmenti eiuſdem acquirendæ non benè arguatur incapacitas recipiendorum Sacramentorum, cum homines etiam exiſtentes in ſtatu viæ cum obice peccatorum lęthalium non poſſint gratiam conſequi, & tamen dicuntur Sacramenta recipere, vnde etiam in præcedentibus diximus, quod de lege extraordinaria damnati, ſi eorum animæ fuerint corporibus vnitæ, poſſint Sacramenta recipere, quamuis etiam non poſſint gratiam conſequi. Si, inquam, hæc dixeris; ſtatim impugnaberis, quia de lege ordinaria, vbi non eſt capacitas ad gratiam, nec videtur eſſe capacitas ad Sacramentum, cum de lege ordinaria Sacramentum conferatur in ordine ad gratiam; de lege autem extraordinaria poteſt eſſe capacitas ad Sacramentum abſque eo quod ſit capacitas ad gratiam, cum hæc duo de potentia abſoluta ſint ſeparabilia quoad effectum, & in actu ſecundo, licet non quoad vim cauſatiuam, & in actu primo; & ſicuti gratia de lege ordinaria eſt incompatibilis in eodem ſubiecto cum peccato læthali, non tamen de lege extraordinaria, & de potentia abſoluta, ita Sacramentum licet de via ordinaria ſit incompatibile cum ſtatu damnationis, non eſt tamen incompatibile de lege extraordinaria, & de potentia abſoluta.

9 Obiecta aliqua contraria diſſoluta.

Quod ſi vlterius vrgeas; ſi ad rationem Sacramenti ſufficit, quod ſit cauſatiuum gratiæ in actu primo, quamuis ratione ſtatus actu non conferat gratiam, cur de lege ordinaria non poterit etiam damnatis conferri, ſicuti confertur exiſtentibus in peccato læthali, quibus etiam in actu ſecundo non confert gratiam? Certè ratione ſigni ſenſibilis non poteſt repugnare, cum etenim ſupponantur animæ damnatorum vnitæ corporibus poſſunt per ſigna ſenſibilia moueri ad cognitionẽ &c. Si igitur ex alia parte poteſt eſſe Sacramentum etiam ſi actu non cauſet gratiam, nihil deeſt quominus de lege ordinaria poſſint eſſe capaces Sacramentorum. Statim impugnaberis, quia de lege ordinaria, & ex vi præſentis inſtitutionis Sacramenta ſunt alligata ſtatui, cui acquiſitio gratiæ non ſit repugnans, qualis eſt ſtatus viæ, licet per accidens non conferatur ratione alicuius obicis in tali ſtatu remouibilis, adeoque de eadem lege ordinaria non ſunt conferibilia alteri ſtatui, cui acquiſi-

H

quiſitio gratiæ ſit impoſſibilis, qualis eſt ſtatus damnatorum, a quo obex ad gratiam non eſt remouibilis, nec currit paritas de exiſtente in via, & recipiente Sacramenta cum obice peccati læthalis, quãdoquidem in iſto Sacramenta remoto obice poſſunt vim ſuam exercere gratiam conferendo, quod non poteſt eſſe in damnatis. Igitur, quod damnati non ſint capaces Sacramentorum ſecundum legem ordinariam prouenit ex Diuina inſtitutione ordinante præcisè ad homines in ſtatu viæ, cum poſſint hi acquirere finem, ad quem eadem Sacramenta ſunt ordinata, non ad exiſtentes extra talem ſtatum, cum finem nullatenus poſſint conſequi.

10 Signantèr oſtẽditur omnes homines viatores eſſe capaces.

Secunda pars aſſertionis ex eo euincitur, quia attenta inſtitutione facta à Chriſto Domino ex natura rei ſecundum ſe nullus homo eſt incapax Sacramentorum, ſi Sacramentum Ordinis reſpectu fæminarum excipias; attenta, inquam, inſtitutione a Chriſto Domino facta, cum ipſe indefinitè pro omnibus inſtituerit ſine vlla penitus reſtrictione excepta ea, quæ ex communi Eccleſiæ traditione habetur de Sacramento Ordinis reſpectu fęminarum; item attenta natura rei, quia hic agitur de capacitate remota, quæ in alio non conſiſtit, niſi in potentia recipiendi actionem ſenſibilem puta ablutionem in Baptiſmo, vnctionem in Confirmatione, & ſic de cæteris, & dependentèr à tali actione, vel primam, vel ſecundam gratiam; ſed quilibet homo viator habet potentiam recipiendi huiuſmodi actionem, & gratiam, ergo tam ex vi inſtitutionis, quam ex natura rei quilibet homo viator eſt capax Sacramentorum.

11 Proximè non omnes ſunt capaces.

Dixi *remotè*, nam, ſi loquamur de proxima capacitate, non quilibet homo in quolibet ſtatu eſt capax cuiuslibet Sacramenti, cum hæc proxima capacitas dependere poſſit ab aliqua circunſtantia, ſine qua Sacramenta nequeant recipi, ſic nequit recipi aliud Sacramentum a Baptiſmo, niſi præuio eodem Baptiſmo, ſic nequit Matrimonium contrahi, niſi contrahentes fuerint in legitima ætate conſtituti, & ſic de alijs; hæc tamen non deſtruunt capacitatem remotam, quæ in quolibet homine ſecundum ſe poteſt conſiderari.

Solum aduerſus hanc ſecundum partem noſtræ aſſertionis militare poſſe videtur duplex argumentum, alterum deſumptum à paruulis in vtero materno exiſtentibus, qui eo ipſo, quo intelliguntur animati incipiunt ſtatum viæ, & dici poſſunt homines, nec tamen ſunt capaces Sacramentorum; alterum deſumptum à Deipara Virgine, quæ ſaltem poſt conceptum Dei verbum habuit omnem plenitudinem gratiæ iuxtà illud Angeli, *Aue gratia plena*, quæ propterea non videtur vlterioris gratiæ capax, & per conſequens, nec Sacramentorum. Sed vtrumque facilè ſoluetur; ſi dicatur, reſpectu vtriuſque adeſſe potentiam, & capacitatem remotam, licet proximè ab actu prohibeantur reſpectu impedimenti extrinſeci, & quidem loquendo in ordine ad fætus animatos exiſtentes in vtero matris, hoc verificatur, quandoquidem, ſicuti infantes, & pueri ante legitimam ætatem impediuntur ratione ætatis ad contrahendum Matrimonium, & per conſequẽs ad recipiendum Sacramentum, & hoc non ex defectu capacitatis remotæ, ſed ratione impedimenti prouenientis ex defectu legitimæ ætatis, qui ſolum tollit potentiam proximam, ita exiſtentes in vtero matris impediuntur ab vſu paſſiuo Sacramentorum non defectu capacitatis remotæ, ſed ratione impedimenti extrinſeci, nempè vteri materni impedientis contactum neceſſarium ad valorem Sacramenti, quod etiam ſolum tollit potentiam proximam; loquendo vero de Deipara Virgine dato, quod ratione plenitudinis gratiæ in ipſa exiſtentis ſaltem poſt conceptum Dei verbum non poſſet augmentum gratiæ recipere, hoc eſſet per accidens, & non per ſe, adeoque ex hoc non benè arguitur incapacitas remota Sacramentorum. 12 Pueri in vtero matris exiſtentes, an ſint capaces Sacramentorũ.

Dici etiam poteſt, & fortè melius, in ordine ad fætus in vtero matris exiſtentes, quod iſti non adhuc ſint viatores humano modo viſibili, & ſenſibili, qui ſolum conſideratur in hominibus viatoribus in ordine ad recipienda Sacramenta; in ordine vero ad Deiparam *Cacheranus d. tract. 8. de Sacramentis in genere d. c. 3. §. 1. n. 6.* dicit Deiparam Virginem, quouſque extitit in ſtatu viæ, fuiſſe ſimplicitèr capacem Sacramentorum, & augmenti gratiæ; ſed quomodo poſſet dici plena gratię, ſi poſſet augmentum eiuſdem recipere, ipſe non explicat. Congruentèr ad ſuperius dicta, quod ſcilicet non ſit neceſſe ad validam Sacramentorum receptionem, quod actu conferant gratiam, ſed ſufficiat, quod ſint cauſatiua eiuſdem in actu primo poteſt dici, quod Deipara Virgo fuerit capax Sacramentorum in actu ſecundo, quamuis ratione plenitudinis gratiæ in ipſa exiſtentis non poſſet augmentum eiuſdem recipere; & ne gratis hoc dixiſſe videar recole, quæ docet *D. Thomas tertia parte*, dum de Sacramento Euchariſtiæ, vbi inquirens, an Chriſtus Dominus in inſtitutione huius Sacramenti ſe ipſum Sacramentatum receperit, affirmatiuè reſpondet, & poſteà ſibi objiciens, quomodo potuerit gratiam, vel augmentum gratiæ 13 Quid ſẽtiendum de Deipara Virgine.

in

in ſe ipſo recipere, cum in ipſo inhabitaret plenitudo gratiæ, reſpondet, quod in ipſo in tali ſuſceptione nulla gratia prouenerit, ſed ſolum quædam ſpiritualis hilaritas, & conſolatio, quod idem dic de Deipara Virgine ex ſuppoſitione, quod in ipſa gratia augeri non poſſet ratione plenitudinis gratiæ in ipſa præexiſtentis.

ARTICVLVS II.

Quænam requirantur, vt homines viatores ſint proximè capaces Sacramentorum.

SVMMARIVM.

Explicatur, de quibus in particulari procedat titulus. 1.

Paruuli ante vſum rationis ſunt ſecundum ſe proximè capaces Baptiſmatis, Confirmationis, Euchariſtiæ, & Ordinis, non vero Pœnitentiæ, Matrimonij, & Extremæ Vnctionis. 2.

Procedit de valida receptione. Ibid.

Euincitur quoad Sacramentum Baptiſmi ex S. Scripturis, & Concilijs. 3.

Euincitur etiam ratione quoad Sacramenta Confirmationis, Ordinis, & Euchariſtiæ. 4.

Soluitur quoad iſta obiectum aduerſantium. 5.

Euincitur, non eſſe proximè capaces Sacramenti Matrimonij. 6.

Nec item Sacramenti Pœnitentiæ. 7.

Nec etiam Extremæ Vnctionis. 8.

Suſceptio Sacramentorum Confirmationis, Ordinis, & Euchariſtiæ non ſolum reſpectu paruulorum eſt valida, ſed etiam licita. 9.

Reſpectu tamen conferentis eſſet illicita collatio. 10.

Id, quod dictum eſt de paruulis ante vſum rationis intelligendum eſt de perpetuo amentibus. 11.

Rationes ſuadentes poſſe conferri Euchariſtiam perpetuo amentibus in articulo mortis. 12.

Probabilius licitè per miniſtrum nequit conferri. 13.

Amentibus, qui gauiſi ſunt vſu rationis, & ante amentiam exhibuerunt ſigna pœnitentiæ conferenda eſt Euchariſtia. 14.

Interuenientibus tamen duabus conditionibus, & quibus. 15.

Non ita facilè eſt conferenda annua communio, dum exiſtunt in amentia. 16.

In articulo mortis conferenda eſt eiſdem Extrema Vnctio. 17.

1 De quibuſnam procedat titulus.

HÆc difficultas ſic indefinitè propoſita poteſt examinari, vel in ordine ad paruulos ante vſum rationis, vel in ordine ad adultos gaudentes vſu rationis. Rurſus, vel in ordine ad validam receptionem, vel in ordine etiam ad licitam. De capacitate proxima, ſiue in ordine ad validam, ſiue ad licitam receptionem quoad paruulos ante vſum rationis latè agemus ſub hoc titulo; De eadem vero in ordine ad alios in ſequentibus articulis; ſed quia amentes, & furioſi præcipuè, ſi fuerint perpetuo tales, comparantur paruulis vſu rationis carentibus, ideo ſub eodem titulo de paruulis, ipſi quoque comprehendentur.

2 Quorumnam Sacramentorũ ſint proximè capaces paruuli ante vſũ rationis.

Aſſertio I. Paruuli ante vſum rationis ſunt ſecundum ſe proximè capaces Baptiſmatis, Confirmationis, Euchariſtiæ, & Ordinis, non verò Pœnitentiæ, Matrimonij, & Extremæ Vnctionis. Prima pars affirmatiua intelligenda eſt pro nunc quoad validam receptionem, nam de licita loquemur in ſubſequenti aſſertione. Eadem prima pars communitèr à Catholicis admittitur contrà Anabatiſtas, alioſque ſectarios nolentes paruulos ante vſum rationis poſſe validè baptizari, nec per conſequens ſuſcipere alia Sacramenta. Eſt item contrà *Petrum de Bruis Gallum*, qui primus fuit auctor hæreſis negantis capacitatem Baptiſmi paruulis ante vſum rationis, quem poſtea ſecutus eſt *quidem Henricus Gallus Toloſanus*; contra quos ſcripſit *D. Bernardus*, *Petrus Cluniacenſis*, & *Martinus Duncatus*.

3 Euincitur ex ſacris Scripturis, & Concilijs quoad Sacramẽtum Baptiſmi.

Probatur primò quoad Baptiſmum; nam paruuli ſunt capaces Regni Cælorum, iuxtà illud, quod legitur *Matthæi 19. Sinite paruulos venire ad me; talium enim eſt Regnum Cælorum*, ergo ſunt capaces Baptiſmi, quia nullus ſine Baptiſmo poteſt ingredi Regnum Cælorum. Secundò, quia, niſi paruuli eſſẽt capaces Baptiſmi, eſſẽt in ſtatu gratiæ deterioris conditionis, ac eſſent paruuli in lege naturę, & in lege ſcripta, quandoquidem carerent remedio originalis, & omni alio ſubſidio, quo non erant deſtituti paruuli in illis prioribus ſtatibus. Tertiò euincitur ex antiquiſſimo vſu Eccleſiæ, qui vſus eſt tanti valoris, quanti eſt ſacra pagina aſſerente *Apoſtolo ſecunda ad Theſſalonicenſes ſecundo. Itaque fratres cuſtodite traditiones quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolas noſtras*, & Eccleſia vniuerſalis in *Concil. Trident. ſeſs. 6. can.* 1. ſtatuit, quod qui traditiones contempſerit, tum ad fidem, tum ad mores attinentes tanquam à Spiritu Sancto dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia conſeruatas anathema ſit; nec arbitrandum eſt, ſicuti peruerſè arbitrantur recenſiti ſectarij, eſſe reijciendos ob defectum fidei, cuius ſunt incapaces; non, inquam, ita arbitrandum, quia, vt ait *D. Auguſtinus lib. de Baptiſmo paruulorum*. Paruuli baptizati inter credentes reputantur per

Sacramenti virtutem, & offerentium reſponſionem; Qui quidem habent virtutem, at non poſſunt per eam exire in operationem, donec perueniant ad vſum rationis, & per auditum verbi Dei eam ſuſcipiant; & congrua quidem ratione hoc inductum eſt ex ſuaui Diuinæ Prouidentiæ diſpoſitione, ne paruuli remedio originalis deſtituerentur.

Tandem hęc veritas Catholica fuit definita in *Concil. Lateranenſi ſub Innocentio III.*, quod idem habetur *in c. 1. de fide Catholica, & in Concil. Vienenſi ſub Clemente V., & in Concil. Trident. ſub Paulo III. ſeſſ. 7. can. 13.*

4 Euincitur etiam quoad Sacramenta Confirmationis, Ordinis &c. Probatur ſecundò quoad alia recenſita Sacramenta, quia ſuppoſito in paruulis Baptiſmo ante vſum rationis nihil eſt, quod obſtet validæ ſuſceptioni Confirmationis, Euchariſtiæ, & Ordinis; non inſtitutio Diuina, quia nec in ſacris Scripturis legitur, nec ex aliqua traditione conſtat, quod Chriſtus Dominus alligauerit huiuſmodi Sacramenta alicui determinatæ ætati, quinimmo, vt notat *Cacheranus d. c. 3. §. 2. n. 8. verſ. Dixi ſuſcipiendi validè*, olim conferebatur Euchariſtia, Confirmatio, & Ordo paruulis etiam vſu rationis carentibus; non natura rei, quia ipſi paruuli ſunt capaces gratiæ, & augmenti eiuſdem, & ſicuti ſunt capaces Baptiſmatis, non eſt, cur etiam non ſint capaces prænarratorum Sacramentorum.

5 Soluitur obiectū contrarium. Dices, diſparem eſſe rationem de Baptiſmate, ac de his alijs Sacramentis, quandoquidem pro primo inſtituta eſt, tanquam diſpoſitio fides parentum, non ſic autem conſtat inſtitutam eſſe fidem, & intentionem parentum pro alijs Sacramentis maximè accedente diuerſa ratione, quia cum in Baptiſmate accedente ſumma ratione neceſſitatis vrgeat ratio paruulis conſulendi de remedio originalis, nec ipſi poſſint aliquem actum elicere, congruum fuit, immò neceſſe, vt alio medio, nempè fide parentum eiſdem ſubueniretur; cum autem in alijs Sacramentis tanta non ſit neceſſitas, cum ſine illis paruuli ſaluari poſſint, non fuit neceſſe, vt aliorum ſubſidio eiſdem conſuleretur, adeoque donec redderentur capaces ſibi met ipſis proprijs actibus conſulendi, ſeque per illos diſponendi, non debent intelligi capaces eadem Sacramenta ſuſcipiendi, donec fuerint compotes rationis. Sed contrà; quamuis Baptiſmus ſit Sacramentum neceſſitatis, non ſic Confirmatio, nec Euchariſtia, nec Ordo, quia tamen hæc Sacramenta valdè conferre poſſunt ad firmandam, & augendam gratiam Baptiſmatis, non debent paruuli eorum beneficio priuari; nec ineffabilis Dei prouidentia reſtringenda eſt ad neceſſaria dumtaxat, ſed etiam extendenda ad valdè vtilia, qualia ſunt recenſita Sacramenta, in quibus licet deficiant actus proprij diſpoſitiui recipientium defectu vſus rationis voluiſſe Deum arbitrandum eſt, vt validum eſſet ſupplementum parentum, vel Eccleſiæ, ſicuti voluit in Sacramento Baptiſmatis.

Probatur tertiò quoad ſecundam partem de cæteris Sacramentis, quorum paruuli dicuntur non eſſe proximè capaces etiam quoad validum eſſe; & primò quoad Matrimonium ex eo facilè euincitur, quia eſſe procontrahentes in Matrimonio ex latè dictis in quæſtionibus de eodem ſunt miniſtri eiuſdem Sacramenti, ſed miniſtri Sacramentorum ex ſuperius probatis ad validè Sacramenta conficienda debent habere ſaltem intentionem virtualem, cuius ſunt incapaces paruuli ante vſum rationis, ergo &c. Accedit, quod Sacramentum Matrimonij fundatur in conſenſo liberè elicito à contrahentibus, cum hic ex Diuina diſpoſitione ſit eleuatus ad eſſe Sacramenti, ſed conſenſus liberè elicitus non poteſt eſſe a paruulis ante vſum rationis, ergo, nec Sacramentum; nec obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod, cum paruuli ex diſpoſitione Reipublicę habeant ſuam voluntatem moralitèr translatam in illam tutorum, ſicuti per eoſdem dicuntur inire alios contractus, & vtique validos, & obligatorios, etiam pro tempore, quo paruuli tranſierint in plenam libertatem, ita per eoſdem poſſint inire contractum Matrimonij; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia quoad ea, quæ pertinent ad Matrimonium ſiue ſpirituale, ſiue corporale, ſicuti filij non dependent à voluntate parentum, ita multo minus pupilli à voluntate tutorum; Matrimonium etenim, cum ſit ſummæ libertatis, & pariat vinculum humana poteſtate indiſſolubile, videtur inſtitutum in ſolo contractu inito ex propria voluntate formali. 6 Euincitur non eſſe proximè capaces Sacramenti Matrimonij.

Quoad Sacramentum pænitentiæ non ſolum ex eo euincitur, quod ad ipſius ſubſtantiam requiritur dolor de peccatis commiſſis, & vtique relatus ad Deum, qui non poteſt eſſe in paruulis ante vſum rationis, cum hic ſit actus voluntatis, quo peccata commiſſa deteſtantur propter Dei offenſam, ſed etiam ex eo; quod in eiſdem non poſſit eſſe materia remota talis Sacramenti, cum hæc ſint peccata, quæ non poſſunt conſiderari in puero ante vſum rationis, cum non poſſint eſſe peccata, quæ non ſint libera; hæc autem libertas ex genere ſuo non poteſt eſſe ſine præuia cognitione, adeoque, nec ante vſum rationis. 7 Nec item Sacramenti Pænitentiæ.

Quoad Sacramentum tandem Extremæ

8 Nec Extremæ Vnctionis.

mæ Vnctionis ex eo etiam euincitur, quod hoc Sacramentum reſpicit reliquias peccatorum relictas à pænitentia, & eſt quodammodo conſummatiuum Sacramenti eiuſdem pænitentiæ prout definiuit *Concil. Trident. ſeſs. 14. in doctrina de Extrema Vnctione*, ergo, ſicuti in paruulis non poteſt eſſe Sacramentum Pænitentiæ ob defectum peccatorum actualium, ita, nec poteſt eſſe Sacramentum Extremæ Vnctionis ob eundem defectum; non etenim poſſunt eſſe reliquiæ peccatorum, vbi peccata non præceſſerint.

9 Reſpectu paruulorum eſt etiam licita.

Aſſertio II. Suſceptio Sacramentorum Confirmationis, Euchariſtiæ, & Ordinis non ſolum reſpectu paruulorum ante vſum rationis eſt valida, ſed etiam licita, & fructuoſa; eſt tamen reſpectu conferentis illicita. Ita in vniuerſum *Cacheranus d. tract. 8. de Sacramentis in genere c. 3. §. 2. n. 8. verſ. dixi ſuſcipiendi validè*.

Ratio quoad primam partem de licita ſuſceptione reſpectu paruuli ex eo deducitur, quia ex vna parte ſuppoſita validitate nihil eſt in paruulo ante vſum rationis, quod ex parte eiuſdem poſſit inficere talem ſuſceptionem, & ex alia parte ex genere ſuo Sacramenta validè collata habent ſuos effectus producere in ſubiecto, in quo nullus reperitur obex ad gratiam; Sacramenta etenim ſunt cauſæ neceſſariæ, quæ infallibilitèr producunt ſuos effectus in ſubiecto apto ad illos recipiendos, ergo, cum nullus conſiderari poſſit obex in paruulo, non erit, cur reſpectu eiuſdem non poſſit eſſe licita ſuſceptio Sacramenti, & non debeat in ipſo ſuos effectus producere.

10 Reſpectu tamen conferentis eſt illicita collatio.

Ratio quoad ſecundam partem ex eo deducitur, quod licet ex natura ſua nulla ſit repugnantia, ratione cuius paruulis non poſſint recenſita conferri, adeſt tamen lex Eccleſiaſtica obligans ad non conferenda talia Sacramenta, niſi poſt plenè acquiſitũ vſum rationis, quinimmo quoad Sacramentum Ordinis præfiniuit certum tempus iuxta conditionem cuiuslibet ex ipſis, ante quod noluit conferri; & congrua certè ratione hanc legem condidit, ne ſine propriæ voluntatis conſenſu paruuli obligentur ad onera Ordinum, & militiæ Eccleſiaſticæ adſcribantur, cum habeant imprimere caractherem indelebilem ratione cuius maximè, ſi Ordo ſit ex ſacris, & maioribus impediatur, & à profanis muneribus, & à Matrimonio contrahendo, & vt per proprios actus aptius ſe diſponerent ad illorum Ordinum ſuſceptionem, ergo, ſi miniſtri conferant ante tempus a lege Eccleſiaſtica præſcriptum vtpotè tranſgredientes præceptum grauitèr peccant.

11 Quod dictum eſt de pueris ante vſũ rationis intelligẽdum eſt de perpetuo amentibus.

Aſſertio III. Id, quod dictum fuit in duabus præcedentibus aſſertionibus de paruulis ante vſum rationis proportionalitèr intelligendum eſt de perpetuo amentibus, qui nunquam gauiſi ſunt vſu rationis. In hoc etiam conſentit *Cacheranus loc. quo ſupra n. 12.*, nec arbitror aliquem diſſentiri.

Ratio ex eo deducitur, quia militant omnes rationes, omnia iura pro perpetuò amentibus, quæ militant pro paruulis ante vſum rationis, cum etenim illi nunquam potiti fuerint vſu rationis, nunquam formalitèr facti fuerint adulti, & quoad effectum, de quo agitur, non eſt conſideranda ætas, quæ merè materialitèr ſe habet, ſed iudicium, & vſus rationis, ergo in ijs, in quibus paruuli ante vſum rationis ſunt capaces, & in ijs in quibus ſunt incapaces erunt etiam capaces, & incapaces perpetuo amentes.

12 Rationes ſuadẽtes poſſe cõferri Euchariſtiã perpetuo amentibus in articulo mortis.

Difficultas ſolummodo aliqua poteſt eſſe quoad licitum eſſe quoad Sacramentum Euchariſtiæ, ſi peruenerint iſti ſic perpetuò amentes ad ætatem maturam non quidem in ordine ad ipſos, ſed in ordine ad conferentes, an ſcilicet poſſint licitè conferre, & præcipuè in articulo mortis. Ratio dubitandi ex eo potiſſimum prouenit, quod pro toto ſuæ vitæ decurſu non videntur tanto beneficio pro omnibus inſtituto priuandi, potiſſimum cum defectu vſus rationis non poſſint per proprios actus meritorios ſibi conſulere de vberiori prouentu; & cum ex alio capite hoc Sacramentum ex genere ſuo, nec ex vi ſuæ inſtitutionis non ſit alligatum habentibus vſum rationis, non videtur amentibus pro tota vita denegandum. Accedit, quod potiſſimum pro articulo mortis vrget præceptum viatici de iure Diuino, cui nequit lex Eccleſiaſtica præualere de non communicandis paruulis ante vſum rationis. Nihilominus ſentiendum eſt non poſſe licitè miniſtrum eiſdem perpetuo amentibus conferre. Rationes, quæ euincunt de collatoribus in ordine ad paruulos ante vſum rationis euincunt etiam de eiſdem in ordine ad perpetuò amentes, & lex, quæ prohibet primis, militat etiam quoad ſecundos; atque ideo iuxta hunc ſenſum procedunt *Arriaga diſp. 43. ſect. 1. n. 7.*, *Cacheranus tom. 4. tract. 9. de Euchariſtia, vt Sacram. lib. 2. c. 3. n. 15.*, nec ea, quæ afferebantur pro ratione dubitandi aliquid euincunt, quandoquidem, cum perpetuò amentes perſeuerent in carentia rationis, ratione cuius propterea nequeunt demereri, non videntur alio ſubſidio indigere à Sacramento Baptiſmatis, & quod nequeant ſibi

13 Probabilius non poteſt.

conſulere de vberiori prouentu, debent propriæ conditioni imputare; nec præ-

ceptum Diuinum de Viatico ſumendo, quidquam in hoc caſu vrget, quandoquidem illud intelligendum eſt, niſi lex aliqua obſiſtat ordinata ad maiorem Sacramenti reuerentiam, quam in huiuſmodi omiſſione conſiderat Eccleſia, & ſicuti ex dictis in quæſtionibus de Sacrificio Miſſæ etiam ad communicandum infirmum in articulo mortis conſtitutum non licitum eſt ſacrificare ſine ſacris veſtibus propter reuerentiam Sacramento, ſeu Sacrificio debitam, ita, nec erit licitum perpetuo amentem in articulo mortis conſtitutum communicare propter rationes reuerentiæ, ob quas Eccleſia prohibuit.

Sed quid erit dicendum non de perpetuo amentibus, ſed de eo, qui poſt acquiſitum vſum rationis, & poſt maturitatem iudicij incidit in amentiam? an iſtis poſſit licitè Euchariſtia conferri, & an ſit obligatio conferendi ad adimplendum præceptum Paſchale, & in articulo mortis. Quoad iſtos certè non militat eadem ratio, quæ militat de paruulis ante vſum rationis, ac de perpetuo amentibus, cum etenim iſti gauiſi fuerint pro multo tempore vſu rationis potuerunt grauitèr peccaſſe, nec obtinuiſſe pro tempore ſanæ mentis remiſſionem peccati, vnde in iſtis non ſolum adeſſet carentia deuotionis, ſed poſſet etiam eſſe obex impeditiuus gratiæ, adeoque, nec videtur licitè poſſe, nec debere Euchariſtiam miniſtrari, potiſſimum, cum ſumptio pro tempore amentiæ concipi poſſit, vt non voluntaria, nec facta modo humano more

14 adultorum. Nihilominus arbitrarer, non ſolum licitè poſſe, ſed etiam debere eiſdem Euchariſtiam in articulo mortis per modum Viatici miniſtrari duabus ſeruatis conditionibus, altera, dummodo antecedentèr oſtenderit ſigna pænitentiæ, deuotionem aliquam, & deſiderium eiuſdem Euchariſtiæ; altera dummodo non adſit periculum contemptus, expuitionis, aut alicuius alterius irreuerentiæ. In hoc conſentiunt *D. Thomas tertia part. q. 80. art. 9. in corpore*, *Suarez diſp. 69. ſect. 2. §. tertium dubium*, *Vaſquez diſp. 212. c. 3. n. 23.*, *Sotus in quarto diſt. 12. q. 1. art. 9.*, & expreſsè deducitur ex Cathechiſmo Pij V. vbi dicitur inſanos, ſeu amentes eſſe communicandos, ſi antequam in inſaniam inciderint piam, & religioſam animi voluntatem præſetulerint, quod idem videtur haberi, ſeu poſſe deduci ex *Concil. Cartaginenſi IV. Toletano XI.*; Nec obſtat, quod, cum iſti computentur, vt adulti ob præcedentem vſum rationis, exigant ad licitè communicandum habere eas conditiones, quæ requiruntur in adultis, nempè actualem deuotionem, & diſpoſitionem actualem, quæ, cum pro ſtatu amentiæ in ipſis eſſe non poſſint, nec poſſunt inducere obligationem communicandi, quin potius impediunt &c. vnde in Rituali Pauli V. dicitur, quod illi tantum amentes, & phrenetici ſint communicandi, qui lucida habent interualla, & deuotionem oſtendunt, dum in eo ſtatu manent; Non obſtat, inquam,

Amentibus, qui gauiſi sũt vſu rationis, & exhibuerũt ſigna Pænitentiæ in periculo mortis conferẽda eſt Euchariſtia.

15 quia exiſtente ſumma neceſſitate communicandi in articulo mortis, hæc neceſſitas præualet illi defectui deuotionis, quæ in illo ſtatu actualitèr non poteſt haberi, vnde in iſto caſu ſufficit, quod præceſſerit; & licet Rituale Pauli V. videatur exigere illam diſpoſitionem, & deuotionem actualem, dum dicit, & *deuotionem oſtendant, dum in eo ſtatu* (hoc eſt ſanæ mentis) *permanent*, hoc teſte *Amico diſp. 28. n. 20.* intelligendum eſt, non de communione in articulo mortis, ſed de communione, quæ nulla vrgente neceſſitate fiat, vel de annua.

Intellige ſub duabus conditionibus.

16 Ex quibus eruitur, quod in ordine ad communionem annuam, ſeu Paſchalem congruè non conferatur Euchariſtia amenti exiſtenti actualitèr in amentia; quia, ſicuti in hoc caſu eſt minor indigentia, eſt etiam minor obligatio, & obligationi illi, quæ habetur ex præcepto Eccleſiaſtico de annua, ſeu Paſchali obligatione præualere debet illa obligatio accedendi ad hoc Sacramentum cum aliqua reuerentia, & diſpoſitione actuali.

Non facilè eſt conferẽda annua communio.

17 Eruitur etiam ſecundò, quod ne dum Euchariſtia amentibus, qui gauiſi fuerunt vſu rationis, in articulo mortis ſit conferenda, ſed etiam Extrema Vnctio, cum militet pro ea fortior ratio, quinimmo vſus inueteratus Eccleſiæ, ſecundum quem amentibus, & phræneticis, & quaſi ſenſibus deſtitutis hoc Sacramentum miniſtratur, nemine prorſus contradicente, quinimmo aliqui, nec incongruè ex obligatione conferendi Extremam Vnctionem, quam indubitatam exiſtimant, arguunt etiam obligationem eiſdem conferendi viaticum.

Conferẽda eſt Extremæ Vnctio.

ARTI-

ARTICVLVS III.

De capacitate proxima, & de ijs, quæ ad eandem requiruntur in adultis ad Sacramenta ſuſcipienda.

SVMMARIVM.

In adultis neceſſaria eſt aliqua intentio ad validè recipienda Sacramenta. 1.
Euincitur ex Concilijs, & SS. PP. 2.
Dum Concilia definiunt infantes infidelium ſine conſenſu parentum, non eſſe baptizandos, non declarant irritum eſſe Baptiſmum, ſi alitèr fiat. 3.
Nec obſtat Concilium Florentinum. 4.
A fortiori requiritur aliqua intentio in ſuſceptione aliorum Sacramentorum à Baptiſmo. 5.
Exceptio quoad Sacramentum Euchariſtiæ, & qualitèr accipienda. 6.
Regularitèr ſufficit, quod hæc intentio ſit voluntaria ſecundum quid. 7.
Excipe in Sacramento Matrimonij. 8.
Voluntarietas ſecundum quid eſt ſufficiens ad contractus humanos. 9.
Ad receptionem Sacramentorum ſufficit intentio habitualis. 10.
Requiritur paſſio rationalis, & voluntaria. 11.
In aliquibus requiritur magis, in alijs minus expreſſa, & interpretatiua. 12.
Explicatur, in quo conſiſtat hæc interpretatiua intentio. 13.
An poſſit baptizari infidelis, qui exhibuit voluntatem curandi omnia media neceſſaria ad ſalutem, ſi inopinato fato deſtitutus fuerit ſenſibus, & determinatè Baptiſmum non petierit. 14.
Si preter illam voluntatem generalem etiam exhibuerit voluntatem ingrediendi Eccleſiam Catholicam, & ſeruandi eius ritus poteſt, & debet baptizari. 15.
Quænam Sacramenta in particulari exigant intentionem expreſſam, & quænam contenta ſint interpretatiua. 16.
Confirmatio, & Extrema Vnctio ſunt contenta interpretatiua. 17.
Non ſic pœnitentia. 18.
Euchariſtia contenta eſt interpretatiua in articulo mortis. 19.
Dormientibus, & ſumentibus per modum cibi materialis non prodeſt. 20.
Quid ſentiendum de Ordine. 21.
In Matrimonio exigitur expreſſa intentio. 22.

AGendum eſt in hoc articulo non ſolum de capacitate proxima in ordine ad validam, ſed etiam ad licitam Sacramentorum ſuſceptionem inquirendo, quænam ſint neceſ[illegible] ad validam, & quænam ad licitam; ſed quia ex cōmuniori conſenſu aſſignatur pro diſpoſitione intentio ſuſcipientis quoad validum eſse, & ſtatus gratiæ, & aliqua deuotio ad licitum, ideo hæ omnes qualitates hic examini ſubijcientur. Specialitèr hic agetur de valida ſuſceptione. In ſequenti de licita.

1 In adultis neceſſaria eſt aliqua intentio.

Aliquam intentionem in adultis neceſſariam eſſe, ſi excipias in aliquo ſenſu Euchariſtiam, definiunt Concilia, & præcipuè *Cartaginenſe III. c. 23.*, & *Arauſicanum I. can. 12.* vbi quoad Sacramentum Baptiſmatis ſtatuunt, quod, ſi quis in amentiam inciderit, vel ſenſibus fuerit deſtitutus ſit baptizandus, ſi antea Baptiſmum petierit, vbi ſupponunt aliquam præuiam voluntatem ad valorem Baptiſmi requiri, vnde *D. Thomas tertia part. q. 68. art. 7. ad ſecundum*, dicit, quod, ſi adulto deeſſet intentio recipiendi Baptiſmum, eſſet rebaptizandus; Hoc ſtatuunt SS. PP., & præcipuè *Auguſtinus lib. 4. de Baptiſmo c. 24.* Ibi- *Si pro eo, qui reſpondere poteſt alius reſpondeat, non ad idem valet; ex qua regula illud Euangelij dictum eſt, quod omnes eius legis naturalitèr monet, ætatem habet, ipſe pro ſe loquatur.* Hoc idem habet *Rituale Romanum Pauli V. in rubricis de Baptiſmo adultorum*, dum prohibet baptizari adultum amentem, qui antea, dum eſſet rationis compos nec Baptiſmum petijt, nec oſtendit eius voluntatem; & quamuis nonnulli has definitiones, & auctoritates reſtringant ad eſſe illicitum, ſi Sacramentum ſine præuia intentione recipiatur, quod colligunt tum ex eo, quod, dum Concilia ſtatuunt non eſſe baptizandos infidelium infantes ſine parentum conſenſu, intelligenda ſunt tantum quoad eſſe licitum, non quoad eſſe validum; tum ex eo, quod *Innocentius III. in c. maiores de Baptiſmo*, dicit, quod Sacramentalis operatio tunc imprimat caractherem, cum obicem voluntatis contrariæ non inuenerit obſiſtentem; non eſt autem voluntas contraria obſiſtens, quando nulla præextitit voluntas. Quamuis, inquam, has auctoritates ità reſtringant, non ſunt abſolutè audiendi, quia Concilia, & SS.PP. procedunt ſub plena negatione conferendi Baptiſmum, adeo vt aliqui ex ipſis, inter quos *D. Thomas loc. cit.* aſſerat, quod, ſi non fuerit in adulto intentio recipiendi Baptiſmum, eſſet rebaptizandus, quod non poteſt intelligi de eſſe illicito ſolummodo, nam ſi validus eſſet Baptiſmus, vtique non poſſet reiterari propter caractherem, qui iam eſſet impreſſus, & eſt indelebilis, nec alitèr alios SS. PP., & Concilia ſenſiſſe arbitrandum; cæteroqui nimis

2 Euincitur ex Cōcilijs, & SS.PP.

rigidè

rigidè procedere ... cum eſſet validus Baptiſmus, illius c... ionem prohiberent cum tanto adultorum detrimento.

Nec obſtant rationes, quæ ex aduerſo afferebantur; non primum de Sacramento collato infantibus infidelium ſine parentum conſenſu, quia parentum conſenſus non requiritur ad firmandum Sacramentum, nec ad effectum eiuſdem, ſed dumtaxat ad fines extrinſecos, ex quorum defectu non ſequitur Sacramenti irritatio, adeoque prohibitio, cum ad eoſdem fines extrinſecos referatur, non erit referenda ad valorem, ſed ad honeſtatem collationis Sacramenti, quin immo hæc prohibitio ceſſat inſtante mortis periculo eorundem paruulorum; Non ſecundum deſumptum ex Innocentio III. relatum *in c. maiores de Baptiſmo*, quia legenti talem textum ex præmiſſis in eodem aparebit Pontificem non intellexiſſe voluntatem contrariam poſitiuè, ſed dumtaxat negatiuè, hoc eſt puram negationem voluntatis recipiendi Baptiſmum; præmiſerat enim Pontifex aliquos caſus, in quibus expreſsè requiſiuit, vel actum præcedentem non retractatum vt in amentibus, & dormientibus, qui ante petierunt, vel actum elicitum ex metu, vt in ijs, qui, vt mortem effugiant, recipiunt Sacramentum, vel actum præcedentem in cathecumenis, & poſtea ſubdit quaſi conſequentiam deducendo per particulam, *ergo, tunc ergo caractherem Sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non inuenerit obſiſtentem*, quæ conſequentia non eſſet rectè deducta ex talibus præmiſſis, ſi ſolum tunc non imprimeretur caracther, quando eſt voluntas poſitiuè contraria; non enim fuiſſet neceſſe, vt præmitteret caſus ſolum, in quibus requirit poſitiuum actum, vt inferret tunc non imprimi caractherem, quando eſt contraria voluntas, ſed debuiſſet etiam præmittere puram carentiam actus, ſi ſola voluntas poſitiuè contraria obeſſet impreſſioni caractheris, quod, cum non præſtiterit, ſentiendum eſt, voluiſſe per ſolam actus carentiam etiam irritari.

3 Baptiſmus infantium infideliũ non eſt irritus, ſi fiat ſine conſenſu parentum.

Minus obeſſe poteſt *Concilium Florentinum in decreto vnionis Armenorum*, quod ſolum tria requirit ad confectionem Sacramentorum, nempè materiam, formam, & intentionem miniſtri, ergo, quia ſentit intentionem recipientis non eſſe neceſſariam ad validam Sacramentorum ſuſceptionem, cæteroqui fuiſſet mutila illa requiſitorum enumeratio. Minus, inquam, obeſſe poteſt, quia ex eo, quod expreſſam mentionem fecerit de perſona, & intentione miniſtri conficientis, & non de perſona, & intentione recipientis, non ſequitur, quod hæc non ſit neceſſaria ad validam ſuſceptionem, quia ibi agebat ſolum Concilium de principio effectiuo, non de paſſiuo Sacramentorum, adeoque non fuit neceſſe, vt mentionem faceret de perſona, & intentione recipientis. Dici etiam poteſt, quod Concilium mentionem non fecerit de perſona, & intentione recipientis, non quia ſenſerit, hanc non eſſe neceſſariam in adultis, ſed quia hæc non eſt in omnibus neceſſaria, nempè in paruulis, & in perpetuo amentibus, vt ſupra dictum eſt.

4 Nec obſtat Concilium Florentinum.

Ex eo autem, quod reſpectu adultorum neceſſaria ſit aliqua intentio in ſuſcipiente quoad Sacramentum Baptiſmatis, vt latè mox probauimus, ſequitur in fortioribus terminis, quod eadem ſit neceſſaria quoad alia omnia Sacramenta, eo quia non ſolum eadem, ſed fortè etiam maior ratio vrgeat pro iſtis, quam pro illo, cum etenim Baptiſmus ſit maximæ, & ſummæ neceſſitatis Sacramentum, debet habere modum faciliorem, vt ſuſcipiatur, & ſicuti Deus optimus maximus ratione talis neceſſitatis indulſit, vt ab omnibus poſſit validè conferri, ita congruum fuit, vt indulgeret, vt ab omnibus commodius, & facilius poſſet recipi, & non cum tot præuijs diſpoſitionibus, quot requiruntur in ſuſceptione aliorum Sacramentorum. Si igitur hoc non obſtante voluit intentionem aliquam in adulto ſuſceptore Baptiſmatis, non eſt præſumendum, quod voluerit a tali intentione eximere in ſuſceptione aliorum Sacramentorum. Hæc ratio videtur ſufficientèr euincere intentum quoad ſuſceptorem aliorum Sacramentorum à Baptiſmate; maioris tamen doctrinæ gratia hac alia ratione eam placet ſic confirmare.

5 Multo magis requiritur aliqua intẽtio in ſuſceptione aliorũ Sacramentorum.

Non videtur rationi conſonum, quod quis ſubeat graues aliquas obligationes ſine propriæ voluntatis aſsenſu, ſed, ſi ſine aliqua intentione reciperet validè Sacramenta aſsumeret obligationes ſine &c. nam per Baptiſmum onus ſubiret ſubiacendi legibus Eccleſiæ, & obſeruandi omnia Diuina præcepta; per Confirmationem onus ſiſtendi in eiſdem legibus; per pænitenciam ſe reum cooſtituceret, & quãdo etiam in hoc nulla aſsumeretur obligatio, ex alio capite requireretur aliqua præuia intentio, quia non poteſt acquiri effectus gratiæ remiſsiuus peccatorum ſine aliqua diſpoſitione ad eandem gratiam, & vbi non poteſt eſse effectus gratiæ, nec poteſt eſse valor Sacramenti, quia Sacramentum Pænitentiæ non poteſt eſse validum, & informe, vt ſuppono ex quæſtionibus de pænitentia; quæ ratio etiam militat pro Sacramento Extremæ Vnctionis; Per Sacramentum Ordinis ſumit per-

perpetuam

petuam obligationem reddendi Deo peculiarem cultum; Per Matrimonium aſſumit vinculum coniugale durante vtriuſque coniugis vita, ratione cuius contrahentes adſtringuntur ad mutuam quoad corporum vſum dependentiam, ergo abſolutè ad eorum ſuſceptionem requiritur aliqua præuia intentio.

Dixi, *ſi excipias in aliquo ſenſu Euchariſtiam*; nam eadem Euchariſtia conſiderari

6 Excepto quoad Sacramentum Euchariſtiæ.

poteſt, vel vt eſt Sacramentum in ſe, & ſecundum ſubſtantiam, vel vt eſt Sacramentum in vſu, & quoad effectum, in hoc etenim contradiſtinguitur à cæteris Sacramentis, quod eorum ſubſtantia habetur in vſu, cum conſiſtant in actione tranſeunte, ſubſtantia vero Euchariſtiæ, cum conſiſtat in re permanente, eſt talis independentèr ab vſu; ſi primo modo conſideretur, ſicuti eſt Sacramentum independentèr ab vſu, ita non exigit ad ſui valorem diſpoſitionem, nec intentionem vtentis; ſi ſecundo modo conſideretur in ordine ad effectum producendum in ſuſcipiente certè in adulto exigit aliquam diſpoſitionem, & intentionem, ſed de hoc latè agitur in quæſtionibus de Sacrificio Miſſæ.

Suppoſita neceſſitate alicuius intentio-

7 Sufficit intentio voluntaria ſecũdũ quid.

nis in ſuſcipiente adulto iam hic controuertitur, qualis debeat eſſe hæc intentio, quæ controuerſia, vel poteſt eſſe in ordine ad libertatem ſuſcipientis, vel in ordine ad qualitatem eiuſdem intentionis, & quidem primo incipiendo in ordine ad libertatem difficultas eſt, an intentio debeat eſſe ſimplicitèr libera, & omnino voluntaria, an ſufficiat, quod ſit voluntaria ſecundum quid, mixtè, & conditionatè. Qua in re ſentiendum exiſtimo, ſufficere intentionem ſecundum quid voluntariam, mixtè, & conditionatè. Conſentiunt communitèr cum *D. Thoma in quarto diſt.6. q.1. art.2. quæſtiunc.3.* Excipiendum tamen eſt Sacramentum Matrimonij propter ſpecialem eiuſdem naturam, & poſitiuas Eccleſiæ leges, vt latè probauimus in quæ-

8 Excipe in Matrimonio.

ſtionibus de Matrimonio. Ratio exceptionis ea eſt, quia, cum Matrimonium pariat vinculum omni humanæ poteſtate indiſſolubile, exigit ad idem contrahendum omnimodam libertatem, propter quam rationem Eccleſia per leges poſitiuas inter cætera impedimenta induxit illud, *Vis*, quæ, quantum ad Matrimonium attinet, excludit quamcunque inuoluntarietatem inductam per metum iniuſtè incuſſum.

Quod autem in cæteris Sacramentis ſufficiat voluntarietas ſecundum quid, mixta, & conditionata euincitur primò ex *Concil. Tolet. IV. c. 55.* relato *in c. Iudæis diſt. 45.*, & approbato ab *Innocentio III. in c. maiores de Baptiſmo*, vbi definitur eſſe validum Baptiſmum collatum inuito, vbi per ly *inuito*, non intelligendum eſt inuitum, hoc eſt per voluntatem poſitiuam contrariam repugnantem, cæteroqui hoc Concilium in tali definitione aduerſaretur tot alijs Concilijs ſupra recenſitis requirentibus in ſuſcipiente adulto intentionem poſitiuam, non meram non repugnantiam, ſed voluntatem per metum inductam, quæ æquiualet voluntati mixtæ, & conditionatæ. Pro quo aduerte, quandoque aliquem conſentire alicui actioni, non abſolutè, & ſecundum ſe, ſed quia inducitur ad talem conſenſum per aliquem metum etiam grauem ratione grauis damni eidem intentati, niſi actionem illam exerceat, quam, ſi exerceat ad euitandum illud damnum, non dicitur abſolutè nolle ipſam, ſed velle non ſimplicitèr, & ratione ſui, ſed ratione damni intentati euitandi. Hanc igitur intentionem metu inductum tanquam ſufficientem ad validè ſuſcipiendum Sacramentum approbant tum idem Concil. Toletanum, tum ipſe Innocentius III., quia non eſt verè negatio intentionis, ſed intentio inuoluntaria mixtè, & conditionatè.

Secundò euincitur ex eo, quod voluntarietas mixta, & conditionata eſt ſufficiens regularitèr loquendo ad valorem contractuum humanorum, & ad hoc, vt homines dicantur agere modo humano, & propriæ conditioni proportionato, ergo non erit, cur non ſit ſufficiens ad valorem etiam Sacramentorum inſtitutorum, vt fiant, & recipiantur humano modo; Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur, voluntarietatem mixtam, & conditionatam non eſſe ſufficientem ad Sacramentorum effectum recipiendum aſſerente *D. Thoma loc. cit.*, quod, qui cum voluntarietate mixta ſuſcipit Sacramentum, ſuſcipiat quidem Sacramentum, non rem Sacramenti, ergo ſaltem in ijs Sacramentis, in quibus non poteſt eſſe valor Sacramenti ſine effectu eiuſdem, cuiuſmodi ſunt ex ſupradictis Pænitentia, & Extrema Vnctio, quæ non poſſunt eſſe valida, & informia, talis voluntarietas mixta, & conditionata non poterit eſſe ſufficiens. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia voluntarietas etiam mixta, & conditionata non ſolum eſt ſufficiens ad valorem, quantum eſt de ſe, ſed etiam ad effectum Sacramenti, niſi aliud obſtet; nec dictum D. Thomæ aliquid euincit, quandoquidem ibi S. D. non loquitur præciſè de eo, qui habet ſolummodo voluntarietatem mixtam, & conditionatam, ſed de eo, qui cum tali inuoluntarietate mixta habet annexam caren-

9 Voluntarietas ſecundum quid eſt ſufficiens ad contractus humanos

Digitized by Google

tiam doloris requiſiti, hoc eſt, vt alij loquuntur, habet annexam fictionem, tunc etenim ſumitur quidem Sacramentum, ſed non res Sacramenti ob obicem obſiſtentem, quæ tamen res Sacramenti acquiritur recedente fictione, hoc eſt poſita attritione requiſita, vt latè demonſtrabimus, dum de Sacramento Pænitentiæ. Quamobrem patet quid reſpondendum ad ea, quæ dicuntur de Sacramento Pænitentiæ, & Extremæ Vnctionis, ſi etenim ſint omnia alia requiſita ad valorem eorundem propter ſolam voluntarietatem mixtam, nec valor, nec effectus eorundem Sacramentorum impeditur, & tunc ſolum impedietur, & valor, & effectus, quando non aderit dolor ſufficiens, vel aliquid aliud ſubſtantialitèr requiſitum, ſed tunc tale impedimentum non erit ratione voluntarietatis mixtæ, ſed defectu doloris, vel alterius requiſiti.

10 Ad receptionē Sacramentorū ſufficit intentio habitualis.

In ordine vero ad qualitatem intentionis recolenda ſunt ea, quæ ſupra latè explicuimus de intentione actuali, virtuali, & habituali, & de diſtinctione iſtius à virtuali. Quo ſuppoſito dico, non eſſe neceſſariam ad validam ſuſceptionem Sacramentorum intentionem actualem, vel virtualem, ſed ſufficere purè habitualem conſiſtentem in actu præcedente non retractato, non tamen eandem eodem modo conceptam reſpectu omnium Sacramentorum, ſed magis expreſſam reſpectu aliquorum, minus expreſſam, & interpretatiuam reſpectu aliorum. Ab hac tamen doctrina excipiendum eſt Matrimonium, non ſolum propter rationem ſuperius adductam, dum de intentione in ordine ad libertatem ſuſcipientis, ſed etiam, quia ſuſceptores huius Sacramenti ſunt etiam miniſtri conficientes, reſpectu quorum iam ſupra diximus requiri intentionem ſaltem virtualem. Ratio in vniuerſum ex eo deducitur, quia ex ſupra probatis in adultis ſuſcipientibus Sacramenta requiritur aliqua intentio; ſed nec actualis, nec virtualis requiritur, ergo ſaltem habitualis erit neceſſaria. Minor probatur quoad primam partem, quia actualis, nec eſt neceſſaria in conficiente Sacramenta, ergo multominus erit neceſſaria in ſuſcipiente, cum maior vis requiratur in agente, quam in paſſo, cum agens influat, paſſum ſolummodo habeat actionem recipere; atque ex hac eadem ratione euincitur etiam ſecunda pars, quia cum minor requiratur vis in paſſo, quam in agente, ſequitur, quod, ſi in agente eſt neceſſaria, & ſufficiens virtualis intentio, habitualis ſufficiat in paſſo, ſeu in ſubiecto recipiente, cum hoc non habeat influere, ſed dumtaxat recipere.

11 Requiritur paſſio rationalis, & voluntaria.

Neque dicas, quod ex hac ratione euinceretur, nec habitualem intentionem in ſuſceptore adulto requiri, quandoquidem, cum ſubiectum habeat præciſè recipere, nullo modo influere, intentio in eodem inanitèr ſe haberet; Contrà enim impugnaberis, quia, ſicuti in actionibus Phyſicis, & naturalibus, vt ſubiectum formas recipiat naturalitèr loquendo debet diſponi per qualitates proportionatas, ita vt homo recipiat Sacramenta, ſeu formas morales, quæ ſe habent tanquam formæ ſubſtantiales moralitèr, debet diſponi, & reddi proximè capax per diſpoſitiones requiſitas, inter quas eſt potiſſimum intentio aliqua ſaltem habitualis, quæ quandiu non fuerit retractata, ſemper continuatè conſtituit ſubiectum in ratione paſſi voluntarij, & rationalis, ipſumque diſtinguit tum a paſſo, ſeu patiente contra propriam voluntatem, tum à patiente naturalitèr.

Quod deinde in aliquibus Sacramentis reſpectu ſuſcipientium requiratur intentio habitualis expreſſa, in alijs ſufficiat habitualis implicita, & interpretatiua deducitur primò ex varijs Conciliorum, & Romani Ritualis definitionibus quorum alia expreſſam exigunt, vt *Concil. Carthaginenſe III. Arauſicanum I.*, quod aſſerit adultos in articulo mortis conſtitutos, & deſtitutos ſenſibus, vel qui inciderint in amentiam eſſe baptizandos, ſi antea Baptiſmum petierint (& ecce expreſſa intentio habitualis) alia, vt *Rituale Romanum ſub titulo de Extrema Vnctione*, contenta ſunt implicita; aſſerit enim idem Rituale non eſſe priuandos Extrema Vnctione ſenſibus deſtitutos, qui antea illud petierunt, vel veriſimiliter petijſſent (& ecce habitualis implicita). Secundò ratione, quia aliqua ſunt Sacramenta, quæ graues inducunt obligationes in ſuſcipientibus, cuiuſmodi ſunt Baptiſmus, Ordo, & Matrimonium, vt in præcedentibus innuimus; alia vel nullam, vel modicam, cuiuſmodi ſunt Confirmatio, Extrema Vnctio, Euchariſtia, & Pænitentia; Atqui magis rationi, & naturæ rerum congruum eſt, vt creatura rationalis, & libera in aſſumendis grauioribus oneribus per actum propriæ voluntatis magis expreſſum illud intendat, cui ſunt annexa illa grauiora onera, in aſſumendis vero minoribus, & fortè eo, cui vel nulla, vel modica onera affixa ſunt, non ità expreſsè, ſed interpretatiuè illud exigat, ſeu intendat, cum facilius quiſque ambiat id, quod ſibi bonum eſt, nec graues inducit obligationes, non ità facilè id, quod quamuis bonum, grauia inducit onera; quinimmo valdè veriſimile eſt, quod Deus, & Chriſtus Dominus

12 In alijs requiritur magis expreſſa, in alijs ſufficit minus.

nus

nus Sacramentorum inſtitutor; qui ſe accommdat naturæ, & conditioni hominum, inſtituerit ſecundum hunc ordinem; vt quæ grauiora inducunt onera, expreſſè appetantur, quæ minora, tantum implicitè, & interpretatiuè.

13 In quo conſiſtat hæc interpretatiua intentio. Si autem quæratur, in quo conſiſtat hæc implicita, & interpretatiua intentio ſufficiens pro aliquibus Sacramentis; tunc dicam, in eo conſiſtere, quod quis ſollicitus ſeruare omnes Eccleſiæ leges, præcepta einſdem præcipuè in Sacramentorum ſuſceptione iuxta tempora ad eadem præfinita adimpleuerit, & multo magis, ſi frequentius, quam præceptum vrgeret, toto ſuæ vitæ decurſu frequentauerit, tunc etenim præſumendum eſt, quod, ſi inopinato fuerit ſenſibus destitutus, vel in amentiam, ſeu phreneſiam inciderit, illa peteret Sacramenta, ſi poſſet, quod eſt id, quod innuit Rituale Romanum per illa verba, *vel veriſimiliter petiſſet*. Hanc interpretatiuam intentionem latius alij explicantes, dicunt in eo conſiſtere, quod adultus poſt Baptiſmum ſuſceptum, vel voce, vel operibus ſemper profeſſus fuerit Chriſtianam Reilgionem, & velle viuere, & mori iuxta Catholicæ Eccleſiæ leges; in hac etenim profeſſione Chriſtianæ Religionis, & pro tempore vitæ, & mortis continetur voluntas generalis ſuſcipiendi pro ſuo tempore Eccleſiæ Sacramenta, quæ ſuſcipere tenetur quilibet eandem profitens Religionem. Hæc autem generalis intentio facilius præſumitur in ordine ad Sacramenta, quæ multum afferunt vtilitatis, & modicum difficultatis, quam in ordine ad ea, quæ ſecum trahunt grauia onera, & obligationes arduas; & per hæc ſoluitur argumentum, quod à nonnullis circumfertur de adulto infideli non baptizato, qui voluntatem exhibuerit procurandi ſalutem per omnia media cuique adulto ad ipſam neceſſaria; hic etenim videtur per illius voluntatis exhibitionem oſtendiſſe voluntatem generalem, & implicitam ſuſcipiendi etiam Baptiſmum, cum hic contineatur inter media ad ſalutem neceſſaria; vel ergo iſti conferri poteſt Baptiſmus, & ſic non ſolum illa intentio implicita, & interpretatiua eſſet ſufficiens quoad illa Sacramenta, quæ non inducunt obligationes, vel ſaltem ita graues, ſed etiam quoad Baptiſmum, & alia inducentia grauia onera; vel non poteſt conferri, & ſi non ſufficit in hoc illa generalis intentio, non video, cur poſſit ſufficere in caſibus recenſitis? Soluitur, inquam, nam in tali infideli non baptizato, qui talem voluntatem exhibuit curandi per omnia media neceſſaria ſalutem, vel ſupponitur notitia Baptiſmi neceſſarij ad ſalutem, & omnium onerum, quæ ex illo 14 Quid ſentiendum ſit de infideli, qui voluntatem exhibuit curandi omnia media neceſſaria ad ſalutem.
conſequuntur; vel nulla ſupponitur notitia, nec Baptiſmi, nec onerum; ſi primum ſupponatur, & quod præhabita illa voluntate generali curandi media ad ſalutem neceſſaria, nullâque alia habita expreſſione ex inopinato morbo poſt aliquod temporis ſuccedente fuerit ſenſibus deſtitutus, & tunc probabilius arbitrandum eſt, eidem Baptiſmum non conferendum, eo quia non eſt efficax præſumptio, quod illa voluntatis generalis curandi ſalutem per omnia media fuerit relata ad ſuſceptionem Baptiſmatis, nec ad hanc efficax; cum etenim nouerit Baptiſmum, & eius onera, nec petierit, nec eius deſiderium exhibuerit, oſtendit potius voluntatem nutantem, quam ambientem; qui etenim efficaciter vult rem cognitam, non tardus eſt ad exhibendum eius deſiderium; ſi ſecundum ſupponatur, nec poteſt ſupponi in illa generali intentione curandi ſalutem per omnia media, comprehendi intentionem Baptiſmi, quinimmo haberi poteſt ſuſpicio, ſeu præſumptio rationabilis, quod, ſi fuerint cognita onera, quæ ex Baptiſmi ſuſceptione proueniunt, reddidiſſent ipſum valdè nutantem in illa voluntate generali, aut fortè Baptiſmo repugnantem.

Quod, ſi ſupponas infidelem non baptizatum non ſolum exhibuiſſe illam voluntatem generalem curandi per omnia media ſalutem, ſed etiam explicitè ingrediendi Catholicam Religionem, & obſeruandi Eccleſiæ ritus, quamuis actu, & voluntate expreſſa Baptiſmum non petierit, & 15 Quid, ſi exhibuerit voluntatem ingrediendi Eccleſiam.
quæras, an tunc, ſi fuerit ſenſibus deſtitutus, vel in amentiam inciderit, poſſit eidem validè Baptiſmus conferri? In hoc etiam conſiderandum eſt, an notitiam Baptiſmi habuerit, an verò adhuc non habuerit; ſi ſupponas præexiſtentem notitiam Baptiſmi; arbitrarer validè poſſe eidem Baptiſmum conferri, quia ſuppoſita plena notitia Baptiſmi voluntas ingrediendi Catholicam Religionem, & obſeruandi omnes Eccleſiæ ritus, eſt voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum, & vtique hæc eſt expreſſè exhibita per illam voluntatem ingrediendi Eccleſiam. Nec in hoc valet argumentum ſupra allatum, quod, cum nouerit Baptiſmum, nec petierit, ſit vehemens præſumptio, quod potius habuerit voluntatem nutantem, quam ambientem; Non valet, inquam, quia ibi erat ſermo de voluntate non expreſſa in ordine ad Religionem Catholicam, quinimmò remota, quæ propterea non ſecum trahebat intentionem Baptiſmi, & propterea erat præſumptio, quod non petierit ob voluntatem nutantem; hic autem eſt ſermo de voluntate expreſſa ingrediendi Catholi-

cam Religionem, & obſeruandi eius ritus, quæ ſuppoſita notitia Baptiſmi non poteſt præſcindere ab intentione eiuſdem, cum impoſſibile ſit velle ingredi Eccleſiam, & ſeruare eius ritus ſuppoſita notitia Baptiſmi, & nolle ſuſceptionem Baptiſmi, per quam habetur talis ingreſſus; vnde perinde eſt, ac ſi exhibuerit deſiderium Baptiſmi, & ob superuenientem ſenſuum carentiam non potuerit expreſsè, & actualitèr petere. Si verò non ſupponas præuiâ Baptiſmi notitiam; tunc non poteſt Baptiſmus conferri, cum non ſit præſumptio in illa generali voluntate extitiſſe intentionem iſtius, cum non fuerint cognita iſtius onera.

16 Quænam Sacramẽta exigãt expreſsã, & quænã implicitã intentionem.

His quodamodo in genere præhabitis de intentione habituali, ſiue expreſſa in ordine ad aliqua Sacramenta requiſita, ſiue implicita in ordine ad alia; placet ad clariorem ſingulorum notitiam de ſingulis in particulari aliqua dicere præcipuè cum in ordine ad aliqua ex ijs, quæ non inducunt graues obligationes, poſſit eſſe aliqua ſpecialis ratio diuerſimodè iudicandi, & fortè etiam in aliquibus ex ijs, quæ ſecum trahunt grauia onera.

Incipiendo igitur ab ijs, quæ non trahunt talia onera, in ordine ad Confirmationem, & Extremam Vnctionem vltra iam dicta nihil ſpeciale accidit ſuperaddendum; hæc etenim contenta ſunt intentione implicita, & interpretatiua propter rationes ſuperius adductas. In ordine ad Pœnitentiam, quamuis hæc etiam non trahat grauia onera, & proindè ex hoc capite videatur contenta intentione implicita, & impetràtiua comprehenſa in voluntate obſeruandi leges Eccleſiæ; ex alio tamen capite videtur exigere intentionem exterius manifeſtatam, & petitionem Sacramenti; cum etenim Pœnitentiæ Sacramentum inſtitutum ſit per modum iudicij, exigit delationem cauſæ ad Iudicem, quæ habere nequit, niſi fiat ab Accuſatore, vel reo, &, cum hoc iudicium ſit voluntarium, ipſe reus, eſt accuſator, & delator cauſæ, quam ſenſibilitèr nequit, vt requiritur, deferre, niſi per voluntatem expreſſam, vel per verba, vel per ſigna ſenſibilia.

17 Confirmatio, & Extrema Vnctio exigunt interpretatiuam.

In ordine ad Euchariſtiam loquendo non quoad valorem, qui, cum non dependeat ab vſu, nec dependere poteſt ab intentione vtentis, ſed quoad effectum idem ſentiendum eſt, quod dictum fuit de Confirmatione, & Extrema Vnctione, quod ſcilicet contenta ſit intentione habituali, eaque implicita, & interpretatiua iuxta modum ſupra explicatum, quia ipſa, nec ſtatus mutationem inducit, nec graues obligationes, nec pro ipſa illa ſpecialis ratio militat, quæ pro Sacramento Pœnitentiæ; vnde, ſi quis inopinato fato ſenſibus deſtitueretur; vel in amentiam incideret; eſſet eidem Euchariſtia in articulo mortis conſtituto conferenda, niſi conſtaret de exiſtentia eiuſdem in peccato læthali, vel adeſſet aliquod periculum irreuerentiæ. Sed, an qui in amentiam diuturnam inciderit, poſſit, & debeat extra articulum mortis conſuetis Eccleſiæ temporibus communicari, adeout illi poſſit eſſe fructuoſa communio, affirmat *Cacheranus tract. 8. de Sacram. in genere c. 3. §. 3. n. 39. in fine*. Sed non libentèr hoc concederem non exiſtente tanta neceſſitate, ſicuti in periculo mortis, vnde pro caſu periculi mortis vrget præceptum Diuinum, non ſic pro alijs conſuetis Eccleſiæ temporibus, cuius præceptum non eſt tale, vt præualere debeat alteri præcepto ſumendi Euchariſtiam cum aliqua externa, & interna actuali deuotione, quæ non poteſt in amente conſiderari.

18 Pœnitentia exigit expreſſam.

19 Euchariſtia contenta eſt interpretatiua in articulo mortis.

Quamuis autem amentibus, qui gauiſi fuerunt vſu rationis, poſſit Euchariſtia, & debeat in articulo mortis conferri, & etiam iuxta ſententiam Cacherani extra talem articulum conſuetis Eccleſiæ temporibus, an etiam poſſit dormientibus conferri, adeo vt eiſdem poſſit eſſe etiam fructuoſa, & an poſſit eſſe etiam fructuoſa ijs, qui inaduertentèr Euchariſtiam ſumerent per modum panis non conſecrati; negandum abſolutè eſt, & quidem quoad primum ex eo euincitur, quia non eſſet ſumptio modo humano, & rationali, ſed ad modum brutorum; quoad ſecundum ex eo deducitur, quia, cum ſumeret non modo Chriſtiano, nemo in ipſo poteſt præſumere intentionem interpretatiuam.

20 Dormiẽtibus, & ſumentibus per modum cibi materialis non prodeſt.

Proſequendo poſtea ſermonem de ijs Sacramentis, quæ mutant ſtatum, & trahunt in ſuſcipientem graues obligationes, qualia ſunt Baptiſmus, Ordo, & Matrimonium, iam de Baptiſmo conſtat ex ſupradictis quid dicendum: De Ordine videtur militare eadem ratio, quæ militat de Baptiſmo, cum & ipſe mutet ſtatum, & trahat ingentia onera, nec ratio ſummæ neceſſitatis in Baptiſmo loquendo quoad validum eſſe inducit ſpecialem rationem pro ipſo priuatiuè quoad ordinem, quandoquidem hæc inducit quidem maiorem indigentiam, non tamen exigit maiorem diſpoſitionem in ſubiecto. *Dixi quoad validum eſſe*, nam quoad eſſe licitum non libentèr admitterē poſſe conferri amenti, & dormienti ſicut poteſt conferri Baptiſmus, excuſante in Baptiſmo ſumma neceſſitate quemcunque alium defectum, non excuſante in ordine, cum iſtius nulla ſit neceſſitas. Verum tamen eſt, quod culpa

21 Quid ſentiendum de Ordine.

non

non eſſet ex parte amentis, & dormientis ſuſcipientis, ſed ex parte conferentis.

22 In Matrimonio exigitur expreſſa intentio.

De Matrimonio tandem vltra rationem mutationis ſtatus, & grauium onerum, quæ inducit, militant aliæ duæ rationes exigentes expreſſam intentionem, altera fundatur in ratione contractus, qui eſt ſubſtratum Sacramenti, ad quem contractum requiritur expreſſus conſenſus, ſeu intentio; altera in eo, quod nullo iure quis obligatur ad contrahendum Matrimonium, ſicut, nec ad ſuſcipiendum ordinem, adeoque in generali intentione adimplendi onera Chriſtianorum, & ſeruandi leges Eccleſiæ non comprehenditur intentio Matrimonium contrahendi, vel ſuſcipiendi ordines, & per conſequens in ſuſceptione eorundem requiritur intentio expreſſa.

Hæc, quæ hactenus diximus, vt plurimum reſpiciunt validam, vel inualidam Sacramentorum ſuſceptionem; nunc agẽdum eſt de ijs, quæ pertinere poſſunt ad honeſtam, & licitam eorundem ſuſceptionem, pro qua ſit.

ARTICVLVS IV.

De ijs, quæ requiruntur ad licitam Sacramentorum ſuſceptionem.

SVMMARIVM.

Præambula ad articulos diſcutiendos. 1.
Ad ſuſceptionem licitam Baptiſmi non requiritur in ſuſcipientibus ſtatus gratiæ. 2.
Nec in infantibus, & perpetuò amentibus fides, & atritio. 3.
In adultis prærequiritur fides. 4.
Item atritio de peccatis actualibus commiſſis ante Baptiſmum. 5.
Etiam in Sacramento Pœnitentiæ non prærequiritur ſtatus gratiæ. 6.
Quandoque tamen ipſa gratia præcedit. 7.
Ad licitam ſuſceptionem aliorum Sacramentorum prærequiritur ſtatus gratiæ ſaltem putatus. 8.
Euincitur quoad ſumptionem Eucharistiæ pluribus ſcripturæ locis. 9.
Alia Sacramenta vtpotè viuorum ſupponunt gratiam. 10.
Grauius peccat, qui recipit, quam qui conficit Sacramenta in peccato lethali. 11.
Suſcipiens Sacramenta exiſtimans ſe eſſe in gratia, cum tamen nam ſit, non conſequitur gratiam, non tamen nouum peccatum committit. 12.
Quanam diſpoſitiones poſitiuæ requirantur in ſuſceptione Sacramentorum, & ſub quo onere. 13.

1 Quædam præambula.

SAcramenta alia dicuntur mortuorum; alia viuorum. Prima præſuponunt mortem ſpiritualem in eo, qui debet illa recipere; atque hæc ſunt Baptiſmus, & Pænitentia, primus ſupponit mortem ratione originalis peccati in ſubiecto baptizando inexiſtentis; ſecunda mortem illatam per læthalia vulnera. Sacramenta viuorum ſunt reliqua omnia, quæ ex genere ſuo præſuponunt in ſubiecto vitam per gratiam ſupernaturalem. De ijs omnibus inquirendum remanet ſub hoc titulo, an, vt licitè recipiantur, exigant præter ſupra recenſitas requiſitas ad validum eſſe, aliquas diſpoſitiones in ſubiecto ipſa recepturo, & quaſnam.

2 Ad ſuſceptionem Baptiſmi nõ prærequiritur gratia.

Aſſertio I. In Baptiſmo ſuſcipiendo licitè, ſiue reſpectu paruulorum, & perpetuo amentium, ſiue adultorum non requiritur tanquam diſpoſitio ſtatus gratiæ, nec reſpectu paruulorum, & perpetuo amentium fides, & atritio; benè tamen reſpectu adultorum. In hanc conſentiunt omnes Catholici. Diſcrepant tamen quoad ſecundam partem ſaltem indirectè nonnulli ſectarij inter quos *Petrus de Bruis, Henricus Gallus; & Anabapiſtæ*, qui, quia requirunt fidem in omnibus Baptiſmi ſuſceptoribus, quæ nequit conſiderari in paruulis vſu rationis carentibus, ideo denegabant illis poſſe Baptiſmum prodeſſe.

Prima pars ex eo euincitur, quod Sacramentum Baptiſmatis tanquam Sacramentorum mortuorum inſtitutũ eſt principalitèr ad tollendum peccatum originale, & actualia ante ipſum commiſſa, quod fit per infuſionem primæ gratiæ iuſtificantis, quæ eſt principalis effectus eiuſdem, ergo in quocunque ſubiecto, ſiue ſit paruulus, ſiue adultus, recipiatur, non ſupponit in ipſo præexiſtentem gratiam: Conſequẽntia probatur, quia, quod eſt effectus Sacramenti non poteſt præſupponi ad exiſtentiam Sacramenti, cæteroqui eſſet prius, & poſterius eodem, cauſa, & effectus ſui ipſius; nec poſſet dici Sacramentum mortuorum, quia ſupponeret vitam in eo, qui illud reciperet.

3 Nec in infantibus, & perpetuo amentibus fides, & atritio.

Secunda pars facilè patet, tum ex eo, quod nemine diſceptante paruuli vſu rationis carentes (quod idem dic de perpetuo amentibus) ſunt capaces Regni Cælorum, iuxta illud ſupra recenſitum *Matthæi 19. Sinite paruulos venire ad me; talium etenim eſt Regnum Cælorum*, ergo etiam ſunt capaces Baptiſmi, ſine quo non poſſunt Regnum Cælorum acquirere iuxta illud. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt intraire in Regnum Dei*; certum autem eſt paruulos ante vſum rationis non poſſe actus fidei, & atritionis elicere; tum ex eo, quod atri-

tio

tio requiſita ad licitam ſuſceptionem Baptiſmatis, non eſt in ordine ad peccatum originale, ſed in ordine ad actualia commiſſa ante Baptiſmum, cum iſta ſint propriæ voluntatis actus deficientes a recta ratione; ſed paruuli ante vſum rationis, & perpetuò amentes in nulla peccata actualia declinauerunt cum ſint illorum incapaces, ergo, nec tenentur fidem, & attritionem ad Baptiſmum præmittere.

Tertia pars ex eo euincitur, quod fides præſuponi debet ad quemcunque actum, quo poſſimus Deo placere iuxta illud *Apoſtol. ad Hebreos* 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*, ergo etiam ad recipiendum Baptiſmum, per quem Deo regeneramur, requiritur in ſuſcipiente adulto fides; vnde iuxta ſuperius dicta Chriſtus Dominus *Matthæi vlt.* prius præcipit inſtructionem ad fidem; *Ite, docete omnes gentes*; & poſtea ſubdit collationem Baptiſmatis, *Baptizantes eos, in nomine Patris &c.* & Eccleſia eius ſponſa, & interpres, prius præcipit Cathecumenos in fide inſtrui, & non niſi inſtructos baptizari; non alia ratione, niſi quia fides in adultis prærequiritur ad licitam Baptiſmi ſuſceptionem. Quibus adde, quod in quocunque ſubiecto requiritur diſpoſitio proportionata ad formam recipiendam, ſed forma ſpecialis, quæ recipitur in Sacramento Baptiſmatis, eſt habitus ſupernaturalis fidei, nam gratia eſt effectus communis omnium Sacramentorum, ergo exigit in ſubiecto fidem tanquam diſpoſitionem proportionatam.

4 In adultis prærequiritur fides.

Quod autem requiratur etiam attritio de peccatis actualibus commiſſis ante Baptiſmum ex eo deducitur, quod in his, quæ per propriæ voluntatis actus committuntur, ad remiſſionem neceſſaria eſt pænitentia iuxta illud, *niſi pænitentiam egeritis omnes ſimul peribitis*, ad differentiam peccati originalis, quod cum fuerit contractum ſine propriæ voluntatis actu formali remittitur per Sacramentum ſine tali actu, vt habetur in *c. maiores de Baptiſmo*. Ibi *Originale igitur, quod ſine conſenſu contrahitur ſine conſenſu per vim remittitur Sacramenti; actuale vero, quod conſenſu contrahitur, ſine conſenſu minimè relaxatur*; ſed pænitentia propriè ſumpta conſiſtit in deteſtatione peccatorum, quæ habetur vel per contritionem, vel per attritionem; contritio neceſſaria non eſt; vt videbimus in quæſtionibus de Baptiſmo, ergo attritio erit neceſſaria &c. Accedit, quod peccata actualia non remittuntur, niſi reuocetur affectio ad peccata; talis autem reuocatio non fit, niſi per dolorem cum propoſito amplius non peccandi, ergo &c.

5 Item attritio de peccatis actualibus commiſſis ante Baptiſmum.

Aſſertio II. Etiam ad Sacramentum Pænitentiæ licitè ſuſcipiendum non eſt neceſſarius in ſuſcipiente ſtatus gratiæ; ſunt tamen neceſſariæ aliæ plures conditiones; quarum aliæ pertinent ad ſubſtantiam, & ad validum eſſe; aliæ ad honeſtatem, & ad licitum eſſe, de quibus non eſt hic locus agendi, cum de ipſis in propria ſede de Sacramento Pænitentiæ ſit latè tractandum.

6 In Sacramento Pænitentiæ non prærequiritur ſtatus gratiæ.

Ratio primæ partis eſt, quia hoc etiam Sacramentum eſt Sacramentum mortuorum, quod non ſupponit vitam ſpiritualem præexiſtentem in ſuſcipiente, quin immò ex genere ſuo eſt ordinatum ad eandem vitam conferendam, ergo ex genere ſuo non exigit ſtatum gratiæ in ſuſcipiente cum illum habeat conferre.

Dixi *ex genere ſuo*, non etenim negauerim quandoque in ſubiecto ſupponere præexiſtentem gratiam habitualem iuſtificantem, vt contingit cum quis ad Sacramentum Pænitentiæ accedit ſibi conſcius dumtaxat peccatorum venialium, vel etiã læthalium ritè antea remiſſorum per confeſſionem ritè habitam, & abſolutionem, vel etiam per contritionem, in quo caſu ad inſtar Sacramenti viuorum non primam gratiam producit, ſed ſecundam, ſeu augmentum eiuſdem, quod militare non poteſt in Sacramento Baptiſmatis, quod, cum principaliter ſit ordinatum ad remiſſionem originalis, nec poſſit remittere actualia, niſi concomitanter cum eodem originali, nunquam ſupponit gratiam præexiſtentem in ſubiecto, cum hæc non poſſit ſimul compati cum exiſtentia originalis.

7 Quandoque tamẽ ipſa gratia præcedit.

Aſſertio III. Ad ſuſceptionem licitam aliorum Sacramentorum non ſolum in ſuſcipiente neceſſarius eſt ſtatus gratiæ ſaltem putatus; ſed regulariter loquendo requiritur aliqua alia diſpoſitio, ſi non ſimpliciter, ſaltem ſecundum quid. Prima pars eſt communis apud omnes Catholicos contra nonnullos ſectarios, & præcipuè contra *Martinum Lutherum*, qui, quamuis locutus fuerit ſolum expreſsè in ſumptione Euchariſtiæ, aſſerens non eſſe neceſſariam ad dignè ipſam ſuſcipiendam diſpoſitionem per confeſſionem peccatorum, nec per conſcientiæ examen, ex paritate tamen rationis arbitrandum idem ſenſiſſe de aliorum Sacramentorum ſumptione.

8 Ad licitam ſuſceptionẽ aliorum Sacramẽtorum prærequiritur ſtatus gratiæ.

Specialiter contra huiuſmodi ſectarios loquentes in terminis Euchariſtiæ militant plures Sacræ Scripturæ auctoritates, & Conciliorum definitiones; & primò *D. Pauli prima ad Corint.* 11. *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat, qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit non diiudicans corpus Domini*. Quid eſt autem ſe

ipſum

ipſum probare, niſi conſcientiam ſuam benè mundare iuxta illud *ad Theſſalonic. 5. Omnia probate, & quod iuſtum eſt tenete*, & *ad Galatas 6. Opus autem ſuum probet vnuſquiſque, & ſic in ſemetipſo tantum gloriam habebit*. Homo igitur debet iuxta D. Pauli præceptum prius ante Sanctiſſimæ Euchariſtiæ perceptionem intus ſe purgare, ideſt conſcientiam ſuam à peccatis mundare; quod etiam lotio pedum à Chriſto Apoſtolis facta, vt legitur *Ioannis 13.* indicauit; prius igitur eorum pedes lauit, ideſt eorum affectus purgauit, ideo ſubdidit, *Vos mundi eſtis, ſed non omnes*, hoc referens ad Iudam, qui minimè intus lotus erat. Secundò ex *Concil. Trident. ſeſs. 13. c. 7.*, *& can. 11.* Hæc ſpecialitèr quoad ſumptionem Euchariſtiæ aduerſus Lutherum.

9 Quoad Euchariſtiā euincitur Sacris Scripturis.

10 Alia Sacramenta vtpotè viuorum ſupponūt gratiam

Probatur iam in vniuerſum quoad ſumptionem aliorum Sacramentorum à Baptiſmo, & Pænitentia. Hæc Sacramenta vtpotè viuorum non habent per ſe conferre primam gratiam, quin potius illam ſupponunt, ergo eadem non præexiſtente, ſed potius peccato in ſubiecto non poterit illam producere obſiſtente obice peccati, ergo accedens ad eadem cum conſcientia peccati læthalis, nedum non conſequetur effectum eorundem Sacramentorum, ſed etiam grauiſſimè peccabit per poſitiuam reſiſtentiam, quam apponit Sacramentis, ne ſuos effectus producant.

Probatur ſecundò quoad idem. Qui recipit Sacramenta ſibi conſcius peccati læthalis irreuerentèr agit contra dignitatem Sacramenti, & ſancta non ſanctè, ſed tractat indignè, ergo conſtituitur reus grauis peccati, ſeu ſacrilegij contra reuerentiam rebus ſacris debitam, &, ſicuti in communiori ſententia conficiens Sacramenta in peccato læthali, peccatum graue ſacrilegij cõmittit, ità recipiens indignè, ſeu cum peccato læthali reus conſtituetur grauioris peccati, vt notant *Suarez, diſp. 17. ſect. 2. concl. 2.*, *Henriquez lib. 1. c. 12. n. 10.* Dixi, *grauioris*, quia, vt notant mox præcitati DD. Miniſter Sacramentorum illa conficiens in peccato læthali non reddit Sacramenta inefficacia, nec tollit illorum Sacramentalem ſignificationem, qui verò illa indignè recipit, quantum eſt de ſe illa quoad effectum reddit inefficacia, & effectum tollit, quem ſignificant.

11 Indignè tractans Sacramēta grauitèr peccat.

Hoc tamen vnum hic aduertendum exiſtimo, hoc intercedere diſcrimen inter ſuſceptorem aliorum Sacramentorum viuorum in peccatò læthali, & ſuſceptorem Euchariſtiæ, quod ille ad dignè alia Sacramenta ſuſcipienda debeat ſe in gratia conſtituere, vel per Sacramentum Pænitentiæ cum debitis diſpoſitionibus, vel per actum contritionis; iſte vero debeat ſe ad eandem diſponere per confeſſionem iuxta diſpoſitionem *Concil. Trid. ſeſs. 13. c. 7.* vbi recitatis verbis Apoſtoli. *Qui manducat, & bibit indignè &c.* ſubdit. *Quarè communicare volenti reuocandum eſt in memoriam eius præceptum. Probet autem ſe ipſum homo.* Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius peccati læthalis, quamuis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat.

Dixi in aſſertione *ſaltem putatus*, non vt inferrem, quod ille ſtatus gratiæ putatus ſit ſufficiens, & aptus ad effectum primarium Sacramenti percipiendum, nam ſi verè gratia in illo non exiſteret, tunc gratiam non conſequeretur obſiſtente peccato, ſed, vt præcisè innuerem, non recipere Sacramentum indignè, hoc eſt cum nota noui peccati, quia tamen validè reciperet Sacramentum, & non cum noua labe peccati, fiet poſtea, quod remoto obice gratiam Sacramentalem conſequatur, de qua re fusè in ſequenti articulo, vbi etiam, an talem gratiam ſit conſecuturus remoto obice, quantumuis ad Sacramentum acceſſerit cum conſcientia peccati læthalis.

12 Suſcipiēs exiſtimās ſe eſſe in gratia non peccat.

Secunda pars aſſertionis, quod ſcilicet regularitèr loquendo requiratur aliqua diſpoſitio, vel ſimplicitèr; vel ſecundum quid, intelligenda eſt diuerſimodè in ordine ad diuerſa Sacramenta, & quidem primo pro ſuſceptione Baptiſmatis licita reſpectu adultorum requiritur duplex diſpoſitio altera ex parte intellectus, nempè fides, altera reſpectu voluntatis, nempè atritio, de quibus ſupra, & hæc vtraque eſt neceſſaria in ordine ad effectum Sacramenti acquirendum, pro ſuſceptione Confirmationis requiritur etiam in gaudente vſu rationis aliqua inſtructio, & deuotio, quæ tamen non ſunt neceſſaria ſimplicitèr, ſed ad melius eſſe; in ſuſceptione Euchariſtiæ ieiunium naturale, & aliqualis interna deuotio actualis; primum ſimplicitèr ex præcepto Eccleſiaſtico, ſecunda ſecundum quid ex dignitate Sacramenti; in ſuſceptione Pænitentiæ humilitas, verecundia, & alia, de quibus latè, dum de Pænitentia, quæ tamen pertinent ad melius, non ad ſimplicitèr eſſe; in Ordinis ſuſceptione determinata ætas iuxta Eccleſiæ præſcriptum, & proportionata ſcientia ad ſingulos Ordines; in Matrimonio plena libertas, ætas &c. In ijs hic diutius non immoramur, cum de iiſdem ſit fusè peragendum, dum de ſingulis Sacramentis.

13 Quænam diſpoſitiones poſitiuæ requirantur.

ARTI-

ARTICVLVS V.

An Sacramenta recedente fictione ſuos effectus producant.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus quaſtionis. 1.
Procedit ex ſuppoſitione, quod validè fuerit ſuſceptum Sacramentum. 2.
Specialis ratio de Sacramento Pænitentiæ. 3.
Procedit item ſiue Sacramentum fuerit ſuſceptum cum obice poſitiuo, ſiue tantum negatiuo. 4.
Sacramentum Baptiſmi ſuſceptum cum obice ſine atritione remoto obice reuiuiſcit. 5.
Euincitur auctoritatibus D. Auguſtini. 6.
Reijciuntur interpretationes contra has auctoritates. 7.
Niſi reuiuiſceret, eſſet actum de remiſſione originalis. 8.
Diuerſitas in actu contritionis elicito ante Baptiſmum, & elicito poſt Baptiſmum, quoad remiſſionem originalis. 9.
Satisfit alteri inſtantiæ oppoſitæ. 10.
Sacramentum Baptiſmi, quando aufertur obex, licet non exiſtat actu, exiſtit virtute. 11.
Quid ſentiendum ſit, quando Baptiſmus ſuſceptus eſt cum obice culpabili. 12.
Non eſt tunc ſufficiens ſola atritio, ſed requiritur contritio, vel atritio cum confeſſione. 13.
Illud peccatum nouum commiſſum in ſuſceptione non eſt materia Baptiſmatis. 14.
Peccatum originale, & actualia ante ipſum commiſſa remittuntur per ipſum Baptiſmum remoto obice per confeſſionem. 15.
Prius aufertur obex, quam gratia infundatur. 16.
Per Baptiſmum auferuntur omnia præcedentia ad ipſum, & quoad culpam, & quoad omnem pænam, ſubſequentia per confeſſionem quoad culpam, non quoad omnem pænam. 17.
Etiam alia Sacramenta à Baptiſmo ſuſcepta cum obice ſiue poſitiuo, ſiue negatiuo, remoto eodem reuiuiſcunt. 18.
Dato non tamen conceſſo, quod Sacramentum Pænitentiæ poſſit eſſe validum, & informe, & ipſum remoto obice reuiuiſceret. 19.
Validitas eſſet inutilis, ſi non conferret ad reuiuiſcentiam. 20.
Licet aliqua Sacramenta non imprimant caractherem, remanent tamen in acceptatione Diuina. 21.
Reuiuiſcentia quoad vnum effectum indicat potentiam ad reuiuiſcēdum quoad alios. 22.
Obiectum, quando Sacramentum eſt receptum cum obice culpabili. 23.
Soluitur idem obiectum. 24.
Alia Sacramenta à Baptiſmo, vt reuiuiſcant, indigent contritione, vel atritione confeſſione formata. 25.

1 Exponitur ſēſus tituli.

SVpponimus, quod quis validè ſuſciperet Sacramenta, ſed ex defectu debitæ diſpoſitionis non fuerit gratiam Sacramentalem conſecutus, puta adultus ſuſcepit Baptiſmum ſine debita atritione de peccatis actualibus ab ipſo commiſſis ante eundem Baptiſmum, quis Sacramentum Pænitentiæ ſuſcepit exiſtimans ſe ſufficientem dolorem habere, cum tamen non haberet; acceſſit ad Euchariſtiam non tamen eiuſdem gratiam conſecutus eſt ob obicem peccati præexiſtentem, & non remotum. Id, quod in ijs, & ſimilibus caſibus, quæritur, eſt, an poſita poſt Baptiſmum atritione, & remoto poſt aliorum Sacramentorum ſuſceptionem obice, Sacramenta ſuſcepta producant illam gratiam, quam non produxerunt in eorum ſuſceptione ratione obicis obſiſtentis.

2 Procedit ex ſuppoſito, quod validè fuerit ſuſceptum.

Dixi, *ſuppoſito, quod quis validè ſuſceperit Sacramenta*; ſi etenim ſupponamus, quod defectu alicuius conditionis eſſentialitèr requiſitæ non validè Sacramenta ſuſceperit, certum eſt, quod poſita poſtea illa conditione, ſeu diſpoſitione ex vi Sacramenti prius ſuſcepti non ſit gratiam conſecuturus; ſicuti enim Sacramentum illud vtpotè inualidum non potuit tunc gratiam producere, quando ſuſceptum eſt, nec poteſt poſtea producere, nam quod ab initio inualidum eſt, nec poteſt tractu temporis conualeſcere, nec aliquos effectus habere, nam non entis nullæ poſſunt eſſe qualitates, nec effectus. Ex hac ratione in ſententia aſſerente Sacramentum Pænitentiæ non poſſe eſſe validum, & informe, rectè deducitur, quod, ſi quis in eodem non conſecutus fuerit gratiam ratione obicis obſiſtentis, ſeu doloris non ſufficientis, non poſſit poſtea ſufficienti atritione ex vi talis Sacramenti eandem conſequi, cum vtpotè informe ſupponatur inualidum.

3 Specialis ratio de Sacramēto Pænitentiæ.

4 Procedit item ſiue acceſſerit cum obice poſitiuo, ſiue negatiuo.

De alijs Sacramentis ab illo pænitentiæ, quæ quamuis informia ſupponuntur poſſe eſſe valida, controuerti etiam poteſt, an ſolùmmodo poſſint effectum producere, quando ſuſcepta ſunt ſine debita diſpoſitione, vel cum obice inculpabilitèr, dum qui ſuſcipit, putat ſe eſſe ſufficientèr diſpoſitum, & ſine obice, qua in hypotheſi licet non conſequatur gratiam, nouam tamen noxam non contrahit, an vero etiam quando ſuſcipit ſine debita diſpoſitione, & cum obice culpabilitèr ſciens ſe non eſſe debitè diſpoſitum, & eſſe in actuali

pec-

peccato, in qua hypotheſi nouum contrahit peccatum ſacrilegij.

5 Sacramētum Baptiſmi remoto obice reuiuiſcit.

Aſſertio I. Sacramentum Baptiſmi cum fictione ſuſceptum, hoc eſt cum obice peccati læthalis actualis ſine præuia diſpoſitione, hoc eſt ſine attritione de eodem peccato læthali recedente fictione, hoc eſt remoto obice per ſubſequentē attritionē ſuos producit effectus. Conſentiunt *D. Thomas in quarto diſt. 17. q. 3. art. vlt.*, *Caietanus tom. primo opuſcul. tract. 5. c. 5.*, *Ioannes à Sancto Thoma diſp. 24. art. 1. dub. 6.*, *Gonetus diſp. 4. de Baptiſ. art. 2.*, *Suarez diſp. 28. ſect. 4.* contra Gloſam, alioſque iuris canonici interpretes *in c. tunc valere de conſecrat. diſt. 4.*

6 Euincitur auctoritatibus Diui Auguſtini.

Euincitur primò auctoritate D. Auguſtini communitèr recepta, qui pluribus in locis hoc ſtatuit, ſed præcipuè *lib. de Baptiſmo*, & refertur *in c. tunc valere de conſecr. diſt. 4.* Ibi *tunc valere incipit ad ſalutem Baptiſmus, cum illa fictio veraci confeſſione receſſerit, quæ corde in malitia, vel ſacrilegio perſeuerante peccatorum abſolutionem non ſinebat fieri*. Neque hic admittenda eſt interptetatio Gloſæ aſſerentis dictum Auguſtini intelligi, non in eo ſenſu, quod Baptiſmus ipſe conferat per ſe ſalutem, ſed in eo, quod ſubſequens contritio, vel verax confeſſio conferat illam gratiam, quam contuliſſet ipſe Baptiſmus, ſi obicem non inueniſſet; neque illa Scoti aſſerentis valere Baptiſmum in eo, quod reddiderit ſubiectum capax ad recipienda alia Sacramenta cum effectu, per quæ poſtea confertur ſalus, ſeu gratia ſanctificans; neque illa Gabriellis volentis ſolum Baptiſmum tunc valere ad remittendum reatum pænæ, cum ille culpæ ſit remittendus per contritionem, ſeu veracem confeſſionem; Non prima, quia D. Auguſtinus, vt ex contextu verborum patet, loquitur de vi, & efficacia Baptiſmi ad cauſandam ſalutem, non de efficacia præcisè confeſſionis ſecundum ſe, cum hæc valeat ad tollendam fictionem, non ad conferendam gratiam Baptiſmatis, ibi enim loquitur de valore Baptiſmi ad ſalutem; *tunc valere incipit ad ſalutem Baptiſmus* (Ecce efficacia eiuſdem ad ſalutem) & cum poſtea ſubdat, *cum illa fictio veraci confeſſione receſſerit*, ponit id, quod eſt validum, & ordinatum ad fictionem tollendam, qua poſita ablatione immediatè conſequitur ſalus, ſeu effectus eiuſdem Baptiſmi; Non ſecunda deſumpta ex Scoto, quia, ſi D. Auguſtinus intelligendus eſſet ſolum de principio ſalutis conſiſtente in capacitate ſubiecti ad recipienda alia Sacramenta, incongruè diceret, quod tunc ſolum inciperet valere Baptiſmus ad ſalutem, quando veraci confeſſione tollitur fictio, quandoquidem immediatè, ac poſitus eſt Baptiſmus etiam antequam auferatur fictio, intelligitur ſubiectum capax, & aptum ad recipienda alia Sacramenta; Intelligendus eſt igitur ſolummodo Auguſtinus de propria cauſalitate ſalutis prouenientе ab eodem Baptiſmo, quæ cauſalitas tunc incipit, quando obex, ſeu fictio recedit: Non tertia deſumpta ex Gabrielle, quia non congruit menti S.D.; ipſe enim, poſtquam dixerat, tunc valere incipit ad ſalutem Baptiſmus, cum illa fictio &c. ſubdidit *tunc incipit valere Baptiſmus ad delenda peccata*, & *lib. 6. c. 5. de Baptiſmo*, aſſerit. *Si conuerſus venerit ad Catholicam pacem, ſub eodem Baptiſmate, quod acceperat, etiam peccata dimittuntur*; nomine autem peccatorum ſimplicitèr venit culpa eorundem, non pæna.

7 Reijciūtur interpretationes contra prædictas auctoritates.

8 Niſi reuiuiſceret eſset actum de remiſſione originalis.

Probatur ſecundò ratione, quià, ſi remoto obice gratia remiſſiua peccati originalis, & aliorum actualium ante Baptiſmum commiſſorum, quæ non fuit cauſata in ipſa ſuſceptione ratione obicis inexiſtentis, non reuiuiſceret virtute eiuſdem Baptiſmi primo collati, actum eſſet de remiſſione eorundem, quandoquidem ex *Concil. Trident. ſeſs. 6. c. 4.* habetur, quod poſt Euangelium promulgatum a ſtatu iræ, in quo homo naſcitur filius primi Adæ, non fiat translatio ad ſtatum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per ſecundum Adam Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum ſine lauacro regenerationis, aut eius voto, ſicut ſcriptum eſt, *niſi quis renatus fuerit ex Aqua, & Spiritu Sancto non poteſt intrare Regnum Dei*; ſi ergo non poteſt remitti ſine lauacro, aut eius voto, illa gratia remiſſiua non poſſet per lauacrum regenerationis poni, quia hoc lauacrum non poteſt reiterari, nec per eius votum, quia votum Baptiſmi, ex quo poteſt eſſe hæc remiſſio, reſpicit Baptiſmum futurum, non præteritum, quia non poteſt haberi votum de illo, quod vtpotè habitum amplius haberi non poteſt, ergo actum eſſet de tali remiſſione, niſi cōſequeretur ex eodem iam poſito remoto obice.

Dices, gratiam remiſſiuam, & peccati originalis, & actualium ante Baptiſmum commiſſorum haberi poſſe per actum contritionis perfectum, & dilectionis Dei ſuper omnia, ergo falſo dicitur, quod actum eſſet de remiſſione huiuſmodi peccatorum, niſi reuiuiſceret remoto obice. Antecedens probatur per actum contritionis elicitum ante Baptiſmi ſuſceptionem poteſt homo iuſtificari ablato peccato originali, & remiſſis etiam actualibus ante ipſum commiſſis, ergo etiam per eundem actum contritionis elicitum poſt ſuſceptū Baptiſmum ſine effectu eandem iuſtificationem poteſt conſequi, quia in quocunq;

Digitized by Google

ſtatu actus contritionis eliciatur, ſemper eſt eiuſdem efficaciæ, & virtutis. Confirmatur, quia adhuc per cætera Sacramenta, & præcipuè pænitentiæ cum debitis diſpoſitionibus poſſent, & originale, & cætera actualia cõmiſſa ante Baptiſmum remitti, quandoquidem ex eo, quod ratione obicis non eſſent per ipſum Baptiſmum remiſſa, cum tamen ipſe eſſet validè collatus, vt ſupponitur, non ſequitur, quod aliis Sacramentis eſſet vis adempta cauſandi gratiam eiſdem proportionatã, cum ſubiectum per eundem Baptiſmum eſset capax factum eorundem Sacramentorum; ſi ergo non ſequitur, quod eiſdem ſit vis adempta, vtique per dignam ſuſceptionem non eſset, cur gratiam non producerent. Demus iam, quod producerent; hæc vtique eſset remiſſiua quorumcunque peccatorum, cum quilibet gradus gratiæ quodlibet peccatum tollat, cum ſit incompoſſibilis cum eodem. Sed contra; Fateor, quod per actum contritionis perfectum elicitum ante Baptiſmum poſſit haberi remiſſio originalis, & actualium ante ipſum commiſsorum, at nego eſse

9 Actus contritionis elicitus poſt Baptiſmum non poteſt eſſe cum voto Baptiſmi,

actum perfectum contritionis, niſi ſit connexus cum voto Baptiſmi, in cuius virtute conſequitur illa remiſſio; hoc autem verificari non poteſt per actum contritionis poſt Baptiſmum elicitum, quandoquidem tunc remiſſio non poteſt eſſe virtute Baptiſmi nec in re, nec in voto; non in re, quia Baptiſmus reiterari non poteſt; non in voto, quia, vt aſserebam, votum eſt de futuro, non de præterito, cum autem ſemel Baptiſmum acceperit, non poteſt habere deſiderium illum recipiendi.

Ad Confirmationem reſpondet *Cacheranus tract. 8. de Sacram. in genere c. 4. §. 8. num. 154.*, quod, quamuis quilibet gradus gratiæ habitualis ex natura ſua, & per ſe deleat omnia peccata; quatenus tamen cauſatur ab hoc, vel illo Sacramento, & actu peccatoris, deleat ſolum illa peccata, ad quæ delenda per ſe primo ordinatur, adeout, ſi illa ſolum reperirentur in ſubiecto, adhuc à Sacramento ipſa gratia produceretur; cum autem Sacramentum Pænitentiæ per ſe primo non ordinetur ad delendum originale, nec actualia ante Baptiſmum commiſsa, per ipſum non cauſaretur gratia remiſſiua eorundem. Benè procedit Cacheranus, ſed non explicat,

10 Satisfit alteri inſtantiæ oppoſitę.

an Sacramentum Pænitentiæ in ea hypotheſi cauſaret aliquam gratiam correſpondentem eidem, & ad quam ipſum eſt ordinatum; ſi etenim ipſam produceret, debet explicare, quomodo hæc poſſit compati cum peccato originali, & actualibus ante Baptiſmum commiſſis, cum quilibet gradus gratiæ ſit incompatibilis cum peccato; ſi vero non produceret, quomodo dicit, quod Sacramentum deleat ſolum illa peccata, ad quæ delenda intenditur, & ordinatur? Retenta eiuſdem Cacherani reſponſione nos dicimus, quod Sacramentum Pænitentiæ cauſet ſolum gratiam remiſſiuam peccatorum actualium commiſſorum poſt ſuſceptum Baptiſmum, & ſimul remoueat obicem obſiſtentem gratiæ remiſſiuæ originalis, & actualium antecedentèr ad Baptiſmum peccatorum, quo obice remiſſo ipſe Baptiſmus antecedentèr collatus producat gratiam remiſſiuam eorundem; vnde gratia remiſſiua actualium poſt Baptiſmum commiſſorum correſpondet Sacramento Pænitentiæ, eadem vero, vt remiſſiua originalis, & actualium ante commiſſorum correſpondet ipſi Baptiſmo.

Probatur tertiò, quia atritio de peccatis actualibus commiſſis ante Baptiſmum ſimul cum eodem Baptiſmo ſufficiens eſt ad delendum tum originale, tum eadem actualia ante ipſum commiſſa, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergo eadem ſuppoſita valida collatione Baptiſmi ſufficiens erit virtute Baptiſmi collati validè ad eadem remittenda. Conſequentia probatur, quia, quod eſt ſufficiens ad remouendum obicem in principio, dum confertur Sacramentum, eſt etiam ſufficiens ad illum auferendum perſeuerante valore eiuſdem Sacramenti; Neque dicas, Sacramentum poſſe quidem ſuum effectum operari remoto obice, quando ipſum Sacramentum eſt, non autem quando amplius non eſt; quando autem ex interuallo ponitur atritio, quæ non fuit in actu collationis, Sacramentum amplius non eſt, cum conſiſtat in actione tranſeunte, quæ ſtatim deſinit; contra enim impugnaberis, quia licet Sacramentum, quando aufertur obex per atritionem, amplius non ſit actu, & formalitèr, eſt tamen adhuc moralitèr hoc eſt in Diuina acceptatione iuxta D. Thomam, adeoque moralitèr cauſat iuxta modum ſuæ exiſtentiæ, & licet dicatur, quod Sacramenta Phyſicè cauſant gratiam, quod nos etiam infra firmabimus, adeoque exigant exiſtentiam Phyſicam, & actualem hoc tamen non eſt ſemper verum,

11 Sacramentum Baptiſmi dum cõfertur obex adeſt virtualitèr.

nam tantum cauſant Phyſicè, quando actu ſunt, moralitèr verò, quando exiſtunt tantum moralitèr, & in Diuina acceptatione; nec in hoc videntur, poſſe diſſidere aduerſantes, qui, quamuis negent, quod quando remouetur obex per atritionem, Baptiſmum producere primarium effectum gratiæ habitualis, concedunt tamen eidem aliquam cauſalitatem in ordine ad effectum ſecundarium, nempè ad remiſſionem pænæ; ſi ergo, quando Sacramentum

tum

Digitized by Google

tum non eſt poteſt, effectum ſecundarium producere, ergo ad cauſandum non requiritur exiſtentia Phyſica, & ſi non requiritur ad effectum ſecundarium, cur requiretur ad primarium? immo ordo naturalis videtur exigere, vt effectus ſecundarius operetur dependentèr à primario.

12 *Quid ſentiendum eſt, quando Baptiſmus ſuſceptus eſt cum obice culpabili.*

Hactenus locuti fuimus de Sacramento Baptiſmatis ſuſcepto exiſtente obice inculpabilitèr; Quid verò erit dicendum, quando Baptiſmus ſuſceptus eſt exiſtente obice culpabilitèr à ſciente, ſe nō eſſe ſufficientèr diſpoſitum, & eſſe in peccato læthali, actuali, nec emiſſa debita atritione? In hac hypotheſi certum eſt, ſic ſuſcipientem non ſolum non conſequi gratiam remiſſiuam peccatorum præcedentium, ſed etiam nouam noxam contrahere ſacrilegij, in quo ſenſu non ſolum dicitur indiſpoſitus negatiuè, ſed etiam poſitiuè propter poſitiuum obicem concomitantem ipſam Baptiſmi ſuſceptionem. De hoc igitur modo quæritur, an ad ſuſcipiendam gratiam remiſſiuam originalis, & actualium antecedentèr commiſſorum, & iſtius concomitantis ſufficiat atritio, vt in caſu præcedente ſuſceptionis inculpabilis, an vero requiratur vel contritio, vel atritio cum Sacramento Pænitentiæ, & in ſuppoſitione, quod requiratur, vel contritio, vel atritio cum confeſſione, an originale, & peccata actualia antecedentèr commiſſa remittantur per ipſam contritionem, vel confeſſionem cum atritione, an vero per Baptiſmum antecedentèr ſuſceptum remouente ſolum obice ipſa contritione, vel confeſſione.

13 *Non eſt tunc ſufficiens ſola atritio.*

Aſſertio II. Quando Sacramentum Baptiſmatis ſuſceptum eſt cum indiſpoſitione culpabili, hoc eſt cum obice poſitiuo ad conſequendam gratiam remiſſiuam originalis, & actualium antecedentèr cōmiſſorum, non eſt ſufficiens ſola atritio, ſed vlterius requiritur vel contritio, vel atritio cum Sacramentali confeſſione, remiſſio tamen originalis, & actualium præcedentium directè cauſatur ab eodem Baptiſmo remouente dumtaxat obice ipſa contritione, vel confeſſione. In hanc conſentiunt communitèr Scholaſtici.

14 *Illud peccatū nouum in ſuſceptione non eſt materia Baptiſmatis.*

Prima pars ex eo euincitur, quod ſuppoſito actuali peccato læthali commiſſo in ipſa ſuſceptione Baptiſmatis, non poteſt auferri obex obſiſtens remiſſioni originalis, & actualium peccatorum præexiſtentium ad ipſum Baptiſmum, niſi auferatur obex poſitus per ipſum nouum peccatum in ipſa ſuſceptione commiſſum, quandoquidem vnum læthale non remittitur ſine alio, gratia etenim remiſſiua vnius non poteſt compati cum alio peccato læthali; ſed hoc nouum peccatum læthale commiſſum in ſuſceptione Baptiſmatis non poteſt remitti, niſi per contritionem, vel atritionem ſimul cum Sacramentali confeſſione, ergo &c. Minor probatur, quia hoc peccatum nouum non eſt materia Baptiſmatis, ſed potius Pænitentiæ; cum etenim committatur, ſeu continuetur pro illo modico tempore, quo perficitur, ſeu conſummatur Baptiſmus, iam habet caractherem, & eſt ſubditus Eccleſiæ ille, qui cum tali peccato Baptiſmum ſuſcipit, ergo illud peccatum non eſt materia Baptiſmatis, quæ verſatur ſolummodo circa illa peccata, quæ antecedunt Baptiſmum; Neque dicas, non poſſe dici, quod illud peccatum ſubſequatur Baptiſmum, cum extet pro illo tempore, quo Baptiſmus ſuſcipitur, quin potius videtur ipſum præcedere ſaltem in intentione, cum accedat cum animo non ſe diſponendi ad ipſum; contrà enim impugnaberis, quia, licet quoquo modo præcedat, continuatur tamen cum ipſa ſuſceptione Baptiſmatis, & vt continuatum eſt pro illo tempore, quo iam intelligitur caracther impreſſus, & eſt factus Eccleſiæ ſubditus, quod ſufficit ad præſens intentum.

Secunda pars ex eo euincitur, quod ſupra dicebamus, quod ſcilicet originale, & actualia commiſſa ante Baptiſmum non ſunt materia Sacramenti Pænitentiæ, nec poſſunt per contritionem deleri, quandoquidem hæc non eſt remiſſiua originalis, & aliorum præcedentium, niſi ſit cum voto Baptiſmatis, quod votum eſſe non poteſt, quando iam Baptiſmus eſt validè ſuſceptus, ergo, nec per confeſſionem ſimul cum atritione, nec per contritionem poſſunt remitti, ergo remittuntur per eundem Baptiſmum ſublato obice per contritionem, vel confeſſionem legitimè factam. 15 *Peccatū originale, & cōmiſſa ante Baptiſmum remittuntur per ipſum remoto obice per confeſſionem.*

Neque dicas, in hac hypotheſi præcedentis obicis poſitiui actualia ante Baptiſmum commiſſa, & originale non poſſe per Baptiſmum remitti, quandoquidem, antequam Baptiſmus poſſit concipi, vt operans, eadem intelliguntur ſublata, quod ſic euincitur. Per contritionem, ſeu per confeſſionem atritione informatam aufertur obex; per id autem, per quod obex aufertur, immediatè delentur peccata, & per conſequens confertur gratia remiſſiua eorundem peccatorum; obex autem ſaltem prioritate naturæ debet præintelligi ſublatus, antequam Baptiſmus operari poſſit, ergo a primo ad vltimum prius intelliguntur peccata ablata, antequam Baptiſmus operetur, ergo ipſa peccata etiam antecedentèr commiſſa intelliguntur remiſſa per contritionem, non per ipſum Baptiſmum. Contrà enim impugna-

pugnaberis, quia hoc argumentum ſoluendũ eſt etiam in ordine ad obicem purè negatiuum conſiſtentem in ſuſceptione Baptiſmi inculpabili, quandoquidem, cum Baptiſmus etiam in hac hypotheſi non poſſit operari, niſi ſublato obice, quod fit per ſimplicem atritionem, quæ per omnes eſt ſufficiens, videtur hic prius debere eſſe ſublatus, & per conſequens peccata remiſſa, antequam ipſe Baptiſmus operetur. Quamobrem, vt directè reſpondeam inſtantiæ, aduerto primò, contritionem tanquam vltimam diſpoſitionem ad gratiam ſaltem prioritate naturæ debere ipſius gratiæ infuſionem præcedere, ſicuti cauſa præcedit ex genere ſuo tali prioritate effectum; aduerto ſecundò, obicem poſſe dupliciter conſiderari, vel materialitèr, prout importat culpam, vel formalitèr, prout importat carentiam diſpoſitionis, ratione cuius non poſſit culpa per Baptiſmum auferri. Quibus præſupoſitis dico, quod, ſicuti contritio, ſi non prioritate

16 Prius aufertur obex, quã gratia infundatur.

temporis, ſaltem prioritate naturæ præcedit gratiam, ita obex prioritate naturæ debeat eſſe prius ablatus in ratione obicis, quam in ratione culpæ, ſicque quod contritio prius debeat auferre obicem iuxta primum ſenſum, quo ſublato immediatè reuiuiſcit Baptiſmus, qui ſimul poſtea cum eadem contritione producit gratiam quidem remiſſiuam originalis, & actualium præcedentium ipſum Baptiſmum, dum eadem contritio producit gratiam remiſſiuam peccati comitantis Baptiſmum, vel alia ſubſequentia ipſum, ſi fuerint commiſſa; atque iuxta hanc reſponſionem procedunt *Maſtrius diſp. 2. quæſt. 6. de Baptiſmo num. 156.*, *Lugus diſp. 9. ſect. 3. num. 41.*, *Arriaga diſp. 15. num. 33.*

Ex hac reſponſione corrolarium deducitur, quod ſcilicet præexiſtente obice poſitiuo, ſeu indiſpoſitione culpabili in ſubiecto, dum per contritionem aufertur obex,

17 Per Baptiſmum auferuntur commiſſa, & quoad culpam, & quoad omnem pænam, non ſubſequentèr commiſſa.

& ſubſequentèr idem Baptiſmus ſimul cum contritione ſuam proportionalitèr gratiam quaſi indiuiſibilitèr conferant, remittatur quidem quoad peccata commiſſa ante Baptiſmum tum culpa, tum omnis pæna etiam temporalis, quoad peccata vero concomitantia, & ſubſequentia eundem Baptiſmum remittatur quidem, & culpa, & pæna æterna, non tamen infallibilitèr ſimul pæna temporalis. Ratio diuerſitatis hæc eſt, quia priora peccata remittuntur formaliter, & directè ex vi, & virtute Baptiſmatis, cuius proprium eſt conferre gratiam remiſſiuam totius pænæ etiam temporalis; poſteriora vero remittuntur vi Sacramenti Pænitentię, aut contritionis, quorum non eſt proprium infallibilitèr talem pænam extinguere.

Aſſertio III. Etiam alia Sacramenta à Baptiſmo validè ſuſcepta ſiue cum indiſpoſitione inculpabili, ſiue culpabili remoto obice reuiuiſcunt, ſuoſque effectus producunt *Caietanus in opuſc. tract. 5. qu. 5.*, *Ioannes à Sancto Thoma diſp. 24. art. 1. dub. 6.*, *Petrus Soto de inſtit. Sacerd. ſect. 5. de Baptiſmo*, *Nugnus q. 62. art. 1. difficult. 6.*, *Arriaga diſp. 14. ſect. 4.* contra *Sotum in quarto diſt. 6. q. 1. art. 8.*, *Durandum in quarto diſt. 4. q. 4.*, *& diſt. 27. q. 13. num. 7.* volentes alia Sacramenta a Baptiſmo remoto obice non reuiuiſcere; item in parte contrà *D. Bonauenturam in quarto diſt. 4. art. 2. q. 1.*, *& ibi Riccardum q. 1. art. 3.*, *Gabriellem diſt. 17. q. 1. art. 3.*, *Ioannem Medinam de confeſſione q. 20.* volentes Sacramenta, quæ imprimunt caractherem remoto obice reuiuiſcere, non ſic alia, quæ caractherem non imprimunt, item in parte contra *Suarez diſp. 28. ſect. 6.*, *Conincbum q. 62. dub. 5.*, *Lugum diſp. 9. ſect. 6.* volentes omnia reuiuiſcere excepta Euchariſtia; Eſt item in parte contra *Madernum tract. 2. de Sacram. in gen. q. 3. art. 11.*, qui, quamuis velit omnia Sacramenta remoto obice reuiuiſcere, quando ſuſcepta ſunt cum indiſpoſitione inculpabili, negat tamen eadem reuiuiſcere, quando cum indiſpoſitione culpabili fuerunt recepta. Hoc vnum aduerto, vt etiam in præcedentibus innuebam, Sacramentum Pænitentiæ iuxta noſtra principia non poſſe habere locum in hac quæſtione, cum etenim non poſſit eſſe informe, & validum, vtique, ſi eſt informe, erit inualidum, adeoque non poterit reuiuiſcere. Nihilominus dato maioris doctrinæ gratia pro nunc, quod, quamuis informe poſſit eſſe validum, eadem ratio de ipſo, ac de alijs militaret.

18 Etiam alia Sacramenta remoto obice reuiuiſcunt.

Hoc expreſsè in primis euincitur auctoritate *D. Thomæ*, qui *in quarto diſt. 17. q. 3. art. 4.* ſupponens Sacramentum Pænitentiæ poſſe eſſe validum, & informe, ſic loquitur. *Et quamuis tunc non percipiat abſolutione fructum, tamen recedente fictione percipere incipit, ſicuti etiam eſt in alys Sacramentis;* qua auctoritate ad rem noſtram nil clarius. Deindè rationibus etiam euincitur, & primò, quia negata reuiuiſcentia omnibus Sacramentis remoto obice, dum Sacramento Baptiſmatis adſcribitur, non omnibus Sacramentis idem, & æqualis modus in ſuo genere agendi tribueretur, quod falſum videtur, cum omnia ex mentis Chriſti æquè operentur, omnia ſint æquè inſtrumenta gratiæ, omnia æquè nouæ legis Sacramenta, omnia per æquè ab antiquæ legis Sacramentis diſtincta, eiſque præſtantiora, ergo congruum naturæ Sacramentorum eſt, vt dum validè ſunt recepta, ſed ſine fructu ratione obicis,

19 Dato, quod Sacramentum Pænitentiæ poſſit eſſe validum, & informe, & ipſum reuiuiſceret.

remoto

20 Valor eſſet inutilis, ſi non conferret ad reuiuiſcentiã.

remoto eodem ſuos præſtent effectus; ſecundo, quia in ordine ad effectum primarium Sacramentorum validè, illorum collatio penitus inutilis foret, nam nec illum conferrent exiſtente obice, nec illo ſublato.

Dices primò, inutilem quidem fore in ordine ad Sacramenta non imprimentia caractherem, quæ propterea dici poſſunt

21 Remanẽt Sacramẽta in acceptatione Diuina.

non reuiuiſcere, non fore tamen inutilem in ordine ad imprimentia caractherem, quia iam præſtant hunc effectum, & dependentèr ab iſto etiam ipſam gratiam, cum dici poſſint virtualitèr in ipſo perſeuerare, quod dici non poteſt de alijs Sacramentis. Sed contrà, quia, quod aliqua imprimant caractherem, alia non, efficit quidem, quod illa in hac parte non ſint inutilia, alia verè inutilia, in ordine tamen ad effectum primarium æquè omnia eſſent inutilia; nec dici poteſt, quod etiam in ordine ad prima quoad hunc effectum non eſſent inutilia, quia iſta medio caracthere, in quo virtualitèr perſeuerarent, remoto obice cauſarent gratiam, non ſic illa; Non, inquam dici poteſt, quia, ſi quando non ſunt, non poſſunt producere gratiam, nec poſſunt producere, quando non ſunt, licet exiſtat caracther, quia iſte non eſt operatorius, & licet ſignificare poſſit gratiam, non tamen ipſam poteſt cauſare, quia ad hoc non eſt inſtitutus; vel igitur ipſa Sacramenta licet præterita, prout tamen ſunt in acceptatione Diuina, poſſunt cauſare gratiam remoto obice, & ſic eandem poſſent cauſare ſiue imprimant caractherem, ſiue non, & ſic habemus intentum quoad omnia Sacramenta, vel non poſſunt cauſare, & ſic in ordine ad hunc effectum forent inutilia, & per conſequens curreret argumentum inanitatis collationis validæ.

Dices ſecundò, non fore inutilia, quia,

22 Si reuiuiſcunt quoad vnum effectum poſſunt quoad alios reuiuiſcere.

quamuis non poſſent cauſare effectum primarium gratiæ; poſſunt tamen producta gratia per aliud Sacramentum, & remoto obice cauſare effectum ſecundarium, hoc eſt remiſſionem pænæ. Sed contra; iam etiam nolentes admittunt aliquam reuiuiſcentiam Sacramentorum; & ſi poſſunt reuiuiſcere quoad hunc effectum, cur nequeunt reuiuiſcere etiam quoad effectum primarium? ſi etenim eſt virtus reuiuiſcendi quoad vnum, non video, cur non ſit etiam ad reuiuiſcendum quoad alterum effectum, potiſſimum cum effectus ſecundarius dependeat regularitèr loquendo in eſſe ab effectu primario.

Maior ratio altercandi eſt quoad reuiuiſcentiam, quando quis ad Sacramenta acceſſit cum indiſpoſitione culpabili, ſeu obice poſitiuo propter rationem, quam adducit *Madernus tract. 2. de Sacrament. in genere q. 3. art. 11. n. 7.* fundatam in eo, quod nimis arduum, & alienum a rationis

23 Obiectũ quando Sacramẽtum eſt ſuſceptũ cum obice culpabili.

dictamine eſt, quod quis v. g. Sacerdos per totum ſuæ vitæ decurſum ſacrilegè poſitiuè ſacram ſumpſerit Euchariſtiam, & conſequentèr innumera ſacrilegia commiſerit, & poſtea in morte pænitens, vel per contritionem, vel atritionem ſimul cum confeſſione Sacramentali, conſequatur totam illam gratiam, quam conſecutus fuiſſet in ſingulis communionibus, ſi dignè ad eaſdem acceſſiſſet; quam rationem extendit in ordine ad alia omnia Sacramenta indignè ſuſcepta.

Verum hoc non obſtante ineffabilis Diuinæ bonitatis, & miſericordiæ exuberantia, quæ, vbi ſuperabundat malitia, ſuperabundare facit & gratiam, non patitur efficaciam, quam Sacramentis infallibilitèr contulit, ex iniquitate ſuſcipientis, vbi iniquitatem ipſam abſtulerit per cõgruentia media, inutilem, & ſine fructu perſiſtere, &, ſicuti opera bona per peccatum mortificata, quia remanent in acceptatione Diuina, ſublato per pænitentiam peccato, non ſinit Deus inutilia permanere, ſed reuiuiſcunt, iuxta illud *Ezechielis 13. Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuerſus fuerit*; plurimum autem noceret, ſi operum bonorum fructum impediret, & iuxta illud *Ioelis 2. Reddam vobis annos, quos comedit locuſta, brucchus, & rubigo*, hoc eſt reddam vobis præteritarum actionum mercedem, ita Sacramenta, quæ ſecundum ſe non inficiuntur ex peruerſitate ſuſcipientis, cum remaneant, vtpotè valida, in acceptatione Diuina ſublata

24 Soluitur idẽ obiectum.

indiſpoſitione etiam culpabili per media proportionata, non debent inutilia, & ſine fructu permanere. Adde, quod, ſicuti ex præactis Baptiſmus non ſolum inculpabilitèr ſine debita diſpoſitione ſuſceptus, ſed etiam culpabilitèr cum poſitiua indiſpoſitione, & ſacrilega receptus remoto obice per media proportionata reuiuiſcit ad gratiam, ità, & alia Sacramenta, quantumuis ſacrilegè ſuſcepta remoto per congrua media ſacrilegio, ſeu poſitiua indiſpoſitione, debeant reuiuiſcere; nec multum vrgere poſſe videtur diſparitas à contrariæ ſententiæ aſſertoribus ponderata neceſſitatis quoad reuiuiſcentiam Baptiſmatis, non aliorum Sacramentorum, quandoquidem, niſi Baptiſmus reuiuiſceret, actum eſſet de remedio originalis, & aliorum peccatorum ante Baptiſmum patratorum, cum alia via non poſſent remitti, quod non militat in alijs Sacramentis in ordine ad peccata in ipſorum ſuſceptione commiſſa, cum ad iſtorum remiſſionem conſultum ſit de alijs remedijs, vel contri-

tionis,

tionis, vel Sacramentalis Confeſsionis; Non, inquam, multum vrgere poteſt, quia in primis, ſi conſideremus præciſè rationem talis neceſsitatis ob illud remedium originalis, & peccatorum ante Baptiſmum commiſſorum, deberemus dicere, quod nec cætera Sacramenta deberent reuiuiſcere, quando ſunt ſuſcepta cum indiſpoſitione etiam inculpabili, quamuis deberet reuiuiſcere Baptiſmus, quandoquidem in ordine ad originale non poſſet de alia via prouideri, cum in ordine ad effectus aliorum Sacramentorum poſſet conſuli alia via, nempè vel per contritionem, vel per Sacramentalem Confeſsionem, & tamen aduerſarij, contra quos modo agimus, admittunt alia Sacramenta reuiuiſcere, quando ſunt ſuſcepta cum indiſpoſitione tantum inculpabili, & cum obice præciſè negatiuo; ex quo deducitur, non eſſe præciſè rationem neceſsitatis, quæ vrgeat ad aſſerendum, quod Baptiſmus reuiuiſcat, non alia Sacramenta. Quamobrem dicimus, non eſſe præciſè hanc reuiuiſcentiam fundatam in neceſsitate reſpectu Baptiſmi, & non aliorum Sacramentorum, ſed in efficacia infallibili affixa eiſdem Sacramentis ſuppoſita valida ipſorum collatione, quæ æqualis eſt in omnibus Sacramentis, cum omnia æquè ex meritis Chriſti operentur, omnia ſint æquè inſtrumenta gratiæ &c.

Soluuntur alia obiecta. Et licet argumentum à Maderno adductum videatur aliquam ſpeciem alienitatis à dictamine rectæ rationis ex noſtra ſententia deducere; attentè tamen ponderatum, & conſiderata largitate Diuinæ bonitatis, ſpeciem mali, quam in cortice præſert, medulitùs non videtur habere; admiſſo etenim, quod tot ſacrilegia commiſerit indignè poſitiuè ſuſcipiens, quot ſacrificia confecerit, & Sacramenta ſuſceperit, ſicuti hæc omnia per remiſſam etiam atritionem cum Sacramentali Confeſsione purgantur, & remittuntur, quid mirum erit, quod gratia illis omnibus correſpondens producatur? Certè vis Sacramentis etiam per iniquam ſuſceptionem non eſt ablata, & ſicuti non eſt ablata, quamuis impedita, quando fuerunt Sacramenta ſuſcepta cum obice inculpabili, ità, nec quando fuerunt recepta cum indiſpoſitione culpabili, quæ reddit quidem ſubiectum indignius, non autem vim demit Sacramentis; Neque ſequitur id, quod infert ex præmiſsis idem Madernus, quod ſcilicet indignè ſuſcipiens eo fieret ſanctior, quo plura ſacrilegia commiſerit; Non, inquam, hoc ſequitur, quia ſanctitas, quæ inde ex reuiuiſcentia reſultaret, non proueniret ex ſacrilegijs, ſed ex efficacia Sacramentorum, quæ ſanctitas in præſenti hypotheſi intuitu Sacramentorum eſſet reſpectu ſingulorum modica, & minima; cum etenim iuxta inferius dicenda, & alibi dicta maior, vel minor conferatur etiam ex opere operato, prout maior vel minor eſt diſpoſitio ſuſcipientis, & in caſibus indignæ ſuſceptionis nulla fuerit in ſuſcipiente diſpoſitio, quin potius indiſpoſitio, ſequitur, quod illa tantum ſit gratia conferenda, quæ ex Sacramento prouenit minima, quando non creſcit ex diſpoſitione recipientis.

Solum pro complemento eorum, quæ pertinent ad hunc titulum, remanet inquirendum, qualis, & quanta requiratur diſpoſitio ad reuiuiſcentiam aliorum Sacramentorum a Baptiſmo, quando fuerunt recepta cum indiſpoſitione, vel obice. Pro quo ſit

25 Ad reuiuiſcentiã aliorum Sacramentorum requiritur contritio, vel confeſſio.

Aſſertio IV. In alijs Sacramentis à Baptiſmo, ſiue receptis cum obice poſitiuo, & indiſpoſitione culpabili, ſiue cum merè negatiuo, & inculpabili, vt reuiuiſcant ad effectum gratiæ producendum, non ſufficit pro diſpoſitione mera atritio, ſed requiritur, vel contritio, vel atritio cum Sacramentali Confeſsione. Iuxta hunc ſenſum procedit *Cacheranus tract. 8. de Sacram. in gen. c.4. §. 8. n.147.*, qui, cum procedat de obice ſiue poſitiuo, ſiue negatiuo, & requirat ad Sacramentorum reuiuiſcentiam contritionem, vel atritionem confeſsione formatam, videtur etiam ſentire omnia Sacramenta etiam indignè poſitiuè ſuſcepta reuiuiſcere, & ſic cohæret noſtræ præcedenti aſſertioni.

Probatur. Obex nedum poſitiuus, ſed nec etiam negatiuus poteſt per ſe auferri, nec per ſolam atritionem, nec per hanc ſimul cum alio Sacramento a Baptiſmate, & Pænitentia, ergo ad hoc, vt auferatur, & vt ſubiectum rectè diſponatur ad gratiam Sacramentalem recipiendam, requiritur, vel contritio, vel atritio ſimul cum Sacramentali Confeſsione. Antecedens quoad atritionem per ſe ſolam ex ſe patet, cum hæc non ſit ſufficiens ad tollenda læthalia exiſtentia in ſubiecto, non per eandem ſimul cum alio Sacramento, quia alia Sacramenta a Baptiſmate, & Pænitentia non ſunt per ſe cauſatiua primæ gratiæ, ergo non poteſt obex conſiſtens in læthali auferri, niſi vel per contritionem, vel per atritionem ſolum in Sacramento Pænitentiæ; ex quo à fortiori ſequitur, quod multo minus poſsit auferri per atritionem ex vi præcedentis Sacramenti cum indiſpoſitione ſuſcepti; ſi enim per aliud Sacramentum à Baptiſmate, & Pænitentia, quando exiſtit ſimul cum atritione non poteſt obex ille auferri, multo minus poterit auferri per aliud Sacramentum,

tum, quando hoc non exiſtit, & non eſt præſens.

Hæc procedunt in ſuppoſitione, quod alia Sacramenta à Baptiſmate, & Pænitentia non poſſint, nec per ſe, nec per accidens cauſare primam gratiam; Quod, ſi ſupponamus, quod non poſſint quidem per ſe illam cauſare, poſſint tamen per accidens, non renuerem concedere potiſſimum in ordine ad peccatum inuincibilitèr ignoratum, quod Sacramentum validè cullatum, non tamen cum fructu proptèr obicem negatiuum inexiſtentem ſubiecto ſuperueniente atritione poſſet per accidens virtute præcedentis ſui eſſe, & peccatum delere, & gratiam primā conferri.

ARTICVLVS VI.

Ad quantam nam gratiam Sacramenta reuiuiſcant ſublato obice.

SVMMARIVM.

An maior diſpoſitio conferat ad maiorem reuiuiſcentiam gratiæ. 1.
Sententia affirmatiua cum ſuis rationibus. 2.
Sententia negatiua. 3.
Diſpoſitio ſiue maior, ſiue minor, quæ adhibetur in remotione obicis non confert ad maiorem gratiam in reuiuiſcentia. 4.
An diſpoſitiones præuiæ ad Sacramentum ſuſceptum cum obice reuiuiſcant. 5.
Illa diſpoſitio, per quam remouetur obex, non tribuit maiorem vim Sacramento præcedenti. 6.
Eadem diſpoſitio non coadiuuat ad cauſandum, ſed dumtaxat ad remouendum obicem. 7.
Sacramentum, dum reuiuiſcit remoto obice, cauſat ſolum gratiam minimam, & ſemper æqualem. 8.
Sacramenta, dum reuiuiſcunt, cauſant gratiam ſolum moralitèr. 9.
Diſpoſitio non auget virtutem Sacramenti, ſed efficit, vt dum ſit, exeat in actum cum maiori virtute. 10.
Illa diſpoſitio non applicat Sacramentum, ſed ſupponit applicatum. 11.
Non valet argumentum à diſpoſitione in ſuſceptione Sacramenti nullo exiſtente obice, ad diſpoſitionem in remotione obicis. 12.
Quomodo intelligendum ſit Concilium Tridentinum pro parte aduerſa adductum. 13.

EX infrà dicendis latè patebit, iuxta maiorem, vel minorem ſuſcipientis diſpoſitionem in Sacramentorum ſuſceptione etiam ex opere operato maiorem, vel minorem gratiam conferri. Sed, an hæc maior, vel minor diſpoſitio, quæ fortè adhibetur in remotione obicis, ſufficiat, ſeu attendenda ſit æquè in reuiuiſcentia Sacramentorum ad maiorem, vel minorem gratiam producendam, quæ attenditur, ſeu attenderetur in prima eorundem ſuſceptione, ſi licitè reciperentur, hoc eſt, quod ſpecialitèr venit ſub hoc titulo examinandum. 1 An maior diſpoſitio conferat ad maiorem gratiam in reuiuiſcentia.

Affirmant hanc diſpoſitionem in remotione obicis conferre ad maiorem, vel minorem gratiæ productionem, prout fuerit maior, vel minor etiam in reuiuiſcentia *Vaſquez diſp. 159. c. 5.*, *Lugus diſp. 9. ſect. 5. n. 71.*, *Gonetus diſp. 4. de Baptiſmo art. 2. n. 24.*, *Maſtrius diſp. 2. q. 6. n. 162.*, *Cacheranus tract. 8. de Sacram. in genere c. 4. §. 9. n. 163.* Hi omnes ſtatuunt, Sacramenta, dum remoto obice reuiuiſcunt, non cauſare æqualem gratiam, ſed maiorem, vel minorem, prout fuerit maior, vel minor diſpoſitio, qua obex remouetur, atque adhoc aſſerendum pluribus rationibus mouentur. 2 Sentẽtia affirmatiua cum ſuis rationibus.

Primò, quia, dum Sacramenta conferuntur nullo exiſtente obice, cauſant gratiam maiorem, vel minorem, prout ſubiectum recipiens eſt magis, vel minus diſpoſitum, prout latè infra innoteſcet, dum de principali effectu Sacramentorum, ergo etiam, dum reuiuiſcunt ſublato obice præexiſtente in ſuſceptione eorundem, cauſabunt maiorem, vel minorem gratiam, prout magis, vel minus ſubiectum diſponitur ad obicem remouendum. Conſequentia probatur, quia ratio, quæ militat pro inæqualitate gratiæ in Sacramentorum ſuſceptione, militat pro eadem inæqualitate in reuiuiſcentia ipſorum.

Secundò, quia ex diſpoſitione *Concil. Trident. ſeſs. 6. c. 7.* vbi loquitur de iuſtificatione, quæ fit per Baptiſmum, hæc expreſsè habentur. *Iuſtitia, ſeu gratia à nobis recipitur ſecundum menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis, prout vult, & ſecundum propriam cuiuſque diſpoſitionem, & cooperationem*, ergo diſpoſitio ſuſcipientis quodamodo determinat quantitatem gratiæ conferendæ, ergo etiam hoc verificari debet, quando Sacramenta reuiuiſcunt, adeout reuiuiſcant ſecundum eam quantitatem, ſecũdum quam inueniunt diſpoſitionem in ſuſcipiente; tunc etenim diſpoſitiones ſubiecti quodamodo determinant cauſam ad quantitatem effectus, quando eadem cauſa cauſat, Sacramenta autem cauſant, tunc quando reuiuiſcunt, ergo ſecundum diſpoſitionem, quam tunc inueniunt in ſubiecto, cauſant gratiam, & ad menſuram eiuſdem diſpoſitionis.

Negant vero hanc diſpoſitionem in remo-

3 Sentẽtia negatiua refertur.

motione obicis conferre ad maiorem, vel minorem gratiæ productionem *Suarez diſp.28. §.4. §. duos potui, Coninchus q.62. art. 1. dub. 6., Arriaga diſp. 15. ſect. 1. ſubſect.3., Ioannes à Sancto Thoma diſp.24.art.1. dub.6. §. in alia vero ſentit, Madernus qu.3. art. 13.* cum quibus ſit

4 Non cõfert ad maiorem gratiam in reuiuiſcentia.

Aſſertio. Diſpoſitio ſiue maior, ſiue minor, quæ adhibetur in remotione obicis, non conducit ad maiorem, vel minorem gratiæ productionem, dum Sacramenta reuiuiſcunt; ſed tantum in reuiuiſcentia ex gratia confertur minima, quæ confertur ex vi Sacramenti præciſa quacunque diſpoſitione.

Dixi, *quæ adhibetur in remotione obicis*; poteſt enim eſſe, quod in ſuſceptione Sacramentorum in ſuſcipiente præceſſerit aliqua alia diſpoſitio; licet defecerit primaria ſtatus gratiæ propter obicem inexiſtentem; adultus etenim, qui ſine ſufficienti ſuorum peccatorum dolore ſuſcepit Baptiſmum, vel aliud Saeramentum, potuit ſe ad illud aliqualitèr diſpoſuiſſe per actus fidei, & ſpei, per aliquam ſpecialem deuotionem, per eleemoſinarum largitionem, vel per alia ſimilia bona opera; atque in ordine ad has præuias diſpoſitiones non procedit aſſertio, quæ propterea reſtricta fuit ad diſpoſitionem ſiue maiorem, ſiue minorem, quæ poſt ſuſceptionem Sacramenti adhibetur in obice remouendo. Sed, an illæ præuiæ diſpoſitiones poſſint conferre ad augmentum gratiæ, quando remoto obice Sacramentum reuiuiſcit, adeout quodamodo, & ipſæ cum ipſo reuiuiſcant, non eſt certum apud Doctores. *Cacheranus tract. 8. de Sacram. in genere c. 4. §. 9. n. 167.* putat huiuſmodi diſpoſitiones non poſſe prodeſſe, nec deſeruire Sacramento reuiuiſcẽti ad effectum maio-

5 An diſpoſitiones præuiæ ad Sacramentum ſuſceptũ cum obice reuiuiſcant.

ris gratiæ producendæ. *Lugus* vero *dicta diſp.9. ſect.5.n.72.* è contrà efficaciam atribuit huiuſmodi diſpoſitionibus præuijs, vt ſimul cum eodem Sacramento, quando hoc reuiuiſcit, cauſent maius augmentum, ac cauſaret idem Sacramentum ſecundum ſe ſumptum. Ego autem in hoc conſidero, an illæ diſpoſitiones præhabitæ fuerint exiſtente obice poſitiuo, ſeu indiſpoſitione culpabili, an vero exiſtente ſolum obice negatiuo, ſeu indiſpoſitione inculpabili, & quidem, ſi fuerint elicitæ exiſtente obice poſitiuo, abſolutè ſentio, non poſſe conferre ad maius gratiæ augmentum, quando obex remouetur, quandoquidem illa opera mortua ſimplicitèr intelliguntur, cum fuerint exercita exiſtente peccato illa in ſua origine interficiente, quod eſt id, quod conſiderauit *D. Thomas tertia part. q. art. 5.* diſtinguens quatuor hominis Chriſtiani opera, alia viua, alia mortifera, alia mortua, alia mortificata, & aſſerens ſolum per peccatum mortificata, vbi prius fuerint in charitate elicita, per pænitentiam reuiuiſcere, qualia non ſunt ea, quæ poſita fuerunt exiſtente poſitiuo peccato; Si vero fuerint elicita exiſtente ſolum obice negatiuo, & indiſpoſitione inculpabili, mitius Diuinam clementiam interpretando arbitrarer, quod, ſicuti illa non induceret noxam in ſuſceptione Sacramenti, ità, nec redderent omnino irritas diſpoſitiones, quæ pro digniori ſuſceptione fuerunt inculpabilitèr præhabitæ, nec peccatum ignoratum, in quo conſiſtit ille obex poſitiuus, extinguere penitus vim illorum actuum, licet illam cohibeat. Quibus pro hac ſecunda parte ſuppoſitis ſentio, illas diſpoſitiones remoto obice ſimul cum Sacramento reuiuiſcere, & ſimul cum eodem gratiam maiorem cauſare. Reſtringendo iam aſſertionem ad illam diſpoſitionem, per quam obex remouetur.

Probatur primò, operatio ſequitur ad modum, & menſuram rei exiſtentis, ſed, dum Sacramentum primo ponitur, ſeu primo exiſtit, exiſtit nudè ſecundum ſe, 6
non cum aliquibus diſpoſitionibus ipſum adiuuantibus, ergo ad normam illius exiſtentiæ debet operari; neque dicas, quod, quando remoto obice reuiuiſcit, coadiuuetur ab illa diſpoſitione ſiue maiori, ſiue minori, per quam remouetur obex, & propterea non per ſe ſolum operetur, ſed ſimul cum illa diſpoſitione, adeoque producat effectum correſpondentem etiam illi diſpoſitioni; contra enim impugnaberis, quia illa diſpoſitio ſubſequens habet quidem remouere obicem, & producere etiam effectum ſibi correſpondentem, non autem tribuere maiorem vim Sacramento, quam prius non habuerit in ſe ipſo, quando fuit poſitum in eſſe; non etenim hæc diſpoſitio eſt poſita ad ponendum Sacramentum, cum iam intelligatur poſitum, ſed ad remouendum obicem, & ponendam gratiam, vt Sacramentum impeditum antea poſſit exire in actum ſuæ operationis.

Illa diſpoſitio, per quã remouetur obex, non tribuit maiorẽ vim Sacramento præcedenti.

Neque vrgeas, quamuis Sacramentum ſit poſitum, ſeu exiſtat, antequam ponatur illa diſpoſitio, non tamen cauſat ante illius poſitionem, ergo, dum actu cauſat, intelligitur illa diſpoſitio adeſſe, adeoque ſimul cum illa cauſare; contra enim impugnaberis, quia licet illa diſpoſitio, dum Sacramentum actu cauſat, exiſtat, non eſt tamen poſita ad coadiuuandum Sacramentum poſitiuè, vt operetur cum illa, ſed tantum ad coadiuuandum negatiuè, remouendo prohibens operationem, quæ ab obice impediebatur, & illa quidem conſequitur ſuum effectum correſpondentem

pro-

propriæ efficaciæ, non autem conſequitur maiorem effectum correſpondentem Sacramento, vt ab ipſa adiuuatum, cum non adiuuet poſitiuè, ſed dumtaxat negatiuè; ſecus, ſi poſitiuè coadiuuaret augendo quodamodo vim Sacramenti, ſi innumera eſſēt ſuſcepta Sacramēta cum obice, vim omnibus augeret, & ſic in omnibus, & reſpectu omnium gratiam maiorem produceret, ſicque actui diſpoſitionis intenſo v.g. vt ſex non ſolum correſponderet gratia, vt ſex ipſi debita, ſed etiam in ſingulis Sacramentis, quæ reuiuiſcerent correſponderent totidem gradus gratiæ, qui deberentur eiſdem, ſi ſingula eſſent recepta cum diſtincta diſpoſitione æquali præſenti, qua remouetur obex, quod non videtur congruè affirmandum, ſecus aetus, vt ſex tantam vim haberet, quantam innumeri actus intenſi, vt ſex.

7 *Quomodo illa diſpoſitio coadiuuet.*

Probatur ſecundò. Demus, quod Sacramentum eſſet ſuſceptum ſine vlla prorſus diſpoſitione, certè cauſaret gratiam minimam, & ſemper æqualem, ſed, quando ſuſceptum eſt cum obice, intelligitur ſuſceptum ſine vlla diſpoſitione, quia obex ſaltem importat diſpoſitionis carentiam, ergo, dum reuiuiſcit per remotionem obicis, debet, ſeu poterit ſolum cauſare gratiam minimam, & ſemper æqualem. Hæc conſequentia probatur, quia reuiuiſcere eſt redire ad priſtinum ſtatum, quem habiturum eſſet Sacramentum ſuſceptum ſine vlla diſpoſitione, non autem eſt acquirere maius augmentum; Neque dicas, Sacramentum ſuſceptum ſine vlla prorſus diſpoſitione cauſare quidem gratiam minimam, eamque æqualem, quando tunc cauſat, quando ſuſcipitur, quia tunc non habet, quo poſſit gratia augeri; ſecus vero, quando non cauſat, quando ſuſcipitur, quia tunc, antequam cauſet, poteſt accedere aliqua diſpoſitio, aut maior, aut minor, qua augeatur vis cauſatiua gratiæ; Contra enim impugnaberis, quia hæc inſtantia reincidit cum ea, quæ facta eſt contra præcedentem probationem, quæ propterea eadem reſponſione diſſoluitur.

8 *Sacramētū, dum reuiuiſcit, cauſat gratiam minimam.*

Probatur tertiò, Sacramenta, dum remoto obice reuiuiſcunt, non cauſant gratiam Phyſicè, ſed dumtaxat moralitèr, quandoquidem cauſa Phyſica debet Phyſicè exiſtere, quando cauſat; huiuſmodi autem Sacramenta, dum remoto obice cauſant, non exiſtunt Phyſicè, ergo cauſant ſolummodo ſecundum virtutem relictam ab iiſdem Sacramentis, quando fuerunt poſita, & exiſtentia, non enim poſſunt maiorem virtutem relinquere ab illa, quam habebant in ſe, quando erant exiſtentia, ſed quando erant exiſtentia, & primo poſita non poterant producere, ſi non fuiſſet obex, niſi gratiam minimam, & ſemper æqualem, ergo, & virtus ab eiſdem relicta, media qua agunt, non poterit, niſi gratiam minimam, & æqualem producere.

9 *Dum reuiuiſcit cauſat ſolum moralitèr.*

Dices, quod illa virtus relicta à Sacramento præexiſtente coadiuuetur à ſequenti diſpoſitione, ſicuti adiuuaretur ipſum Sacramentum, ſi actu, & Phyſicè adeſſet. Sed contrà, quia, cum non perſeueret exiſtentia Phyſica Sacramenti, non poteſt virtutem augere, quam reliquit, nec verum eſt, quod maior diſpoſitio augeat virtutem Sacramenti, ſed tantum efficit, vt, eum Sacramentum habeat virtutem maximam vtpotè, quod continet merita Chriſti Domini, exeat ſecundum maiorem virtutem, prout in ſubiecto maiorem inuenit diſpoſitionem, quod verificari nequit, quando Sacramentum actu non eſt, ſed tantum in virtute à ſe relicta, quæ virtus, cum ſit limitata, vtpotè relicta à Sacramento nullam inueniente in ſubiecto diſpoſitionem, non poteſt per diſpoſitionem maiorem ſubſequentem excitari ad operandum cum maiori virtute ab illa, quam habuit pro tempore, quo fuit relicta.

10 *Diſpoſitio non auget vim Sacramēti, ſed ſolū efficit, vt exeat in actum cū maiori virtute.*

Probatur quartò, Sacramentum applicatur, quando ſuſcipitur, ſed diſpoſitio, qua remouetur obex, ſupponit Sacramentum iam ſuſceptum, ergo etiam, vt applicatum, ergo hæc diſpoſitio eſt præcisè ad remouendum obicem, non ad applicationem, ea proportionali ratione, qua in Phyſicis, ſi agens applicaretur ſubiecto, cui obſtaculum intermedium opponeretur, remouens obſtaculum non diceretur applicare, nec tribuere vim agenti, ſed ſolummodo auferre obſiſtens; ſicque Sacramentum, ſicuti non habet applicationem ab illa diſpoſitione, nec poteſt ab eadem adiuuari ad intenſius operandum; vnde in Sacramentis duplex quodamodo diſpoſitio intelligitur interuenire, altera, qua Sacramentum applicatur, hæcque habetur à miniſtro applicante, altera, qua remouetur obex, & hæc habetur à ſubiecto recipiente, dum elicit actum, vel attritionis, vel contritionis.

11 *Non applicat Sacramētum.*

Nec multum vrgent argumenta pro contraria ſententia adducta; Non primum, quia admiſſo, quod Sacramenta, dum recipiuntur nullo exiſtente obice, cauſent gratiam ſecundum maiorem, & minorem ſuſcipientis diſpoſitionem, negandum eſt, quod etiam, quando remoto obice reuiuiſcunt, cauſent maiorem, vel minorem gratiam, iuxta maiorem, vel minorem diſpoſitionem, qua obex remouetur. Ratio diſparitatis multiplex eſt, & deducitur ex noſtris præcedentibus probationibus;

12 *Non valet argumentum à diſpoſitione in ſuſceptione ad diſpoſitionem in remotione obicis.*

bus; prima eſt, quia diſpoſitio præcedens, quando nullus adeſt obex, datur ad poſitiuè applicandum agens, illudque adiuuandum, diſpoſitio vero ſubſequens datur ſolum ad remouendum prohibens, & ad negatiuè coadiuuandum; Prima comitatur natiuitatem Sacramenti; ſecunda ſubſequitur eius ortum; Prima eſt, quando Phyſicè eſt Sacramentum, quod propterea poteſt magis, & magis operari iuxta maiorem, & minorem ſubiecti diſpoſitionem, cum habeat in ſe virtutem maximam; ſecunda eſt, quando non eſt Phyſicè Sacramentum, ſed tantum in virtute limitata, quam reliquit; Prima poſitiuè, & propriè applicat agens; Secunda tantum negatiuè, & impropriè, quatenus remouet prohibens. Alij aliam adducunt diſparitatem, quæ tamen non placet, dum aſſerunt, quod Sacramenta non habeant producere gratiam maiorem, & minorem ex natura ſua, ſed tantum ex Dei priuilegio, & fauore Dei extrinſeco; priuilegia autem non ſunt extendenda, ſed potius reſtringenda; ſicque, quod conceſſum eſt Sacramentis in ſuſceptione digna, non eſſe extēdendnm ad reuiuiſcentiā ipſorum.

Non ſecundum deſumptum ex *Tridentino loc. cit.*, quia *Concilium loc. cit.*, ſi benè perpendatur, duo dicit de hominum iuſtificatione; alterum, quando iuſtificatur homo per Sacramentum, ſeu Sacramenta, & ad hanc iuſtificationem referuntur illa verba, *ſecundum menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis, prout vult*; alterum, quando iuſtificatur homo extra Sacramenta, per quam partitur gratiam ſecundum menſuram diſpoſitionis humanę, & ad hanc referuntur ſubſequentia verba, *ſecundum propriam cuiuſcunque diſpoſitionem, & cooperationem*. Hæc interpretatio eſt adæquata ad ſoluendum obiectum aduerſantium, ſed non videtur conſona menti eiuſdem Tridentini, quod vult, quod etiam in Sacramentis maior, vel minor gratia conferatur iuxta maiorem, & minorem ſuſcipientis diſpoſitionem, vt ex verbis eiuſdem ſaniùs, & rectius intellectis colligitur, quod etiam firmauit *D. Damaſcenus lib. 4. c. 10.* dicens. *Quamuis peccatorum remiſſio omnibus æquè per Baptiſmum detur, Spiritus tamen gratia pro fidei, & præcedentis purgationis modulo, ac ratione comparatur.* Quamobrem dico, Concilium intelligendum eſſe de diſpoſitione ad iuſtificationem in receptione Sacramentorum nullo exiſtente obice, non de diſpoſitione ſubſequente eandem Sacramentorum receptionem in reuiuiſcentia ipſorum, prout conſiderauit *Madernus d. tract. 2. de Sacram. in genere art. 13. num. 6. in reſponſione ad obiectum primum.*

13 Quomodo intelligendū ſit Concilium Trid.

ARTICVLVS VII.

An Sacramenta remoto obice reuiuiſcant etiam quoad remiſſionem venialium, & quoad remiſſionem pænæ.

SVMMARIVM.

Exponitur ſenſus tituli. 1.
Sacramentum Baptiſmi ſuſceptum cum obice tum peccatorum læthalium, tum venialium commiſſorum ante ipſum reuiuiſcit quoad remiſſionem omnium. 2.
Quomodo remoueatur obex tam quoad læthalia, quam quoad venialia. 3.
Euincitur ex Concil. Trident. 4.
Reſpondetur interpretationibus datis ab aduerſantibus eidem Concilio. 5.
Æquè proſunt diſpoſitiones pro venialibus, ſiue ponantur ſimul cum diſpoſitionibus ad læthalia, ſiue ſeorſim ex interuallo. 6.
Attritio poſita poſt ſuſceptum Baptiſmum tam pro læthalibus, quam pro venialibus ante ipſum commiſſis prodeſt quoad omnia. 7.
Sacramentum Baptiſmi non reuiuiſcit quoad peccata commiſſa in ſuſceptione eiuſdem, ſiue conſiſtant in formali fictione, ſiue in materiali. 8.
Explicatur mens D. Thomæ. 9.
Interueniente attritione ſolum pro læthalibus, & non pro venialibus, tunc non reuiuiſcit Sacramentum pro venialibus. 10.
Interueniente ſolum pro venialibus, nec læthalia, nec venialia remittuntur. 11.
Quid ſentiendum ſit, ſi primo poſita ſit diſpoſitio pro venialibus ſolum, & deinde ex interuallo diſpoſitio pro læthalibus, non renouata illa pro venialibus, an omnia tunc remittantur. 12.
Dicta de reuiuiſcentia Baptiſmi quoad remiſſionem venialium proportionalitèr intelligenda ſunt de reuiuiſcentia aliorum Sacramentorum quoad eadem. 13.
Sacramentum Baptiſmi remoto plenè quocunque obice reuiuiſcit etiam quoad remiſſionem cuiuſcunque pœnæ. 14.
Reliqua Sacramenta ſuo quodque modo ad eandem reuiuiſcunt. 15.
Non ad remiſſionem cuiuſcunque pœnæ temporalis. 16.

QVoad primum punctum propoſitum, vt clarius procedamus, in Sacramento Baptiſmatis inſiſtemus, ex cuius norma facilè poſtea erit ad alia Sacramenta deſcendere; pro quo aduerto adultum poſſe ad Baptiſmum accedere, non quatenus ſolum eſt infectus originali,

1 Exponitur ſenſus tituli.

nali, ſed quatenus etiam eſt actualibus peccatis affectus, & non ſolum læthalibus, ſed etiam venialibus, & itèm poſſe accedere, vel cum nulla diſpoſitione, nec in ordine ad læthalia, nec in ordine ad venialia, vel cum diſpoſitione tum ad remiſſionem læthalium, tum venialium, vel cum diſpoſitione tantum ad remiſſionem læthalium, non venialium; & in his omnibus caſibus inquiro, an, dum remoto obice Baptiſmus reuiuiſcit, conferat non ſolum remiſſionem læthalium, ſed etiam venialium.

2 Remoto obice quoad vtraque omnia remittit.

Aſſertio I. Sacramentum Baptiſmatis ſuſceptum cum obice tum peccatorum actualium læthalium, tum venialium commiſſorum ante ſuſceptionem eiuſdem Baptiſmatis remoto obice tum quoad læthalia, tum quoad venialia reuiuiſcit ad vtrorumque remiſſionem. Dixi, *ante ſuſceptionem eiuſdem Baptiſmatis*; nam, ſi fuerint etiam venialia commiſſa, vel poſt ſuſceptum Baptiſmum, vel in ipſa ſuſceptione, non remittuntur vi eiuſdem Baptiſmatis, cum hoc reſpiciat tanquam materiam ſolummodo peccata ipſum antecedentia, ſed delentur, vel per atritionem eiuſdem ſuſcipientis independentèr à Baptiſmo, vel per atritionem ſimul cum confeſſione Sacramentali, vel per alia media proportionata. Dixi, *remoto obice tum quoad læthalia, tum quoad venialia*, quatenus elicuerit atritionem de vtriſque, quod potuit præſtare, vel ſimul, vel ſeorſim; ſimul, inquam, quatenus actum indiſtinctum elicuerit doloris relati tum ad læthalia, tum ad venialia; ſeorſim, quatenus elicito actu doloris reſpiciente ſolummodo læthalia, poſtea ex interuallo eliciat actum doloris reſpicientem venialia, adeout, dum elicit actum ſolum ad læthalia relatum, Baptiſmus reuiuiſcat quoad remiſſionem læthalium, dum vero elicit actum relatum etiam ad venialia, producat effectum remiſſionis eorundem. Sic explicata aſſertio ſuſtinetur à *Suarez. diſp. 28. ſect. 4. propè medium* à *Lugo diſp. 9. ſect. 5. n. 91.*, *Arriaga diſp. 15. ſect. 2.*, *Cacherano tract. 8. de Sacram. in genere c. 4. §. 9. n. 174.* contra *Vaſquez. diſp. 160. c. 3.* volentem Sacramentum Baptiſmatis cum obice ſuſceptum aut nihil, aut ſolum operari circa peccatum originale, & ſic

3 Quomodo remoueatur obex quoad vtraq;

4 Euincitur ex Concil. Trident.

Probatur, Sacramentum Baptiſmatis ſecundum ſe æquam vim habet ad remittenda læthalia ante ipſum commiſſa, ac venialia, & ſi ſuſcipiatur ſine obice ad vtraque dimittenda, vtraque infallibilitèr dimittit afferente *Concil. Trid. ſeſs. 5. de peccato originali, in renatis nihil Deum odiſſe; quia nihil eſt damnationis ijs, qui verè conſepulti cum Chriſto per baptiſma in mortem, qui non ſecundum carnem ambulant, ſed veterem hominem exuentes, & nouum, qui ſecundum Deum creatus eſt, induentes, innocentes immaculati, puri, innoxij, ac Deo dilecti effecti ſunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, ita vt nihil prorſus eos ab ingreſſu Cæli remoretur*; ergo remoto obice quoad vtraque, vtraque in ſua reuiuiſcentia dimmittit.

Dices, Concilium loqui de vi Baptiſmatis in ſua ſuſceptione ad remittenda peccata tum læthalia, tum venialia, non autem loquitur de vi eiuſdem ad ea omnia remittenda in reuiuiſcentia; vnde ex duplici capite non eſt facienda extenſio a ſuſceptione ad reuiuiſcentiam, maximè in ordine ad venialia; primò, quia fieret extenſio priuilegij contra rationem eiuſdem à caſu expreſſo ad non expreſſum; ſecundò, quia in ordine ad venialia non eſt eadem neceſſitas, quæ militat pro læthalibus, quia venialia poſſunt remitti per ſolam atritionem independentèr ab eodem Sacramento Baptiſmatis; vnde non valet argumentum, quod, ſicuti reuiuiſcit Sacramentum ad remiſſionem læthalium, ita habeat reuiuiſcere ad remiſſionem etiam venialium. Sed contrà, quamuis Tridentinum expreſsè non loquatur de reuiuiſcentia Baptiſmatis in ordine ad venialia, loquitur tamen implicitè, dum etenim dicit, quod ex vi Baptiſmatis reddantur innocentes, immaculati, puri, innoxij, ac Deo dilecti, ita vt nihil prorſus eos ab ingreſſu Cæli remoretur, vtique dicit ſaltem implicitè, quod mundet etiam à venialibus, cum quibus non dicerentur ſimplicitèr innocentes, immaculati, & Deo dilecti, vt nihil prorſus eos ab ingreſſu Cæli remoretur; vnde ex inſtitutione Diuina natum eſt Baptiſma ad delenda non ſolum originale, ſed etiam omnia actualia ſiue læthalia, ſiue venialia commiſſa ante Baptiſmum; ex quibus ſequitur, quod, ſicuti in ſuſceptione omnia mundat, ita, & mundare poſſit omnia poſitis debitis requiſitis in reuiuiſcentia; & quamuis venialia poſſint ex ſe ſola contritione deleri, non diceretur Baptiſmus ex ſe reddere hominem innocentem, immaculatum, purum, & innoxium, ſi venialia ſola atritione remitterentur. Fatendum eſt igitur, quod ſtante præſentis inſtitutionis modo ordinante Baptiſmum ad remiſſionem etiam venialium à reuiuiſcentia Baptiſmi ad remiſſionem læthalium benè arguetur ad reuiuiſcentiam eiuſdem pro remiſſione venialium.

5 Soluuntur interpretationes aduerſantium ad idem Cōcilium.

Dices ſecundò. Eſto, quod, ſicuti Baptiſmus ex vi præſentis inſtitutionis natus ſit ad delenda omnia actualia, ſiue læthalia, ſiue venialia ante ipſum commiſſa, &

quod etiam in reuiuiſcentia poſſit vtraque extinguere, quando poſitæ ſunt diſpoſitiones pro vtriſque, hæc tamen non verificari poſſe videntur, quando poſitæ ſunt ſolummodo diſpoſitiones pro remiſſione læthalium, licet ponantur poſtea ex interuallo etiam diſpoſitiones pro venialibus; quandoquidem in remiſſione læthalium iam homo conſtitutus eſſet in gratia, & ſic ſucceſſiuè ex interuallo nequit nouam gratiam producere in remiſſione venialium, cum nulli Sacramento competat omnem gratiam producere. Adde, quod,

6 Æquè proſunt diſpoſitiones pro venialibus ſiue ponantur ſimul cū diſpoſitione ad læthalia, ſiue ex interuallo.

cum homo in gratia conſtitutus poſſit per ſolam atritionem acquirere remiſſionem venialium, & ad reuiuiſcentiam Sacramenti pro remiſſione venialium requiratur, tanquam diſpoſitio atritio, iam inueniret per eandem atritionem poſitam talem remiſſionem, non ipſam poneret. Sed contra; Ad primum non video, aliquam repugnantiam, quin Sacramentum Baptiſmatis extantibus pro diuerſo tempore diuerſis diſpoſitionibus poſſit bis gratiam producere; non enim ex eo, quod primò produxerit ſuum effectum in ordine ad ea, pro quibus inuenit diſpoſitionem, intelligitur extincta eius virtus in ordine ad alia, pro quibus ſolummodo ex interuallo inuenit ſubiectum diſpoſitum, & ſicuti, quia nullum inuenit obicem pro caracthere, dum primo recipitur, eundem imprimit immediatè, & poſtea remoto obice pro remiſſione læthalium eadem delet per gratiam remiſſiuam eorundem, ità non erit, cur etiam remoto ſucceſſiuè obice pro remiſſione venialium non debeat eadem remittere per gratiam ipſorum remiſſiuam. Ad ſecundum dico, atritionem duplex quodamodo munus exercere, alterum retractandi obicem, alterum remittendi culpam; primum eſt prius ſaltem natura ſecundo, valet enim cauſalis. Ideò remittit, quia retractat; quo duplici munere ſuppoſito dico, Baptiſmum inuenire quidem per atritionem ſublatum obicem per primum munus, quod exercet atritio, non verò remiſſam culpam, quia tunc ſimul cum eadem atritione eandem cauſat remiſſionem.

Ex ijs, quæ hactenus diximus, nonnulla ad rem præſentem inferuntur. Primum, quod, ſi adultus plura peccata tum læthalia, tum venialia commiſerit antecedentèr ad Baptiſmum, non in ipſa ſuſceptione

7 Atritio quoad omnia prodeſt pro omnibus.

Baptiſmi continuata vſque ad vltimum inſtans eiuſdem, & atritionem de omnibus læthalibus ſimul, & venialibus ante commiſſis emiſerit, vtique ex reuiuiſcentia eiuſdem Baptiſmatis conſequatur indifferentèr omnium remiſſionem propter allegatam rationem. Dixi, *non commiſſa in ipſa ſuſceptione Baptiſmi continuata vſque ad vltimum inſtans eiuſdem*, quia ex ſupradictis hæc non ſunt materia Baptiſmatis, ſed Sacramenti Pænitentiæ.

Difficultas ſolummodo aliqua quoad hæc conſiſtit in eo, quod diſtinguendo peccata in ſuſceptione Baptiſmi commiſſa, & continuata vſque ad vltimum inſtans aſſerit *Suarez diſp. 28. ſect. 5. §. nihil ominus*, nempè alia eſſe, quæ conſiſtunt in formali fictione conſiſtente in indigna ſumptione poſitiua, alia in materiali conſiſtente in aliquo alio peccato diſtincto, & diſparato ab eadem fictione formali, puta in deſiderio, & voluntate efficaci furandi. In ordine ad primam fictionem formalem aſſerit peccatum eiuſdem eſſe materiam Sacramentalis Pænitentiæ, adeoque Baptiſmum in ordine ad remiſſionem eiuſdem non reuiuiſcere; In ordine ad ſecundum aſſerit eſſe materiam Baptiſmi, adeoque hanc remoto obice reuiuiſcere ad ipſum delendum, ad quod firmandum vltra auctoritatem *D. Thomæ tertia part. quæſt. 69. art. 10. ad ſecundum*, aſſerentis remota fictione Baptiſmum auferre culpam, & reatum omnium peccatorum præcedentium Baptiſmum, & etiam ſimul exiſtentium cum Baptiſmo, hanc adducit rationem, quia ſola fictio formalis eſt directè in contemptum Baptiſmi, & per ſe, & vi ſua ponit obicem eius effectui. Sed abſolutè ſentiendum eſt, Sacramentum Baptiſmi non reuiuiſcere quoad remiſſionem formalis fictionis, nec quoad remiſſionem peccatorum actualium commiſſorum in ipſa ſuſceptione, & continuatorum vſque ad vltimum inſtans eiuſdem, quæ per Suarez inuoluunt ſolum fictionem materialem; & in hoc conſentiunt *Herinez diſp. 4. q. 5. n. 56.*, *Maderuus q. 3. art. 12. n. 6.*, *Cacheranus tract. 8. de Sacram. in gen. c. 4. §. 9. n. 181.*

8 Sacramētum Baptiſmi non reuiuiſcit quoad peccata cōmiſſa in ſuſceptione eiuſdem ſiue conſiſtant in fictione formali, ſiue materiali.

Ratio ex eo deducitur, quod ratio contemptus conſiderata à Suarez in fictione formali, licet quoquo modo adaugeat culpam ratione maioris irreuerentiæ contrà Sacramentum, non tamen eſt magis incompatibilis cum effectu primario Sacramenti, nempè cum gratia, ac ſit fictio materialis conſiſtens in quocunque alio peccato læthali, & non minus fictio formalis poteſt dici tunc adeſſe, quando eſt caracther, ratione cuius ſit Baptizatus ſubditus Eccleſiæ, ac dici poſſit, tunc adeſſe fictionem materialem, quando idem caracther eſt impreſſus, quæ eſt ratio formalis, per quam ſuperius diximus, peccata commiſſa in ipſa ſuſceptione Baptiſmatis non eſſe materiam eiuſdem, ſed Pænitentiæ; nec videtur repugnare *D. Thomas loc. cit.* quandoquidem ibi ipſe non loquitur de peccatis exiſtentibus cum Baptiſmo in eſſe perfecto,

to,

ro, & conſummato, ſed de illis, quæ præceſſerunt, & dicuntur cum Baptiſmo exiſtere, quatenus non fuerunt deleta, non quatenus tunc committantur; nec vim aliquam facit, quod D. Thomas ibidem diſtinguat peccata præcedentia Baptiſmum, & peccata ſimul exiſtentia cum Baptiſmo, adeoque non poſſit intelligi præciſè de peccatis præcedentibus, & non deletis; non, inquam, vim aliquam facit, quia nomine peccatorum exiſtentium cum Baptiſmo, prout contradiſtinguuntur à præcedentibus, intelligit ea, quæ important prauum affectum, & peccaminoſum, quem baptizandus habuit ante inſtans receptionis Baptiſmatis, qui, quando Baptiſmum ſuſcepit, ceſſauit, & pro eo inſtanti, quo ſuſcepit, ex inaduertentia atritionem non elicuit; hæc etenim certè peccata per ipſum Baptiſmum in reuiuiſcentia remittuntur, quæ, quamuis ſint præcedentia, dicuntur cum Baptiſmo exiſtere eo, quod immediatè, ſeu in inſtanti immediatè præcedenti extiterunt.

9 Explicatur mens D. Thomæ.

Secundum, quod infertur ex dictis, eſt, quod, ſi ſolum præceſſerit diſpoſitio pro remiſſione læthalium, & non venialium Sacramentum reuiuiſcat pro tunc ſolum pro læthalibus, non pro venialibus, quorum remiſſio ſolum conſequitur, quando, & pro eiſdem atritio apponitur; non etenim incompoſſibilis eſt gratia remiſſiua mortalium cum exiſtentia venialium, vt per ſe patet; Si verò ſolum præceſſerit diſpoſitio pro venialium remiſſione, non pro læthalium, tunc non reuiuiſceret, nec pro venialibus, quia non poteſt eſſe gratia remiſſiua venialium exiſtentibus læthalibus. Quid vero eſſet dicendum, ſi præcedente atritione relata dumtaxat ad remiſſionem venialium, qua in hypotheſi mox diximus, eadem venialia non remitti ob obicem læthalium, poſtea ſubſequeretur ex interuallo diſpoſitio, ſeu atritio pro læthalibus præciſè, non repetita diſpoſitione pro venialibus; an tunc Baptiſmus reuiuiſceret non ſolum pro læthalium, ſed etiam pro venialium remiſſione. In hoc conſiderandum eſt, an illa atritio præcedens pro venialibus intelligatur adhuc ſaltem moralitèr perſeuerare, quatenus, nec fuerit retractata, & in pio voluntatis affectu, quo conſequi intendit perfectam eſſe immaculatum, & innoxium, permaneat, & ſic dicendum eſt Baptiſmum reuiuiſcere etiam quoad eorundem venialium remiſſionem, cum non requiratur ſimultas, & coexiſtentia Phyſica, ſed ſufficiat moralis, prout in ſimilibus diximus in præcedentibus; an vero non intelligatur moralitèr perſeuerare, vel quia retractata eſt, vel moralitèr interrupta, & in

10 Interueniente ſolum diſpoſitione pro læthalibus venialia tunc non remittũtur.

11 Interueniente ſolum pro venialibus, nec læthalia, nec venialia remittuntur.

hac hypotheſi aſſerendum eſt, ad venialium remiſſionem Baptiſmum non reuiuiſcere, quia cum illa atritio, nec perſeueret Phyſicè, nec moralitèr, non poteſt influere ſimul cum Baptiſmo in illam remiſſionem; Quando verò intelligatur atritio de venialibus moralitèr interrupta, adeout non poſſit ſimul cum Baptiſmo influere in illam venialium remiſſionem, recolenda ſunt ea, quæ dicemus de Sacramento Pænitentiæ, quando ſcilicet atritio præcedens ad Sacramentalem Confeſſionem intelligatur interrumpi, adeout non poſſit cum Confeſſione Sacramentali influere in remiſſionem peccatorum.

12 Aliud dubium circa hoc reſoluitur.

Tertium, quod infertur, eſt, ea, quæ diximus de reuiuiſcentia Baptiſmi in ordine ad remiſſionem venialium, intelligenda eſſe proportionalitèr de reuiuiſcẽtia aliorum Sacramentorum in ordine ad eandem. Dixi, *proportionalitèr*, quia, ſicuti non omnia eodem modo, nec eoſdem effectus directè producunt, ità nec eodem modo, nec quoad eoſdem omnino effectus reuiuiſcunt, & ſuo quælibet modo proportionato, vnde iuxta naturam, & conditionem cuiuslibet phyloſophandum eſt, de quibus in quæſtionibus de ſingulis in particulari.

13 Quid ſentiendum ſit de reuiuiſcentia aliorũ Sacramẽtorum quoad venialia.

Quoad ſecundum punctum in titulo propoſitum conſideranda eſt natura ſingulorum Sacramentorum, an ſcilicet nata ſint ad remiſſionem pænæ ex genere ſuo, an vero ſolum ad remiſſionem culpæ; Rurſus difficultas examinanda eſt, vel in ordine ad pænam æternam, vel in ordine ad temporalem. Item, an Sacramenta ſint per ſe cauſatiua gratiæ, & remiſſiua culpæ, an vero tantum per accidens; ex his etenim diuerſis conſiderationibus oriri poſſunt diuerſæ rationes decidendi. Pro quibus ſit

Aſſertio II. Sacramentum Baptiſmi, dum plenè remoto quocunque obice reuiuiſcit, reuiuiſcit etiam quoad remiſſionem pænæ ſiue æternæ, ſiue temporalis; reliqua verò Sacramenta in reuiuiſcentia ſua iuxta modum cuiuſcunque ex genere ſuo conferunt quidem remiſſionem pænæ æternæ, non tamen temporalis omnino. Dixi, iuxta modum cuiuſcunque, quod duplicitèr poteſt intelligi, vel quatenus, cum non habeant per ſe remittere culpam, ſed ad ſummum per accidens, ſicuti remittunt ſolum culpam per accidens, ita per accidens ſolum habeant, & pænam æternam remittere; vel quatenus, ſicuti vnicuique Sacramento inditum eſt producere, vel primam, vel ſecundam gratiam, ita eiſdem ſit inditum ad ratam pænam remittere. Dixi, *omnino*, quia non renuerem concedere in remiſſione culpæ, vel in augmento

14 Sacramẽtum Baptiſmi reuiuiſcit remoto quocunque obice etiam quoad remiſſionem pænæ.

mento gratiæ remitti aliquam pænę partem. Dixi, *ex genere ſuo*; nam non negarem, quandoque ratione intenſiſsimæ diſpoſitionis remitti etiam totam pænam temporalem.

Prima pars de Sacramento Baptiſmatis elucet ex definitione *Concil. Trid. d. ſeſs.* 5. de peccato originali, vbi cum dicitur, quod regenerati per Baptiſmum reddantur innocentes, immaculati, puri, innoxij, ac Deo dilecti, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, itaut nihil prorſus eos ab ingreſſu Cæli remoretur; certè congruentèr, & conuincentèr dicitur, quod conferat remiſsionem cuiuſcunque pænæ; cæteroqui aliquid eſſet, quo remoraretur ab ingreſſu Cæli, nempè illa pæna purganda, ſi non eſſet remiſſa; ex quibus infertur, quod, ſi remoto quocunque obice plenè reuiuiſcit, reuiuiſcat etiam quoad plenam pænæ remiſsionem, cum in Sacramento ſignantèr Baptiſmatis remiſſio pænæ indiſpenſabilitèr comitetur remiſſionem culpæ.

15 Reliqua Sacramēta ſuo modo reuiuiſcunt ad eandem.

Secunda pars de reliquis Sacramentis, quod reuiuiſcant ſuo quodq; modo quoad remiſſionem pænæ eternæ ſic euincitur, quia, vel per ſe ſunt cauſatiua primæ gratiæ, vel tantum per accidens; quocunque modo cauſent, ſemper cauſant remiſſionem pænæ æternæ, quod ſic probatur, quia pæna æterna eſt affixa culpæ læthali, & qui ſine culpa læthali eſt, amicus Dei eſt, hæres quidem Dei, & cohæres Chriſti; impoſſibile autem eſt, vt quis ſit amicus Dei, & hæres Chriſti, & ſimul reus pænæ æternæ, ergo, ſi reuiuiſcunt ad remiſſionem culpæ læthalis, reuiuiſcunt etiam ſuo modo ad remiſſionem pænæ æternæ.

16 Non tamen quo ad remiſſionem cuiuſcūq; pænæ temporalis.

Tertia pars, quod non reuiuiſcant ad remiſſionem pænæ temporalis omnino, ex eo euincitur, quia cætera Sacramenta a Baptiſmo non habent ſecundum ſe inditam vim remittendi cum culpa etiam pænam temporalem, hocque ex iuſta Dei diſpoſitione, prout notat *Concilium Trid. ſeſs. 14. c. 8.* vbi ſic habet: *Et Diuinam clementiam decet, ne ita nobis abſque vlla ſatisfactione peccata remittantur, & occaſione accepta peccata leuiora putantes veluti iniurij, & contumelioſi Spiritui Sancto in grauiora labamur theſaurizantes nobis iram in die iræ.* Proculdubio enim magnoperè à peccato reuocant, & quaſi fræno quodam coercent hæ ſatisfactoriæ pænæ, cautioreſque, & vigilantiores in futurum pænitentes efficiunt &c. Ecce quomodo Concilium Tridentinū rationes allegat, propter quas Dei clementia cæteris Sacramentis à Baptiſmo non contulit vim temporales pænas plenè remittendi, quæ ſunt debitæ pro peccatis.

Quod autem quoquo modo, tum in collatione prima, quando nullus adeſt obex, vel in reuiuiſcentia, quando obex remouetur mitigent pænas temporales, propter quod dixi, *omnino*, deduci poteſt ex efficacia eorundem Sacramentorum; cum etenim remiſſio pænæ computetur inter effectus ſecundarios Sacramentorum, non videtur eorum efficaciæ congruere, quod pænitus hoc effectu deſtituantur.

ARTICVLVS VIII.

An ab indignis poſſint Sacramenta exigi, & conferri indignis.

SVMMARIVM.

Indignitas miniſtri qualis, & quotuplex. 1.
Quotuplex poſſit eſſe indignitas ſuſceptoris petentis. 2.
Moderatio Martini V. quoad excommunicatos. 3.
In caſu extremæ neceſſitatis, ſeu in articulo mortis licitum eſt petere Sacramentum à miniſtro excommunicato non tolerato. 4.
Extra talem mortis articulum non licet ab eodem petere. 5.
Duplex dubium excitatum. 6.
Rationes ſuadentes alia Sacramenta à pænitentia non poſſe licitè peti ab excommunicato vitando. 7.
Rationes ſuadentes poſſe licitè peti. 8.
Præfertur ſententia docens poſſe peti. 9.
Soluuntur argumenta oppoſita. 10.
Extante alio miniſtro idoneo, & non excommunicato non eſt licitum petere ab excommunicato vitando. 11.
Extante etiam proprio Paroco excommunicato vitando, cum alio Sacerdote non licet à Paroco petere. 12.
Concurrente proprio Paroco vitando cum alio item excommunicato vitando petenda ſunt Sacramenta à proprio Paroco. 13.
Exiſtente Sacerdote excommunicato vitando cum Diacono non excommunicato in Baptiſmo conferendo præferendus eſt Diaconus. 14.
Extante rationabili cauſa à miniſtro excommunicato tolerato licitum eſt petere, & recipere Sacramenta. 15.
Soluuntur rationes contrariæ. 16.
Rationabilis cauſa petendi non ſolum eſt præceptum ſumendi Sacramenta, ſed etiam propria vtilitas ſpiritualis. 17.
Exiſtentibus duobus Sacerdotibus excommunicatis altero parato conferre, altero non, petenda ſunt Sacramenta à parato. 18.
A miniſtro publico concubinario, vel vſu-

tario

rario extante rationabili cauſa licet petere Sacramenta. 19.

Limita tamen in duobus caſibus. 20.

A peccatore non notorio, ſed noto tantum petenti licitum eſt Sacramenta petere, ſeruatis illis duabus conditionibus. 21.

Incapaci ad validè recipiendum Sacramenta non ſunt conferenda. 22.

Peccatori occulto publicè petenti non ſunt deneganda Sacramenta. 23.

Euincitur exemplo Chriſti Domini. 24.

In hoc non preualet preceptum vitandi ſacrilegium, & quarè. 25.

Occultè petenti probabilius ſunt Sacramenta deneganda. 26.

Rationes pro aſſerto, & confutationes obiectorum. 27.

Limita in caſu, quo miniſter noſceret tantum delictum ex confeſſione petentis. 28.

Non ſolum ſunt deneganda, ſi petat ſolum coram Sacerdote, ſed etiam coram duobus, vel tribus æquè conſcijs illius delicti. 29.

Si peteret coram duobus conſcijs, & alijs duobus non conſcijs non poſſet denegare. 30.

Soluitur obiectum oppoſitum. 31.

Peccatori publico, & notorio ſunt deneganda Sacramenta, ſiue publicè, ſiue priuatim petat. 32.

Intellige donec reſcipuerit. 33.

Qualis reſcipientia requiratur, in ordine ad diuerſos diuerſa ſtatuitur, & qualis. 34.

Qualitèr delictum ita dicatur notorium, vt delinquenti neganda ſint Sacramenta. 35.

Si delinquens recedat à loco, in quo eſt diſfamatus, & accedat ad alium, in quo non eſt diffamatus, non ſunt ibi ei deneganda Sacramenta. 36.

1 *Qualis, & quotuplex ſit indignitas miniſtri.*

INdignus miniſter Sacramentorum poteſt multiplicitèr ſumi; primò pro eo, qui caret legitima poteſtate validè conficiendi Sacramenta, vel qui certè cognoſcitur ex propria prauitate non validè collaturus. Secundò pro eo, qui, quamuis cognoſcatur validè collaturus, non tamen licitè, & ſine peccato in eorundem collatione; atque hic etiam poteſt multiplicitèr ſumi, vel pro eo, qui eſt præciſus quidem ab Eccleſia, ſed toleratus, quatenus eſt quidem excommunicatus, ſuſpenſus, interdictus, dummodo non nominatim ſit denuntiatus; vel per ſententiam declaratus, vt talis; vel pro eo, qui non ſolum eſt præciſus, ſed etiam non toleratus, quatenus per ſententiam Iudicis nominatim fuit declaratus Hæreticus, Schiſmaticus, Apoſtata; excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus, vel pro eo, qui eſt criminoſus, vt publicus Concubinarius, manifeſtus vſurarius, vel publico aliquo, & frequenti peccato ſcandalum ingerente infectus; vel tandem pro eo, qui, quamuis, nec ſit manifeſtè aliqua cenſura innodatus, nec notorius peccator, eſt tamen aliquo peccato infectus cognito ab eo, qui recepturus eſt Sacramentum ab illo.

Porro in ordine ad petendum Sacramenta ab indigno miniſtro, quomodocunque ſumatur, conſiderari poteſt, an in petente ſit aliqua neceſſitas petendi, ſiue ſit extrema, ſiue grauis, ſiue leuis, vel ſaltem aliqua vtilitas, & an vrgeat aliqua cauſa petendi. Hæc quoad indignum Sacramentorum miniſtrum.

2 *Qualis poſſit eſſe indignitas ſuſceptoris.*

Indignus ſuſceptor Sacramentorum, vel poteſt eſſe talis, quia incapax validè ſuſcipiendi Sacramenta, cuiuſmodi eſt fæmina reſpectu Sacramenti Ordinis, vel quicunque non baptizatus reſpectu aliorum Sacramentorum a Baptiſmo, vel poteſt eſſe talis, quatenus, licet validè poſſit recipere, ratione tamen alicuius obſiſtentis non poteſt licitè recipere; qui hoc ſecundo modo eſt indignus ſuſceptor, vel poteſt eſſe talis, quia notoriè, & publicè ſit infectus aliqua labe obſiſtente licitæ ſumptioni, vel quia licet infectus ſit labe, hæc tamen non ſit notoria, aut publica, ſed occulta. Porro ad hoc, vt labes ſit notoria, & publica, ratione cuius quis dicatur notorius, & publicus peccator, debet eſſe talis, vel per ſententiam, vel per confeſſionem factam in iure, vel per euidentiam rei, adeout tragiuerſatione aliqua non poſſit cælari, vt colligitur *ex c. quæſitum de cohabit. Cler.*, nec ad talem notorietatem inducendam ſufficit id, quod aſſerit *Bonacina de Sacram. in genere diſp. 1. q. 6. punct. 4. n. 1. verſ. tertio quando fama*, nempè eandem reſultare, quando fama alicuius delicti, & delinquentis orta ex ſufficientibus inditijs innotuit maiori parti Oppidi, vel Parochiæ, vel Collegij; non, inquam, ſufficit, quia, vt habetur *in c. tuæ nos de cohabit. Cleric., & mulierum*, illa fama non ſufficit, niſi ſit coniuncta, vel cum euidentia facti, vel cum publica Iudicis ſententia, vel per propriam confeſſionem in iudicio factam.

Moderatio Martini V. quoad excómunicatos.

In ordine ad miniſtrum indignum ratione excommunicationis, vel alterius cenſuræ contractæ, pro ſolutione nonnullarum quæſtionum, quæ circa ipſum oriri poſſunt, aduerte in Concilio Conſtantienſi emanaſſe Conſtitutionem Martini V. moderantem iura antiqua, ſecundum quæ innodatus excommunicatione maiori, ſiue fuiſſet nominatim denuntiatus, & non toleratus, ſiue toleratus, & talitèr non denuntiatus erat vitandus, nec admittendus ad participationem Diuinorum, adeo vt qui cum ipſo communicarent, grauitèr pec-

peccarent, & excommunicationem ſaltem minorem contraherent, quæ conſtitutio eſt tenoris, vt ſequitur. *Inſuper ad euitandum ſcandalum, & multa pericula, quæ conſcientiis timoratis contingere poſſunt Chriſti fidelibus tenore præſentium misericorditèr indulgemus, quod nemo deinceps à communione alicuius, Sacramentorum adminiſtratione, vel receptione, aut alijs quibuſcunque Diuinis intus, & extra prætextu cuiuſcunque ſententiæ aut cenſuræ Eccleſiaſticæ à iure, vel ab homine generalitèr promulgatæ teneatur abſtinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Eccleſiaſticum obſeruare, niſi ſententia, vel cenſura huiuſmodi fuerit illata contra perſonam, Collegium, Vniuerſitatem, Eccleſiæ communitatem, vel locum certum, vel certam à Iudice publicata, vel denuntiata ſpecialitèr, & expreſſe, Conſtitutionibus Apoſtolicis, & alijs in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque, ſaluo, ſi quem pro ſacrilega manuum iniectione in Clericum ſententiam latam à canone, aut notoriè conſtiterit incidiſſe, quod factum non poſſit aliqua tergiuerſatione celari, nec aliquo ſuffragio excuſari, nam à communione illius, licet denuntiatus non fuerit, volumus abſtinere iuxta canonicas ſanctiones*; &, quamuis aliqui docuerint, hanc Conſtitutionem licet propoſitam in dicto Concilio Conſtantienſi non fuiſſe à natione Italica acceptatam, & alij dixerint fuiſſe tantum ad tempus, nempè quinquennalem; nihilominus *D. Antoninus tertia part. tit. 25. c. 3.* latè probat ex relatu Epiſcoporum duorum, qui eidem Concilio interfuerunt, fuiſſe ab omnibus acceptatam, & perpetuam, & vt talem fuiſſe ab eodem Martino V. declaratam. Iam ad reſolutionem eorum, quæ fuerunt in titulo propoſita, deuenio per ſequentia dicta.

4 A miniſtro excómunicato non tolerato licitum eſt petere Sacramẽtum in articulo mortis.

Dico primò. A miniſtro indigno præciſo, & non tolerato, ſeu ſpecialitèr, & nominatim denuntiato licet petere Sacramentum in caſu extremæ neceſſitatis, ſeu in mortis articulo, non autem extra talem caſum, ſeu articulum. Conſentit in hoc *D. Thomas tertia parte q. 64. art. 6. ad ſecundum, Suarez tom. 3. diſp. 18. ſect. 2., Valentia tom. 4. diſp. 3. q. 5. punct. 3., Madernus tract. 2. de Sacram. in genere q. 5. art. 8. n. 5., & alij communitèr.* Ratio quoad primam partem deducitur ex definitione *Concil. Trident. ſeſs. 14. de pænitentia c. 7.* vbi, cum dixiſſet, poteſtatem eſſe in Eccleſia Dei reſeruandi Superioribus abſolutionem aliquorum criminum, poſteà ſubdit. *Veruntamen pie admodum ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis atque ideo omnes Sacerdotes quoſlibet pænitentes à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſint*; nec arbitrandum eſt, hanc definitionem Concilij auferre ſolum vinculum reſpectu pænitentis, & tribuere poteſtatem Sacerdotibus, quam extra talem articulum non habent, abſoluendi ab eiſdem peccatis, non autem auferre a Sacerdote vinculum cenſuræ, quo impeditur a miniſterio Sacramentorum; pro quo aduerte miniſtrum excommunicatum vitandum, ſeu non toleratum in ordine ad reſeruata duplex habere vinculum obſiſtens; primum ratione reſeruationis, ſecundum ratione cenſuræ; primum tollitur ratione neceſſitatis pænitentis exiſtentis in articulo mortis, non ſic videtur tolli ſecundum; Non, inquam, arbitrandum eſt, quia, cum Concilium ſine vlla penitus reſtrictione tribuat in tali articulo facultatem omnibus Sacerdotibus, non eſt ambigendum, quod conſiderata quacunque cenſura plenam eiſdem tribuat facultatem Sacramenta miniſtrandi attenta præcipuè ratione ab eodem Concilio ponderata, *ne hac ipſa occaſione aliquis pereat*, prout notant *Caietanus in ſumma verb. Abſolutio, Auila ſecunda part. c. 6. dub. 3. diſp. 3. concl. 3., Alterius lib. 1. diſp. 8. c. 7. col. 5., Sairus lib. 2. c. 18., Suarez diſp. 11. ſect. 1. num. 14.*, quod extendunt etiam ad miniſtrum excommunicatum ob hæreſim, vel aliud quodcunque delictum.

5 Extra talem mortis articulum nõ licet ab eo petere.

Ratio quoad ſecundam partem ex eo deducitur, quod, ſi loquamur in ordine ad Sacramentum Pænitentiæ extra talem neceſſitatem, ſeu mortis articulum huiuſmodi miniſter tali vinculo obſtrictus careret iuriſdictione, vt colligitur ex eodem *Concil. Trident. loc. cit.*, vnde ab eodem petens ſibi Sacramentum miniſtrari, indignè peteret inducendo ad actionem, quam nec licitè, nec validè exercere poteſt, & in hoc paruipenderet cenſuras, irrogaret iniuriam Sacramento, & communicaret alieno peccato; ſi verò loquamur in ordine ad alia Sacramenta, etiam illicita petitio ex eo reſultat, quod non licet ab aliquo petere, & recipere, quod ipſe non poteſt licitè conferre; extra extremam autem neceſſitatem non licet excommunicato vitãdo Sacramenta miniſtrare, ergo &c.

6 Duplex dubium excitatũ.

Quoad primam partem huius dicti duplex hinc oritur ratio dubitandi. Prima eſt, an ea, quæ dicta ſunt, intelligenda ſint ſolum quoad Sacramenta neceſſitatis, puta Baptiſmi, vel Pænitentiæ poſt peccata læthalia commiſſa, an vero etiam quoad alia Sacramenta. Secunda, an intelligenda ſint ſolummodo non extante alio miniſtro, qui non ſit talibus cenſuris affectus, an vero etiam eodem extante. Quoad primam rationem dubitandi poſſunt eſſe rationes pro vtraque parte diſſidendi. Quod non ſit facienda extenſio ad alia Sacra-

menta

Digitized by Google

menta videtur militare primò, quod Concilium Tridentinum ſupra allegatum loquatur præciſè in terminis Sacramenti Pænitentiæ tribuendo quibuſcunque Sacerdotibus facultatem in articulo mortis abſoluendi a quocunque peccato.

7 Rationes ſuadentes non poſſe alia Sacramēta à ſic indigno peti.

Secundò, quod in ordine ad alia Sacramenta non poſſit conſiderari illa neceſſitas, quæ conſideratur pro Sacramento Pænitentiæ, cum per hoc vtpotè Sacramentum mortuorum vita ſpiritualis conferatur ei, qui ſpiritualitèr mortuus erat; per alia vero Sacramenta, cum ſint viuorum, ſupponatur præexiſtens vita ſpiritualis, & ſolum conferant ad augmentum non neceſſarium, non ad vitam ſimpliciter; vnde, ſicuti, quando non eſt extrema neceſſitas, non poteſt ab indigno præciſo ab Eccleſia, & non tolerato licitè peti Sacramentum Pænitentiæ iuxta mox dicta; ità, nec ab eodem licitè peti poſſe videntur alia Sacramenta, cum pro illis non ſit neceſſitas ad ſalutem. Quod vero poſſit fieri huiuſmodi extenſio, ex eo videtur primo poſſe deduci, quia onus ſuſcipiendi v. g. Euchariſtiam inſtante mortis periculo eſt de iure Diuino; onus vero non petendi a miniſtro præciſo, & non tolerato eſt tantum Eccleſiaſticum; in concurſu autem præcepti Diuini, & Eccleſiaſtici, Diuinum eſt præferendum.

8 Rationes ſuadentes poſſe peti.

Secundò, quia conſtitutus in tali mortis articulo ius habet, vt ſibi conſulatur in ordine ad ſalutem per omnia media, quæ quomodocunque ad eandem poſſunt conferre, vel per augmentum gratiæ per ſe, vel fortè etiam ad primam gratiam per accidens, adeoque ad alia Sacramenta ſibi conferibilia; propter quas rationes nonnulli apud *Bonacinam de excommunicatione diſp. 2. q. 2. punct. 2. §. 3. n. 4.* afferunt poſſe peti Sacramenta non limitando ad illud Pænitentiæ ab excommunicato præciſo, & tolerato etiam extra caſum neceſſitatis, ergo in caſu neceſſitatis poterunt etiam peti ab excommunicato vitando. Quid iam in hac controuerſia concludendum? Arbitror, probabilius procedere hanc ſecundam opinionem propter rationes pro eadem adductas, & hoc eſt conformius ſuaui Dei prouidentiæ, ne homines pro illo ſtatu deſtituantur ſubſidijs a Deo inſtitutis pro certiori hominum ſalute; nec rationes pro contraria ſententia aliquid euincunt; quamuis etenim *Concilium Tridentinum loc. cit.* loquatur præciſè de poteſtate miniſtrandi Sacramentum Pænitentiæ reſpectu cuiuslibet Sacerdotis pro illo mortis articulo, non propterea excludit poteſtatem in ordine ad alia Sacramenta, & ideo ibi loquitur præciſè de poteſtate reſpectu cuiuslibet Sacerdotis pro illo mortis articulo abſoluendi à reſeruatis, quia ibi erat ſermo de reſeruatione; cæterum vrgente eadem neceſſitate, ſeu mortis articulo non video, cur non poſſit eſſe poteſtas in ordine ad alia Sacramenta, quæ quoquo modo conferre poſſunt ad ſalutem ſecuriorem; nec alia ratio adducta quid magis euincit, quia quamuis maior videatur neceſſitas in Sacramento Pænitentiæ, quam in alijs, cum illud ſit ordinatum ad primam gratiam, alia tantum ad ſecundam, ſeu augmentum ipſius; attamen, cum alia etiam conferre poſſint ad ſalutem, & de iure Diuino ſint ſumenda, non video, cur etiam eadem non poſſint licitè peti, & licitè conferri.

9 Præfertur ſententia docens poſſe peti.

Quod, ſi vrgeas, quod ad conferendum Sacramentum Euchariſtiæ, quamuis vrgeat præceptum Diuinum in articulo mortis exiſtenti non licitum ſit ſacrificium conficere ſine ſacris veſtibus, quamuis hæ requirantur dumtaxat de iure Eccleſiaſtico, ergo multo minus erit licitum idem conficere exiſtente noxa læthali, & nota excommunicationis vitandæ in eo, qui debet miniſtrare; Statim impugnaberis, quia noſtra aſſertio non procedit de excommunicato vitando in ordine ad ſacrificium conficiendum, ſed dumtaxat ad miniſtrandum Euchariſtiæ Sacramentum conſtituto in mortis articulo; nec valet argumentum; non eſt licitum conficere ſacrificium etiam ad communicandum conſtitutum in mortis articulo ſine ſacris veſtibus, ergo neque erit licitum excommunicato vitando miniſtrare infirmo in mortis articulo Euchariſtiam; Non valet, inquam, quia, quod ſacræ veſtes adhibeantur, pertinet immediatè ad cultum, & reuerentiam Sacramenti, & externum ritum licet formalitèr ſolum requiſitum ex diſpoſitione Eccleſiaſtica, radicalitèr tamen eſt debitum de iure Diuino, quatenus Deus ordinauit ſacrificium conficiendum cum debita reuerentia indeterminatè relinquendo Eccleſiæ determinationem eorum, quæ digna erunt, & proportionata cultui eidem Sacramento debito; quod verò conficiens Sacramentum, vel Sacrificium debeat eſſe immunis à noxa læthali, & non innodatus cenſura reſpicit diſpoſitionem eiuſdem conficientis, & vtique internam, quæ licet requiratur ad dignam, & licitam confectionem, non eſt tamen talis; vt vrgente extrema neceſſitate, & articulo mortis impediat eandem confectionem ſuppoſito actu contritionis, & ſicuti communitèr ſtatuunt licere Sacramenta exigere ab excommunicato tolerato, ita vrgente neceſſitate, in qua videtur ceſſare prohibitio communicationis, non erit, cur non ſit licitum exigere etiam ab excommunicato vitando: Supponimus tamen,

10 Soluuntur argumenta oppoſita.

Digitized by Google

men, quod iſte excommunicatus vitandus eliciat, ſeu elicuerit actum contritionis, & non poſſit pro tunc habere relaxationem excommunicationis, quia tunc neceſsitas excuſat a debito non communicandi, & interna macula ſupponitur ſublata per actum contritionis: Propter hanc rationem *Lugus diſp. 14. ſect. 5. num. 110.*, & *Arriaga diſp. 46. ſect. 3. ſubſect. 3.* aſſerunt, quod, quamuis ex diſpoſitione Tridentini Sacerdos ſibi conſcius peccati læthalis non poſſit inconfeſſus conficere Sacrificium Miſſæ, extante tamen neceſſitate conferendi viaticum conſtituto in periculo mortis poſſit conficere etiam non præmiſſa Confeſſione, licet non poſſit conficere ſine ſacris veſtibus etiam extante eodem periculo, & rationem diuerſitatis in eo conſtituunt, quod impedimentum peccati ſit occultum, & Confeſsionis remedium poſsit contritione ſuppleri, defectus autem ſacrarum veſtium cum ſit externus, & manifeſtus, non poſſit alio remedio ſuppleri. Cum igitur etiam in præſenti hypotheſi macula læthalis poſſit per contritionem ſuppleri, & innodato excommunicationi in tali neceſſitate non vrgeat ſic Concilio Tridentino diſponente, non erit &c.

Noſtram hanc opinionem ſuſtinent in eiſdem terminis *Suarez diſp. 11. ſect. 2. n. 18.*, *Bonacina de excommun. diſp. 2. q. 2. punct. 2. §. 4. n. 8. verſ. ſecundo licitum eſſe*, vbi non ſolum hoc ſtatuunt de Sacramento Euchariſtiæ, ſed etiam extendunt ad Extremam Vnctionem, quam extenſionem admittunt etiam *Filliutius tract. 12. c. 3. q. 8. n. 76.*, *Coninchus diſp. 14. dub. 10. n. 34.*

11 Extante alio miniſtro idoneo non eſt licitum petere ab excómunicato.

Quoad ſecundam rationem dubitandi ſentiendum eſt, extante alio miniſtro idoneo, & non excommunicato non licere Sacramenta petere ab excommunicato vitando etiam in mortis articulo. In hoc conſentiunt *Bonacina loc. cit. n. 8.*, *Madernus tract. 2. q. 5. art. 8. n. 5.*, & *alij*. Ratio ex eo deducitur, quia non extante extrema neceſſitate non eſt licitum petere Sacramenta ab excommunicato vitando; extrema autem neceſſitas non deſumitur ſolum ex eo, quod quis ſit conſtitutus in articulo mortis, ſed fortius ex eo, quod aliter eidem extante non poſſit ſibi ſubuenire; ſed extante alio Sacerdote idoneo, & non excommunicato poteſt ſibi alitèr ſubuenire, ergo tunc non intelligitur in extrema neceſſitate conſtitutus, adeout teneatur ab excommunicato vitando Sacramenta exigere, adeoque nequit licitè ab ipſo exigere.

12 Nec etiã à proprio Paroco vitãdo peti poſſunt exiſtente alio.

Ex occaſione eorum, quæ modo diximus, plura inferuntur; ac primò, quod, ſi proprius Parochus eius, qui eſt conſtitutus in mortis periculo fuerit excommunicatus vitandus, & adſit alius Sacerdos non excommunicatus, non liceat a proprio Paroco Sacramenta exigere *Suarez diſp. 18. ſect. 2.*, *Arriaga diſp. 20. ſect. 3.*, *Cabrera tertia part. q. 64. diſp. 2. concl. 3.*, *Bonacina de excommun. diſp. 2. q. 2. punct. 2. §. 4. n. 8.* Ratio eſt, quia, licet proprius Parochus teneatur ex proprio officio Sacramenta miniſtrare proprijs ouibus; ex eo tamen, quod ſit excommunicatus vitandus eſt impeditus miniſtrare, nec ei licitum eſt tale miniſterium, niſi extante extrema neceſſitate, ſed quando adeſt alius Sacerdos idoneus non eſt illa extrema neceſſitas, ergo &c. Secundò, quod, ſi cum proprio Paroco excommunicato vitando adſint alij tali excommunicatione affecti Sacramenta ſint exigenda à proprio Paroco, nec licitum ſit ab alijs petere. Conſentit *Bonacina loc. cit.* Ratio ex eo deducitur, quod in pari caſu impedimenti ex officio incumbit proprio Paroco onus adminiſtrandi Sacramenta proprijs ſubditis, & non alijs, ergo potius a proprio Paroco Sacramenta ſunt exigenda, quam ab alijs, quibus onus non incumbit, niſi in caſu extremæ neceſſitatis, quo non exiſtat alius, qui teneatur conferre; vnde cum reſpectu proprij Parochi duplex concurrat titulus cohoneſtans adminiſtrationem, alter neceſſitatis in ſubdito, alter proprij officij, reſpectu ipſius potius vrget cauſa cohoneſtans actionem; quam reſpectu alterius, reſpectu cuius etiam non poteſt dici vrgere extrema neceſſitas conferendi, cum adſit proprius Parochus, qui poſſit conferre. Tertiò ex eadem ratione extante Sacerdote excommunicato vitando ſimilitèr cum Diacono tali excommunicatione affecto Baptiſmus eſt à Sacerdote exigendus, non à Diacono, quia Sacerdos eſt potior in iure, & cæteris paribus præferendus; Quod, ſi Sacerdos ſit excommunicatus vitandus, & Diaconus non ſit excommunicatus, probabilius Sacramentum Baptiſmatis non eſt exigendus a Sacerdote, ſed à Diacono, prout notant *Silueſter verb. Baptiſmus tertio n. 1.*, *Nauarrus c. 22. n. 7.*, *Suarez diſp. 11. ſect. 1. n. 12.*, quidquid ex aduerſo dixerint *Sairus lib. 2. c. 2. n. 16.*; *Vgolinus tab. 1. c. 13. §. 17. n. 10.*; cum Sacerdos excommunicatus vitandus prohibeatur adminiſtrare Sacramenta extra neceſſitatis articulum; quando autem adeſt alius, qui non prohibeatur adminiſtrare, non cenſetur ille eſſe in articulo neceſſitatis conferendi; Quod, ſi dicas munus Baptizandi ex officio pertinere ad Sacerdotem, prout colligitur ex *Concil. Flor. in inſtruct. Armen.*, & *in c. conſtat de Conſecr. diſt. 4.* adeoque non obſtante excommunicatio-

13 Parochus vitandus præferẽdus eſt alijs vitandis.

14 Extante Sacerdote vitãdo cum Diacono in ordine ad Baptiſmum præferẽdus eſt Diaconus.

catio-

Digitized by Google

catione ipſum præferendum eſſe Diacono ſaltem quoad ſolemnem Baptiſmum; Statim impugnaberis, quia, cum hic ſit ſermo de Baptiſmo conferendo in caſu extremæ neceſsitatis, in quo etiam ſeruandus eſt ordo, quantum fieri poteſt, Diaconus eſt præferendus, cum Sacerdos excommunicatus vitandus non poſsit miniſtrare, niſi quando aliter Baptiſmus haberi non poteſt; quæ ratio in hac hypotheſi ceſſat. Deinde, quando etiam ageretur de Baptiſmo ſolemni, Diaconus in data hypotheſi eſt aptus, cum in eiuſdem ordinatione dicatur, quod debeat ad altare inſeruire, baptizare, & prædicare, &, cum ex conſuetudine, vbi hæc recepta eſt, hoc munus poſſit præſtare, vt ſentiunt *Caietanus part. 3. q. 67. art. 1., Sotus diſt. 4. q. 1. art. 3.* de licentia Epiſcopi, vel Parochi; quod certè ſupponit poteſtatem in ipſo ſolemniter Baptizandi, non video, cur hoc præſtaret non poſſit extante neceſſitate, & exiſtente Sacerdote excommunicato vitando, nec in hoc videtur neceſſaria eſſe licentia Epiſcopi, vel Parochi, nam, ſicuti in ſimili caſu extremæ neceſſitatis non requiritur facultas Epiſcopi abſoluendi à peccatis reſpectu Sacerdotis ab Epiſcopo non approbati, ità, nec in allato caſu neceſſitatis conferendi Baptiſmum talis facultas videtur neceſſaria.

15 Ex cauſa licitum eſt ab excommunicato tolerato petere Sacramenta.

Dico ſecundò. A miniſtro excommunicato, ſed tolerato licitum eſt petere, & recipere Sacramenta extante rationabili cauſa reſpectu petentis. *Madernus tract. 2. de Sacram. in genere q. 5. art. 8. n. 8., Sanchez de Matrim. lib. 7. diſp. 9. n. 8., Alterius lib. 1. diſp. 7. c. 2. col. 2., Sotus in quarto diſt. 22. q. 1. art. 4.*, & alij plures, quidquid ex aduerſo dixerint *Vaſquez de excommunicatione dub. 3. Nauarrus c. 9. num. 10., Suarez diſp. 11. ſect. 4., & alij.* Ratio ex eo deducitur, quia, ſi quæ eſſet iniquitas in tali petitione, vel eſſet ratione communicationis cum excommunicato, vel ratione cooperationis ad actionem iniquam eiuſdem; ex neutro capite hæc iniquitas poteſt conſurgere, ergo &c. Maior, vel in vna, vel in altera parte eſt fundamentum aduerſantium. Minor quoad primam partem probatur, quia ex allegata conſtitutione Martini V. in Concilio Conſtantienſi ſublata eſt quæcunque prohibitio communicandi cum excōmunicato, quando hic non eſt ſpecialiter denunciatus, & vitandus; quoad ſecundam ſic euincitur, quia petendo huiuſmodi Sacramenta maximè extante rationabili cauſa vtitur iure ſuo in ordine ad bonum honeſtum, & vtile, nec eidem prohibitum eſt communicare etiam in Diuinis cum excommunicato tolerato, & per conſequens ſaltem indirectè permiſſum eſt excommunicato communicare in Diuinis cum eodem petente, nam fruſtranea videretur facultas conceſſa non excommunicato communicandi cum excommunicato tolerato, ſi denegata eſſet hæc facultas excommunicato cōmunicandi cum non excommunicato; qui autem vtitur iure ſuo, & facultate vtrinque conceſſa non dicitur cooperari alterius iniquitati. Quod, ſi dicas, quod hæc cooperatio in eo conſiſtat, quod excommunicatus toleratus non poſſit licitè Sacramenta adminiſtrare obſtante non ſolum excommunicatione, ſed etiam peccato, cui annexa eſt excommunicatio; petens autem ab eodem Sacramenta ipſum inducit ad ea conferenda, adeoque cooperatur collationi, quæ ex parte conferentis iniqua eſt; Contra impugnaberis, quia, ſi quæ iniquitas eſt in illa actione, tota ſe tenet ex parte conferentis, nam requiſitus debuit actum cōtritionis elicere, per quem ſe conſtitueret in ſtatu gratiæ; nec excommunicatio videtur poſſe obſiſtere, cum eadem non obſtante conceſſa ſit facultas communicandi in Diuinis; vnde, ſi excommunicatus ſibi per actum contritionis non conſuluit, peccatum eſt eidem imputandum, non petenti.

16 Soluuntur rationes contrariæ.

17 Cauſa petendi eſt præceptum ſumendi.

Hæc, quæ diximus, procedunt etiam non extante neceſſitate petendi, dummodò interueniat legitima, & rationabilis cauſa, qualis eſt ſpiritualis vtilitas petentis, quæ regulariter eſt indiſtincta ab ipſa petitione, & collatione, cum poteſtas vnicuique ſibi conſulendi de ſpectantibus ad propriam vtilitatem non ſit alligata alicui neceſſitati, ex quibus infero à fortiori poſſe petere, quando vrget præceptum aliquod Sacramenta ſumendi, vt ſi petat Euchariſtiam pro tempore Paſchali, vel Sacramentum Pænitentiæ ſemel in anno.

Hic oritur difficultas, an, ſi duo Sacerdotes æquè fuerint excommunicati, ſed vnus ſit paratus Sacramenta miniſtrare, alter non, poſſit quis licitè ab vtroque indifferenter Sacramenta petere, an vero teneatur à parato petere, adeout, ſi à non parato petat, illicitè petat. *Bonacina de Sacramentis in genere diſp. 1. q. 6. punct. 4. num. 1.*, quod idem repetit *de excommunicatione diſput. 2. q. 2. punct. 2. §. 3. prop. 2. n. 4.* exiſtimat poſſe licitè Sacramenta peti, ſiue à Sacerdote exiſtente in læthali, ſiue in excommunicatione, ſiue paratus fuerit cōferre, ſiue non fuerit paratus, ex quibus videtur quoad rem præſentem poſſe inferri, quod non magis influat ad dehoneſtandam petitionem non eſſe paratum, quam eſſe paratum, adeoque poſſe indifferenter licitè peti Sacramenta, ſiue ab eo, qui paratus eſt, ſiue ab eo, qui non eſt paratus;

ſi etenim reſpectu eiuſdem non magis influit non eſſe paratum, ac eſſe paratum, nec videtur magis influere reſpectu duorum, quorum alter ſit paratus, alter non. *Madernus* verò *tract. 2. de Sacram. in genere q. 5. art. 8. num.* 12. ſentit cæteris paribus Sacramenta debere peti ab eo, qui eſt paratus adducta etiam ratione, quia dato, quod ex parte conferentis ſit aliqua iniquitas, vel præſumptio iniquitatis, quatenus poſſit eſſe dubium, ne actum contritionis in illa adminiſtratione Sacramentorum eliciat, reſpectu parati conferre non poteſt dici, quod ad illam actionem iniquam inducat, quod non militat reſpectu illius, qui non eſt paratus, eum per petitionem poſſit induci. Probabilius cum eodem Maderno crederem, debere peti à parato non ſolum propter rationem mox adductam, ſed etiam ex eo, quod ſe paratum exhibeat, ſit vehemens præſumptio, quod per contritionem ſe diſpoſuerit ad dignè miniſtrandum.

18 Exiſtentibus duobus Sacerdotibus altero parato conferre, altero non, petendū eſt à parato.

Dico tertiò, a miniſtro criminoſo puta publico, & notorio concubinario, ſeu vſurario licitum eſt, petere Sacramenta, & recipere extante rationabili cauſa. Arbitror ab hac opinione non diſſentire eos omnes, qui non diſſentiunt a præcedenti; & rationes pro ea militantes videntur etiam pro iſta militare. Solum reliquid negotij videtur faceſſere, quod huiuſmodi criminoſi, cum ſint aſſueti illis criminibus omni populo patentibus, non videtur poſſe eſſe præſumptio, quod in collatione Sacramentorum, validam ſint elicituri contritionem, ac proinde duplex ratio obſiſtat illi petitioni, nempè cooperatio ſine vlla probabili ratione reſipiſcentiæ, & publicum ſcandalum, quod conſurgeret ex illa adminiſtratione, cum peruerſitas continuata conferentis publicè omnibus innoteſcat. Sed hoc non obſtante ſiſtendum eſt in decretis; illa etenim peruerſitas, ſi non retractetur, adſcribenda eſt malitiæ non retractantis, non petentis, qui iure ſuo vtitur in petendo, nec ei imputanda eſt culpa ex eo, quod præſumptiuè nouerit, huiuſmodi criminoſum collaturum eſſe non retractata illa iniquitate, quin potius noua addita, nam, ſicuti non imputatur culpa petenti à publico vſurario mutuum ad ſibi ſubueniendum, quamuis apertè nouerit non eſſe mutuaturum, niſi cum nouo fænore, eo quia petens vtitur iure ſuo, ita, nec videtur culpa imputanda petenti a publico criminoſo Sacramenta, quamuis nouerit, non collaturum retractata per contritionem peruerſitate, ſed potius repetita propter eandem rationem, quod vtatur iure ſuo, & non participet in illa actione, quatenus mala eſt, ſed quatenus bona.

19 A miniſtro publico criminoſo ex cauſa licitum eſt petere Sacramenta.

Hæc tamen, quæ dicta ſunt, limitarem in duplici caſu; primò, quando non vrgeret aliqua neceſſitas, & rationabilis cauſa, puta neceſſitas adimplendi præceptum, vel magna aliqua vtilitas; nam vnicuique mandatum eſt de ſalute proximi, & quando ſine graui damno proprio, & ſine carentia magnæ vtilitatis poſſumus damnum proximi euitare, ex lege charitatis tenemur id præſtare; atque iuxta hanc limitationem procedunt *Vaſquez de pænit. q. 93. art. 1. dub. 2., & 14., Suarez diſp. 28. ſect. 1. verſus finem*, & alij plurimi apud *Bonacinam de Sacram. in gen. diſp. 1. quæſt. 6. punct. 5. n. 6. verſ. hoc tamen intelligitur*; Secundò, quando adeſſet copia alterius miniſtri illa nota non affecti; tunc etenim lex caritatis ſuadet, vt ab eo diſtrahamur, in quo vel malum, vel ſpecies, & præſumptio mali probabilitèr poteſt adeſſe, cum poſſumus aliundè nobis conſulere; atque iuxta hanc limitationem procedunt *Nauarrus c. 14. n. 28., Sotus lib. 6. de iuſt. q. 1. art. 5., & alij*.

20 Limita tamen in duobus caſibus.

Ex hucuſque dictis colligitur, quid dicendum ſit de miniſtro, qui non ſit notorius, & publicus criminoſus, ſed peccatum aliquod graue commiſerit notum ei, qui exigit ab ipſo Sacramenta, extante probabili ratione, ſeu præſumptione, quod ſit eadem Sacramenta miniſtraturus non præmiſſa contritióne, an ſcilicet ab eodem poſſint eadem Sacramēta licitè exigi. Affirmatiuè etenim ſentiendum eſt extante aliqua neceſſitate, vel rationabili cauſa; ſi etenim licitè poſſunt exigi à notorio criminoſo, multò magis poterunt exigi à peccatore occulto; atque ita ſentiunt *Reginaldus lib. 1. n. 165., Sotus in quarto diſt. 1. q. 5. art. 6.* Intelligendum tamen eſt hoc dictum cum duabus limitationibus mox ſupra recenſitis.

21 A miniſtro non publico criminoſo, ſed noto petenti licitum eſt petere.

Hactenus de indigno miniſtro Sacramentorum; Nunc de indigno eorundem ſuſceptore, pro quo recolenda ſunt illa diuerſa genera ſuſceptorum indignorum, de quibus mentionem fecimus in principio huius tituli, & quidem loquendo de eo, qui incapax eſt recipiendi validè Sacramenta, indubitatum eſt, eidem non poſſe conferri licitè, quia talis collatio iniuriam inferret, & abuſum Sacramenti, & fruſtraret ipſum effectu, ad quem eſt ordinatum; ſic, ſi fæminæ conferretur ordo, vel non baptizato alia Sacramenta, graue committeretur ſacrilegium, cum eſſet abuſus rerum ſacrarum. Difficultas eſt ſolummodo, quando eſt quidem capax recipiendi validè, ſed propter aliquod delictum, quo eſt affectus, non videtur poſſe licitè recipere.

22 Incapaci ad validè recipiendum Sacramenta non ſunt conferenda.

Inci-

23 Peccatori occulto publicè petenti nō ſunt deneganda.

Incipiendo igitur à peccatore occulto conſiderandum eſt, an petat occultè, an vero publicè; & quidem, ſi petat publicè, non ſunt eidem petenti deneganda Sacramenta; atque ità ſentiunt *Sanchez de Matrim. lib. 3. diſp. 16.*, *Suarez diſp. 18. ſect. 2.*, *Madernus tract. 2. de Sacram. in genere q. 5. art. 9. n. 3.*, *Rodriquez in ſumma c. 68. concl. 2. n. 4.*, *Sotus in quarto diſt. 12. q. 1. art. 6.*, & alij magis communitèr. Ratio ex eodeducitur, quod facta Chriſti Domini in adminiſtratione Sacramentorum ſunt certa, & infallibilis regula ab eorundem miniſtris obſeruanda; ſed Chri-

24 Euincitur exemplo Chriſti Domini.

ſtus Dominus Iudæ proditori occulto Sacramentum non denegauit, quamuis nouerit eiuſdem proditionem non ſolum ſedulò meditatam, & determinatam, ſed etiam iam imminentem, ergo eius miniſtri ſequentes Magiſtri regulam poterunt licitè peccatori occulto publicè petenti Sacramenta miniſtrare. Secundò, quia peccator occultus ius habet, ne eius fama publicè denigretur, cæteroqui licitum eſſet aliorum priuata crimina propallare, ergo ius habet, ne ob occultum crimen ei publicè petenti denegentur Sacramenta, ſecus non leuitèr eius fama denigraretur; Neque dicas, quod ipſe peccator per nouam iniquam actionem illicitæ petitionis, publicè factæ ſe conijciat in ſtatu denigrationis propriæ famæ, quam denigrationem ſibi potius debet imputare, quam miniſtro deneganti, potiſſimum, cum hic teneatur ex alio titulo denegare, concurrente alio præcepto vitandi ſacrilegam Sacramentorum ſuſceptionem, quod præualere debet præcepto non diffamandi in generali alienum delictum; Contrà enim impugnaberis, quia illa noua iniquitas in petitione publica, ſi quæ eſt, non demit ius, quod habet peccator, ne propria infamia detegatur, nec tribuit alteri ius eam prodendi, potiſſimum cum potuerit ipſe peccator in illam actionem deuenire ad

25 In hoc non præualet præceptum vitandi ſacrilegium.

magis propriam famam conſeruandam, cum ex omiſſione illius actionis poſſet oriri ſuſpicio de aliquo crimine, quod præcipuè contingeret, ſi peteret Sacramenta vrgente aliquo præcepto ſumendi, vel aliqua circunſtantia publicarum precum, pro qua alij omnes regularitèr ſumerent; vnde dici non poteſt, quod ſe conijciat in ſtatum propriæ famæ perdendæ, nec obſtat id, quod ſubditur de præualentia præcepti vitandi ſacrilegam ſuſceptionem, quod certè præceptum adimpleret denegando; non obſtat, inquam, primò, quia concurrente duplici præcepto, quorum alterum reſpiciat operationem aliquam internam, & per aliud ſanabilem, alterum reſpiciat operationem aliquam externam, & non aliundè ſanabilem præferendum eſt illud, quod prohibet actionem externam, ex qua oriatur damnum non ſanabile, cuiuſmodi eſt in caſu noſtro præceptum de non denigranda aliena fama, ſub quo comprehenditur implicitè præceptum de non ponenda actione, ex qua directè poſſit prouenire eiuſdem alienæ famæ denigratio, quod certè præualere debet præcepto requirenti internam diſpoſitionem conſiſtentem in carentia actualis noxæ læthalis, cum hæc ſit ſanabilis per actum contritionis. Propter hanc rationem, yt ſupra innuebam, *Lugus diſp. 14. ſect. 5. num. 110.*, *& Arriaga diſp. 46. ſect. 3. ſubſect. 3.* in concurſu duorum præceptorum, quorum alterum ſit de non conficiendo Sacrificio, niſi conficiens ſit ieiunus, & adhibeat ſacras veſtes, alterum de non conficiendo eodem, niſi præmiſſa Confeſſione Sacramentali, aſſerunt, quod in caſu miniſtrandi viaticum in periculo vitæ conſtituto poſſit miniſter non adimpleto ſecundo præcepto præmittendæ Sacramentalis Confeſſionis Sacrificium conficere, & communicare extremè indigentem, non autem non adimpleto primo, reddita etiam ratione, quod impedimentum peccati ſit occultum, & remedium confeſſionis poſſit ſuppleri per contritionem, carentia autem ſacrarum veſtium, & ieiunij ſit manifeſta, nec alio remedio ſanabilis. Secundò dici poteſt, quod, quamuis præceptum de non cooperando alterius peccato præualere debeat præcepto vitandi iacturam alienæ famæ, in hac hypotheſi primum præceptum non vigeat, cum conferendo publicè petenti Sacramentum non poſſit dici cooperari peccato, ſed ad ſummum illud permittere ex iuſta cauſa.

Si vero peccator occultus occultè petat, tunc aſſerunt eidem Sacramenta deneganda eſſe *Bonacina de Sacram. in gen. diſp. 1. q. 6. punct. 4. n. 4.*, *Madernus tract. 2. de Sacram. in genere q. 5. art. 9. n. 11.*, qui pro ſe citat *D. Thomam in quarto diſt. 9. q. 1. art. 5.*, *D. Bonauenturam ibid. art. 2. q. 4.*, *& alios*, quibus libentèr adhæreo. Rationem ex eo deduco, quia denegando, nec lædit ius, quod peccator occultus habet ad ſuam famam ſeruandam, nec concurrit ad actionem vel realem, vel præſumptam indignam petentis, ergo debet ex hoc titulo eidem petenti Sacramenta denegare. Antecedens quoad primam partem facilè euincitur, quia, cum occultè petat, per negationem eius occultum delictum nulli detegitur, nec eius fama in aliquo denigratur; Quod, ſi dicas cum *Soto in quarto diſt. 12. q. 1. art. 6.* peccatorem occultum non ſolum habere ius, ne lædatur eius fa-

26 Occultè petenti probabilius ſunt Sacramenta deneganda.

ma

Google

ma in denegatione Sacramentorum, ſed etiam habere ius ratione Sacramenti Baptiſmatis; ne ei alia Sacramenta, & præcipuè illud Euchariſtiæ denegentur; ſtatim impugnaberis, quia per occultum crimen ius, quod habet ad Euchariſtiam, & ad alia Sacramenta remanet ſuſpenſum quoad exercitium, ne licitè ea ſuſcipere poſſit quouſque obex auferatur per debita, & proportionata media; vnde conſtante de crimine, nec conſtante de remotione obicis, non eſt integrum ei petere, nec Sacerdoti debitum ei conferre, niſi fortior ratio ipſum compellat ad conferendum, quæ ratio compellens conſiderari non poteſt, quando occultè petit. Antecedens etiam quoad ſecundam partem ſic euincitur, quia conſtante Sacerdoti de crimine, nec conſtante de præhabita Sacramentali Confeſſione, immo ſtante certitudine de eadem non præhabita, ipſi Sacramenta denegando impedit iniquam Sacramentorum ſuſceptinnem, vel vehementem præſumptionem eiuſdem, & certè ad ſic impediendum tenetur, quia Sacerdotes ſunt tantum diſpenſatores myſteriorum Dei, nec poſſunt panem filiorum ſumere, & dare canibus; Neque dicas primò, quod poſſit præſumere, quod ante petitionem præmiſerit actum contritionis, quo ſe diſpoſuerit ad dignè ſuſcipiendum; ſecundò, quod ipſe Sacerdos conferendo Sacramenta non cooperetur iniquæ ſuſceptioni, cum ipſe, quantum eſt ex ſe, præſtet actionem bonam, & honeſtam, & iniquitas, ſi quæ eſt, ſe teneat dumtaxat ex parte inique ſumentis; Contrà enim impugnaberis, quia licet per contritionem ſe diſpoſuerit, tenetur tamen ex voto implicitè in ipſa imbibito ante ſuſceptionem aliorum Sacramentorum, ſi fieri poteſt, etiam Sacramentalem Confeſſionem præmittere; hoc etenim exigit tutior regula ſumendi dignè Sacramenta; vnde *Concil. Trident. ſeſs. 13. c. 7.* expreſsè habet *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quamuis ſibi contritus videatur abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat*; vnde Sacerdos poterit denegare donec per Sacramentalem Confeſſionem fuerit expiatus; nec magis officit id, quod ſecundo loco dicebatur de non cooperatione, quia, quamuis daremus propriè non cooperari iniquæ illi ſuſceptioni, tenetur tamen, quando fortior aliqua ratio non vrget, qualis eſſet prædicta de non propallando occulto crimine, quantum poteſt, in alio actionem iniquam impedire hoc ſuadente lege caritatis, vel fortè etiã proprio officio.

27 Rationes pro aſſerto, & cõfutatio nes obiectorum.

Hæc tamen, quæ diximus de peccatore occulto occultè petente, intelligenda ſunt cum aliqua limitatione, niſi ſcilicet Sacerdos nouerit tantum delictum ex Confeſſione Sacramentali eiuſdem indignè, & occultè petentis; tunc etenim non poteſt vti notitia illa habita in Confeſſione ad illum expellendum ab aliorum Sacramentorum ſuſceptione; cæteroqui nimis odioſa redderetur confeſſio, & facilè ab ea homines retraherentur, ſi cognoſcerent Confeſſarios vti notitia in confeſſione habita ad illos coercendos. 28

Limitatio in caſu quo delictum nouerit ex Confeſſione.

Nec ſolum Sacerdos poterit denegare Sacramenta peccatori occultè petenti, quando petitio fit coram ipſo ſolummodo, ſed etiam quando coram duobus, vel tribus alijs, qui fuerint æquè conſcij, ac Sacerdos, illius delicti. Ratio ex eo deducitur, quia in hac etiam hypotheſi non conſurgit diffamatio ex delicto, cum adſtantes illud nouerint; & ſicuti, ſi delictum eſſet notorium etiam publicè petenti, eſſent denegãda Sacramenta, vt infrà latè videbimus, ita, ſi eſſet notum tribus, vel quatuor, & coram ipſis Sacramenta peterentur, eidem eſſent deneganda, quia in neutro caſu ex illa negatione eius fama denegraretur, cum iam eſſet apud illos denigrata. 29

Etiam neganda ſunt, ſi petat coram duobus conſcijs delicti.

Maior difficultas eſſet, ſi peccator tribus tantum, vel quatuor conſcijs de eius peccato coram ipſis a Sacerdote item conſcio, & duobus, vel tribus alijs non conſcijs peteret Sacramenta, an hæc eſſent eidem deneganda. Ratio dubitandi ex eo videtur conſurgere, quod, ſi deneget, videtur eiuſdem famæ derogare per tacitam propallationem delicti reſultatem ex illa denegatione; ſi non deneget, videtur propriam famam denigrare coram illis, qui conſcij ſunt illius delicti, cum ſe miniſtrum indignum oſtenderet, miniſtrando indigno. In hoc ſentiendum eſt, non poſſe denegare petenti coram illis. Ratio ex eo deducitur, quod ſupra dicebamus, nempè per talem negationem lædere ius, quod habet peccator, ne eius fama lædatur apud eos, qui benè ſentiunt de ipſo, vel ſaltem malam non habent de ipſo opinionem; ergo non poteſt iuſtè denegare. Neque hic audiendi ſunt, qui dicunt, denegandum eſſe Sacramentum Euchariſtiæ peccatori occulto petenti a Sacerdote conſcio delicti eiuſdem coram miniſtro eiuſdem Sacerdotis penitus ignaro delicti; ex quo poſtea inferunt, quod etiam denegandum ſit petenti coram aliquibus conſcijs ipſius criminis, & coram alijs penitus ignaris. Non, inquam, audiendi ſunt, primò, quia dato etiam antecedente neganda eſt abſolutè conſequentia; nam ideo 30

Si peteret coram duobus conſcijs, & duobus non conſcijs non poſſet denegare.

ideo *Henriquez lib. 8. de Eucbariſtia c. 59.*, & alij, qui illud antecedens admittunt, illud admittunt, quia exiſtimant miniſtrum cum celebrante conſtituere dumtaxat vnam perſonam moralitèr in ordine ad illud miniſterium, quod verificari nequit in ordine ad alios adſtantes. Secundò, quia non ità verum eſt antecedens, ſicuti ſibi confingunt; habet enim ius ipſe petens, ne eius fama apud miniſtrum penitus ignarum criminis lædatur, & falſo adſtruitur miniſtrum conſtituere moralitèr cum celebrante vnam perſonam, nam dato etiam, quod in ordine ad tale miniſterium poſſit dici, quod vnum principium conſtituat, cum ſit adiutor eiuſdem celebrantis, in ordine tamen ad alios effectus diſparatos non poteſt dici quid vnum cum celebrante, quod potiſſimum verificatur in ordine ad famam petentis Sacramentum, cum in hoc non communicet cum Sacerdote, & ſi petens lædatur quoad iſtam apud miniſtrum, iacturam patitur diuerſam, perinde, ac ſi pateretur apud alium ignarum, qui non eſſet miniſter.

31 Soluitur obiectum oppoſitū.

Ad illud, quod dicebatur in ratione dubitandi, quod ſcilicet ipſe Sacerdos miniſtrando Sacramentum indignè petenti læderetur in fama apud adſtantes, qui nouerunt petentis delictum, quaſi ſit iniquus diſpenſator myſteriorum Dei, dicendum eſt, hanc notam vitari ex eo, quod adſtantes conſcij delicti debeant rationabilitèr arbitrari, Sacerdotem conferre Sacramentum proptèr præſentiam aliorum, qui delictum non nouerunt, ne apud eoſdem ſcandalum ingeratur, & petentis bona opinio lædatur, quo ſtante nulli iacturæ ſubiacet fama Sacerdotis conferentis.

32 Peccatori publico, & notorio ſūt denegāda.

Proſequendo iam ſermonem à peccatore occulto ad peccatorem notorium prætèr inſinuata in principio huius tituli, aduerto, peccatorem notorium poſſe etiam eſſe in quaſi duplici differentia; alium, qui eſt infectus delicto dumtaxat actuali, & vtique notorio, & publico, vt, ſi quis alterum occiderit in publico foro omnibus, vel maiori parte populi videntibus, vel publicè Clericum aliquem percuſſerit &c. alium, qui eſt infectus delicto habituali notorio, & publico, cuiuſmodi eſt publicus vſurarius, & notorius concubinarius &c. Quamodocunque fuerit notorius peccator, eidem ſiue publicè, ſiue occultè Sacramenta petenti ſunt deneganda. In hoc communitèr conſentiunt, & ſignantèr *Viualdus de Sacram. in gen. c. 3. concl. 1.*, *Pitigianus in quarto diſt. 9. q. 1. art. 15.*, *Filliutius tract. 1. c. 5. q. 12.*, *Madernus tract. 2. de Sacram. in gen. q. 5. art. 9. n. 19.* Rationes, quæ de peccatore occulto fuerunt allatæ, ſi à contrario ſenſu deducantur, hoc concludentèr euincunt; Ideo enim peccatori occulto publicè petenti conceſſum eſt poſſe Sacramenta conferri, quia, ſi denegarentur, eius famæ grauis nota inureretur, & ideo negatum eſt eidem occultè petenti poſſe conferri, quia ex vno capite eius fama non læderetur, & ex alio iniuria quodamodo Sacramento inferretur, dum conferretur indigno, ſed quando peccator eſt notorius, & publicus, ſiue peteret occultè, ſiue publicè, per negationem, nec eius fama denigraretur per propallationem delicti, cum hoc iam ſit notorium, nec ſanctitas Sacramenti per collationem indigno granitèr læderetur, ergo &c. & iuxta hunc ſenſum benè dicitur *Matthæi 7. Nolite ſanctum dare canibus*; & margaritæ non ſunt proijciendæ ante porcos, quia vltra irreuerentiam Sacramenti ſcandalum in adſtantibus non ignaris delicti ingereretur non modicum.

Hoc tamen hic aduertendum eſt, quod, quamuis peccatori notorio, ſiue ſit talis tantum actualitèr, ſiue habitualitèr ſint
deneganda Sacramenta, quomodocunque petantur, hoc tamen intelligendum ſit, donec reſcipuerit. Sed qualis debeat eſſe 33 Intellige donec reſcipuerit.
hæc reſcipiſcentia, & quibus qualitatibus affecta, vt poſſit eidem Sacramentum conferri, dicendum eſt, non quamlibet ſufficere, ſed diuerſam iu ordine ad diuerſos, & quidem, ſi loquamur de vſurario notorio, & habituali, non ſufficit, ſi pæniteat, ſed primo debet vſuras reſtituere, vel idoneam cautionem præbere, vel ipſis creditoribus, ſi fuerint præſentes, vel ordinario loci, vel ipſius Vicario, vel etiam Paroco coram teſtibus, ſi creditores fuerint abſentes, prout habetur in *c. quamquam de vſuris*; loquendo de concubinarijs notorijs vltra alia pænitentiæ ſigna requiritur, vt concubinas è domo eijciant, vt ipſis Sacramenta poſſint conferri; & ſi 34 Qualis reſcipiſcentia requiratur.
fuerint Clerici concubinarij notorij, de iure antiquo requirebatur abſolutio a ſuſpenſione, cum ab ipſis ipſo facto incurreretur, modo tamen ex diſpoſitione *Concil. Trident. ſeſs. 25. c. 14.* per quod teſte *Bonacina de his, quæ pertinent ad vſum Matrimon. q. 4. punct. 14. n. 19.* ius antiquum correctum eſt, non requiritur talis abſolutio, niſi poſtquam cenſura per ſententiam fuerit illata; In ordine ad alios peccatores notorios talis reſcipiſcentia requiritur, vt quoquo modo publicè conſtet; nec in hoc amplius immorandum.

Solum pro complemento eorum, quæ pertinent ad hunc titulum, remanet inquirendum, quandonam delinquens, ſeu delictum dicatur ſufficientèr notorium, vt, ſiue Sacramenta petantur publicè, ſiue oc-

cultè,

cultè, petens ſit ab eiſdem arcendus? Omitto caſum quo delinquens, ſeu delictum fuerit diffamatum, vel per iuridicam confeſſionem eiuſdem delinquentis in iudicio,

35 Quomodo delictum dicatur notorium.

vel per Iudicis ſententiam latam ſecundum allegata, & probata, vel per euidentiam rei publicè conſtantem, adeo vt nulla tergiuerſatione poſſit iudicium cælari; in hoc etenim, ſeu his caſibus nemine diſceptante delinquens, ſeu delictum habetur pro notorio. Solum difficultas eſt, quando delictum præciſa quacunque ſententia, iuridica confeſſione, & euidentia rei publicè reſultāte eſt publicè cōmiſſum, non tamen fuit ab omnibus cognitum. In qua difficultate nonnulli aſſerunt, ſufficere, quod fuerit in aliqua Parochia notum ſex, vt dicatur notorium; alij requirunt, vt ſaltem decem innotuerit. Alij plures requirunt. Nos arbitramur, hoc arbitrio prudentum remittendum, qui penſato numero populi, vel vniuerſitatis, vel Collegij iudicet, an dici poſſit publicum, an occultum, quod etenim reſpectu ingentis populi poteſt dici occultum, reſpectu viciniæ minori hominum numero conſtantis poteſt dici notorium; vnde ſaltem maiori parti viciniæ conſideratæ ſecundum ſe debet delictum eſſe notum, vt iudicetur publicum, ſeu notorium. Nec obſunt ea, quæ ſupra dicebamus, quod, ſi ſcilicet Sacramenta ab indigno petantur coram quinque v.g., quorum tres ſint conſcij delicti, & duo ignari non ſint eadem Sacramenta denegāda propter duos ignaros, nam ex hoc videtur deduci non ſufficere ad notorietatem, quod delictum ſit cognitum maiori parti; ſi enim comparatiuè ad quinque non ſufficit, quod tribus innoteſcit, nec computatiuè ad viginti videtur ſufficere, quod ſit notum duodecim, & ſic reſpectiuè ad maiorem numerum ſeruata proportione poterit argumentum extendi. Non obſunt, inquam, quia notorietas non eſt deſumenda ſolum comparatiuè vnius partis populi ad aliam partem, ſed etiam a numero, quo conſtat vicinia; ſi etenim vicinia conſtaret tantum quinque, vel ſex, & delictum tribus innoteſceret non eſſet abſolutè dicendum publicum, & notorium, quia notorietas reſpicit non numerum exiguum cognoſcentium, ſed numerum egregium, & conſiderabilem.

Soluitur argumentum oppoſitum.

Deindè in caſu, de quo nos locuti fuimus in præcedentibus, non ſuppoſuimus, quod vicinia illa conſtaret duntaxat illis quinque perſonis, ſed longè pluribus, & quod ſolum in loco, quo peccator petijt Sacramenta, fuerint præſentes quatuor, vel quinque, quorum tres eſſent conſcij delicti, in qua hypotheſi diximus, delictum non eſſe taliter notorium, vt poſſent ratione eiuſdem petenti negari Sacramenta, quia notorietas non eſt deſumenda comparatiuè ad illum hominum numerum ibi præſentium, ſed ad numerum maiorem totius viciniæ.

Hic excitant DD. difficultatem, an, ſi peccator eſſet notorius in vna Ciuitate, vel Oppido, vel in vno Collegio, ſeu vniuerſitate, & accederet ad aliam Ciuitatem, Oppidum, Collegium, ſeu vniuerſitatem, & ibi peteret Sacramenta ab eo, qui conſcius eſſet notorietatis eiuſdem in loco, a quo receſſit, eidem in tali loco eſſent conferenda, an deneganda Sacramenta. *Sotus in quarto diſt. 12. q. 1. art. 6., Chamerota de Euchariſtia c. 19. dub. 15. ad fin., Rodriquez de Euch. c. 57.* ſentiunt non eſſe eidem Sacramenta deneganda, quia in loco, in quo petit, non eſt notorius, & retinet ius ad propriam famam conſeruandam, quam propterea Sacerdos non poteſt denigrare negando petita Sacramenta. E contra *Suarez diſp. 7. ſect. 5. concl. 3., Bonacina de Sacramentis in genere diſp. 1. q. 6. punct. 4. n. 12. verſ. ſed mihi contrarium*, ſentiunt eſſe eidem Sacramenta neganda, quia, ſicuti infamis in vno loco amittit ius ad famam vbique, ita peccator in vno loco notorius ius ad eandem famam intelligitur amiſiſſe. *Arriaga diſp. 21.* quamuis cum hac ſecunda opinione propter eandem rationem conſentiat, adducit tamen caſum, in cuius deciſione ſibi parum conſtans videtur; aſſerit enim, quod, ſi aliquis Religioſus ſit in aliquo Monaſterio publicè diffamatus de aliquo enormi delicto, & dum alius Religioſus publicè celebret extante magna ſæcularium multitudine, ille accedat ad Euchariſtiam ſumendam non poſſit Sacerdos celebrans conſcius illius delicti, non obſtante notorietate in toto Monaſterio, eidem Sacramentum denegare, ne ipſum apud eoſdem ſæculares diffamet, apud quos retinet ius famæ. Parùm, inquam, in hoc ſibi conſtans videtur; ſi etenim ius ad famam reſpectu Religioſi in toto Monaſterio diffamati viget quoad ſæculares extra Monaſterium, quibus non eſt notorium delictum, non video, cur idem ius ad famam reſpectu diffamati in vna Ciuitate, vel Oppido non debeat vigere extra talem Ciuitatem, vbi delictum non eſt cognitum; vel igitur Arriaga deneget in vtroque caſu Sacramenta eſſe deneganda, vel concedat in vtroque caſu eſſe concedenda.

36 Si recedat à loco, in quo eſt diffamatus, & accedat ad alium non ſunt ibi eidem neganda Sacramēta.

Probabilius in hoc ſentio, extra Ciuitatem, vel Oppidum, in qua, vel quo delictum eſt notorium, Sacramenta non eſſe deneganda in loco, vel Ciuitate, in quo, vel qua notoriè non conſtat de tali delicto; non enim arbitror, quod

ex

ex eo, quod ius amiſerit ad famam in vno loco, amiſerit etiam in quocunque alio loco.

QVÆSTIO V.

De Ritibus in Confeſſione Sacramentorum ſeruandis.

SAcramenta, dum conficiuntur, ſeu adminiſtrantur, ritus, & cæremoniæ ab Eccleſia præſcriptæ comitantur, quæ, licet non ſint de neceſſitate, vel ſubſtantia eorundem Sacramentorum, conferunt tamen ad eorum decorem, & ornatum, vel tanquam diſpoſitiones, vel tanquam ornamenta, vel tanquam pediſequæ; & licet Chriſtus Dominus Sacramenta inſtituerit non cum tot rituum apparatu, nec tot cæremoniarum conſortio, contulit tamen Eccleſiæ eius ſponſæ poteſtatem eoſdem, ſeu eaſdem inſtituendi, vt quæ ipſe ſubſtantialitèr contulit, illa accidentalitèr perficeret. De ijs ritibus, & cæremonijs in hac quæſtione poſt examinatas eorundem ſubſtantias diſſeremus, ſed quia diuerſæ cæremoniæ, & ritus in ordine ad diuerſa Sacramenta ſunt præſcriptæ, nec vacat de ſingulis ſingillatim quæſtiones inſtituere, cum de ſingulis erit ſermo, dum de ſingulis Sacramentis in particulari, ideo nos reſtringemus ad eaſdem in genere, ſicuti ſolum hic de Sacramentis in genere pertractamus.

ARTICVLVS I.

Quid ſit ritus, quo iure inductus, & ad quemnam effectum.

SVMMARIVM.

Quid veniat nomine ritus, prout pertinet ad rem præſentem. 1.
Definitio propria ritus. 2.
Explicatur per ſuos terminos definitio. 3.
Chriſtus Dominus aliquos ritus inſtituit, alios remiſit Eccleſiæ inſtituendos. 4.
Ritus, qui non pertinent ad ſubſtantiam Sacramentorum, regularitèr ſunt tantum de iure Eccleſiaſtico. 5.
Data eſt poteſtas Eccleſiæ mutandi circa adminiſtrationem Sacramentorum ſalua eorum ſubſtantia. 6.
Plura Chriſtus fecit in inſtitutione Sacramentorum, quæ non ſeruantur, vt ritus. 7.
Diſcrimen inter poteſtatem collatam Eccleſiæ determinandi materiam in Sacramento Ordinis, & poteſtatem eidem collatam inſtituendi ritus. 8.
Aſſignantur fines, ob quos fuerint inducti huiuſmodi ritus. 9.

DVplex genus rituum; alterum eorum, quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti, & ad eiuſdem eſſentiam pertinent, alterum eorum, quæ ſunt tantum de neceſſitate præcepti; & pertinent ſolum ad ornatum, & decorem, aſſignant DD. Primum genus impropriè dicitur rituum genus, cum ritus ex genere ſuo importet ſolemnitatem per textum *in l. 2. ff. de inoffic. teſtam., & ibi gloſa*, & regularitèr verſatur ſolum circa extrinſeca, ea autem, quæ pertinent ad eſſentiam, & ſunt de neceſſitate Sacramenti, cuiuſmodi ſunt materia, & forma, verſantur circa intrinſeca, & eſſentialia. Reſtringendo igitur titulum ad ſecundum genus, quod propriè eſt tale, eiuſdem eſſentiam per ſua prædicata propria inquirimus, & hoc pro prima parte tituli; pro qua ſit

1 Nomine ritus veniunt cæremoniæ, quæ non pertinent ad ſubſtantiam.

Aſſertio I. Ritus propriè ſumptus eſt actio externa Religioſa, qua decorè, & ornatè Sacramenta conficiuntur, & miniſtrantur iuxta Eccleſiæ præſcriptum. *Suarez tertia part. diſp. 15. tom. 3. ſect. 1., Bellarminus lib. 2. de Sacrament. in genere c. 26., & alij ſatis communitèr.*

2 Definitur ritus.

Probatur, & explicatur. Dicitur *actio externa, & Religioſa*, quia, cum huiuſmodi ritus ordinentur ad Sacramenta, quæ inſtituta ſunt in ſignis ſenſibilibus, & materialibus, vtique debent conſiſtere in aliqua actione externa, & cum ſint ordinati ad modum colendi Deum, vel ad eius cultum, debent ad Religionem pertinere, & propterea actio, in qua conſiſtunt, debet eſſe Religioſa. Per has particulas huiuſmodi ritus conueniunt non ſolum cum quacunque actione ſacra, ſed etiam cum ipſis Sacramentis, quæ important actionem externam, & Religioſam. Dicitur, *qua decorè, & ornatè Sacramenta conficiuntur*, quæ verba non intelligenda ſunt relatiuè ad eſſe, ſeu ſubſtantiam Sacramentorum, quatenus intrinſecè Sacramenta ipſa conſtituant, ſed relatiuè ad ornatum, & perfectionem extrinſecam, ſub qua ratione differunt ab ipſa ſubſtantia Sacramentorum, & propterea ſe habent tanquam rationes quoquo modo diffe-

3 Explicatur per ſuos terminos definitio

Digitized by Google

ſerentiales. Dicitur, *iuxta præſcriptum Eccleſiæ*, non quia omnes ritus pertinentes ad confectionem Sacramentorum ſint ab Eccleſia inſtituti, cum plures Chriſtus Dominus inſtituerit, ſed quia pro maiori parte Eccleſia ipſa inſtituit, & præcepit ſeruandos, & pro alijs obſeruantiam per ſua præcepta mandauerit.

Sub hac definitione comprehenduntur omnes ritus, quorum alij pertinent ad maiorem ſignificationem Sacramẽtorum, alij præciſè ad ornatum, alij ad diſpoſitionem tum conficientis, tum ſuſcipientis, alij ad remotionem obicis, alij referuntur ad tempus, alij ad locum, de quibus omnibus ſingillatim, dum in particulari de ritibus ſingulorum Sacramentorum. Hi autem omnes, quomodocunq; referantur, conſiſtunt in actione externa, & religioſa relata ad decorem, & ornatum Sacramentorum, licet aliqui directè, alij dumtaxat indirectè ad talem perfectionem ordinentur; ſemper etenim ratione termini, ad quem referuntur, important actionem Religioſam.

4 Chriſtus Dominus aliquos inſtituit, alios reliquit Eccleſiæ.

Pro ſecunda parte tituli aduerto, quod Chriſtus Dominus in inſtitutione aliquorum Sacramentorum aliquos ritus ſeruauerit, aliquos præceperit ſeruandos; ſic in inſtitutione Sacramenti Baptiſmatis præcepit reſpectu adultorum ipſorum inſtructionem in fide. *Ite, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris &c.* ſic in inſtitutione Euchariſtiæ benedictionem præmiſit, oculos ad Deum Patrem Omnipotentem eleuauit &c. quæ tamen non pertinent ad ſubſtantiam, ſeu eſſentiam Sacramentorum. In vniuerſum tamen poteſtatem Eccleſiæ contulit inſtituendi, & mutandi circa Sacramentorum diſpenſationem, quæ in Domino expedire iudicauerit ſalua tamen illorum ſubſtantia, vt definitum eſt in Concil. Trident. Hic igitur inquirendum remanet, an huiuſmodi ritus ſint de iure Diuino, an tantum de iure Eccleſiaſtico.

5 Regularitèr ſunt de iure Eccleſiaſtico.

Aſſertio II. Ritus non pertinentes ad ſubſtantiam Sacramentorum regularitèr loquendo ſunt dumtaxat inducti de iure Eccleſiaſtico, non Diuino. In hanc communitèr conſentire vidẽtur DD., dum inquirunt ad quemnam effectum huiuſmodi ritus fuerint ab Eccleſia inſtituti. Dixi, *regularitèr loquendo*; non enim negauerim aliquos eſſe de iure Diuino, vt præcipuè eſt inſtructio adultorum in fide ante collationem Baptiſmatis.

6 Data eſt poteſtas Eccleſiæ inducẽdi, & mutãdi.

Probatur, quia ex allegata diſpoſitione Concil. Tridentini eſt facultas in Eccleſia Dei innouandi, & mutandi circa Sacramentorum diſpenſationem omnia ſalua eorum ſubſtantia, ſed hæc facultas non competeret, ſi ritus eſſent de iure Diuino inducti, ergo, quia iſti ſupponuntur dumtaxat de iure Eccleſiaſtico inducti. Minor probatur, quia ea, quæ ſunt de iure Diuino non ſubiacent diſpoſitioni, & auctoritati Eccleſiæ.

7 Plura Chriſtus fecit, quæ non ſeruantur, vt ritus.

Dices primò, plerique ritus in inſtitutione aliquorum Sacramentorum fuerunt à Chriſto Domino ſeruati, vt in præcedentibus obſeruauimus in inſtitutione Euchariſtiæ, in qua præmiſit benedictionem materiæ conſecrabilis, & eleuationem mentis indicatam per extollentiam oculorum ad Deum Patrem Omnipotẽtem &c. ergo aliqui ſaltem ritus fuerunt à Chriſto Domino inſtituti. Sed contra, quia non omnia, quæ Chriſtus Dominus in inſtitutione Sacramentorum ſeruauit, habendi ſunt tanquam ritus ſeruandi in confectione eorundem, niſi ab Eccleſia præcipiantur, vt ritus; ſic Chriſtus Dominus in inſtitutione eiuſdem Euchariſtiæ præmiſit lotionem pedum diſcipulorum ſuorum, eſum agni, ſermonem habuit &c. nec tamen hæc omnia ſeruantur, vt ritus, nec in confectione, nec in diſpenſatione eiuſdem Euchariſtiæ. Quamobrem dicendum, quod id, quod Chriſtus Dominus ex benedictione panis, & vini, in eleuatione oculorum &c. exemplaritèr fecit, Eccleſia inſtituerit pro ritu ſeruando.

8 Non militat ratio collata Eccleſiæ deſignandi materiã Ordinũ.

Dices ſecundò, quod, cum Chriſtus Dominus quodamodo in genere, & indeterminatè ritus præceperit, & poteſtatem contulerit Eccleſiæ eoſdem determinandi non ſint dicendi ab Eccleſia inſtituti, & inducti, ſed a Chriſto Domino, ea proportionali ratione, qua, cum Chriſtus inſtituerit Ordinis Sacramentum, & materiam reliquerit indeterminatam ſub poteſtate Eccleſiæ eandem materiam determinandi, & Deus in lege naturæ remedium originalis poſuerit relinquendo hominibus poteſtatem deſignandi ſigna, non tamen Eccleſia dicitur induxiſſe Sacramentum Ordinis, nec homines in lege naturæ inſtituiſſe remedium originalis. Sed contra, quia in inſtitutione Sacramenti Ordinis, & remedij originalis in lege naturæ Chriſtus, & Deus ſolum Eccleſiæ, & hominibus facultatem conceſſerunt determinandi materiam, & ſigna, quibus alligarunt vim conferendi gratiam, & remiſſionem nulla exiſtente poteſtate in eadem Eccleſia, & hominibus augendi gratiam, in facultate autem conceſſa Eccleſiæ inſtituendi ritus, & cæremonias, cum iſti, ſeu iſtæ non habeant conferre gratiam ex opere operato, plenam tribuit auctoritatem, adeoque reſpectu iſtorum Eccleſia dicitur inſtitutrix, non autem reſpectu Sacramenti Ordinis,

& re-

Digitized by Google

& remedij originalis.

Pro tertia parte tituli reſpiciente cauſam finalem extrinſecam, propter quam huiuſmodi ritus, & cæremoniæ in confectione, & diſpenſatione Sacramentorum fuerunt in Eccleſiam Dei inducti, ſeu inductæ ſit

Aſſertio III. Ritus, & cæremoniæ ſeruandi, ſeu ſeruandæ in confectione Sacramentorum ob triplicem potiſſimum finem fuerunt in Eccleſiam Dei inducti.

9 Aſſignantur fines ob quos fuerunt inducti huiuſmodi ritus.

Primus eſt aſſignatus in ipſa definitione, vt ſcilicet decorè, & ornatè Sacramenta conficiantur; congruum etenim maximè eſt, vt quo magis actio principalis digna eſt, famulatum actionum, quæ eius indicent dignitatem, ſortiatur, nudè etenim ſumpta, & ſine comitatu apud homines quodamodo vileſceret. Hinc in Sacrificio Miſſæ ſacræ veſtes Sacerdotales adhibentur ad indicandam excellentiam myſterij peragendi; in Baptiſmate veſtis alba, vt indicetur regeneratio, & ſtatus innocentiæ, qui per nouum hominem induitur.

Secundus eſt, vt in modo colendi Deum fideles conueniant; ritus etenim maximè videntur pertinere ad Dei cultum, cum ordinentur ad Sacramenta, per quæ potiſſimum Deum veneramur, & eius excellentiam recognoſcimus, & licet eadem Sacramenta omiſſis ritibus inducerent ad vnum modum colendi Deum, non tamen ità expreſsè, & ſignatè inducerent, ſicuti fit per externas cæremonias.

Tertius eſt, vt, cum ipſa Sacramenta ad vberiorem ipſorum effectum exigant in conficientibus, & ſuſcipientibus, ſimulque adſtantibus deuotionem, per eoſdem ritus fideles ad eandem excitentur, cum huiuſmodi ritus vtpotè præſeferentes, nedum ratione actionis, ſed etiam ratione termini, ſpeciem ſacri, & Religioſi, vtique conferunt ad eandem deuotionem excitandam.

ARTICVLVS II.

Sub quonam onere in confectione, & diſpenſatione Sacramentorum ritus præſcripti ſint ſeruandi.

SVMMARIVM.

Conſiderabilia circa titulum. 1.
Omiſſio rituum, ſi ſint tantum ſub conſilio, non eſt peccaminoſa. 2.
Explicatur, in quo ſenſu accipiendum ſit Concilium Tridentinum. 3.
Ritus, qui cadunt ſub lege, ſiue ſcripta, ſiue non ſcripta regularitèr obligant ſub graui. 4.
Ex leuitate materiæ, & inconſideratione eorum omiſſio poteſt eſſe leuis. 5.
Omiſſiones illorum rituum, qui inducti ſunt ob ſignificationem ex genere ſuo ſunt grauiores illis, qui ſolum ſunt inducti ad ornatum. 6.
Ritus, qui inducti ſunt ab Eccleſia circa Sacramenta neceſſitatis, vrgente neceſſitate poſſunt omitti ſine culpa. 7.
Explicatur in caſibus particularibus. 8.
Etiam ritus pertinentes ad alia Sacramenta non tantæ neceſſitatis imminente mortis periculo omitti poſſunt ſine culpa. 9.
Exceptio ad mox dicta. 10.

PLura ſub hoc titulo ad plenam ipſius diſcuſſionem veniunt conſideranda, & primò, an huiuſmodi ritus cadant ſub præcepto, an vero tantum ſub conſilio, & an rubricæ illos ſtatuentes ſint præceptiuæ, an vero ſolum directiuæ. Secundum, an Sacramenta conficienda ſint neceſſitatis, & vrgente neceſſitate, non vero tantæ neceſſitatis, nec illa vrgente. Tertiò, an huiuſmodi ritus verſentur circa materiam grauem, & conſiderabilem, an vero circa leuem, & non tanti momenti. Quartò, an illi ritus ſint inſtituti propter ſacram ſignificationem, an ſolum propter aliquem extrinſecum decorem, & ornatum. Hinc 1 Conſiderationes circa titulum.

2 Ritus, qui ſunt ſolum ſub conſilio non obligant.

Dico primò, ſi ritus aliqui cadant tantum ſub conſilio, & rubricæ illos ſtatuentes ſint tantum directiuæ, omiſſio eorundem in confectione Sacramentorum non eſt peccaminoſa, ſic quia in Sacramento Pænitentiæ dicitur eſſe tantum de conſilio, non de præcepto, quod præmittantur preces, *Miſereatur tui &c. Indulgentiam &c.* ideo, ſi omittantur non erit omiſſio peccaminoſa, quod idem dic de alijs ſimilibus. Ratio eſt, quia ea, quæ ſunt tantum de conſilio, non obligant ſub

 pecca-

Digitized by Google

peccato ad eorum obſeruantiam, & conſilium eſt de meliori bono, non de bono debito; Neque dicas, quod, cum ſint de meliori bono, poſſint ex conſuetudine recepta obligare, vt videtur colligi ex *Concil. Trident. ſeſs.7. can. vlt. de Sacrament. in gen.* vbi anathematizantur, qui dixerint receptos, & approbatos Eccleſiæ Catbolicæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato a miniſtris pro libito omitti poſſe; contra enim impugnaberis; quia non quæcunque conſuetudo, aut quomodocunque accepta obligat, ſed tantum conſuetudo communitèr accepta, ſeruata, & inducta cum animo obligandi, & cuius non obſeruantia habeatur cōmunitèr pro peccaminoſa, quia tunc hęc conſuetudo habetur pro lege non ſcripta; talis autem non reputatur illa, quæ, cum inhæreat ſoli conſilio, & crebrò omittatur, ſine vlla conſcientiæ ſyndereſi non habetur, vt inducta cum animo obligandi ſub aliqun peccato, ſed ſolum ad melius, & boneſtius eſſe; & iuxta hunc ſenſum arbitror ſolum procedere Concilium Tridentinum mox allegatum, quod non eſt ſupponendum voluiſſe eos anathematizare, qui ſenſerint omiſſionem illarum precum in pænitentiæ Sacramento *Miſereatur tui &c. indulgentiam &c.*, & ſimilium non eſſe peccaminoſam.

3 Satisfit Concil. Trident.

Dico ſecundò, ſi ritus cadant ſub lege, vel ſcripta, vel non ſcripta, ideſt ſub conſuetudine legitimè recepta, & approbata ab Eccleſia, adeout non conſueuerint omitti, regularitèr loquendo ſunt ſeruandi ſub onere grauis peccati. In hoc conſentiunt *Suarez diſp. 16. ſect. 2. verſus finem, Henriquez lib. 1. c. 11. n. 4., Fillintius tract. 1. c. 5. q. 1. num. 89., Valentia tom. 4. diſp. 3. q. 1. punct. 4.*, & in hoc videtur habere locum diſpoſitio Concilii Trident. mox allegati. Ratio eſt, quia illa diſcordantia a communi vſu Eccleſiæ cedit in contemptum eiuſdem Eccleſiæ, &, cum illi ritus ordinentur ad cultum Dei, adeoque pertineant ad virtutem Religionis, eorum omiſſio eſt cōtra eandem Religionem; peccata autem, quæ ſunt in contemptum Eccleſiæ, & contra virtutem Religionis ſunt ex genere ſuo grauia, & læthalia. Dixi, *regularitèr loquendo*, propter communem regulam; ſecundum quam ea, quæ ex genere ſuo ſunt grauia, ex leuitate materiæ, vel inconſideratione deficientis euadunt leuia; non enim congruum rectæ rationi eſt, vt omiſſio cuiuſcunque leuis cæremoniæ, quantumuis ab Eccleſia præſcriptæ, vt vnius, vel alterius genuflexionis in Miſſa, inclinationis capitis, oſculi altaris, vel ſimilium ingerant noxam læthalem; item, nec ſi ex inaduertentia omittatur commemoratio aliqua in Miſſa, vel aliqua verba non pertinentia ad ſubſtantiam.

4 Ritus, qui cadūt ſub lege regularitèr obligant ſub graui.

5 Omiſſio ex leuitate materiæ, poteſt eſſe leuis.

Si autem quæratur in particulari, quænam omiſſio habeatur pro læthalitèr culpabili, & quænam pro peccaminoſa ſolum venialitèr, non poteſt certa regula vniuerſalitèr ſtatui, cum tot ſint ritus, tum inter ſe comparati, tum in ordine ad diuerſa Sacramenta, qui magis, vel minus poſſunt vrgere, diuerſi, vt ſub vna definitione cadere nequeant; quamobrem relinquenda eſt deciſio prudentum iudicio juxta diuerſitatem rituum, & iuxta contingentiam omiſſionum, quę in praxi contingent. Hoc ſolum in genere poteſt ſtatui, illas omiſſiones grauiores reputandas eſſe, quæ inſtitutæ ſunt propter ſacram ſignificationem, quam illas, quæ ſunt tantum propter ornatum, & decentiam, & inter illas, quę ordinantur ad ſacram ſignificationem illas grauiores eſſe, quarum ſignificatio eſt altior.

6 Magis obligant ritus, qui inducti ſunt ad ſignificationem.

Dico tertiò, ritus, qui inſtituti ſunt, & approbati ab Eccleſia in ordine ad Sacramenta neceſſitatis, cuiuſmodi ſunt Baptiſmus, & Pænitentia, ſi vrgente neceſſitate omittantur, nullam noxam inducunt. In hoc ſtat communis Eccleſiæ praxis, conſenſus omnium Catbolicorum. Ratio ex eo deducitur, quod non ſit præſumendum, quod pia Mater Eccleſia exiſtente periculo interitus in eo, qui baptizandus eſt, vel Sacramenti Pænitentiæ ſubijciendus velit obſeruantiam illorum rituum cum periculo, vt illi intereant ſine Baptiſmo, & Pænitentia, ergo præſumendum eſt, quod pro illo ſtatu non intendat obligare ad obſeruantiam illorum rituum, potiſſimum cum præceptum Baptiſmi, & Pænitentiæ pro illo ſtatu ſit iuris Diuini, & obſeruantia illorum rituum tantum iuris Eccleſiaſtici, & ſolum ad decentius eſſe, non ad neceſſe eſſe ordinata; quod etiam videtur implicitè colligi ex Concil. Trident. ſupra allegato, quod loquitur ſolum in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione, & quando a miniſtro pro libito huiuſmodi ritus omittuntur; quando autem huiuſmodi Sacramenta vrgente neceſſitate adminiſtrantur, non dicuntur ſolemnitèr adminiſtrari, nec cæremoniæ dicuntur omitti pro libito miniſtri.

7 Ritus, qui inducti ſunt circa Sacramenta neceſſitatis vrgente neceſſitate poſſunt omitti.

Hinc praxis omnium etiam timoratorum obtinuit, vt periclitante infante Baptiſmus eidem conferatur nullis præmiſſis ritibus, nullis adhibitis cæremoniis, per ſolam lotionem, & conſuetæ formæ applicationem; hinc exiſtente adulto in proximo vitæ diſcrimine, vel ex inopinato fato, vel inflicto vulnere exhibito præcisè ſenſibili doloris, & pænitentiæ ſigno impen-

8 Explicatur in caſibus particularibus.

ditur

ditur abſolutio nullis ritibus conſuetis præmiſſis, quæ praxis nemine contradicente eſt ab Eccleſia recepta.

9 Etiam ritus pertinentes ad alia Sacramenta omitti poſsine imminẽte morte.

Dico quartò, in ordine ad alia Sacramenta, quæ non ſunt tantæ neceſſitatis, cum ſint dumtaxat Sacramenta viuorum, dum conferuntur imminente mortis periculo, regulariter etiam conferri poſſunt non ſeruatis conſuetis Eccleſiæ ritibus. Hoc ex eo euincitur, quod, quamuis hæc non ita ſint neceſſaria, ſunt tamen ex præcepto conferenda, &, quamuis etiam non eſſent præcepta, conferunt tamen ad ſecuriorem, & vberiorem ſalutem, cui obeſſe etiam non præſumenda eſt Eccleſia intendendo rituum obſeruantiam cum periculo, ne interim periclitans eiſdem Sacramentis deſtituatur. Hinc, quamuis ex communi ritu, & conſuetudine vniuerſalis Eccleſiæ extrema Vnctio ſit in ſingulorum ſenſuum vnctione conferenda, extante tamen vitæ periculo vnicam tantum pro omnibus vnctionem admittit; quamuis ieiunium requirat in ſumpturis ſacram Euchariſtiam, admittit tamen non ieiunum in illo vitæ diſcrimine, & ſic loquendo per varios alios ritus.

10 Exceptio ad mox dicta.

Dixi, *regulariter*, quia in aliquibus, quæ reſpiciunt reuerentiam, & cultum debitum Sacramento potius vult carentiam eiuſdem, quam eorum rituum omiſſionem, ſic non admittit confici Sacrificium etiam ad conferendum viaticum conſtituto in extremo mortis articulo ſine ſacris veſtibus, quamuis iſtæ ad ſolum ritum accidentalem pertineant, ſic etiam in ordine ad eundem effectum communicandi infirmum non permittit Sacerdotem non ieiunum ſacrificare, quamuis ieiunium non ſit de ſubſtantia, & tantum de iure Eccleſiaſtico. Non immoror numerando plures alios caſus, in quibus non eſt licitum conferre Sacramenta etiam vrgente neceſſitate non ſeruatis certis ritibus, quia de ijs agetur, dum de ſingulis Sacramentis.

ARTICVLVS III.

An variatio rituum ab Eccleſia præſcriptorum ſit peccaminoſa, & qualitèr.

SVMMARIVM.

Variæ acceptiones mutationum, quæ contingere poſſunt circa ritus. 1.

Si mutatio eſſet ſolum accidentalis, non induceret grauem noxam, & quandoque nullam. 2.

Si fuerit ſubſtantialis ex genere ſuo eſt grauitèr peccaminoſa. 3.

Excipe, ſi fuerit ex inaduertentia, & inconſideratione. 4.

Subſtantialis eſt etiam grauitèr peccaminoſa reſpectu Epiſcopi variantis in ritibus communibus. 5.

Variatio cum intentione inducendi nouum ritum, & diuerſum in Eccleſia Dei eſt grauitèr peccaminoſa. 6.

MVtationem materiæ, & formæ in Sacramentis à conſueta in Eccleſia, quamuis ſit ſolum quoad accidentalia, illicitam eſſe latè probauimus in præcedentibus. An vero idem ſentiendum ſit quoad mutationem rituum id eſt, quod in præſenti examinandum aſſumimus. Pro quo

Aduerte, hanc mutationem, vel poſſe eſſe merè accidentalem, quatenus illa, in quam fit mutatio, ſit eiuſdem rationis cum illa, quæ mutatur, & differat ſolum in modo, vel in aliquo accidente, vel ſubſtantialem, quatenus differat in ſubſtantia ab illa, & ſit diuerſæ rationis. Item, vel illam mutationem poſſe contingere aduertentèr, & conſultò, vel ex inaduertentia, & inconſideratione. Tandem, vel cum intentione inducendi nouum ritum in Eccleſia Dei, ſiue ſubſtantialem, ſiue accidentalem, vel ſine tali intentione. 1 Variæ mutationum genera circa ritus.

Si mutatio ſit merè accidentalis, quatenus, v.g. verba ad ritum ſpectantia de latino in Italicum verſantur idioma, & ſit in re modica, arbitror non inducere grauem culpam, quinimmo, quandoque à culpa excuſari ratione alicuius finis honeſti, vt ſi Sacerdos in communione laicorum præcipuè infirmorum loquens quodamodo ex perſona ipſorum ad clariorem ipſorum intelligentiam pro illis verbis, Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum &c. vteretur ſermone Italico, & diceret, *Signore io non ſono degno, che tu entri nella caſa mia &c.* Quod idem dic in ſimilibus. Ratio eſt, quia illa mutatio eſt in re leui, & etiam quandoque ordinata ad excitandam maiorem pietatem in ipſo infirmo communicando. Si vero ſit accidentalis, ſed in diutina oratione, vt ſi in tota Miſſa, vel maiori parte eiuſdem vteretur idiomate Italico; tunc certè non excuſarem à graui culpa; quia in re graui faceret contra præſcriptum Eccleſiæ. Quod dico in mutatione verborum accidentali, ſiue modica, ſiue conſiderabili, intelligendum eſt etiam in mutatione rerum, in quibus ritus conſiſtunt ſeruata proportione militante eadem ratione. 2 Mutatio accidentalis non inducit grauem culpam.

Si vero mutatio fuerit ſubſtantialis non eximerem variantem à graui culpa, quia variatio ſubſtantialis rituum, ſeu cæremoniarum eſt contrà virtutem Religio- 3 Subſtantialis eſt grauis.

nis;

nis; peccata autem, quæ ſunt contra virtutem Religionis ſunt ex genere ſuo læthalia. Intellige, niſi ſint ritus leues, & modicæ efficaciæ; ſicuti enim omittere ritus aliquos leues, & non valdè conſiderabiles ex ſupradictis non inducit grauem culpam ob leuitatem materiæ, ita neque eoſdem variare.

4 Excipe, ſi fuerit ex inaduertentia.

Si fuerit mutatio etiam ſubſtantialis, ſed ex inconſideratione, non conſulto, nec ex aduertentia procedens, etiam excuſarem a culpa graui, & læthali ex regula ſupra ponderata, quod peccata etiam ex genere ſuo grauia attenuantur ex inconſideratione operantis; Intellige, dummodo ipſa inconſideratio non ſit grauitèr ſecundum ſe culpabilis, quatenus omittat ex ignorantia, vel variet aliquem ritum conſiderabilem, quæ ignorantia ratione muneris, quo fungitur, ſic peccaminoſa, cum teneretur ſcire.

5 Subſtantialis eſt etiam grauis reſpectu Epiſcopi.

Nec ſolum eſt grauitèr culpabilis variatio rituum ſubſtantialis, quando ſit à quocunque miniſtro inferiori, ſed etiam quando ſit ab Epiſcopo in ritibus a Romano Pontifice præſcriptis *Henriquez lib. 1. c. 11. n. 4.*, *Nugnus q. 65. art. 4. concl. 3.*, *Coninchus q. 73. n. 3.* Ratio ex eo deducitur, quia Epiſcopus vtpotè inferior non poteſt legem Superioris abrogare.

6 Variatio cum intentione inducendi diuerſum ritū eſt grauis.

Si tandem variatio ſit ſubſtantialis, non circa materiam, & formam Sacramentorum, cum hæc ex genere ſuo inducat nullitatem Sacramenti, vtſupra diximus, ſed circa ritum cum intentione inducendi nouum, & diuerſum ritum in Eccleſia Dei, abſolutè crederem, grauitèr peccare non ſolum ratione eiuſdem variationis contra præſcriptum Eccleſiæ, ſed etiam ratione illius peruerſæ intentionis, non tamen inualidum conſtitueret Sacramentum, dummodo in ordine ad iſtud debitam ſeruaret intentionem. Ratió autem eſt, quia illa intentio variandi ritus, & inducendi diuerſos in Eccleſia Dei, non attingit ſubſtantialia eiuſdem Sacramenti, ſeu conſtitutiua ipſius, ſed ea dumtaxat, quæ pertinent ad eius decorem, & ornatum. Quod, ſi dixerimus ſupra *q. 2. art. 6. aſſert. 2.* errorem contingentem ex malitia miniſtri intendentis inducere nouum ritum diuerſum ab eo, quo vtitur Eccleſia, huncque exiſtimet eſſentialem, reddere probabilius irritum Sacramentum; hoc non officit ijs, quæ modo dicimus; cum illud ſit cum errore verſante circa materiam, & formam, & accidentalia ipſarum; hæc verſantur circa ritus, qui ſunt omnino eiſdem Sacramentis extrinſeci, & accidentales.

QVÆSTIO VI.

De principali effectu Sacramentorum, de gratia ſcilicet habituali.

IAm ad metam deuenimus, ad quam principalitèr Sacramenta fuerunt ordinata. Ipſa conſiderauimus in ſua origine. Ipſa in ſuis cauſis tàm intrinſecè conſtituentibus, quàm extrinſecè conficientibus. Ipſa in concomitantibus ad ipſorum decorem, & ornatum conferentibus; Nunc ipſorum efficacitatem in effectibus perpendimus. Huiuſmodi autem effectus alij ſunt primarij, & communes omnibus, alij proprij aliquorum Sacramentorum. Alij ſecundarij, & in diuerſis Sacramentis diuerſi. In hac quæſtione agemus de principaliori, & vniuerſaliori, nempè de gratia habituali, quæ eſt effectus omnium. De reliquis in ſequenti.

ARTICVLVS I.

An Sacramenta nouæ legis habeant efficaciam, & cauſalitatem in gratiam.

SVMMARIVM.

Referuntur errores Hæreticorum. 1.
Fundamenta, quibus innituntur. 2.
Veritas Catholica eſt, quod Sacramenta nouæ legis verè, & immediatè cauſent gratiam. 3.
Euincitur ex ſacris Scripturis, & Concilijs. 4.
Et vtque ex opere operato. 5.
Nec ſe habent merè per modum conditionis. 6.
Habent ex inſtitutione Diuina, vt ſint ſimul ſigna, & cauſa. 7.
Explicatur mens Concilij Florentini. 8.
Eluduntur Hæreticorum errores. 9.
Explicantur Sacra Scripturæ ab eiſdem allegatæ ipſis non fauentes. 10.

NOn eſt hic nobis colluctatio cum Catholicis, ſed cum Hæreticis Miſſilianis, qui ſolis precibus iuſtificatiuam vim tribuebant, Lutheranis, & Caluiniſtis, qui ſoli fidei, adeout illi aſſererent 1 Referuntur errores Hæreticorū.

Sacra-

Sacramenta non conferre gratiam, niſi medijs precibus; iſti, niſi medijs actibus fidei. Præcipua ipſorum fundamenta, vel conſiſtebant in eo, quod ſupra confutauimus, nempè verba Sacramentorum non eſſe conſecratoria, ſed concionatoria præcisè ad inſtructionem fidei, vel in eo, quod eſſent, vt adhibentur à Catholicis, ſuperſtitioſa, & magica, vel in eo, quod hominum iuſtificationem refundant in imputationem iuſtitiæ Dei, & Chriſti, non in gratiam habitualem nobis inhærentem, vel ſuppoſito hoc falſo principio, quod iuſtificatio noſtra ſit ſola Dei iuſtitia nobis imputata, in eo, quod non niſi per fidem eadem Dei iuſtitia nobis imputetur.

2 Fundamenta quibus innituntur.

Hæc ipſa inania fundamenta firmare contendunt nonnullis Sacræ Scripturæ locis, quæ, vel ſiniſtrè interpretata, vel malè ab ipſis intellecta referunt in impium ſuæ peruerſitatis ſenſum. Primum deſumunt ex illo ad Epheſ. 5. *Mundans eam in verbo vitæ*; per verbum autem vitæ intelligunt verbum fidei, iuxta illud *fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei*. Secundum ex illo primæ Petri 3. *Vos nunc* ſimilis formæ ſaluos facit Baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ interrogatio in Deum per reſurrectionem Ieſu Chriſti, per hanc autem interrogationem conſcientiæ in Deum relatam ad reſurrectionem Ieſu Chriſti intelligunt manifeſtationem fidei in virtute eiuſdem reſurrectionis.

3 Sacramẽta nouæ legis verè, & immediatè cauſant gratiam.

Sed veritas Catholica eſt, quod Sacramenta nouæ legis verè immediatè, & infallibilitèr conferant gratiam, & quidem ex opere operato, & non ſolum per modum conditionis, ad quorum præſentiam Deus conferat gratiam, ita vt hæc ſit à ſolo Deo, non à Sacramentis ipſis, ſed per modum veræ cauſalitatis. Prima, & ſecunda pars de vera cauſalitate in gratiam, & ex opere operato eſt directè contra Hæreticos præallegatos. Tertia pars, quod non ſe habeant per modum meræ conditionis ad quorum præſentiam Deus gratiam conferat ex pactione, ita tamen, vt hæc ſit à ſolo Deo, non à Sacramentis, eſt contra nonnullos etiam Catholicos, nempè *Durandum in quarto diſt. 1. q. 4. n. 19.*, *Aliacenſem ibid. q. 1. art. 1. concl. 3.*, *Gabriellem q. 1. art. 2. concl. 7.*

Prima pars, quod verè, & immediatè conferant gratiam, expreſsè definitur per piura Concilia *Mogontinum c. 11.*, vbi dicitur, quod Deus per Eccleſiæ Sacramenta velut per apta remedia, ſeu inſtrumenta, & peccatis noſtris medetur, & ſuæ gratiæ munera nobis impartitur *Florent. in decreto vnionis*. Ibi- *Hæc noſtra Sacramenta, & continent gratiam, & ipſam dignè ſuſcipientibus conferunt. Trident. ſeſs. 7. can. 6. de Sacramentis in genere*. Ibi- *Si quis dixerit Sacramenta noua legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, quaſi ſigna tantum externa ſint acceptæ per fidem gratiæ, vel iuſtitiæ, & notæ quædam Chriſtianæ profeſſionis, quibus apud homines diſcernuntur fideles ab infidelibus, anathema ſit*. Nec ſolum Conciliorum definitionibus hæc veritas confirmatur, ſed etiam ex pluribus Scripturæ locis deducitur, & primò quoad veram efficientiam gratiæ in Sacramento Baptiſmatis habetur ex illo *Ioannis 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto &c.* quæ verba explicans *Auguſtinus epiſt. 23.* inquit. *Non enim ſcriptum eſt. Niſi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex offerentium, & miniſtrantium fide, ſed niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.*, ex quibus verbis duo inferuntur; primum excluſio errorum Hæreticorum noſtri temporis volentium homines ex ſola fide iuſtificari; ſecundum vera regeneratio per aquam tanquam per cauſam. Secundò quoad Sacramẽtum Confirmationis habetur *Act. 8. Cum vidiſſet, quod per impoſitionem manuum daretur Spiritus Sanctus*, ſub intellige *gratiam Spiritus Sancti*. Tertiò de Sacramento Euchariſtiæ *Ioannis 6. Qui manducat hunc panem viuet in æternum*; vita autem ſpiritualis habetur per gratiam. Quartò de Sacramento Pænitentiæ. *Quorum remiſeritis peccata*; remiſſio autem ſit per gratiam remiſſiuam eorundem. Quintò de Sacramento Ordinis *2. ad Tit. 1. Reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*, & ſic de cæteris; ex quibus omnibus colligitur efficacia, quam habent Sacramenta in eandem gratiam.

4 Euincitur ex Sacris Scripturis, & definitionibus Cõcil.

Secunda pars, quod conferant gratiam ex opere operato definitur expreſsè per *Concil. Trid. d. ſeſs. 7. can. 8. de Sacramentis in genere*. Ibi- *Si quis dixerit per ipſa nouæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, ſed ſolum fidem Diuinæ promiſſionis ad gratiam, anathema ſit*. Secundò etiam ratione directè contra eoſdem Hæreticos. Si Sacramenta ſolum deſeruirent ad fidem excitandam, non plus operarentur eadem Sacramenta, ac piæ inſtructiones, quæ adhibentur in initiandis Eccleſiæ Catholicæ ante Baptiſmi ſuſceptionem, vel etiam ſpirituales conciones, & piæ preces, quæ adhibentur in Eccleſia independentèr à Sacramentis, quandoquidem huiuſmodi inſtructiones, conciones, & preces conferunt ad excitandam fidem, ſed hoc vtpotè minus conſonum dignitati, & efficaci excellentiæ Sacramentorum non eſt aſſerendum, ergo &c. Confirmatur

5 Et vtique ex opere operato.

tur; Sacramenta conferuntur paruulis, in quibus non poteſt eſſe excitamentum ad fidem, & ad preces fundendas; inanitèr autem conferrentur, ſi nullum alium effectum ab excitatione ad finem cauſarent, ergo re vera gratiam, & vtique ex opere operato cauſant, cum reſpectu ipſorum nullum poſſit eſſe meritum, cui correſpondeat ille effectus ex opere operantis. Deindè, ſi Sacramentum, v. g. Baptiſmatis ſolum deſeruiret ad excitamentum fidei, & ipſa mediante ad gratiam ex opere operantis conſequendam, Baptiſmus vni collatus æquè prodeſſet pluribus adſtantibus, cum omnes ex illa collatione poſſent ad fidem excitari, & media ipſa gratiam ex vi eiuſdem fidei conſequi, quod non eſt aſſerendum.

6 Nec ſe habent merè per modum conditionis.

Tertia pars ex eo euincitur, quod pura conditio ordinata ſecundum ſe ad aliquem effectum, nec continet in ſe illum effectum, nec propriè influit in illum, ſed purè ſe habet, vel vti remouens prohibens, vel tanquam aliquod annexum, ad cuius præſentiam cauſa cauſet, ſed Sacramenta nouæ legis verè continent in ſe gratiam, eamque conferunt, vt ex allatis definitionibus Concil. Trident., & Florent. maniſeſtè apparet, ergo non ſe habent, vt meræ conditiones, ad quorum præſentiam Deus cauſet, & conferat gratiam, ſed ſunt veræ cauſæ illius gratiæ. Confirmatur, quia Sacramenta nouæ legis in eo potiſſimum differunt ab antiquis, quod illa conferant gratiam, iſta præciſè ſignificabant eandem per Chriſtum venturum, vt expreſsè definit Concil. Flor. in decreto vnionis; hoc autem diſcrimen non ſufficientèr haberetur, niſi noua Sacramenta verè cauſent gratiam, quandoquidem, & antiqua ſaltem reſpectu paruulorum erant conditiones, ſine quibus gratia non conferebatur.

Dices primò (& hoc infringit id, quod in prima ratione dicebatur) Sacramentis nouæ legis non competit ratio ſigni, niſi ex pactione, & inſtitutione Dei, ergo, & eiſdem non poteſt competere ratio cauſæ, niſi ex pactione Dei, quatenus Deus illis poſitis conferat gratiam. Conſequentia

7 Habent ex inſtitutione Diuina, vt ſint ſigna, & cauſæ.

patet, quia, cum Sacramenta ſint principalitèr ſigna gratiæ, vt patet ex eorum definitione, in qua ratio ſigni exprimitur non cauſæ; nequeunt plus habere de ratione cauſæ, quam de ratione ſigni. Sed contrà. Fateor, quod, ſicuti Sacramenta habent rationem ſigni ex Diuina inſtitutione, & ordinatione, ita habeant ex eadem inſtitutione rationem cauſæ; non enim hoc habent ex natura ſua; cæterum præſcindendo ab eadem Dei inſtitutione aqua, & verba prolata, *Ego te abluo &c.* haberent producere effectum iuſtificationis ab originali; at nego cauſare ſolum gratiam ex pactione Diuina ſub illo ſenſu, quod ſolus Deus ad præſentiam illorum cauſet illam gratiam, ſed ſub illo, quod Deus ſimul cum virtute illis indita eandem gratiam producat. Verificatur igitur, quod Sacramenta cauſent gratiam ex inſtitutione Diuina, quatenus Deus illis contulit virtutem illam cauſatiuam, quam non haberent ex naturà ſua, non quod habeant ſolum ex inſtitutione Diuina, vt Deus ſolus ad illorum poſitionem cauſet eandem gratiam.

Dices ſecundò (& hoc infringit id, quod in confirmatione probationis afferebatur) Concilium Florentinum in allegata definitione ſulum velle, ſeu voluiſſe, quod gratia, quæ in antiquis Sacramentis figurabatur, & promittebatur, ponatur in nouis, non tamen ibi ſtatuere modum, quo gratia nunc producitur, an ſcilicet cauſatiuè, àn tantum per modum conditionis, quinimmò cum ea, quæ in antiqua lege promittebantur, fierent quidem in lege, ſen à Deo in præſentiam legis, non tamen ab ipſa lege, ita, quæ modo fiunt in Sacràmentis fiunt quidem à Deo in eiſdem Sacramentis, hoc eſt ad poſitionem ipſorum, non tamen ab ipſis Sacramentis. Sed contra, quia, cum idem Concillum Florentinum in eodem decreto vnionis antecedentèr dixiſſet, Sacramenta nouæ legis gratiam in ſe ipſis continere, non eſt credendum, quod poſtea voluerit, quod gratia eadem non ab ipſis producatur, ſed à Deo ad poſitionem ipſorum, cæteroqui fruſtra dixiſſet, quod gratia in eiſdem contineatur; neque valet paritas de promiſſione facta in lege, quæ ſolum adimpletur à Deo ad præſentiam legis; non valet, inquam, quia lex ſecundum ſe non eſt cauſatiua, ſed præciſè directiua; Sacramenta autem, tum ex definitione eiuſdem Florentini, tum etiam *Trident. loc. alleg.* ſunt cauſatiua.

8 Explicatur mens Concil. Florent.

Nec multum vrgent fundamenta ſectariorum ſupra recenſita, quandoquidem prius fundamentum deſumptum à forma Sacramentorum, quod ſcilicet ſit tantum concionatoria, non conſecratoria, & quod potius magiam contineat, & ſuperſtitionem, quam veritatem, deſtructum, & penitus euulſum eſt in præcedentibus; poſterius vero deſumptum ex eo, quod iuſtificatio noſtra non ſit quid aliud à iuſtitia Dei nobis per fidem imputata, eluditur ex *Concil. Trident. ſeſs. 6. c. 7.* vbi habetur, quod iuſtificatio fiat per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum, quod clarius repetit *can. 10.* dum anathematizat, *qui dixerit homines per ſolam Chri-*

9 Eluduntur Hæreticorum errores.

ſti

ſti iuſtitiam formalitèr iuſtos eſſe, & *can.*11. vbi ſic loquitur: *Si quis dixerit homines iuſtificari, vel ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione excluſa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, qua iuſtificamur, eſſe tantum fauorem Dei, anathema ſit.*

10 Nec maiorem vim faciunt loca Sacræ Scripturæ, quæ in confirmationem propriæ prauitatis adducunt Hæretici; Non primum deſumptum ex illo ad Ephæſ. 5. *Mundans eam in verbo vitæ*; quia per verbum vitæ, vt colligitur ex contextu verborum, intelligit verbum formæ Sacramentalis Baptiſmatis; dicit enim mundans eam hoc eſt Eccleſiam lauacro aquæ in verbo vitæ, quod lauacrum fit per applicationem formæ vnde D. Auguſtinus, ait: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*. Non ſecundum deſumptum ex D. Petro, quia ibi Petrus per ly *conſcientiæ interrogatio in Deum* intelligit conſcientiam paccatam, quæ habetur per ſanctificationem, quaſi dicat effectum Baptiſmi non eſſe mundationem ſordium carnis, ſed ſanctificationem, quæ arguitur ex conſcientia paccata.

Loca Sacræ Scripturæ ab eiſdem adducta ipſis non fauent.

Nec hic audiendi ſunt Hæretici, qui dum nimis pij videri volunt erga Deum, efficaciam Sacramentorum euertere conantur, dum dicunt, impium eſſe auertere mentes à Deo, eaſque ad vilia elementa conuertere, quod, inquiunt, à Catholicis præſtatur, dum vim cauſatiuam gratiæ conferunt Sacramentis. Sed deberent intelligere flagitioſiſſimi iſti Sacramentorum euerſores humanæ naturæ conditionem, quæ ſenſibilium elementorum, multiplicíſque cæremoniæ apparatu facilius, ſuauius, & connaturalius in Diuina euehitur, & per ea, quæ viſibilia ſunt, ad inuiſibilia eleuatur, & tunc perciperent, quam prouide Diuina clementia ſe quodamodo accomodans conditioni hominum ſuauitèr, & per media accomoda ipſos ad ſe, ſuique cultum conuertat, & trahat.

ARTICVLVS II.

An Sacramenta cauſent immediatè aliquam diſpoſitionem ad gratiam.

SVMMARIVM.

Sententia docens Sacramenta immediatè cauſare diſpoſitionem Phyſicam ad gratiam. 1.
Sententia docens eſſe cauſas effectiuas Phyſicas vnionis animæ cum gratia. 2.
Non cauſant immediatè effectiuè illam Phyſicam diſpoſitionem ad gratiam. 3.
Illa Phyſica diſpoſitio, nec eſt neceſſaria reſpectu Sacramentorum, nec reſpectu ſubiecti. 4.
Non eſt aſſignabile, in quo conſiſtat. 5.
Sacramenta nouæ legis non cauſant ſolum effectiuè vnionem animæ cum gratia. 6.

Hic titulus non videtur longè diſtare à præcedenti; nam hic quoque videtur verſari circa cauſalitatem, vel immediatam, vel mediatam Sacramentorum in gratiam; ſi etenim concedamus, quod Sacramenta tanquam cauſæ Phyſicæ inſtrumentales cauſent primò aliquam diſpoſitionem Phyſicam ad eandem gratiam, & ipſa mediante ipſam gratiam, iam non admittimus cauſalitatem immediatam in ipſam, ſi vero negamus cauſalitatem in eandem phyſicam diſpoſitionem, iam agnoſcimus Sacramenta ipſa in gratiam immediatè influere.

Hanc immediatam cauſalitatem Phyſicam in illam diſpoſitionem Phyſicam, & ſolum mediatam in gratiam agnouerunt *Alenſis part. 4. q. 8. membr. 3., & q. 19. memb. 2., Paludanus in quarto diſt. 1. q. 1. concl. 2., & ibi Capreolus q. 1. concl. 3., Ferrarienſis lib. 4. contra gentes c. 57.*, qui ex varijs principijs, quæ ipſi ſuſtinent, intentum ſuum conantur euincere; & primo admittentes gratiam produci per creationem; non præciſè per generationem arbitrantur neceſſariam eſſe, vt Sacramenta concurrant ad ipſam, illam præuiam Phyſicam diſpoſitionem, cum cæteroqui nil efficerent, cum ad gratiam vtpotè terminum creationis nullam vim habeant. Secundò ex eo, quod arbitrantes nulli creaturæ, neque tanquam inſtrumentali cauſæ poſſe competere vim creatiuam, per conſequens aſſerunt, nec per Sacramenta poſſe gratiam creari, & propterea cauſare illam diſpoſitionem.

1 Sententia aſſerens Sacramenta immediatè cauſare diſpoſitionem Phyſicam ad gratiam.

Non multum ab iſtorum opinione diſſtare videtur *Sotus in quarto qu. 3. art. 1. §. igitur ad argumentum*, qui, quamuis non videatur admittere aliquam diſpoſitionem

2 Sententia docens cauſare effectiuè vnionem animæ cū gratia.

præuiam conſiſtentem in qualitate diſtincta productam ab eiſdem Sacramentis, admittit tamen eadem Sacramenta eſſe cauſas inſtrumentales Phyſicas immediatè effectiuas vnionis animæ cum gratia, & per hoc mediatè gratiæ.

Aſſertio Sacramenta nouæ legis non cauſant immediatè effectiuè illam Phyſicam diſpoſitionem ad gratiam, & per hanc mediatè ipſam gratiam. In hanc conſentiunt communitèr recentiores, adeout aliqui aſſerant aperto ore oppoſitam ſententiam hac ætate omnibus diſplicere.

3 Non cauſant immediatè effectiuè illā Phyſicā diſpoſitionē ad gratiā.

Probatur primò, quia, vel hæc productio Phyſicæ diſpoſitionis ponitur ob neceſſitatem ad gratiam conferendam, vel ex inſufficientia Sacramentorum ad ponendam immediatè eandem gratiam; ex neutro capite eſt neceſſaria illa productio, ergo illa productio tanquam inutilis, & ſuperflua non eſt ponenda. Minor probatur quoad primam partem, quia, vel illa neceſſitas conſideratur poſita in eo, quod gratia ex genere ſuo exigat in ſubiecto aliquam Phyſicam diſpoſitionem, vel ex eo, quod eandem exigat, vt Sacramenta dicantur aliquid operari conferens ad gratiam, cum nequeant ipſam immediatè producere, cū ſit terminus creationis; non ex primo capite, quia gratia non requirit aliquam præuiam diſpoſitionem Phyſicam, cum hæc producatur per Sacramenta in paruulis, in quibus nulla poteſt eſſe præuia diſpoſitio Phyſica, vt per ſe patet, & ſi in adultis requiritur aliqua diſpoſitio, hæc eſt tantum moralis, prout tradunt *Riccardus in quarto diſtinct. 17. q. 4. ad primum, Suarez lib. 8. c. 6., Oniedus tract. 8. controu. 2. n. 30., Arriaga diſp. 48. ſect. 4.* cæterique Theologi magis communitèr; Non ex ſecundo capite, quia falsò ſupponitur gratiam per creationem produci; contrarium enim expreſſè docent *D. Thomas prima ſecundæ q. 110. art. 2. ad tertium, & prima part. q. 45. art. 4., Ioannes à Sancto Thoma diſp. 25. art. 1. ad ſecundum, Gonetus diſp. 4. art. 2., Arriaga diſp. 48. n. 4.*; & ratio eſt, quia gratia habitualis habet ſubiectum in fieri, cui inhæret, cum ſit accidens, nec producatur ex nihilo ſubiecti cum ſemper ſubiectum præſuponat, ipſumque mutat faciendo ipſum gratum, amicum Dei. In hoc non immoramur, cum de ipſo latè ſit agendum, dum de Diuina gratia.

Minor etiam quoad ſecundam partem ſic euincitur, quia Sacramenta ſecundum ſe apta ſunt ad producendam illam diſpoſitionem Phyſicam ad gratiam, prout aſſerunt ipſi Aduerſarij, quæ diſpoſitio debet eſſe in eodem ordine cum gratia, ad quam diſponit, ergo erunt etiam apta ad producendam immediatè ipſam gratiam; vtraque enim eſt in ordine ſupernaturali, & ſi ex inſtitutione Diuina eſt virtus ad diſpoſitionem, debet eſſe etiam ad formam.

4 Illa Phyſica diſpoſitio, nec eſt neceſſaria reſpectu Sacramentorum, nec reſpectu ſubiecti.

Probatur ſecundò, quia, vel illa diſpoſitio Phyſica eſt qualitas afficiens eadem Sacramenta, & ipſa reddens apta ad efficiendam gratiam, vel eſt qualitas efficiens ſubiectum, ipſumque reddens aptum ad recipiendam eandem gratiam; ſi afficit eadem Sacramenta, quæro, an immediatè producatur ab ipſis Sacramentis, vel à Deo; ſi ab ipſis Sacramentis, vt videntur affirmare aduerſarij, dum dicunt effectiuè producere illam diſpoſitionem, currit argumentum mox poſitum, quod ſicuti Sacramenta vim habent ad illam producendam, habeant etiam vim ad producendam ipſam gratiam, vnde in hoc ceſſat ratio, cui innituntur aduerſarij; in tantum etenim ponunt illam qualitatem tanquam diſpoſitionem ad efficiendam gratiam, in quantum Sacramenta ſecundum ſe ſunt improportionata ad ipſam gratiam, quæ eſt ordinis ſupernaturalis, ſed etiam ſunt improportionata ad illam diſpoſitionem, cum ipſa etiam ſit ordinis ſupernaturalis, ergo, vel non habebunt virtutem ad illam diſpoſitionem, vel ſi ad illam, etiam ad gratiam; ſi illa diſpoſitio producetur à Deo; ſequitur id, quod ſupra confutauimus, nempè non ipſa Sacramenta producere gratiam, ſicuti, nec producunt illam diſpoſitionem, ſed Deum vtramque producere ad præſentiam Sacramentorum; ſicque nulla efficacia cognoſceretur in Sacramentis. Si poſtea aſſeratur; quod illa qualitas afficiat ſubiectum, ipſumque reddat aptum ad recipiendam gratiam, etiam recurrit argumentum ſupra factum, quod, ſicuti ipſum ſubiectum eſt capax ſecundum ſe ad recipiendam illam diſpoſitionem, ſit etiam capax ad recipiendam ipſam gratiam.

5 Non eſt aſſignabile in quo conſiſtat.

Probatur tertiò, quia non eſt aſſignabile, in quo conſiſtat illa Phyſica diſpoſitio ad gratiam; nam, vel eſt caracther in Sacramentis irriterabilibus, vel aliquis ornatus in iterabilibus; in neutro autem videtur poſſe conſiſtere; non in caracthere; quia gratia poteſt produci ſine illo, & poteſt eſſe caracther ſine gratia; diſpoſitio autem Phyſica requiritur ad ſuam formam in quocunque ſubiecto, & ſine illa diſpoſitione forma non ponitur; non in illo ornato, quia in primis hic gratis fingitur; Deindè non ſolum extra Sacramenta gratia acquiritur ſine illo ornatu, ſed etiam in Sacramentis non iterabilibus, ergo &c.

Aſſer-

Digitized by Google

Aſſertio II. Sacramenta nouæ legis non habent ſolum cauſare vnionem animæ cum gratia. Eſt directè contrà *Sotum loc. cit.*

6 Nô cauſant ſolũ effectiuè vnionem animæ cũ gratia.

Potiſſima ratio, ob quam Sotus agnoſcebat ſolum illam vnionem animæ cum gratia tanquã effectum immediatũ Sacramentorum, ea erat, quia exiſtimabat gratiã non produci per generationem, ſed per ſolam creationem, cuius non eſt capax creatura iuxta eiuſdem principia, ſed hæc ratio nullo modo ſubſiſtit, cum gratia producatur dependentèr à ſubiecto, in quo recipitur, & cui inhæret, vt latè probabimus in quæſtionibus de Diuina gratia, ergo Sacramenta non cauſant præcisè illam vnionem. Deindè; ſi Sacramenta præcisè cauſarent illam vnionem, nullam haberent penitus cauſalitatem in gratiam, nam licet haberent conſtituere hominem gratum, non efficerent ipſam gratiam, & ſicuti efficere vnionem animæ cum corpore eſt quidem efficere hominem, non autem animam, ita efficere vnionem animæ cum gratia eſt efficere hominem gratum, non ipſam gratiam. Rurſus vnio ſaltem prioritate naturæ præſuponit exiſtentiam rerum vniendarum; prius enim eſt eſſe, quam vniri; vel ergo pro illo priori gratia exiſtit independentèr à ſubiecto, & hoc non, quia cum ſit accidens non poteſt eidem naturalitèr competere eſſe per ſe; vel exiſtit dependentèr à ſubiecto, & ſic iam eſt in ſubiecto, vnde non exigeret vniri per Sacramenta.

ARTICVLVS III.

An Sacramenta cauſent moralitèr gratiam, & quomodo.

SVMMARIVM.

Sacramenta cauſant immediatè moralitèr gratiam. 1.
Soluuntur argumenta contra immediatam cauſalitatem moralem. 2.
In quo conſiſtat hæc moralis cauſalitas variæ ſententiæ remiſſiuè. 3.
Explicatur iuxta mentem auctoris, in quo conſiſtat hæc cauſalitas moralis. 4.
Argumentum in eius probationem. 5.
Primum Aduerſantium argumentum, quod actio miniſtri non poſſit dici actio Chriſti, cum hæc modo non ſit meritoria. 6.
Secundum deſumptum ex eo, quod actiones miniſtrorum quandoque ſunt peccaminoſæ. 7.
Tertium deſumptum ex eo, quod non exerceant cauſalitatem, eo quia fiant nomine Chriſti. 8.
Quartum ex eo, quod non poſſunt, vt ſunt actiones Chriſti, dirigi ad cultum eiuſdem. 9.
Soluitur primum argumentum. 10.
Soluitur ſecundum. 11.
Soluitur tertium argumentũ aduerſãtium. 12.
Soluitur quartum argumentum. 13.

SVppoſita immediata cauſalitate Sacramentorum in gratiam, quam hucuſque in præcedentibus articulis probauimus, inquirimus modo, qualis ſit hæc cauſalitas, an moralis, an Phyſica, quam quæſtionem, vt exactius dirimamus, in hoc articulo inſiſtemus in cauſalitate morali, in ſequenti in Phyſica.

1 Cauſant immediatè moralitèr gratiam.

Cauſalitatem moralem in gratiam reſpectu Sacramentorum, & quidem immediatam exceptis ijs, quos in præcedentibus confutauimus, volentibus ſolum mediatè cauſare, vel eſſe meras conditiones, omnes ferè Catholici agnoſcunt, nec in hoc diutius immorandum, cum communem habeamus conſenſum, & licèt plurimi conſtituant cauſalitatem Phyſicam, non denegant tamen moralem. Breuitèr tamen eandem cauſalitatem ſic euincimus. Sacramenta nouæ legis continent gratiã, & quidem in virtute paſſionis, & mortis Chriſti Domini, ergo eandem moralitèr cauſant. Antecedens quoad primam partem expreſsè colligitur ex definitione Concil. Florent., & Trid. ſupra allegata; quoad ſecundum euincitur ex eo, quod Sacramenta dicantur emanaſſe è latere Chriſti Domini, & dicuntur actiones morales Chriſti Domini; Chriſtus autem Dominus dicitur cauſa moralis, & meritoria gratiæ, ergo, & Sacramenta erunt inſtrumenta moralia vtpotè inſtrumenta Chriſti Domini, gratiæ &c. quod potiſſimum verificatur ex eo, quod paſſio, & merita Chriſti Domini non amplius Phyſicè exiſtunt, ſed tantum moralitèr.

2 Soluuntur argumenta contra immediatam cauſalitatem.

Nec me mouent ea, quæ ex aduerſo poſſunt in hac ſpecie conſiderari, nempè, quod, ſi eſſent cauſæ morales, non poſſent Sacramenta dici conferre immediatè gratiam, quandoquidem, vt morales habent ſolum mouere cauſam principalem Phyſicam ad cauſandum effectum; ſicque ipſa non cauſarent immediatè, ſed mediante alio; nec item me mouet, quod Sacramenta dicantur inſtrumenta Dei, vt autem inſtrumenta Dei non ſunt moralia, quia inſtrumentum morale non eſt eius, qui mouetur, ſed eius, qui principalitèr mouet. Non inquam me mouent; non primum, quia, hoc ipſum, quod eſt mouere alium ad producendum Phyſicè effectum eſt immediatè cauſare moralitèr, licet non ſit immediatè cauſare Phyſicè, cum cauſalitas immediata cauſæ moralis ſit mo-

uere; quod etiam colligitur ex paritate cauſæ finalis, quæ, cum etiam conſiſtat in motione, dicitur immediatè cauſare ex eo, quod moueat; Non ſecundum, quia, vt infra videbimus, Sacramenta non ſolum ſunt cauſæ inſtrumentales morales reſpectu Chriſti, ſed etiam inſtrumentales Phyſicæ reſpectu Dei, adeoque, vt ſubordinantur Deo, vt principali agenti Phyſico non eum mouent, ſed Phyſicè cum ipſo concauſant; vt vero ſubordinantur Chriſto Domino, mouent Deum.

3 In quo conſiſtat hæc moralis cauſalitas.

Tota difficultas conſiſtit in explicando in quonam conſiſtat hæc moralis cauſalitas, circa quam in tot dicendi modos abiere DD., vt potius difficultatibus obuoluerint, quam explanauerint. *Arriaga diſp. 10. ſect. 1. ſubſect. 2.* duodecim modos refert, quibus varij explicant hanc Sacramentorum moralitatem, & ſimul confutat tanquam in eo deficientes, quod non maiorem efficaciam tribuant Sacramentis nouæ legis, ac tribuatur antiquis. Omiſſis his dicendi modis, quorum confutatio videri poteſt apud eundem Arriagam

4 Explicatur in quo propriè conſiſtat hæc cauſalitas moralis.

Sentio hanc cauſalitatem moralem conſiſtere in eo, quod Sacramenta contineant merita Saluatoris, & precioſi eiuſdem ſanguinis, & ſint veluti quædam Sacræ Apothecæ, & pixides Chriſti meritis pleniſſimæ; & ſic Chriſto diſponente, virtus, quæ ex copioſa redemptione manauit, hoc eſt gratia ſalutaris, quam nobis in ara crucis promeruit per Sacramenta difunditur; & cum huiuſmodi Sacramenta fiant nomine, & in perſona Chriſti, dicuntur etiam actiones Chriſti; & ratione horum omnium dicuntur cauſalitatem moralem exercere in eandem gratiam. Probatur, & explicatur ſimul per ſingulas partes; & primò, quod Sacramenta contineant merita Saluatoris, deducitur ex eo, quod iuxta Concil. Florent. in decreto vnionis, & Trident. *ſeſs. 7. can. 6.* continent gratiam, quam ſignificant; gratia autem nobis non confertur, niſi ex meritis Chriſti, adeoque virtutem eorundem meritorum continent; ex hac continentia ſequitur, quod ſint veluti arcæ plenæ theſauro meritorum Chriſti, & propterea dicuntur è latere Chriſti manaſſe. Secundò, quod dicantur actiones Chriſti, ex eo euincitur, quod miniſtri Sacramentorum nouæ legis ſunt Chriſto ſubordinati, & ab eodem deputati ad hoc munus, qui propterea dicuntur miniſtri Chriſti, iuxta illud *primæ ad Corinth. 4. Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti;* quidquid autem agunt miniſtri ex commiſſione, & deputatione ſui principalis agunt in nomine, & perſona eiuſdem, adeoque actiones dicuntur eiuſdem principalis. Hęc omnia potiſſimum eluceſcunt in confectione Sacramenti Euchariſtiæ in qua Sacerdos agit per verba relata ad perſonam Chriſti; non ipſius Sacerdotis, dum dicit, *hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, quæ certè important Chriſtum agentem; & hinc idem infertur in ordine ad alia Sacramenta.

5 Argumẽtum in eius probationẽ.

Ex quibus omnibus ſic deſumitur argumentum ad rem noſtram. Merita Chriſti Domini habent cauſalitatem moralem in gratiam habitualem, & ſanctificantem, ergo Sacramenta continentia valorem meritorum Chriſti, quæque applicant eadem merita moralitèr etiam influunt in eandem gratiam; Neque arbitrandum eſt, quod ex eo, quod applicent merita Chriſti habeant vim præcisè conditionis, non cauſæ influentis, ſicuti approximatio ignis ad lignum non eſt cauſa combuſtionis, ſed mera conditio. Non, inquam, arbitrandum, quia re vera continent effectum eorundem meritorum, quinimmò, & ipſa merita moralitèr, vnde dici non poſſunt mera conditio, ſed vera cauſa, nec currit paritas de approximatione ignis, quia hæc non continet in ſe ignem adeoque.

6 Actio miniſtri non poteſt dici actio Chriſti cum hæc non ſit meritoria.

Aduerſus hunc noſtrum modum explicandi cauſalitatem moralem Sacramentorum in gratiam plura militant hic diſſoluenda. Primum eſt. Si actiones Sacramentales haberent cauſalitatem moralem in gratiam, quia tanquam actiones Chriſti habent peculiarem cum Chriſti meritis connexionem, haberent intuitu talis moralitatis rationem meriti, ſed actiones Chriſti Domini non poſſunt habere rationem meriti, quia Chriſtus modo non eſt capax meriti, vt perfectiſſimus comprehenſor, ergo, nec rationem cauſæ moralis, ergo illa moralitas non eſt ex eo deſumenda; quod actiones Sacramentalis ſint actiones Chriſti.

7 Actiones miniſtrorũ, quandoq; ſunt peccaminoſæ.

Secundum eſt, quia actiones, quibus miniſtri conficiunt Sacramenta, non poſſunt eſſe actiones Chriſti, quandoquidem actiones miniſtrorum conficientium, quandoque ſunt peccaminoſæ, vel ex peruerſitate miniſtrorum, vel ex prauitate finis, ad quem diriguntur; actiones autem Chriſti non poſſunt eſſe peccaminoſę, cum ratione vnionis hypoſtaticæ Chriſtus ſit impeccabilis non ſolum proximè, ſed etiam remotè.

8 Ex eo, quod fiãt nomine Chriſti non exercent cauſalitatem

Tertium eſt, quia in tantum actiones Sacramentales ſunt actiones Chriſti; & moralitèr cauſatiuæ gratiæ, in quantum illæ actiones fiunt a miniſtris ex deputatione, nomine, & in perſona Chriſti; ſed ex hoc nequeunt habere illam cauſalitatem

tem moralem, ergo non benè explicatur illa cauſalitas moralis per hoc, quod actiones Sacramentales ſint actiones Chriſti. Minor probatur, quia noua Sacramenta dicuntur cõmunitèr ſuum valorem, ſuamque cauſalitatem habere ex virtute paſſionis, & mortis Chriſti Domini, at voluntas, qua Chriſtus Dominus ſibi miniſtros conſtituit, non eſt voluntas patiendi, & moriendi, ergo &c.

Quartum eſt, quod actiones Sacramentales diriguntur ad cultum Chriſti Domini,

9 Vt ſunt actiones Chriſti non poſſunt dirigi ad cultum eiuſdem.

ſed actiones Chriſti Domini non poſſunt dirigi ad Chriſti cultum, ergo actiones Sacramentales nõ ſunt actiones Chriſti Domini. Minor probatur, quia, ſicuti antiqua Sacramenta non dicebantur actiones Dei, quia ſpectabant ad Dei cultum; cultus autem non poteſt eſſe actio Dei, cum nemo poſſit ſe ipſum, vel per ſe ipſum, vel per alium colere, ita neque noua Sacramenta poſſunt eſſe actiones Chriſti, quia, cum & iſta ſpectẽt ad cultum Chriſti, Chriſtus non poteſt ſe ipſum colere.

Sed parum negotij hæc obiecta poſſunt nobis faceſſere, quandoquidem facilem admittunt ſolutionem. Ad primum etenim dico, quod merita Chriſti poſſint dupliciter conſiderari,

10 Conſiderantur, vt pretiũ.

vel pro ſtatu, quo actiones meritoriæ poſitæ fuerunt, vel pro ſtatu, quo poſitæ ſunt, & tantum moralitèr perſeuerant; iuxta primum ſtatum habent rationem meriti; iuxta ſecundum rationem pretij, iuxta illud. *Empti enim eſtis pretio magno*, quod, ſi etiam in hoc ſtatu dicantur merita, dicuntur talia in ordine ad ſtatum, pro quo fuerunt elicita; vnde res ſic componitur. Chriſtus Dominus in hac vita degens per omnes ſuas operationes meruit, ſuaque merita conſummauit in ara crucis, per quæ condignè ſatisfecit Deo quoad ſufficientiam pro omnibus; deindè reliquit pretium infinitum ſuorum meritorum in theſauro Eccleſiæ medijs Sacramentis applicandum ſingulis. Quarè, dum nunc Sacramenta applicantur, non dicitur Chriſtus de facto mereri, ſed applicare pretium ſuorum meritorum relictum in eiſdem Sacramentis, & in theſauro Eccleſiæ. Dici etiam poteſt, quod opera Chriſti Domini, vel poſſint ſumi ſub ratione propria, & formali meriti, quatenus habent reſpectum præcisè ad præmium, vel ſub ratione communi operis abſtrahentis à ratione meriti relati ad præmium, vel à ratione operis conferentis ad impetrationem, & ſic, quamuis Sacramenta non habeant cauſalitatem moralem, quatenus ſint meritoria, habeant tamen, prout ſunt impetratoria, vel vt vtcumque moueant Deum ad gratiam elargiendam.

Ad ſecundum patet ex ſupradictis quid ſit reſpondendum; in Sacramentis etenim ab iniquo miniſtro confectis poteſt conſiderari, & ſenſibilitas, & ratio ſignificatiui, & tendentia ad gratiam, vnico verbo ea, quæ pertinent ad Sacramentum ſecundum ſe;

11 Vt ſunt actiones Chriſti reſpiciũt ſubſtantialia.

rurſus ea, quæ ſunt extra rationem Sacramenti, & ſe tenent præcisè ex parte miniſtri deficientis à recta ratione, cum ſit actione peccaminoſa innodatus; Sacramenta igitur, dum fiunt à miniſtro, dicuntur actiones Chriſti Domini, prout inuoluunt ea, quæ pertinent ad rationem Sacramenti, non quoad ea, quæ ſunt extra talem rationem, & non ſe tenent ex parte Sacramenti, ſed ex parte tantum miniſtri. Dici etiam poteſt, quod eadem actio poſſit eſſe bona, & honeſta reſpectu vnius, & mala, & turpis ratione alterius; ſic largitio eleemoſinæ poteſt eſſe bona, & meritoria reſpectu principalis, qui dat, & imperat ipſam largitionem, & mala reſpectu eius, qui ex mandato principalis illam exequitur, quatenus tribuat ex malo, & peruerſo fine, ſicque actio Sacramentalis, prout eſt à Chriſto Domino erit honeſta, prout tamen ſit à peruerſo miniſtro mala.

Ad tertium dico cauſalitatem moralem Sacramentorum in gratiam non conſiſtere præcisè in deputatione miniſtri ad conficienda eadem Sacramenta nomine, & in perſona Chriſti Domini,

12 Applicăt merita Chriſti.

ſed etiam in applicatione meritorum Chriſti Domini, prout proueniunt ex ipſius paſſione, & morte, & hoc quodamodo indiuiſibilitèr; non etenim eſt deputatio quomodocunque, ſed deputatio ad determinatam actionem, nempè ad applicanda merita paſſionis, & mortis eiuſdem Chriſti.

Ad quartum, quidquid ſit, quod antiqua Sacramenta eſſent, vel non eſſent moralitèr actiones Dei,

13 Principalius Sacramenta ordinantur ad hominũ ſanctificationẽ.

Sacramenta nouæ legis ordinantur primario, & principalitèr ad hominum ſanctificationem, ſicuti Diuina incarnatio principalitèr ex vi præſentis decreti ordinatur ad eorum ſalutẽ, vnde licet, ſiue in ordine ad Sacramenta antiqua, ſiue in ordine ad noua, non attenderetur cultus Dei, & Chriſti, qui venit ſecundario, quia tamen veniret primarius effectus, qui eſt hominum ſanctificatio, ſemper verificaretur, quod miniſtri Sacramentorum antiquorum, & nouorum ſint Dei, & Chriſti miniſtri in ordine ad eandem ſanctificationem. Deindè, licet actiones, quibus antiqua Sacramenta fiebant, non poſſent eſſe actiones Dei in ordine ad proprium cultum, cum nemo poſſit ſe ipſum colere, actiones tamen, quibus noua fiunt Sacramenta, poſſunt eſſe

actio-

Digitized by Google

actiones Chriſti etiam in ordine ad proprium cultum; cum nulla poſſit eſſe difficultas, quin Chriſtus, vt homo poſſit ſe ipſum, vt Deum colere, ſicuti ſibi, vt Deo poteſt, vt homo obedire, ſibique ſatisfacere. Quod, ſi dicas, quod cum Chriſtus etiam vt homo ſit Sacramentorum inſtitutor poteſtate excellentiæ, ſeu excellentis miniſterij etiam actiones Sacramentales cedunt in ipſius cultum, vt hominis; ſtatim impugnaberis, quia hoc euenit ſolum ſecundario, & ex conſequenti, vnde etiam minus propriè poteſt dici cultus.

ARTICVLVS IV.

An Sacramenta nouæ legis exerceant etiam cauſalitatem Phyſicam in gratiam.

SVMMARIVM.

Sententia negans cauſalitatem Phyſicam Sacramentis. 1.
Sententia affirmans, & eiſdem tribuens cauſalitatem Phyſicam. 2.
Prima ratio pro ſententia negante deducta ex Concilijs, & SS. PP. 3.
Secunda deducta ex paſſione, & morte Chriſti Domini, quæ non niſi moralitèr cauſat. 4.
Tertia deducta ex eo, quod creatura nullam habeat præuiam actionem ad gratiam. 5.
Quarta ex eo, quod, quando gratia producitur; Sacramenta actu non ſunt. 6.
Quinta deducta ex eo, quod in reuiuiſcentia actu non exiſtant, vel non attingunt Phyſicè ſubiectum. 7.
Sexta ex eo, quod Sacramenta utpotè entia mera corporea indigeant alio perfici. 8.
Poſſibile eſt, quod Sacramenta nouæ legis conferant Phyſicè gratiam. 9.
Sacramenta ſubduntur vero, & perfecto Dei dominio. 10.
Prout ſubduntur Deo poſſunt eleuari ad quodlibet non repugnans. 11.
Gratia propriè non creatur. 12.
Entia corporea poſſunt eleuari ad ſpirituales effectus. 13.
Per ſe loquendo etiam de facto Sacramenta Phyſicè gratiam cauſant. 14.
Euincitur auctoritatibus D. Thomæ. 15.
Et aliorum SS. PP. 16.
Item definitionibus Conciliorum. 17.
Item rationibus. 18.
Quandoque cauſant tantum moralitèr. 19.
Euincitur potiſſimum in caſu reuiuiſcentiæ. 20.
Eluditur ſubterfugium aliquorum Thomiſtarum. 21.
An in Matrimonio contracto per Procuratorem cauſetur gratia Phyſicè remiſſiuè. 22.
Quid dicendum ſit de Sacramentis pænitentiæ, & Ordinis. 23.
Explicantur auctoritates Conciliorum, & SS. PP. 24.
Paſſio, & mors Chriſti Domini cauſant Phyſicè. 25.
Sunt inſtrumenta Dei, vt cauſa vniuerſaliſſimæ. 26.
Sufficit, quod coexiſtant effectui in aliquo inſtanti reali. 27.
Soluuntur alia argumenta. 28.

CElebris inter omnes, quæ ſunt de Sacramentis in genere, eſt præſens quæſtio, in qua diuiſos inuenio DD., vt duplicem conſtituant claſſem, quarum vnaquæque innumeros habet ſectatores tum ex antiquioribus, tum ex recentioribus.

1 Sententia negans cauſalitatē Phyſicam.

Primam conſtituunt *Scotus in quarto diſtinct. 1. q. 5. §. ad primam ergo quæſtionem, D. Bonauentura ead. diſt. art. 1. q. 4., & 5., Riccardus art. 4. q. 2., Maſtrius diſp. 1. q. 4. art. 1., & omnes ferè Scotiſtæ*, quos ſequuntur ex recentioribus *Vaſquez diſp. 136. c. 6., Hurtadus diſp. 3. diffic. 2., Amicus diſp. 4. ſect. 9., Lugus diſp. 4. ſect. 4., Arriaga diſp. 11. ſect. 3., & alij innumeri*. Hi omnes negant cauſalitatem Phyſicam Sacramentis in ordine ad gratiam, & ſolum moralem agnoſcunt.

2 Sententia admittēs talē cauſalitatem

Secundam componunt *D. Thomas q. 62. art. 2.* quamuis aliqui licet immeritò ipſum, vel non intelligentes, vel ſiniſtrè interpretantes in alium ſenſum deflectant, & ibi *Caietanus ead. q. 62. art. 1., & q. 78. art. 4. Ioannes à Sancto Thoma diſp. 24. art. 1. dub. vlt., Gonetus diſp. 3. art. 2. §. 3., Cabrera diſp. 3. concl. 5.*, & omnes ferè Thomiſtæ, quibus ex recentioribus adhærent *Henriquez lib. 1. c. 16., & 17., Eſparza lib. 10. q. 24., Madernus q. 3. art. 4., Bellarminus in controu. lib. 2. de Sacram. in gen. c. 11., Cacheranus lib. 8. de Sacram. in genere c. 4. §. 3. n. 32., & per totum. Vega lib. 7. in Trident. c. 11., & 12., & alij etiam innumeri*. Hi omnes præter cauſalitatem moralem in Sacramentis nouæ legis agnoſcunt etiam Phyſicam per ſe loquendo.

3 Rationes pro ſententia negante ex Cōcilijs & SS. PP.

Rationes pro prima claſſe, ſeu pro ſententia negante cauſalitatem Phyſicam Sacramentis ſunt huiuſmodi. Primò ratio extrinſeca deducitur, tum ex Concil. Mogontino celebrato anno 1549. c. 11., vbi hæc expreſsè habentur de Sacramentis. *Ea non eſſe ritus ſimplices, quod quidem impurè confingunt, ſed ſacroſancta ſignacula, & efficacia ſigna, quæ ritu ea ſuſcipientes, gratiam eis conferendo ſanctificant; gratiam vero Sacramentorum non ex ipſa externarum*

vir-

virtute, non ex merito miniſtri, ſed ex interna, & Diuinæ operationis virtute æſtimandam eſſe; ex quibus verbis colligitur, quod, ſi Sacramenta non ex externarum virtute, ſed ex virtute Diuina operantur, non ſint cauſæ Phyſicæ, ſed merè morales; item ex auctoritatibus SS. PP. *D. Hieronym. in c. 4. Iſaiæ. Ex hoc dicimus, quod homo ſolum aquam tribuat, Deus autem Spiritum Sanctum. D. Ambroſij de dignitate Sacerd. c. 5. Homo manum imponit, & Deus largitur gratiam. D. Cipriani ſerm. de Baptiſmo. Remiſſio peccatorum, ſiue per Baptiſmum, ſiue per alia Sacramenta donatur, propria Spiritus Sancti eſt, & ipſi ſoli huius efficientiæ priuilegium manet*; Si ergo gratia remiſſiua eſt ſolius Spiritus Sancti priuilegium, ſi homo ſolam aquam tribuit, & manum imponit, & Deus dat Spiritum Sanctum, & gratiam, ſequitur, quod Deus ſit cauſa Phyſica; & homo per Sacramenta cauſa dumtaxat moralis.

4 Paſſio Chriſti Domini non cauſat, niſi moralitèr.

Secundò, ratio intrinſeca deducitur ex eo, quod Sacramenta nouæ legis cauſant gratiam in virtute paſſionis, & mortis Chriſti Domini, ſed, prout cauſant ex tali virtute, non poſſunt cauſare, niſi moralitèr, ergo tantum moralitèr, non Phyſicè cauſant. Minor probatur, quia ipſa Chriſti paſſio, & mors non cauſant gratiam, niſi moralitèr, ergo non niſi moralitèr Sacramenta, quæ agunt in virtute eiuſdem paſſionis, & mortis, poſſunt cauſare, cæteroqui maior virtus ineſſet Sacramentis, quam paſſioni, & morti Chriſti Domini, in cuius virtute agunt. Antecedens probatur, tum quia mors, & paſſio Domini non actu exiſtunt, ergo non poſſunt Phyſicè agere, quinimmò, & quando exiſtebant, non cauſabant, niſi moralitèr, cum meritoriè ſe haberent.

5 Sacramẽta nõ habent præuiam actionem ad gratiam.

Tertiò, quia de ratione cauſæ inſtrumentalis Phyſicæ eſt, vt diſpoſitiuè operetur ad effectum principalis agentis producendum, habeatque actionem propriam, & præuiam, quæ eleuationem ſaltem natura præcedat, propter quam rationem *D. Thomas prima. part. q. 45. art.* 5. docet, nullam creaturam poſſe eſſe inſtrumentum creationis, quia nulla creatura diſpoſitiuè operatur ad creationem, nullamque actionem propriam, & præuiam in ordine ad illam exercere poteſt, ſed Sacramenta nullam actionẽ propriam poſſunt exercere, quæ diſponat ad productionem gratiæ, ergo non poſſunt habere rationem inſtrumenti Phyſicè in ordine ad eandem. Minor probatur, quia res merè corporea non poteſt effectum merè ſpiritualem in ſubiectum producere; tum quia inſtrumentum Phyſicum debet eſſe coniunctum cum paſſo in quod agit; res vero merè corporea nequit animæ immediatè vniri; tum quia nequit explicari, in quo conſiſtat illa actio præuia diſponens animam ad gratiæ receptionem.

Quartò, quia, ſicuti cauſa Phyſica debet eſſe actu, quando operatur, ita & inſtrumentum Phyſicum debet eſſe Phyſicè, quando agit, ſed, quando producitur gratia, Sacramenta non ſunt, ergo, nequeunt eandem Phyſicè cauſare. Maior probatur, quia operari ſequitur eſſe, ergo, quando Phyſicè operatur cauſa, debet eſſe Phyſicè. Minor etiam euincitur, quia, cum Sacramenta conſiſtant in actione tranſeunte, quando effectus primo ponitur, iam ipſa actio tranſijt. 6 Quando producitur gratia Sacramenta nõ ſunt.

Quintò, quia, vel omnia Sacramenta cauſant gratiam moralitèr ſimul, & Phyſicè, vel omnia ſolum moralitèr; ſi ſecundum dicatur; iam habetur, quod Sacramenta non cauſent Phyſicè gratiam; ſi primum; hoc falſum omnino apparet, quandoquidem Sacramenta in reuiuiſcentia Phyſicè non exiſtunt, & propterea nequeunt Phyſicè operari; item Sacramentum Matrimonij poteſt inter abſentes celebrari per Procuratorem, in quo caſu diſtat localitèr ab ijs, in quibus gratia debet recipi, & propterea nequit in ijſdem Phyſicè operari; item Sacramentum Pænitentiæ, & Ordinis cauſant in ſubiecto, quod eorum forma nequit Phyſicè attingere, & tamen ad cauſalitatem Phyſicam debet agens eſſe immediatum paſſo, illudque Phyſicè attingere. Quod, ſi dixeris, nec omnia Sacramenta cauſare ſolum moralitèr, nec omnia moralitèr ſimul, & Phyſicè, ſed aliqua ſolum moralitèr; & aliqua Phyſicè, & moralitèr, ſicque Sacramenta in reuiuiſcentia, & alia non attingentia Phyſicè paſſum, eſſe tantum cauſas morales; alia vero cauſas Phyſicas; tunc ſic impugnaberis, quia de omnibus pariformitèr procedunt Concilia, & SS. PP., adeoque non debemus nos difformitèr ſentire, adeout aliquibus ſolam cauſalitatem moralem, alijs moralem ſimul, & Phyſicam tribuamus. 7 Sacramenta in reuiuiſcentia non poſſunt cauſare Phyſicè.

Sextò, vt cauſa Phyſica poſſit effectum producere, quando ſecundum ſe impotens eſt ad illum, debet intrinſecè in actu primo perfici, vt exire poſſit in actum ſecundum productionis eiuſdem, ergo etiam Sacramenta, cum ſecundum ſe ſint imparia, ad producendam gratiam, vtpotè entia merè corporea, & materialia, vt exire poſſint in actum ſecundum productionis gratiæ debent per aliquod intrinſecum perfici in actu primo. Peto iam per quid perficiantur? an per aliquod ſpirituale, an vero per aliquod corporeum? Si per aliquod ſpirituale, hoc non poteſt 8 Sacramenta vtpotè entia corporea indigent perfici.

recipi

recipi in merè corpóreo, cuiuſmodi ſunt Sacramenta; ſi per aliquod corporeum; quomodo hoc poteſt efficere aliquod ſpirituale, & ſupernaturale, cuiuſmodi eſt gratia ſanctificans? Deindè illud, quod perficit Sacramenta intrinſecè in actu primo, quo poſſint in actum ſecundum exire, vel in toto, vel in parte Sacramenti recipitur; ſi dicatur in toto, cum Sacramenta ſint entia ſucceſſiua, illud quod perficeret, quod certè deberet eſſe aliquod accidentale, tranſiret de ſubiecto in ſubiectum, quod reſpectu qualitatis indiuiſibilis nequit verificari; Si dicatur recipi in parte; peto, quænam ſit hæc pars, an prima, an intermedia, an vltima; ſi prima, vel intermedia diſtaret ab effectu, ſicque non poſſet ipſum Phyſicè attingere; ſi vltima; prima, & intermedia nullam vim conferrent effectui; ergo à primo ad vltimum dicendum eſt Sacramenta Phyſicè non concurrere ad producendam gratiam. His tamen non obſtantibus ſit

9 Poſſunt producere Phyſicè gratiã.

Aſſertio I. Poſſibile eſt, quod Sacramenta nouæ legis conferant Phyſicè gratiam. In hoc arbitror communitèr DD. aſſentiri exceptis nõnullis, inter quos *Hurtadus diſp.3. diffic.2.*, *Vaſquez diſp.136.c.6.*, qui, cum ſentiant non poſſe aliquid Diuinitus eleuari ad producendum Phyſicè effectum, ad quem non habeat aliquam incohatam virtutem naturalem, ſentiunt conſequentèr, nec Sacramenta poſſe Diuinitus eleuari ad producendam Phyſicè gratiam, cum ad illam nullam habeant præuiam virtutem naturalem.

Probatur, quia omnes creaturæ quoad perfectiſſimum dominium ſunt Deo ſubiectæ, & eleuabiles ab eodem ad quodlibet, quod ſecundum ſe nõ inuoluat repugnantiam, ergo etiam Sacramenta, quæ ſubduntur perfecto Dei dominio, erunt eleuabilia ad effectum gratiæ ſupernaturalis Phyſicè producendum. Antecedens non videtur pati difficultatem, cum ignis, v.g. eleuetur à Deo ad agendum in entia merè ſpiritualia, cuiuſmodi ſunt animæ ſeparatæ, & Dæmones damnati ad eundem ignem æternum; vnde etiam habetur *Sapientia 16. Quod mirabile erat in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat; vindex eſt enim orbis iuſtorum. Quodam enim tempore manſuetabatur ignis, ne comburerentur animalia, quæ ad impios miſſa erant, & quodam tempore in aqua ſupra virtutem ignis exardebat vndique; Nix autem, & glacies ſuſtinebant vim ignis, & non tabeſcebant. Hic autem iterum, vt nutrirentur iuſti, etiam ſuæ virtutis oblitus eſt. Creatura enim tibi factori deſeruiens exardeſcit in tormentum aduerſus iniuſtos, & lenior fit ad benefaciendum pro his, qui in te confidunt.*

10 Sacramẽta ſubdũtur dominio Dei.

Conſequentia tenet, quia non minus Sacramenta ſunt ſubiecta Dominio Dei, quam aliæ creaturæ.

Dixi, *ad quodlibet, quod ſecundum ſe non inuoluit repugnantiam*, quod dixerim propter ea, quæ docuimus, tum in Phyſicis, tum in quæſtionibus de anima de actionibus vitalibus, ad quas nequeunt aſſumi non viuentia, nec etiam viuentia ad eas actiones, quæ ſunt extra ſfæram actiuitatis eorundem; propter quam rationem etiam docuimus in quæſtionibus de Deo Vno, dum de viſione, quod non poſſit oculus corporeus eleuari ad videndum Deum, nec potentia auditiua ad videndum. Hanc autem impotentiam non habent Sacramenta in ordine ad productionem gratiæ, cum ad hoc non interueniat aliqua actio vitalis affixa determinatæ potentiæ; adeoque nulla repugnantia.

11 Proue ſubduntur Deo poſſunt habere vim illimitatam.

Dices primò, repugnantiam in hoc conſiſtere, quod ſupra innuebamus in ratione tertia pro ſententia negante Sacramentis Phyſicam cauſalitatem, nempè, quod ad eandem Phyſicam cauſalitatem in inſtrumento agente in virtute cauſæ principalis requiratur, vt habeat actionem propriam, & præuiam, quæ eleuationem ſaltem natura præcedat, quæ præuia actio, & propria non poteſt in Sacramentis conſiderari, cum ſecundum ſe nullam habeant proportionem ad gratiam. Sed contrà; hæc repugnantia, licet poſſit conſiderari in ordine ad inſtrumenta cauſarum naturalium; non poteſt conſiderari in ordine ad inſtrumenta reſpectu Dei. Ratio diſparitatis in eo conſiſtit, quod cauſæ principales creatæ habent virtutem limitatam, & intra ſphæram determinatam, adeoque nequeunt vti inſtrumentis, quæ non habeant aliquam actiuitatem ſecundum ſe ad effectum producendum; ſic ſcriba ad exarandos caractheres, non poteſt aſſumere haſtam, ſed debet vti calamo proportionato ad illum effectum; Deus autem vtpotè cauſa vniuerſaliſſima poteſt vti quocunque inſtrumento etiam diſparato, & fortè etiam contrario, cum eidem vim ſuam nulli alligatam inſtrumento impertiatur.

12 Gratia propriè non creatur.

Dices ſecundò, repugnantiam conſiſtere in eo, quod gratia creatur; nulla autem creatura poteſt etiam ſolum tanquam inſtrumentum Phyſicum aſſumi ad creandum, iuxta mentem *D. Thomæ prima part. q.45. art.5.* cum in ordine ad creationem nullam propriam, & præuiam actionem poſſit habere. Sed contra, quia omnino gratis dicitur, quod gratia creetur, cum habeat potentiam obedientialem animæ, ex qua educitur, prout ſuppono ex quæſtionibus de Diuina gratia, & etiam attigi

in

Digitized by Google

in præcedentibus. Deindè iuxtà noſtra principia, de quibus latè in Phyſicis, non repugnat creaturæ vis creatiua à Deo communicata, & multo minus vis inſtrumentalis in virtute Dei principalitèr agentis.

13 Entia corporea poſſunt eleuari ad ſpirituales effectus.

Dices tertiò, repugnare ex eo, quod Sacramenta ſint entia corporea, materialia, & naturalia, quibus abſonum eſt attingere ens ſpirituale incorporeum, & ſupernaturale, cuiuſmodi eſt gratia ſanctificans. Sed contra; licet hæc verificentur attenta præcisè potentia, & virtute naturali Sacramentorum, non verificantur tamen attenta potentia obedientiali, & eleuata à Deo, qui non ſolum eſt principium vniuerſale, & ſupremum in ordine naturæ, ſed etiam in ordine gratiæ, & ſupernaturali, & ſicuti attenta potentia obedientiali ignis, qui ſecundum ſuam entitatem eſt ens corporeum, attingit qualitatem ſpiritualem cruciatiuam animarum ſpiritualium, ità &c.

Aſſertio II. Per ſe loquendo etiam de facto Sacramenta nouæ legis producunt Phyſicè gratiam. In hanc conſentiunt omnes pro ſecunda ſententia allegati.

14 Etiam de facto Sacramẽta producunt Phyſicè gratiam.

Probatur primò expreſſis auctoritatibus *D. Thomæ tertia part. q. 62. art. 2.*, vbi tribuit Sacramentis, vt inſtrumentis Dei eam virtutem in ordine ad gratiam, quam tribuit ſecuri, vt inſtrumento artificis in ordine ad opus fabrile. Verba S. D. hæc ſunt. *Duplex eſt cauſa agent, principalis, & inſtrumentalis; principalis quidem operatur per virtutem ſuæ formæ, cui aſſimilatur effectus, ſicuti ignis ſuo calore calefacit; & hoc modo nihil poteſt cauſare gratiam, niſi Deus. Cauſa vero inſtrumentalis non agit per virtutem ſuæ formæ, ſed ſolum per motum, quo mouetur à principali agente, vnde effectus non aſſimulatur inſtrumento, ſed principali agenti, ſicuti lectus non aſſimilatur ſecuri, ſed arti, quæ eſt in mente artificis; & hoc modo Sacramenta nouæ legis cauſant gratiam.* Hoc idem eodem loco, ſed paulo ante aſſerit confutans illorum opinionem,

15 Euincitur auctoritatibus D. Thomæ.

qui dumtaxat agnoſcentes in Sacramentis cauſalitatem moralem comparabant eorum efficientiam denario plumbeo, quem aliquis afferens ex Regis ordinatione centum libras recipit, vnde ſubdit. *Sed ſi quis rectè conſideret, iſte modus non tranſcendit rationem ſigni, nam denarius plumbeus non eſt, niſi quoddam ſignum Regiæ ordinationis de hoc quod pecunia recipiatur ab iſto.* Secundum hoc igitur Sacramenta nouæ legis nil plus eſſent, quam ſigna gratiæ, cum tamen ex multis ſanctorum authoritatibus habeatur, quod Sacramenta nouæ legis non ſolum ſignificant, ſed cauſant gratiam. Hoc idem quinimmò expreſſius, & luculentius habet *in quarto diſt. 1. q. 1. art. 4.* vbi confutatis contrarijs rationibus contra illorum opinionem, qui aſſerebant ſolum cauſalitatem Sacramentis conuenire, quatenus increata virtus illis aſſiſtit per quandam Dei ordinationem, & quaſi pactionem, ſubdit. *At illa ordinatio, ſiue pactio nil dat eis de ratione cauſæ, ſed ſolum de ratione ſigni.*

Probatur ſecundò alijs SS. PP. auctoritatibus *Auguſtini epiſt. 25. Ita aqua noſtræ regenerationis eſt cauſa* D. Chryſoſtomi *homil. 25. Producat aqua reptile animæ viuentis; ex quo autem Iordanis alueum ingreſſus eſt Chriſtus non amplius reptilia animarum viuentium, ſed animas rationales, & ſpirituales aqua producit,* Cathechiſmi Romani *part. 2. tit. de Sacrament. n. 27. Excellentiorem, & præſtantiorem vim Sacramentis nouæ legis ineſſe, quam olim veteris legis Sacramenta habuerunt, quæ, cum infirma eſſent, egenaque elementa inquinatos ſanctificabant ad emundationem carnis, non animæ, quarè, vt ſigna tantum earum rerum, quæ myſterijs noſtris perficienda eſſent, inſtituta ſunt;* At verò Sacramenta nouæ legis ex Chriſti latere manantia emundant conſcientiam noſtram &c. atque ità eam gratiam, quam ſignificant, Chriſti ſanguinis virtute operantur; Ex quibus auctoritatibus clarè euincitur, quod Sacramenta ſint cauſæ Phyſicæ; ſi enim Phyſicè non cauſarent non dicerentur ſimplicitèr, vt aperto ore aſſerunt SS. PP., cauſæ gratiæ. 16 Et aliorũ SS. PP.

Probatur tertiò ex definitionibus *Concil. Florent. in decreto vnionis, & Trident. ſeſſ. 7. c. 6., & 8.* ſæpius recenſitis aſſerentium Sacramenta nouæ legis continere in ſe ipſis gratiam; huiuſmodi autem continentia eſt propriè cauſæ Phyſicæ, non merè moralis, quæ habet præcisè mouere cauſam continentem ad producendum effectum, quem continet, non autem continere ipſum effectum. 17 Item definitionibus Conciliorum.

Probatur quartò rationibus, quia Sacramenta non minus ſunt inſtrumenta Dei, ac ſint Chriſti Domini, vt colligitur *ex Concil. Mogunt. c. 1. ſupra relato, & ex Trident. ſeſs. 6. c. 7.*, quod Concilium, licet loquatur ſolum expreſsè de Sacramento Baptiſmatis, ex paritate tamen rationis intelligendum eſt etiam de cæteris Sacramentis; ſed prout ſunt inſtrumenta Chriſti Domini ſunt tantum inſtrumenta moralia, ſicuti ipſe Chriſtus eſt ſolum cauſa moralis, ergo, prout ſunt inſtrumenta Dei, debent eſſe inſtrumenta Phyſica, vt inſtrumenta conformentur ſuis principijs. Rurſus. Æquè, ac pari gradu conuenit Deo bonitas, ac conueniat iuſtitia, 18 Item rationibus.
ſed ad inſeruiendum iuſtitiæ Dei entia materialia, & corporea, prout connectun-

tur, ſeu ſubduntur virtuti Dei, Phyſicè attingunt effectus ſpirituales excedentes eorum naturalem virtutem, vt videre eſt in igne inferni, qui ad torquendos Dæmones, & animas damnatorum producit qualitatem ſpiritualem impreſſam ipſis Dæmonibus, & animabus damnatis, ergo ad inſeruiendum Diuinæ bonitati entia materialia, qualia ſunt Sacramenta, prout ſubduntur Diuinæ virtuti, poterunt producere, gratiam ſpiritualem inhærentem ſuſceptoribus eorundem, & ſi poſſunt producere dignitas, & excellentia eorundem Sacramentorum exigit, vt de facto producat, quia per cauſalitatem Phyſicam melius eorum dignitas eluceſcit. Rurſus eadem virtus in ſuo genere omnibus, & ſingulis Sacramentis eſt concedenda, ne inæqualia in modo cauſandi dicantur contra diſpoſitionem Conciliorum, & auctoritate SS. PP., qui pariformitèr de cauſalitate omnium loquuntur, ſed aliquibus Sacramentis denegari non poteſt cauſalitas Phyſica; ergo omnibus eadem conuenit. Minor probatur, quia Sacramentum Pænitentiæ effectiuè Phyſicè attingit gratiam remiſſiuam peccatorum, cæteroqui non verificaretur forma Sacramentalis eiuſdem, nam, dum Sacerdos dicit; *Ego te abſoluo*, non poſſet verificari, quod ipſe abſolueret, & culpam remitteret, ſi tantum Deum promoueret, vt gratiam produceret, & ſic forma pænitentiæ non eſſet iudicialis, ſed tantum deprecatoria. Hoc idem dici poteſt de Sacramento Euchariſtiæ, in quo, cum Sacerdos conſecrans loquatur in perſona Chriſti Domini, neceſſe eſt, vt ait, *D. Thomas tertia part. q. 78. art. 4.*, vt ſicut Chriſtus mirabilem tranſubſtantiationem Phyſicè operatus eſt, ita verba in perſona ipſius prolata eodem modo eandem Phyſicè producant.

Dixi in aſſertione, *per ſe loquendo*, nam, an quandoque poſſit contingere, vt ſolummodo moralitèr concurrant ad productionem gratiæ, vel ratione impedimenti extrinſeci, vel ſubiecti indiſpoſiti, vel diſtantiæ localis, vel alicuius alterius rationis, iam ſubdo.

Aſſertio III. Quamuis Sacramenta nouæ legis attenta eorundem virtute, & exi-

19 Quandoque tamē ſolū producunt moralitèr.

gentia regularitèr gratiam Phyſicè in ſubiecto diſpoſito producant, quandoque tamen per accidens ſolum moralitèr eandem cauſant. In hanc conſentiunt *Cabeſanus tract. 8. de Sacram. in genere c. 4. §. 3. n. 33.*; *Madernus tract. 2. de Sacramentis in genere q. 3. art. 10. n. 10.; & ſeqq.*

Hic tamen aduerte, hanc noſtram aſſertionem procedere potiſſimum in ijs caſibus, in quibus Sacramenta actu non exiſtunt, extiterint tamen antea, nec tunc conſecuta fuerint effectum ob obicem exiſtentem in ſubiecto; cæterum, an in alijs caſibus puta diſtantiæ localis ſit cauſalitas Phyſica, an tantum moralis mox videbimus.

Probatur aſſertio. In caſibus, in quibus Sacramenta valide collata ſunt, ſed ſine fructu ob obſiſtentem obicem, iuxtà ſuperius dicta remoto obice reuiuiſcunt quoad effectum gratiæ, quam tunc cauſant; ſed tunc cauſare nequeunt per cauſalitatem Phyſicam, ergo cauſant dumtaxat per cauſalitatem moralem. Maior patet ex ſupradictis. Minor probatur, quia pro tempore, quo reuiuiſcunt remoto obice, non reuiuiſcunt quoad ſuam entitatem Phyſicam, ſed tantum quoad effectum; ſed, quando non ſunt quoad ſuam entitatem Phyſicam, non poſſunt Phyſicè cauſare, quia operari ſequitur ad eſſe, ergo tunc non poſſunt Phyſicè operari.

20 Euincitur potiſſimum in caſu reuiuiſcentiæ.

Neque hic audiendi ſunt Thomiſtæ aliqui aſſerentes, quod; quamuis non exiſtant actualitèr in ſe ipſis, exiſtant tamen in caracthere actu exiſtente impreſſo, dum actualitèr Sacramenta fuerunt collata; nec alij docentes, in inſtrumentis a Deo aſſumptis non requiri exiſtentiam Phyſicam ad operandum Phyſicè; Non, inquam, audiendi ſunt, non quoad primum de caracthere, quia in primis ex ſuperius dictis omnia Sacramenta remoto obice ad gratiam reuiuiſcunt, nec tamen omnia in eorum ſuſceptione imprimunt caractherem, vnde non omnia cauſarent Phyſicè; & ſic ſecundum aliqua ſaltem verificaretur, quod cauſant ſolum moralitèr; Deindè caracther non eſt ſecundum ſe actiuus, & operatorius, vnde operaretur ſolum virtute Sacramenti, quod, cum actu non exiſtat, non poteſt operari Phyſicè; Non quoad ſecundum, quia iuxta ea, quæ latè in quæſtionibus Phyſicis tradidimus cauſa, quando non eſt, non poteſt Phyſicè operari, & iuxtà ordinem conſuetum præſentis prouidentiæ etiam inſtrumenta à Deo aſſumpta ad agendum non agunt Phyſicè, niſi quando Phyſicè exiſtunt.

21 Eliditur ſubterfugium aliquorum Thomiſtarum.

Difficultas ſolum aliqua hic eſſe poteſt, an ratione diſtantiæ localis inter Sacramentum, & ſubiectum poſſit eſſe ſolummodo cauſalitas moralis, an vero etiam Phyſica. Hoc contingere poteſt in Matrimonio inter abſentes celebrato per Procuratorem, quod ſæpè perficitur, dum alter ſaltem coniux eſt localitèr diſtans; Item in Sacramento Ordinis, & Pænitentiæ in quibus ſæpè forma Sacramentalis non peruenit Phyſicè ad ſubiectum, in quo recipiuntur huiuſmodi Sacramenta, cum tamen videatur ad cauſalitatem Phyſicam requiri agens eſſe immediatum

paſſo

paſſo, illudque contingere Phyſicè.

22 Matrimonium per Procuratorē initum, an cauſet Phyſicè gratiam.

In ordine ad Matrimonium per Procuratorem celebratum nonnulli arbitrantur, cauſare ſolummodo moralitèr gratiam, & quidem ratione diſtantiæ localis, quæ ſupponitur omnino impedire cauſalitatem Phyſicam; alij non obſtante illa diſtaotia locali ſentiunt, cauſare etiam Phyſicè gratiam, nam, ſicuti poteſt Deus eleuare inſtrumentum ad producendum effectum ſupra propriam virtutem, ita poteſt eleuare ad producendum effectum etiam in diſtans, nam licet ſubiectum ſit diſtans quoad entitatem, & virtutem diffuſam ab ipſo Sacramento, non eſt tamen diſtans quoad virtutem Diuinam, qua operatur. Hæc vtraque opinio probabilis eſt. Eam eligite, quæ magis placet.

23 Quid dicendum ſit de Sacramento Pænitentiæ, & Ordinis.

In ordine ad Sacramentum Ordinis, & Pænitentiæ pro nunc diſtinguo, vel quando vltimo perficitur Sacramentum, inexiſtit ſubiecto, ſeu eidem eſt præſens materia proxima eiuſdem Sacramenti, & quidem Phyſicè, vel non inexiſtit Phyſicè; ſi materia inexiſtit Phyſicè, quatenus, dum Ordo, vel Pænitentia vltimo perficitur, eſt contactus Phyſicus materiæ in ordinaodo, vel actu dolor externus in pænitente, & tunc dico, vtrumque Sacramentum cauſare Phyſicè gratiam, quia agens, & ſubiectum ſunt ſufficientèr ſimul; non enim eſt neceſſe, vt infra videbimus, vt coexiſtant quoad omnes partes; ſi vero materia proxima Phyſicè non coexiſtit, ſed, vel præceſſerit, vel ſubſecuta fuerit, poteſt dici, quod cauſent tantum moralitèr. Sed de his latior occurret ſermo, dum de his Sacramentis in particulari.

Ex his omnibus, quæ dicta ſunt in præcedentibus aſſertionibus, facilè erit deducere ſolutionem argumentorum, quæ pro contraria ſententia fuerunt adducta. Ad

24 Satisfit Cōcilijs, & SS. PP.

primum deductum ex Concil. Mogontino, & ex auctoritate SS. PP., dico, quod, dum Concilium dicit eſſe efficacia ſigna, vtique indicet efficacitatem aliquam ſe in Sacramentis agnoſcere; nec obſtant ſubſequentia verba, per quæ non externarum rerum virtuti, ſed ſolum internæ, & Diuinæ operationi tota vis tribuitur; Non obſtant, inquam, quia, ſi nulla virtus externis rebus, hoc eſt Sacramentis ineſſet, immerito dicerent alia Concil. Florent. ſcilicet, & Tridentinum, Sacramenta continere gratiam. Intelligit igitur ſolum Concil. Mogontinum, quod rebus externis nude ſumptis, hoc eſt ſecundum ſuam virtutem naturalem, non inſit virtus producendi gratiam, adeoque non ſint cauſæ principales eiuſdem; non autem, quod eiſdem non inſit virtus, vt inſtrumenta ſunt, & eleuata ſecundum potentiam obedientialem à Diuina virtute. Idem ferè reſpondeas ad auctoritates SS. PP. addendo, quod intelligant ſolum Deum eſſe cauſam principalem Phyſicam, non autem negando Sacramenta eſſe cauſas inſtrumentales eiuſdem Dei in ordine ad gratiam producendam.

Ad ſecundum dico, non maiorem vim nos tribuere Sacramentis, dum eiſdem tribuimus cauſalitatem Phyſicam, ac cōpetat paſſiooi, & morti Redemptoris; non etenim denegamus eidem morti, & paſſioni cauſalitatē Phyſicā, & licet mors, & paſſio ſecuodum ſe iam prætererierint, remaneat tamen in corpore glorioſo fixuræ clauorum, & ſtigmata redemptionis, vt notat *D. Thomas tertia parte q. 48. art. 6.*, quæ noo ſolum mouent Deum pro hominum ſalute, ſed etiam redemptis gratiam veluti perennia canalia Phyſicè, & iugitèr influunt. Sufficit enim ad cauſandum Phyſicè, quod in aliqua virtute a ſe relicta permaneant, vt innumeris exemplis videre eſt in Phyſicis, v. g. in ſemine ab homine relicto in vtero matris &c.

25 Paſſio, & mors Chriſti Domini cauſant Phyſicè.

Ad tertium dico, & inſtrumenta Dei habere aliquam præuiam actionem, ſicut habent inſtrumenta cauſarum naturaliū, & ſecundarum, ſed cum aliquo diſcrimine; nam cauſæ ſecundæ, & naturales ex genere ſuo debent habere inſtrumenta, quæ ſecundum propriam actionem ſint apta effectui producendo, ſicut ſcriba vtitur calamo tanquam inſtrumeoto, non haſta ad ſcribendum; Deus autem, cum ſit voiuerſaliſſima cauſa, poteſt quodlibet etiā diſparatum aſſumere ad cauſandum. Præuia autem actio, quæ conſiderari poteſt in ſingulis Sacramentis in hoc conſiſtit, quod aqua baptiſmatis corpus abluit, vt cor mundet, Sacerdos verba profert, vt animam ſanet, vnctio corpus linit, vt animam roboret; & ſic de cæteris. Ad illud, quod ſubditur primo loco, quod res corporea non poſſit rem ſpiritualem attingere, dicendum eſt, hoc verificari tantum ſecundum potentiam naturalem, non ſecundum obedientialem, vt ſupra, & hoc idem dicendum eſt quoad ea, quæ ſubduntur ſecundo, & tertio loco, additis ijs, quæ in præcedentibus dicebamus.

26 Sunt inſtrumēta Dei cauſę vniuerſaliſſimæ.

Ad quartum dico, cauſam Phyſicam debere eſſe, quando actu operatur, ſed ſufficere, quod exiſtat actu in aliquo inſtanti reali ſimul cum effectu; ſic, cum Sacramenta conſiſtant in actione tranſeunte, & quodamodo ſucceſſiua, ſufficit, quod coexiſtant effectui in vltimo inſtaoti prolationis verborum, de quo dicam late in ſequenti articulo.

27 Sufficit, quod coexiſtant in aliquo inſtanti.

Ad quintum dico, omnia Sacramenta per ſe loquendo cauſare Phyſicè gratiam,

28 Soluūtur alia argumenta.

ſed aliquod, ſeu aliqua aliquando, vel ratione impedimenti, vel alicuius alterius rationis cauſare tantum moralitèr, ſed hoc eſt per accidens; vnde ad ea, quæ dicuntur de Sacramentis receptis cum fictione, ſeu obice, de Matrimonio celebrato inter abſentes, de Pænitentia, & Ordine patet ex ſupradictis quid dicendum.

Ad vltimum dico Sacramenta perfici in ordine ad productionem gratiæ non per aliquam qualitatem, vel ſpiritualem, vel corpoream receptam in eiſdem, ſed per coniunctionem cum virtute Diuina eleuante, cum qua facit complexum.

ARTICVLVS V.

Quandonam, & an ſe totis Sacramenta cauſet Phyſicè gratiam.

SVMMARIVM.

Quomodo titulus ſit intelligendus. 1.
Sacramenta, antequam ſuſcipiantur, quamuis præcedat votum, nec Phyſicè, nec moralitèr cauſant gratiam. 2.
Cauſa, antequam actu exiſtat, non poteſt Phyſicè operari. 3.
Votum Sacramenti, quamuis, ſi ſit debitis conditionibus coniunctum, operetur, non operatur tamen ex opere operato. 4.
Concilium Tridentinum loquitur de opere operantis. 5.
Promiſſio facta eſt Sacramentis in re, non præciſè in voto. 6.
Votum Sacramenti, nec moralitèr cauſat characterem in Sacramentis irriterabilibus. 7.
Sacramenta, dum actu recipiuntur, cauſant Phyſicè gratiam in vltimo inſtanti prolationis formæ Sacramentalis. 8.
Perficiuntur in illo vltimo inſtanti. 9.
Soluitur inſtantia oppoſita. 10.
Omnes partes Sacramenti concurrunt ad gratiam cauſandam, quia omnes conſtituunt quid vnum ſuo modo. 11.
Soluitur inſtantia ex diuerſitate entis permanentis. 12.

1 Explicatur ſenſus tituli.

TRes temporis differentias importare poteſt ly *quando*, vel tempus antecedens actualem eorundem Sacramentorum ſuſceptionem, vel tempus correſpondens eidem ſuſceptioni, vel tempus ſubſequens ad eandem. Iuxta eaſdem præſens titulus examinabitur, & quidem in ordine ad differentiam temporis præcedentem inquiretur, an Sacramenta, antequam ſuſcipiantur, prout exiſtunt tantum in voto, poſſint, vel Phyſicè, vel ſaltem moralitèr gratiam producere. In ordine ad differentiam temporis comitantis ipſam ſuſceptionem, illa ſuſceptio cum non ſit inſtantanea, ſed ſucceſſiua, inquiretur, an in aliqua, & quanam parte temporis, an in aliquo, & quonam inſtanti Sacramenta eandem gratiam efficiant. In ordine ad differentiam temporis ſubſequentem inquiretur, an Sacramenta, poſtquam ſuſcepta ſunt, poſſint gratiam conferre, ſed in hoc non eſt immorandum, cum latè de ipſo egerimus ſupra dum de reuiuiſcentia Sacramentorum quoad effectum remota fictione, ſeu obice.

Aſſertio I. Sacramenta, antequam in re ſuſcipiantur, quantumuis præcedat votum ipſorum, nec Phyſicè, nec moralitèr cauſant gratiam. In hoc ferè omnes Theologi conſentiunt ex antiquoribus *Alenſis quarta part. q. 41. memb. 3. art. 3.*, *Sotus in quarto diſt. 1. q. 2. art. 1.* ex recentioribus *Ioannes à Sancto Thoma diſp. 24. art. 1. dub. 5.*, *Amicus diſp. 4. ſect. 7.*, *Arriaga diſp. 12. ſect. 1.*, *Madernus q. 3. art. 5.*, *Cacheranus tract. 8. de Sacrament. in genere c. 4. §. 4. n. 57., & ſeqq.* contra nonnullos, quos ſuppreſſo nomine refert *Sotus loc. cit.* 2 Sacramenta in voto præciſè non cauſant gratiam.

Probatur primò, quod non cauſent Phyſicè, quia nulla cauſa, antequam actu exiſtat, poteſt Phyſicè operari, quia operari ſequitur ad eſſe, vnde, quod non eſt, non poteſt operari, ergo etiam Sacramenta, antequam exiſtant, non poſſunt Phyſicè operando ſuos effectus attingere. Antecedens non poteſt verti in dubium, quia licet aliqui Thomiſtæ aſſerant, quod cauſa, quæ immediatè ante extitit, poſſit ſuos effectus producere, quod tamen falſum eſſe probauimus in Phyſicis, nullus tamen docuit, quod cauſa, quæ modo non exiſtit, nec immediatè ante extitit poſſit operari, ergo &c. Conſequentia patet, quia Sacramenta, antequam ſuſcipiantur, nec actu exiſtunt, nec immediatè ante extiterunt. 3 Cauſa antequã exiſtat nõ poteſt Phyſicè operari.

Dices primò, quod licet Sacramenta in re, antequam ſuſcipiantur, nec exiſtant, nec ante extiterint, exiſtere poſſint in voto, & ſic vt exiſtentia in voto, poſſint effectus producere. Sed contrà, quia votum ſumendi Sacramentum non eſt ipſum Sacramentum, vis autem agendi ex opere operato eſt alligata ipſis Sacramentis, non voto ipſorum.

Dices ſecundò, voto etiam Sacramenti, quando hoc in re haberi non poteſt, competit vis cauſatiua gratiæ, quæ competeret Sacramento, ſi in re haberetur, vt videre eſt in Sacramento Baptiſmatis, cuius votum ad remiſſionem originalis ſufficit, & ad ſalutem, quando in re haberi non poteſt, cum communitèr aſſignetur triplex Baptiſmus fluminis, flaminis, & ſanguinis, & vnius ſupplet defectum alterius,

quan-

Digitized by Google

quando hic alter haberi non poteſt. Sed contra; fateor voto Baptiſmatis, quando in re haberi non poteſt, correſpondeat vis remiſſiua peccatorum originalis, & actualium commiſſorum ante eundem Baptiſmum, quando habetur tale votum cum omnibus conditionibus requiſitis ad talem remiſſionem; at nego eodem modo competere talem vim remiſſiuam, quo competit Sacramento in re, quandoquidem iſti competit vi Sacramenti, & ex opere operato, illi ex vi actus, cui annectitur illud votum, & ex opere ſolum operantis. Dixi, *quando habetur tale votum cum omnibus conditionibus &c.* quod eſt, quando eſt cum actu contritionis, in quo imbibitum eſt illud votum, quia tunc remiſſio correſpondet eidem actui contritionis, qui eſt ex opere operantis ſufficiens ad eandem remiſſionem; Et per hoc reſponderi poteſt ad illud, quod ex *D. Thoma 3. part. q. 80. art. 1. in corpore, & ad tertium*; circumfertur, nempè per ſpiritualem communionem acquiri gratiam Sacramenti, & effectum cuiuslibet Sacramenti poſſe percipi; ſi Sacramentum habeat in voto, & item ad illud, quod Patres ſpirituales commendant, vt Eucharistia ſumatur in voto, quando percipi non poteſt in re; Reſponderi, inquam, poteſt, D. Thomam, & PP. ſpirituales intelligendos eſſe de gratia ex opere operantis, non de eadem ex opere operato; Quod, ſi D. Thomas expreſsè locutus fuerit de effectu Sacramenti, dicendum eſt loqui de effectu æquiualenti Sacramento, quatenus importat remiſſionem culpæ non de effectu formali eiuſdem Sacramenti, hoc eſt de gratia, vt Sacramentali.

4
Non agit ex opere operato.

Dices tertiò, ex *Concil. Trident. ſeſs. 13. c. 8.*, vbi loquens de iis, qui ſpiritualitèr communicant dicit. *Illos, qui voto propoſitum illum cæleſtem panem edentes fide viua, quæ per dilectionem operatur, fructum eius, & vtilitatem ſentiunt*, ergo votum ſumendæ Eucharistiæ iuxta idem Concil. Trid. habet cauſare fructum eiuſdem Sacramenti. Sed contrà; ex verbis eiuſdem Concilij diſſoluitur hæc inſtantia, dum enim dicit, *fide viua, quæ per dilectionem operatur*, vtique intelligendum eſt Concilium de fructu Sacramenti ex opere operantis, cum correſpondeat dilectioni Dei, in qua imbibitum eſt illud votum.

5
Conciliũ Trid. loquitur de opere operantis.

Probatur ſecundò, quod nec cauſet moralitèr, quia promiſſio gratiæ facta eſt Sacramentis in re perfectis, non autem voto eorundem, vt de Eucharistia colligitur ex illo *Ioannis 6. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem*, de Sacramento Pænitentiæ ex illo *Ioannis 20. Quorum remiſſeritis peccata &c.* de Baptiſmo ex illo *Matthæi 28. Baptizantes eos in nomine Patris &c.*, & ex illo, *qui baptizatus fuerit*; de Extrema Vnctione *Iacobi 5. Vngentes eos &c.*, & ſic de cæteris; manducare autem, baptizari, vngi &c. ſignificant actionem in re, non votum eorundem, ergo &c.

6
Promiſſio facta eſt Sacramentis in re.

Probatur tertiò quoad idem, quia in Sacramentis imprimentibus caractherem votum ſimplex eorundem nullo modo cauſat caractherem, nec quidem moralitèr, ergo, nec moralitèr gratiam Sacramentalem. Antecedens non vertitur in dubium. Conſequentia probatur, quia licet poſſit imprimi in Sacramento caracther ſine gratia, non tamen poteſt cauſari in huiuſmodi Sacramentis gratia ſine caracthere, ergo, ſi huiuſmodi Sacramentorum votum ſine actuali eorundem ſuſceptione non imprimit, nec quidem moralitèr caractherem, nec etiam gratiam producet.

7
Votum Sacramenti, nec moralitèr cauſat caractherem.

Aſſertio II. Sacramenta, dum actu recipiuntur, ſeu fiunt, cauſant Phyſicè gratiam in vltimo inſtanti actionis, ſeu prolationis formæ Sacramentalis. Hæc opinio iuxta noſtra principia Phyloſophica, quibus conſtituimus continuum permanens conflari ex ſolis punctis indiuiſibilibus Phyſicis finitis, & ſucceſſiuum ex ſolis inſtantibus Phyſicis, & finitis, non videtur pati arduas difficultates, quas patitur, vel in ſententia componente continuum, ſiue ſucceſſiuum, ſiue permanens ex partibus diuiſibilibus in infinitum, vel ex partibus, & punctis continuatiuis, & terminatiuis. Iuxta hanc noſtram opinionem, & principia procedunt quotquot ſuſtinent conflari continuum ex ſolis indiuiſibilibus.

8
Cauſant gratiam in vltimo inſtanti prolationis formæ.

Probatur Sacramēta tunc Phyſicè cauſant gratiam, quando perficitur, & conſummatur ſignificatio formæ, ſed ſignificatio formæ perficitur in vltimo inſtanti intrinſeco, in quo perficitur eadem forma, ergo in eodem vltimo inſtanti intrinſeco producitur Phyſicè gratia. Maior non videtur pati aliquam difficultatem, quia, cum forma id efficiat, quod ſignificat, non poteſt eſſe effectus ſignificatus, quin poſita ſit perfecta ſignificatio. Minor vero probatur, quia non eſt perfecta ſignificatio, vbi non eſt vltima ſillaba, quæ perficit ſignificationem.

9
Perficitur in illo vltimo inſtanti.

Dices primò. Impoſſibile videtur, quod primum eſſe gratiæ Sacramentalis poſſit coexiſtere vltimo indiuiſibili Sacramenti, & vltimo inſtanti temporis, quo Sacramentum perficitur, abſque eo, quod ſimul coexiſtat parti tum Sacramenti, tum temporis, ergo non producitur gratia in vltimo inſtanti indiuiſibili, ſed in parte determinata temporis, Antecedens proba-

10
Soluitur inſtantia oppoſita.

tur, quia, cum tam vltimum indiuiſibile Sacramenti, quam vltimum inſtans temporis non faciat maius, conſequens eſt neutrum eſſe extra partem ſui continui. Sed contrà; negatur antecedens; ad cuius probationem; dico, quod quamuis ſecundum ſe tam indiuiſibile Sacramenti, quam vltimum inſtans temporis non faciant maius, faciant tamen maius, prout coniunguntur cum alijs indiuiſibilibus, alijſque inſtantibus, nec tamen hæc extenſio, ſeu hoc eſſe maius requiritur intrinſecè, vt fiat Sacramentum, ſed ſolummodo extrinſecè ſecundum modum operationis naturalis; cæterum, quamuis ad modum operationis naturalis requiratur illa extenſio, conſummatio tamen eiuſdem, & per conſequens cauſalitas in illo vltimo inſtanti, quo perficitur ſignificatio, & ipſa perficitur, vnde aduertendum eſt, quod Sacramentum poteſt duplicitèr conſiderari, vel in fieri, vel in eſſe perfecto; primo modo videtur exigere extenſionem, cum ſit quodamodo ens ſucceſſiuum; ſecundò vero modo non videtur exigere illam extenſionem, cum poſſit hoc haberi in inſtanti.

Dices ſecundò, vel omnes partes Sacramenti concurrunt ad producendam gratiam, vel ſolum illa vltima pars, quæ correſpondet illi vltimo inſtanti, in quo perficitur ſignificatio; ſi omnes partes concurrunt, ſicuti illæ omnes partes exigunt temporis extenſionem, ita non conſtituent Sacramentum, niſi in tota illa extenſione, & non in mero vltimo inſtanti terminatiuo, cum potiſſimum quando hoc eſt, illæ amplius non ſint; ſi ſolum illa vltima pars; præcedentes eſſet ſuperfluæ, cum non exiſterent, nec influerent. Sed contra; hoc argumentum æquè nos vrget, ac alios, vel aſierentes Sacramenta cauſare in aliqua parte determinata temporis, vel ſolum in vltimo iuſtanti extrinſeco, cum omnes partes Sacramenti nequeant coexiſtere illi vltimæ parti determinatæ, nec illo inſtanti extrinſeco. Per ſolutione tamen directa inſtantię aduerto, exiſtentiam entis ſucceſſiui non requirere, vt omnes eius partes ſint ſimul tempore, ſed aliquid eius eſſe cum quo aliæ partes ſucceſſiuè fluentes ſuo modo faciant quid vnum; cum etenim eſſentia ſucceſſiui conſiſtat in fluere, & in tranſire in ſucceſſione vnius ad alterum exigit, vt quando vna pars ſuccedit, altera deſinat; hinc fit, vt quamuis aliquæ partes fluxerint, quia tamen continuantur ſucceſſiuè cum vltima parte indiuiſibili, dicuntur omnes agere, ea proportionali ratione, qua in ente permanente extenſo, quod in agendo applicatur paſſo, cuius licet non omnes partes attingant paſſum, ſed vltima dumtaxat ſuperficies, nihilominus omnes partes dicuntur agere, quamuis aliquæ diſtant loco, ita in ente ſucceſſiuo, quamuis vltimum ſolum inſtans videatur tangere effectum, quia tamen aliæ partes, ſeu inſtantia faciunt quid vnum ſucceſſiuum cum illo, omnes, ſeu omnia dicuntur agere, quamuis diſtent tempore. Quibus poſitis ad inſtantiam, dico, omnes partes Sacramenti concurrere ad producendam gratiam, quia conſtituunt quid vnum ſuo modo, ſicut agens permanens extenſum dicitur ſecundum omnes ſuas partes agere, quamuis paſſum attingat non ſecundum omnes partes, ſed ſolum ſecundum vltimam ſuperficiem.

11 Omnes partes Sacramẽti cócurrunt ad gratiam, quia conſtituunt quid vnũ.

Vrgebis, non currere paritatem de agente permanente extenſo, ac de ente ſucceſſiuo, quandoquidem omnes partes illius verè, & realitèr exiſtunt, partes vero entis ſucceſſiui, quando ponitur vltimum inſtans non amplius exiſtunt, vnde illæ poſſunt Phyſicè agere, non ſic iſtæ. Sed contrà, quia licet partes agentis permanentis extenſi exiſtant, non coexiſtunt tamen loco paſſo, niſi media ſuperficie alijſque partibus eidem ſuperſiciei adhærentibus, ſicque ſolum ratione continuationis dicuntur indiſtantes non ratione ſui, ſicque dici poſſunt etiam partes entis ſucceſſiui, quamuis ſecundum ſe immediatè non tangant effectum, tangunt tamen ratione continuationis cum vltimo inſtanti, cum quo conſtituunt quid vnum ſucceſſiuum, nec minus videtur requiri ad effectum indiſtantia loci, ac inditantia temporis, vnde ſicuti ſufficit indiſtantia loci ratione continuationis, quamuis non ſit ratione ipſarum partium agentis extenſi ſecundum ſe, ita videtur ſufficere indiſtantia temporis in partibus entis ſucceſſiui ratione eiuſdem continuationis, quamuis non ſit illa indiſtantia ſecundum ſe. Quod deinde partes agentis permanentis extenſi perſeuerent in eſſe Phyſico, & reali, non ſic partes entis ſucceſſiui, quarum primæ ad poſitionem aliarum fluunt, & deſinunt, inferunt ſolum diuerſum modum exiſtendi entis permanentis, & ſucceſſiui, non autem, quod partes entis ſucceſſiui non poſſint ſuo modo agere, cum ſuo modo conſtituant ſignificationem; quæ cum compleatur in vltimo inſtanti, in illo ſolum conſtituunt Sacramentum completum, & perfectum perſeuerante tamen principio, & medio ſignificationis cum illo vltimo complemento; non enim in illo vltimo complemento ſecundum ſe conſiſtit tota ſignificatio, ſed in illo cum partibus præcedentibus, vnde licet verba fluant, ſignificatio tamen permanet cum perficiatur in illo vltimo inſtanti;

12 Soluitur inſtantia ex diuerſitate entis permanentis.

ARTICVLVS VI.

An omnia Sacramenta habeant vim cauſandi primam gratiam.

SVMMARIVM.

Extra controuerſiam eſt, quod Sacramenta mortuorum cuaſent primam gratiam, & viuorum ſecundam. 1.
In quo conſiſtat ratio dubitandi circa titulum. 2.
Explicatur nonnullorum ſententia agnoſcentium in Sacramentis duplicem rationem, aliam rationem genericam, aliam ſpecificam. 3.
Sacramenta viuorum per ſe non cauſant primam gratiam, nec illa mortuorum ſecundam. 4.
Impugnatur illa duplex ratio in Sacramentis generica, & ſpecifica rationis. 5.
Chriſtus Dominus ſingulis Sacramentis tribuit determinatam virtutem. 6.
Gratia prima non differt pracisè ratione ſubiecti à ſecunda, ſed ratione remiſſionis culpæ præcedentis. 7.
Sacramenta viuorum cum ſola atritione non cauſant gratiam. 8.
Sacramentum Extremæ Vnctionis per ſe non remittit peccata lathalia. 9.
Sententia docens Sacramenta viuorum per accidens producere primam gratiam, & illa mortuorum ſecundam. 10.
Sententia negans. 11.
Sacramenta mortuorum quandoque producunt ſecundam gratiam. 12.
Rationes ſuadentes etiam Sacramenta viuorum quandoque producere primam. 13.
Euincitur ſpecialitèr in Sacramento Euchariſtiæ. 14.
Soluitur inſtantia oppoſita. 15.
Quid ſentiendum ſit remiſſiuè. 16.

1 Certum eſt Sacramenta mortuorum cauſare primam, viuorum ſecundam gratiam.

SAcramenta, vt ſæpius dictum eſt, alia ſunt viuorum, quæ ex genere ſuo ſupponunt vitam ſpiritualem, ſeu gratiam in ſubiecto, in quo recipiuntur; alia mortuorum, quæ non ſupponunt præexiſtentem vitam ſpiritualem; ſed conferunt, quæ propterea dicuntur mortuorum, quia à morte ad vitam reuocant. Sacramenta mortuorum ex genere ſuo conferre primam gratiam, nullus eſt, qui dubitet, cum ad hoc nata ſint, ſeu inſtituta; Sacramenta vero viuorum conferre ſecundum ſe ſecundam gratiam, ſeu augmentum eiuſdem eſt veritas Catholica communitèr ab omnibus recepta aſſerente *Concil. Florent. in Inſtit. Armenorum: Per Baptiſmum ſpiritualitèr renaſcimur, per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide, renati autem paſcimur Euchariſtia alimonia &c. Quod ſi per peccatum in ægritudinem animæ incurrimus per pænitentiam ſanamur*; ex quibus verbis eruitur, quod Baptiſmus, & Pænitentia ſint Sacramenta mortuorum, alia vero viuorum.

2 In quo conſiſtat ratio tituli.

Difficultas ſolummodo, quæ verſari poteſt in hoc titulo, eſſe poteſt, vel in hoc, an ſola Sacramenta mortuorum ſint cauſatiua gratiæ primæ per ſe, ita vt excludant à tali cauſalitate per ſe alia omnia Sacramenta, & an ſola Sacramenta viuorum ſint ſolum cauſatiua per ſe gratiæ ſecundæ, itá vt hæc virtus non poſſit competere Sacramentis mortuorum, vel in eo, quod, licet Sacramenta viuorum non ſint per ſe cauſatiua primæ gratiæ, eandem tamen poſſent cauſare per accidens, & licet Sacramenta mortuorum non ſint per ſe nata ad cauſandam ſecundam, poſſint tamen quandoque illam per accidens producere.

3 Explicatur nonnullorum ſententia, duplicem rationem in Sacramentis agnoſcentium.

Quoad primum punctum orta eſt ratio controuerſiæ ex quadam diſtinctione à nonnullis inducta, ſecundum quam in Sacramentis duplicem quandam rationem cognoſcunt, aliam genericam, & omnibus Sacramentis communem, aliam ſpecificam, & differentialem ſingulis Sacramentis diſtinctè competentem, qua ſuppoſita diſtinctione aſſerunt ex ratione generica competere omnibus Sacramentis etiam viuorum producere primam gratiam, non ex ratione ſpecifica, quæ competit ſolis Sacramentis mortuorum, & item ex ratione generica competere omnibus Sacramentis etiam mortuorum cauſare ſecundum gratiam, non ſic ex ratione ſpecifica, cum hæc competat ſolum Sacramentis viuorum; Ex eo autem, quod omnibus Sacramentis ex ratione generica competat producere primam, & ſecundam gratiam, aſſerunt illam rationem cauſandi eiſdem competere per ſe, cum ratio generica competat per ſe omnibus exiſtentibus ſub tali ratione. Diſtinguunt poſtea in tali ratione cauſandi Sacramenta mortuorum à Sacramentis viuorum per hoc, quod prima cauſant primam gratiam, ſeu habeant vim cauſatiuam eiuſdem non ſolum ex ratione generica, ſed etiam ex ſpecifica, & differentiali ex vi ſuæ inſtitutionis; ſecunda vero ſolum ex ratione generica, non ex ſpecifica, & quod hæc ſecunda in ordine ad vim cauſatiuam ſecundæ gratiæ illam habeant, & ex ratione generica, & differentiali ſimul, prima vero ex ratione generica. Nihil omnius ſit

Aſſertio I. Sacramenta viuorum non

com-

4 Nec viuorum primam cauſant per ſe, nec mortuorum ſecundã.

competit per ſe cauſare primam gratiam, nec Sacramentis mortuorum per ſe producere ſecundam. Conſentiunt *D. Thomas q. 68. art. 4., & in quarto diſt. 6. q. 1. art. 3. quæſtiuncula prima ad quintum. Scotus in quarto diſt. 4. q. 5. §. reſpondeo, Amicus diſp. 4. ſect. 4., & 5., Eſparza lib. 10. q. 26., Madernus de Sacram. in genere q. 3. art. 6. n. 4., Cacheranus tract. 8. de Sacram. in gen. c. 4. §. 6. n. 100.*

Probatur primò ex diſcrimine, quod intercedit inter Sacramenta viuorum, & mortuorum, quod in alio principalius non poteſt conſiſtere, niſi in eo, quod illa vitam ſpiritualem augeant, iſta vitam, quæ antecedentèr non erat, conferant, quod eſt per ſe illa conferre ſecundam gratiam, iſta primam; ſi etenim illa viuorum per ſe primam gratiam conferrent, & etiam ſecundam, & illa mortuorum per ſe ſecundam, & ſimul primam, vix eſſet, per quod adinuicem diſtinguerentur. Neque dicas, diſtingui inter ſe ex ratione illa mox expoſita in ratione dubitandi, nempè, quod Sacramentis viuorum competat illa vis cauſatiua primæ gratiæ ſolum ex ratione generica, & non ſpecifica, & quod Sacramentis mortuorum vis cauſatiua ſecundæ gratiæ competat ex ratione generica ſolum, & non ſpecifica; Contra enim impugnaberis, quia illa diſtinctio rationis genericæ, & ſpecificæ gratis omnino confingitur, & impertinens eſt in ordine ad cauſalitatem Sacramentorum, cum Chriſtus Dominus omnia Sacramenta in ſpecie inſtituerit, & ſingulis ſuam virtutem proportionatam contulerit; quod deindè ab illis poſſit extrahi aliqua ratio communis, & generica eſt opus intellectus, quod nequit conferre ad Phyſicam cauſalitatem.

5 Impugnatur illa ratio diſtinctionis in genericã, & ſpecificam.

Probatur ſecundò, data illa ratione generica omnibus Sacramentis communi, iſta non reſpiceret primam gratiam, ſed gratiam abſtrahentem a prima, & ſecunda, nam ratio generica debet eſſe contrahibilis per differentias oppoſitas, ſeu ſaltem diſparatas; non eſſet autem ſic contrahibilis, ſi reſpiceret dumtaxat primam gratiam, nam per Sacramenta mortuorum per ſe ipſam contraheretur, cum iſta per ſe habeant primam gratiam cauſare, ergo non habent Sacramenta ex ratione generica cauſare primam gratiam per ſe.

Dices ex eo, quod ex ratione generica habent cauſare gratiam abſtrahentem a prima, & ſecunda, poſſunt per ſe cauſare primam, ſeu gratiam, in quã continetur tum prima, tum ſecunda, ergo ex tali ratione generica poſſunt etiam Sacramenta viuorum per ſe cauſare gratiam primam, quod etiam ex eo magis verum redditur, quod gratia prima non differt à ſecunda, niſi ratione ſubiecti, in quo, ſi nullam aliam gratiam præexiſtentem inueniat, dicatur prima, ſi vero aliam inueniat, dicatur ſecunda, cæterum ſecundum entitatem non differunt. Sed contra, quia argumentum a nobis allatum eo præcisè tendit, vt data contraria ſententia adſtruente illam rationem genericam ab aduerſarijs excogitatam euinceretur illam non reſpicere determinatè gratiam primam, ſed dumtaxat gratiam abſtrahentem a prima, & ſecunda, quæ vt ſic abſtrahens non eſt ponibilis, cum dari non poſſit a parte rei gratia in abſtracto. Cæterum dato; quod ex vi illius rationis genericæ non poſſint reſpicere illam gratiã primam determinatè, quia in Sacramentis mortuorum contraheretur per ſe ipſam, & ex alia parte gratia in abſtracto non poſſit a parte rei poni, ſequitur, quod illa ratio generica non ſit conſiderabilis, ſed attendenda præcisè ratio ſpecifica ſingulorum Sacramentorum, ſecundum quam iuxta inſtitutionem Chriſti Domini debet per ſe, vel cauſare gratiam primam, vel ſecundam. Ad illud, quod ſubditur, dico gratiam primam, & ſecundam non differre præcisè ratione ſubiecti, ſed ratione remiſſionis præexiſtentis peccati; cum etenim ſecundum præſentem prouidentiam non detur ſtatus medius inter ſtatum gratiæ, & ſtatum peccati, ſequitur, quod in ſubiecto, in quo non eſt gratia, præexiſtat peccatum, nec poteſt in ipſo recipi, niſi peccatum expellat; ex quo ſequitur, quod gratia prima non ſolum importet entitatem eiuſdem, ſed etiam remiſſionem peccati præcedentis, ſicque conſtituat complexum ex entitate gratiæ, & remiſſione peccati præcedentis, & hoc pacto, licet gratia prima non differat in entitate à ſecunda, differt tamen ratione alterius, cum quo indiſpenſabilitèr coniungitur ipſa gratia prima; ex quibus ſequitur, quod illa Sacramenta, quæ non ſunt per ſe inſtituta ad cauſandam remiſſionem peccatorum, nec ſint inſtituta per ſe ad cauſandam primam gratiam.

6 Chriſtus Dominus tribuit ſingulis Sacramẽtis determinatam virtutẽ.

7 Quomodo gratia prima differat à ſecunda.

Probatur tertiò, Sacramenta viuorum cum ſola attritione non ſunt per ſe apta ad cauſandam gratiam remiſſiuam peccatorum, ſicuti ſunt Sacramenta mortuorum, ergo, quia illa non habent per ſe cauſare gratiam primam, cæteroqui, ſicuti iſta, quia ſunt cauſatiua per ſe primæ gratiæ, eandem cauſant cum ſola attritione, & illa, ſi eſſent per ſe cauſatiua eiuſdem, eãdem cum ſola attritione producerent, & ſic qui accederet ad Euchariſtiam, vel ad aliud Sacramentum cum eadem conſequeretur effectum gratiæ cum remiſſione peccatorum, quod nemo dicit ſine nota

8 Sacramẽta viuorũ cum ſola attritione non cauſant gratiam.

erro-

erroris, vt notat *Arriaga diſp. 16. ſect. 1. num. 6.*

Difficultas ſolummodo aliqua quoad hoc videtur verſari circa Sacramentum Extremæ Vnctionis propter illud *Iacobi 5.* vbi loquens de hoc Sacramento habet, *& ſi in peccatis eſt, dimittentur ei,* addito etiam quod Extrema Vnctio, quando applicari nequit Sacramentum Pænitentiæ adhibeatur cum intentione delendi peccata, adeout quamuis periclitanti nulla ſenſibilia ſigna doloris exhibenti dari non poſſit abſolutio, vel ad ſummum ſub conditione danda tamen ſit eidem Extrema Vnctio abſolutè, quod indicat vim, quam Eccleſia præſumptiuè cognoſcit in eadem Extrema Vnctione delendi peccata, ſi quæ fuerint in ſubiecto periclitante.

9 Sacramẽtum Extremæ Vnctionis per ſe non delet peccata.

Nihilominus ſentiendum eſt, nec Extremam Vnctionem habere per ſe vim cauſatiuam primæ gratiæ, quia, & ipſa nemine diſceptante computatur inter Sacramenta viuorum, vnde, ſi quis ſibi conſcius peccati læthalis, & ſui compos recepturus eſſet hoc Sacramentum, non poſſet illud recipere, niſi prius confeſſionem, ſi poſſet, præmitteret, qua iuſtificaretur; Nec obſtant ea; quæ ſubduntur, quandoquidem, quod dari nequeat abſolutio nulla exhibenti ſigna ſenſibilia doloris prouenit ex defectu materiæ proximæ, quæ eſt dolor ſenſibilis, ſine quo nec licitè, nec validè impenditur forma, quod vero impendenda ſit Extrema Vnctio, ex eo habetur, quod ex vna parte vrget aliqua neceſſitas, & ex alia adeſt materia, & forma eſt applicabilis, & præſumi poteſt, vel nullum eſſe peccatum in periclitante, vel in eodem adeſſe actum contritionis. Ad illud, quod dicebatur ex illo *Iacobi 5.* dicendum eſt, vel intelligi dumtaxat de peccatis venialibus, vel de reliquijs peccatorum, pro quibus delendis hoc Sacramentum inſtitutum eſt.

10 Sentẽtia docens Sacramẽta viuorũ per accidens cauſare primã gratiam.

Quoad ſecundum punctum in principio tituli propoſitum, an ſcilicet Sacramenta mortuorum cauſare poſſint gratiam ſecũdam per accidens, & Sacramenta viuorum primam item per accidens, maxima eſt controuerſia inter DD., & pręcipuè quoad Sacramenta viuorum in ordine ad primam gratiam per accidens producendam. Affirmant *Riccardus in quarto diſt. 9. art. 2. q. 1., Sotus in quarto diſt. 7. q. vnica art. 7., Capreolus diſt. 13. art. 1., Caietanus tertia part. q. 72. art. 7., Nugnus q. 62. art. 1., Gouetus diſp. 3. de Sacram. in genere art. 5. §. 5., Amicus diſp. 4. de Sacram. in gen. ſect. 5., Madernus q. 3. art. 6., Maſtrius diſp. 1. q. 10. art. 2., Laurea diſp. 26. art. 1. n. 5., & alij magis communitèr.*

11 Sentẽtia negans.

Negant vero *Centinus diſp. 3. de Sacrament. Confirm., Ganatius diſp. 12. de Sacram. Eucharistiæ q. 1. c. 2., Vaſquez diſp. 205. c. 4., Hurtadus diſp. 3. difficult. 4., Lugus diſp. 12. ſect. 1., Eſparza lib. 10. q. 26. art. 2., Villalobos tract. 4. difficul. 7.,* qui pro ſe citant aliquos antiquiores; hancque negatiuam ſententiam probabiliorem exiſtimat *Cacheranus tract. 9. de Eucharistia, vt Sacram. c. 5. §. 2. n. 32.* admittit tamen eſſe probabilem etiam ſententiam affirmantem.

Aſſertio II. Sacramenta mortuorum quandoque per accidens cauſare poſſunt ſecundam gratiam, an vero Sacramenta viuorum producant quandoque primam; vtraque opinio eſt probabilis.

12 Sacramẽta mortuorum quandoque producunt ſecundã gratiam.

Ratio primæ partis ex eo deducitur in ordine ad Baptiſmum, quod poteſt quis ante actualem ſuſceptionem eiuſdem per actum contritionis cum voto acquirere gratiam remiſſiuam originalis, cęterorumque actualium antecedentèr commiſſorum, ergo poſtea per actualem ſuſceptionem eiuſdem poterit nouam gratiam acquirere, quæ, cum in ſubiecto inueniat aliam præcedentem, non poterit dici prima, ſed erit ſecunda, & conferet augmentum gratiæ præcedentis, non gratiam ſimplicitèr primam; nec eſt ambigendum, quod in actuali ſuſceptione conferatur gratia, cum omnia Sacramenta in ſuſceptione infallibilitèr gratiam conferant; In ordine vero ad Sacramentum Pænitentiæ ratio ex eo deſumitur, quod quis poteſt ad idem Sacramentum accedere cum debitis diſpoſitionibus ſibi conſcius ſolummodo peccatorum venialium, vel fortè etiam læthalium antecedentèr per alias Sacramentales Confeſſiones remiſſorum, vel per actum contritionis deletorum, ſed in hac hypotheſi gratiam conſequeretur, quæ in ſubiecto iam grato non poſſet dici prima, ergo ſecunda.

13 Rationes ſuadẽtes illa viuorum quãdoque cauſare primam.

Quoad ſecundam pro ſententia affirmante euincitur primo ex *D. Thoma 3. part. q. 79. art. 3.* Ibi *Cum quis eſt in peccato mortali, cuius conſcientiam, & affectum non habet, fortè enim primo non fuit ſufficientèr contritus, ſed deuotè, & reuerentèr accedens conſequitur per hoc Sacramentum Eucharistiæ gratiam charitatis, quæ contritionem perficiat, & remiſſionem peccati.* Hoc idem docet de Confirmatione *q. 72. art. 7. ad tertium, & de Extrema Vnctione in quarto diſt. 23. q. 1. art. 2.* Ibi *Quia hoc robur gratia facit, quæ ſecum non compatitur peccatum, ideo ex conſequenti, ſi inuenit peccatum aliquod, vel mortale, vel veniale, quoad culpam tollit ipſum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis,* ſicuti etiam de Eucharistia, & de Confirmatione ſupra dictum eſt.

Auctoritatibus D. Thomæ accedunt aliæ SS. PP. tribuentium Eucharistiæ vim

viuificandi mortuos; purgandi, abſtergendi omnem immunditiam, quæ auctoritates, cum nequeant intelligi de vi cauſatiua per ſe, intelligendæ ſunt de cauſalitate per accidens; Sic D. Auguſtinus relatus à *Durando in quarto diſt. 9. q. 4. n. 7.* ait, *Corpus Chriſti, dum manducatur, viuificat mortuos* D. Cirillus Alexandrinus *lib. 4. in Ioannem c. 14.*, vbi docet carnem Chriſti manducatam in hoc Sacramento ſuſcitare mortuos, ſicuti tactu ſuæ carnis ſuſcitauit filium viduæ Nain.

Eadem ſecunda pars etiam rationibus euincitur, & primò, quamuis omnia Sacramenta ſecundum ſe ſint inſtituta in ordine ad diuerſos fines, & effectus, nempè Baptiſmus ad regenerandum, Confirmatio ad roborandam vitam ſpiritualem, Euchariſtia ad nutriendum, & ſic de cæteris, omnia tamen peræquè ſunt inſtrumenta paſſionis, & mortis Redemptoris, quæ ad remittenda peccata, & infundendam quamlibet gratiam ordinata eſt, ergo, quamuis iuxta inſtitutionem ex genere ſuo, & per ſe vnumquodque habent cauſare ſpecialitèr gratiam in ſuo ordine, quatenus tamen ſunt inſtrumenta paſſionis Chriſti poterunt per accidens, & ex ſecundario fine producere remiſſionem peccatorum, & gratiam primam.

Rationes ſuadentes, nec per accidens producere primam. Pro ſententia vero negante hæ militant rationes: Primò, quia ex ſupradictis Sacramentis ſingulis indita eſt virtus ad determinatos effectus, vltra quos non extenduntur, & ſic Sacramentis mortuorum collata eſt vis remittendi peccata, quæ ſecum afferunt mortem ſpiritualem; illis vero viuorum vis ſolum augendi vitam ſpiritualem præexiſtentem in ſubiecto; Neque dicas hæc ſubſiſtere quoad vim per ſe conferendi eandem primam gratiam, quæ ſolum competit Sacramentis mortuorum, non vero quoad vim conferendi eandem per accidens, potiſſimum cum omnia Sacramenta ſint inſtrumenta paſſionis, & mortis Chriſti Domini, quæ æquè valida eſt ad conferendam ſiue primam, ſiue ſecundam gratiam; Contrà enim impugnaberis, quia licet paſſio, & mors Chriſti Domini ſit apta, & efficax ad cauſandam vtramque gratiam, non applicatur tamen indefinitè per omnia Sacramenta ſecundum eandem virtutem, ſed ad normam inſtitutionis iuxta cuiuslibet conditionem. Cæterum, quod Sacramentis viuorum non inſit vis etiam per accidens remittendi peccata, ſeu cauſandi gratiam remiſſiuam ipſorum, ex eo euincitur, quod gratis omnino hoc dicatur, cum de hac virtute, nec conſtet ex Sacris Scripturis, nec ex natura, & inſtitutione aut ſpecifica, aut generica eorundum;

14 Euincitur ſpecialiter in Sacramento Euchariſtiæ.

non ex Sacris Scripturis, cum nullus textus ſit aſſignabilis hoc euincens; non ex natura, & inſtitutione generica, quia hæc latè improbata eſt ſupra; non ex ſpecifica; quia conſiderato pro nunc Sacramento Euchariſtiæ, ex quo à fortiori poteſt deduci ratio pro cæteris Sacramentis viuorum, hoc ex natura, & inſtitutione ſuam non habet cauſare, niſi augmentum vitæ, ſeu gratiæ, cum ſe habeat per modum cibi, & potus, & per conſequens non poſſit, niſi hominem viuum nutrire, vnde Pius V. in Catechiſmo hæc habet, *Conſtat quemadmodum mortuis corporibus naturale alimentum nihil prodeſt, ita etiam animæ, quæ ſpiritu non viuit, ſacra myſteria nihil prodeſſe, ac propterea panis, & vini ſpeciem habent, vt ſignificent non quidem renouandæ ad vitam animæ, ſed ad vitæ conſeruandæ cauſam inſtituta eſſe.*

Secundò, vel omnia Sacramenta continent eandem virtutem producendi quãcunque gratiam, ſiue primam, ſiue ſecundam, vel non continent; ſi continent; ex virtute ſibi intrinſeca, quomodocunque applicentur, producent primam, ſi in ſubiecto aliam præcedentem non inuenerint, vel ſecundam, ſi aliam inuenerint, vnde quod producant, vel primam, vel ſecundam non erit ratione Sacramenti, ſed ratione ſubiecti; ſi non continent, non apparet, quomodo poſſint producere primam, ſi inſtituta ſunt pro ſecunda, ex quibus ſequitur, quod, vel habeant vim per ſe producendi quamcunque gratiam iuxta exigentiam ſubiecti, vel neque habent vim producendi per accidens.

Neque obſtant ea, quæ ſupra dicebantur de Sacramentis mortuorum, quæ quãdoque producant ſecundam gratiam; ex quibus videtur reɡè inferri; quòd etiam illa viuorum quandoque producant primam; Non, inquam, obſtant, quia, quod continet, quod maius eſt, continet etiam ſaltem per accidens; quod minus eſt in eodem genere, potiſſimum cum gratia prima non differat a ſecunda; niſi ratione præſuppoſiti peccati, quod prima remittit. 15 Soluitur inſtantia oppoſita.

Cum autem vtraque opinio quoad Sacramenta viuorum in ordine ad primam gratiam per accidens producendam; vel non producendam probabilis videatur, quæ tamen ſic ſequenda, nunc non definio: Fortaſſis iuxta diuerſam cuiuſcunque Sacramenti naturam, & conditionem erit diuerſimodè ſentiendum; vnde reſolutionem huius quæſtionis reſeruandam cenſeo, dum de ſingulis Sacramentis in particulari.

16 Quid ſentiendum ſit remiſſiue.

AR-

ARTICVLVS VII.

An, & quomodo gratia Sacramentalis differat à non Sacramentali.

SVMMARIVM.

Quid ſenſerint DD. circa hanc diuerſitatem. 1.
Reijcitur ſententia conſtituens hanc diuerſitatem in ſolo diuerſo principio vtriuſque. 2.
Reijcitur item opinio aſſerentium gratiam Sacramentalem importare habitum diſtinctum à gratia communitèr dicta. 3.
Non conſiſtit in modo afficiente gratiam Sacramentalem. 4.
Entitates modales non ſunt ſecundum ſe operatiuæ. 5.
Nec conſiſtit in caracthere, nec in ornatu extrinſeco. 6.
Gratia Sacramentalis differt inadæquatè à non Sacramentali. 7.
Illa inadæquata diſtinctio conſiſtit in eo, quod Sacramentalis importat ſupra non Sacramentalem ius ad ſpecialia auxilia. Ibid.
Euincitur auctoritate D. Thomæ. 8.
Ex diuerſitate effectuum arguitur diuerſum ius in ſingulis Sacramentis. 9.
Ius ad illa auxilia non exigit ſemper in actu illa habere, ſed quando expedit illa habere. 10.
Hoc ius morale fundatur in Sacramentis. 11.
Explicatur, quomodo gratia Sacramentalis trahat ſecum ius ad illa ſpecialia auxilia. 12.
Secundum Maderuum illud ius in radice producitur Phyſicè à Sacramentis. 13.
Melius producitur ſolum ab eiſdem moralitèr. 14.
Gratia Sacramentalis differt ſolum ſpecie morali, & inadæquatè à non Sacramentali. 15.

1 **Recensētur varij modi diſtinguendi huiuſmodi gratias.**

Diſcrimen aliquod inter gratiam Sacramentalem, & non Sacramentalem agnoſcunt omnes Theologi, ſed non omnes conueniunt in aſſignando, in quonam conſiſtat tale diſcrimen, an ſolum ratione principij, quatenus gratia non Sacramentalis à ſolo Deo producatur, gratia verò Sacramentalis à Deo ſimul, & Sacramento, prout ſenſerunt *D. Bonauentura, Riccardus, & alij* relati à *Goneto diſp. 3. art. 4.*, vel quatenus gratia non Sacramentalis procedat ſaltem diſpoſitiuè ab actibus recipientis, Sacramentalis vero à virtute Sacramenti principalitèr, licet ſecundario etiam à diſpoſitione eiuſdem ſuſcipientis, an vero ratione alicuius formæ, vel habitus diſtincti ab eadem gratia, quatenus ſcilicet Sacramentalis coniungatur cum alio habitu, vel ſimul, vel ſubſequentèr producto, vt ſenſerunt *Paludanus in quarto diſt. 2. q. 1., & Aureolus diſt. 1. q. 3. art. 4.*, cum quo non coniungatur gratia merè habitualis non Sacramentalis, an verò ratione alicuius modi afficientis Sacramentalem, non verò merè habitualem, vt ſenſerunt *Nugnus q. 62. art. 2., Ioannes à Sancto Thoma diſp. 24. art. 2.*, & alij, an vero ratione alicuius concomitantis, quod reſpectu Sacramentorum irriterabilium ſit caracther, reſpectu vero iterabilium ſit quidam ornatus, pro vt alij ſuſtinuerunt, qui caracther, ſeu ornatus non eſt in non Sacramentali.

Aſſertio I. Diuerſitas inter gratiam Sacramentalem, & non Sacramentalem in nullo ex mox allegatis modis conſiſtit, non quia, ſi illi modi, ſeu rationes exiſterent, non ſufficerent ad diuerſificandum, ſi excipias primum dicendi modum referentem ſolam diuerſitatem in principium, ſed quia, vel neceſſarij non ſunt, vel non poſſibiles.

2 **Reijcitur ſententia conſtituens diuerſitatē in diuerſis principijs.**

Probatur primò impugnando primum modum dicendi referentem ſolam diuerſitatem in principium productiuum. Ex diuerſitate principiorum non arguitur diuerſitas in effectu, ergo ex eo, quod gratia Sacramentalis ſit a Deo ſimul, & Sacramento, non Sacramentalis à ſolo Deo non ſequitur, quod huiuſmodi gratiæ diuerſificentur inter ſe. Antecedens probatur, tum quia effectus non ſpecificantur a principio extrinſeco, vt ſuppono ex Phyſicis, tum quia cæteri effectus non diuerſificantur inter ſe ex eo, quod immediatè producantur à Deo, vel ab eodem mediante inſtrumento. Quis enim diceret, quod ignis, v. g. à Deo productus ſit diuerſus ab eo, qui produceretur à Deo ſimul, & creatura? ergo ex eo, quod gratia Sacramentalis producatur à Deo ſimul cum Sacramento, & non Sacramentalis à Deo ſolo non ſequitur, quod vtraque gratia ad inuicem comparata ſit diuerſa. Propter eandem rationem euincitur etiam non oriri diuerſitatem ex eo, quod gratia non Sacramentalis procedat diſpoſitiuè, & principalitèr ab actibus ſe diſponentis, Sacramentalis vero principalitèr ex vi Sacramenti.

3 **Non importat habitum diſtinctum.**

Probatur ſecundò, impugnando modum ſecundum dicendi referentem diuerſitatem in habitum diſtinctum ab ipſo habitu gratiæ, qui coniungatur cum gratia producta à Sacramento, non cum gratia à ſolo Deo producta. Probatur, inquam, quia, vel ille habitus diſtinctus a gratia habituali, quem per aduerſarios importat gratia Sacramentalis datur ex

Digitized by Google

neceſſitate propter effectus particulares Sacramentorum, vel propter quid aliud, quod non eſt aſſignabile, ſed in ordine ad actus, ſeu effectus proprios, & particulares Sacramentorum ille habitus non eſt neceſſarius, ergo &c. Minor probatur, quia effectus Sacramentorum proprij non ſunt, niſi actus particularium virtutum, ad quos eadem Sacramenta ordinantur; ſed ad huiuſmodi effectus non eſt habitus ille diſtinctus neceſſarius, quod ſic probatur. In iuſtificatione hominis cum remiſſione peccatorum infunduntur alij habitus ſupernaturales, vt definit *Concilium Tridentinum ſeſs. 6. c. 7.*, qui ſufficientèr diſponunt ad actus propriarum virtutum, ergo ad huiuſmodi actus non eſt neceſſarius habitus ſupernaturalis diſtinctus ab habitu gratiæ, aliarumque virtutum, quæ ſimul infunduntur cum habitu gratiæ.

Rurſus, ſi ille habitus daretur, non eſſet proprius gratiæ, quæ acquireretur medijs Sacramentis, ſed æquè conueniret gratiæ ſupernaturali ſecundum ſe ſumptæ etiam acquiſitæ extra Sacramenta, ergo ratione eiuſdem non benè diſtingueretur gratia Sacramentalis a non Sacramentali. Antecedens probatur, quia ille habitus vtique eſſet ſupernaturalis, ergo conueniret gratiæ ſecundum ſe ſumptæ ſiue habitæ in Sacramento, ſiue extra Sacramentum. Conſequentia probatur, quia gratia ſecundum ſe ſumpta eſt prima radix cuiuſcunque eſſe ſupernaturalis, vndè quicunque habitus ſupernaturalis comparatur ad ipſam tanquam proprietas ad eſſentiam, & vt loquitur D. Thomas tanquam potentia ad naturam, ergo, cum ſit proprietas gratiæ ſecundum ſe ſumptæ, quomodocunque gratia acquiratur, ad illam conſequetur ille habitus.

Probatur tertiò, impugnando tertium modum dicendi referentem diuerſitatem in modo afficiente gratiam Sacramentalem, non autem merè habitualam. Hic modus, ſeu modificatio, vel eſt intrinſecus, ſeu intrinſeca, & eſſentialis gratiæ Sacramentali, vel non eſt inteinſeca, & non eſſentialis; ſi intrinſeca, & eſſentialis iam conſtitueret diuerſitatem ſpecificam, & eſſentialem non ſolum inter gratiam Sacramentalem, & inter non Sacramentalem, ſed etiam inter Sacramentalem productam ab vno Sacramento, & Sacramentalem productam ab alio; hæc autem diuerſitas ſpecifica, & eſſentialis non videtur poſſe compati cum intenſione eiuſdem gratiæ, quæ intenſio æquè ſit, ſiue per gratiam productam à Sacramentis, ſiue extra Sacramenta, quandoquidem qualitates ſpecie diuerſæ non poſſunt coaleſcere in vnam intenſam, cum gradus intendentes debeant eſſe in eadem ſpecie, nec qualitates in ſpecie diuerſæ ſe inuicem intendunt; Quod, ſi dicatur, qualitates intendentes debere eſſe etherogeneas, adeoque quantumuis diuerſas poſſe intenſionem producere; tunc, præterquamquod ex Phyſicis ſuppono hanc etherogeneitatem in gradibus non eſſe admittendam, hæc dictio nihil euinceret, quia in primis etherogeneitas in gradibus non importat diuerſitatem ſpecificam, cæteroqui qualitas intenſa, puta calor intenſus, vt octo, non eſſet vna qualitas in ſpecie, cum conſtaret partibus ſpecie diuerſis; Deindè gratia intenſa non poſſet augeri per actum minus intenſum, cum hic gradus minus intenſus non poſſet augere; quod magis intenſum eſt; Auctores etenim conſtituentes intenſionem in gradibus etherogeneis aſſerunt, quod ſecundus gradus etherogeneus intendens primum gradum debeat eſſe intenſior primo.

4 Non cōſiſtit in modo afficiente gratiam Sacramētalem.

Si dicatur, quod modificatio non ſit intrinſeca, & eſſentialis, quatenus ſit modus ſuperadditus; ex multis rationibus hic improbatur; primò, quia omnis modus tanquam entitas ſuperaddita in nullo a nobis admittitur; ſecundò, quia entitates modales non ſunt ſecundum ſe operatiuæ, cum tamen ab aduerſarijs dicatur gratia Sacramentalis diſtincta à non Sacramentali in ordine ad diuerſos effectus producendos; Quod, ſi dicatur, quod quamuis entitates modales non ſint ſecundum ſe operatiuæ, ſint tamen determinatiuæ ad diuerſimodè operandum, adeout operatió diuerſa procedat ab eadem gratia, quandó coniungitur cum illo determinatiuo in Sacramento, ſine quo non procederet diuerſa operatio. Si, inquam, hoc dicatur; ſtatim impugnabitur, quia illa determinatio poteſt haberi per diuerſam applicationem, quæ ſit per diuerſa Sacramenta; ſicuti etiam in Phyſicis, quod cauſa producat hunc, vel illum effectum, quando eſt apta producere plures, prouenit a diuerſa eiuſdem cauſæ applicatione. Tertiò, quia dato, quod ſufficiat ad diuerſificandam Sacramentalem à non Sacramentali gratia modificatio extrinſeca, vtique non erit neceſſaria Phyſica, ſed ſufficiet moralis, de qua nos infrà latè agemus.

5 Entitates modales non ſunt ſecundū ſe operatiuæ.

Probatur quartò, impugnando quartum modum dicendi referentem diuerſitatem Sacramentalis gratiæ à non Sacramentali, vel in caractherem quoad Sacramenta irriterabilia, vel in extrinſeco ornatu in iterabilibus; & primo quoad caractherem. Caracther impertinentèr ſe habet ad gratiam Sacramentalem, quando-

6 Nec conſiſtit in caracthere, nec in ornatu extrinſeco.

Digitized by Google

doquidem poteſt poni ſine illa, vt quando recipitur Sacramentum cum obice, poteſt perſeuerare illa non perſeuerante, vt quādo poſt gratiam in Sacramento acquiſitam, hæc per peccatum deperditur, tunc etenim adhuc caracther perſeuerat; Rurſus hic caracther non confert ius ad auxilia actualia pro effectibus, ad quos Sacramenta ordinantur; cum hoc ius ſit dumtaxat in iuſtis, non in peccatoribus, & multo minus in damnatis, cum adhuc in eiſdem caracther perſeueret; ſecundò quoad illum extrinſecum ornatum ſic euincitur, quia nullum habemus fundamentum, nec ex Sacris Scripturis, nec ex Concilijs, nec ex aliqua Eccleſiæ definitione adſtruendi illum ornatum pro Sacramentis iterabilibus, qui diuerſimodè afficiat ſubiectum, iuxta diuerſitatem Sacramentorum, & diuerſum à gratia iuſtificante, & ſanctificante, ergo gratis omnino confingitur.

7 Sacramētalis differt inadæquatè.

Aſſertio II. Gratia Sacramentalis differt inadæquatè à non Sacramentali per hoc, quod Sacramentalis importat quoddam complexum ex ipſa gratia iuſtificante, & iure ad actualia auxilia ordinata ad ſpeciales effectus correſpondentes ſingulis Sacramentis iuxta ipſorum naturam. Conſentiunt in hoc *Maderus tract. 2. de Sacram. in gen. q. 3. art. 7. n. 4., Casberanus tract. 8. de Sacrament. in gen. c. 4. §. 5. n. 87., & alij Neoterici ſatis communitèr.*

8 Euincitur auctoritate D. Thomæ.

Probatur primò ex *D. Thomæ tertia part. q. 62. art. 2. in corp.*, vbi ſic habet, *Sicuti virtutes, & dona addunt ſuper gratiam communitèr dictam quandam perfectionem determinatè ordinatam ad proprios actus potentiarum, ita gratia Sacramentalis addit ſuper gratiam communitèr dictam, & ſuper virtutes, & dona quoddam Diuinum auxilium ad conſequendum Sacramenti finem*; vbi vides Angelicum Doctorem ſupra gratiam cōmunitèr dictam nō cognoſcere quid aliud in gratia Sacramentali, quam auxilium Diuinum in ordine ad effectus Sacramentorum; Neque dicas S. D. comparare gratiam non Sacramentalem ad gratiam Sacramentalem, ſicuti comparat virtutes, & dona ad ipſam gratiam habitualem communitèr dictam, ſed dona, & virtutes ſupra gratiam communitèr dictam important non merum auxilium, ſed habitum ab ipſa realitèr diſtinctum, ergo, & gratia Sacramentalis debet importare ſupra gratiam communitèr dictam non merum auxilium Dei, ſed habitum aliquem realitèr ab ipſa diſtinctum; Contra enim impugnaberis; quia, nec ipſi Thomiſtæ acerrimi propugnatores mentis ſui Magiſtri intelligunt comparationem cum illa extenſione, vt gratia Sacramētalis importet ſupra non Sacramentalem habitum realitèr diſtinctum eo modo quó dona, & virtutes habitu diſtinguuntur ab eadem gratia, ſed volunt præcisè eſſe quandam modificationem gratiæ habitualis conſiſtentem in impreſſione quadam, & permanenti confortatione ex paſſione Chriſti deriuata. Comparatio igitur ibi facta à S. D. non eſt intelligenda adæquatè, & quoad omnia procedere, ſed in eo ſolummodo, quod ſicuti dona, & virtutes aliquid addunt ſupra habitum gratiæ communitèr dictæ, ità, & gratia Sacramentalis aliquid addat ſupra non Sacramentalem, quod dicit D. Thomas eſſe quoddam auxilium Diuinum, quod eſt id etiam, quod nos adſtruimus.

9 Ex diuerſitate effectuum arguitur diuerſum ius.

Probatur ſecundò ratione; omnia Sacramenta nouæ legis, ex ſua ſpeciali inſtitutione ordinata ſunt ad ſpeciales, & diſtinctos fines, & effectus conſequendos, quorum meminit *Tertullianus lib. de reſurrectione carnis* per illa verba. *Corpus abluitur, vt anima emaculetur, caro vngitur, vt anima conſecretur; caro manus impoſitione obumbratur, vt anima ſpiritu illuminetur; caro corpore Chriſti, & ſanguine veſcitur, vt anima Deo ſaginetur*; quod clarius Theologi explicant per analogiam vitæ ſpiritualis ad corporalem; Nam Baptiſmus ſpiritualem natiuitatem, & regenerationem impertit; Confirmatio in Chriſto renatum auget, & roborat; Euchariſtia alit, & ſuſtinet; Pænitentia infirmum ſanat, debilem munit Extrema Vnctio, Ordo Chriſtianæ Reipublicæ miniſtros efficit; Matrimonium Eccleſiam dilatat; Sicuti igitur Sacramēta diuerſa munera obeunt, ita diuerſos ex propria inſtitutione habent effectus producere; Quibus ſuppoſitis ad rem noſtram ſic arguo. Qui dat eſſe cauſæ, ſeu cauſis in ordine ad diuerſos, ſpeciales, & ſpecificos fines, & effectus, eiſdem cauſis debet tribuere id, quo proximè poſſint in tales effectus exire, ergo, cum in ipſa inſtitutione Chriſtus Dominus diuerſa Sacramenta inſtituerit in ordine ad diuerſos effectus tanquam cauſas eorundem, eiſdem debuit ex recta ordinatione tribuere ius ad id, ſine quo non poſſent tales effectus attingere, ſed ſine actualibus auxilijs non poſſent attingere effectus, ad quos ſunt ordinata, ergo illis debuit tribuere ius ad eadem auxilia actualia, &; cum in diuerſis Sacramentis effectus ſint diuerſi, auxilia debent eſſe in ſingulis proportionata ad ſingulos effectus. Prima conſequentia probatur, quia natura, & potentiæ ex genere ſuo habent ius ad ea, ſine quibus non poſſent conſequi ſuos actus; Ex hac ratione non ſolum euincitur, quod in ordine ad diuerſa Sacramenta concedendum ſit ſingulis ius ad auxilia diuerſa, &

pro-

Digitized by Google

proportionata ad ſuos effectus, ſed etiam gratiæ Sacramentali ius ad auxilia diuerſum a iure, quod conceditur gratiæ non Sacramentali, & communitèr dictæ; licet enim iſti etiam aliquod ius ad auxilia actualia concedatur pro actibus ſalutaribus, non tamen ad auxilia ſpecialia pro actibus particularibus.

10 Ius ad illa auxilia non exigit habere ſemper in actu illa auxilia.

Hoc ius morale ad auxilia eſt quidem radicatum in ipſa gratia, quæ confertur per Sacramenta, non tamen ſemper in eodem inſtanti, quo conficitur Sacramentum ſemper exigit habere talia auxilia in actu, ſed quando expedit ſuſcipienti illa habere. Hæc autem auxilia, vbi dantur ex exigentia illius iuris moralis radicati in ipſa gratia, in multis poſſunt conſiſtere, vel in illuminatione intellectus, vel in motionibus voluntatis, vel in remotione impedimentorum &c. Diſcurrendo autem in particulari de ſingulis Sacramentis, ius, quod conceditur in gratia baptiſimali eſt ad ſpecialia auxilia ad minuendum fomitem concupiſcentiæ, & ad promptius obſeruanda præcepta, ad quæ quis ſe obligauit in ſuſceptione Baptiſmi; ius, quod acquiritur in Confirmatione, eſt ad auxilia, quibus quis conſtantèr fidem, quam amplexus eſt, profiteatur, & teneat; In Pænitentia eſt ad auxilia ad intenſius deteſtanda peccata, & vitandas occaſiones peccatorum. In Euchariſtia eſt ad auxilia, quibus homo præſeruatur à peccatis, & ad aliciendos actus virtutum, quibus anima nutritur; In Extrema Vnctione ad auxilia accomoda ad ſuperandas tentationes Dæmonum in illo vltimo conflictu; In Matrimonio ad ſeruandam fidem coniugalem; In Ordine auxilia ad rectè obeunda munera Eccleſiaſtica.

Difficultas ſolummodo aliqua videtur verſari in explicando, in quonam fundetur, & radicetur illud ius morale; hoc etenim ex neceſſitate debet ex aliquo Phyſico oriri, & in Phyſico fundari; hoc autem Phyſicum non poteſt eſſe eadem gratia habitualis communitèr dicta, cum ſit vna, & eadem reſpectu omnium, & ſecundum ſe non poſſit fundare diuerſos reſpectus, & moralitates in ordine ad diuerſos effectus, ergo debet eſſe vltra gratiam habitualem aliquod Phyſicum, & ſic diuerſa Phyſica iuxta diuerſitatem Sacramentorum, in quibus fundantur diuerſa iura moralia. Ad hoc dicendum eſt diuerſa iura moralia oriri quidem a Phyſico; non eſt tamen neceſſe, quod hoc Phyſicum intrinſecè recipiatur in ipſa gratia communitèr dicta, ſed ſufficit, quod ſit eidem extrinſecum; Hoc autem Phyſicum extrinſecum, quod gratia Sacramentalis addit ſupra merè habitualem nihil aliud eſt, quam ipſum Sacramentum inſtitutum à Chriſto Domino cum tali habitudine, ſicque diuerſa Phyſica iuxta diuerſitatem Sacramentorum ſunt ipſa diuerſa Sacramenta ſecundum inſtitutionem diuerſam, quam habuerunt à Chriſto Domino.

11 Hoc ius morale fundatur in ipſis Sacramentis.

Neque dicas negato habitu diſtincto, quem importat gratia Sacramentalis ſupra non Sacramentalem vix poſſe explicari, quomodo gratia illa à Sacramentis producta poſſit trahere ius ad ſpecialia auxilia pro actibus, ad quos ſunt ordinata Sacramenta, quandoque idem, ſicuti gratia habitualis communitèr dicta non ſolum ſecum trahit habitus virtutum neceſſarios pro ſalutaribus actibus, ſed etiam exigentiam, & ius ad Diuina auxilia pro talibus actibus requiſita, & ſine talibus habitibus non traheret ius ad eadem auxilia, ità, ſi gratia habitualis communitèr dicta non traheret habitum pro actibus ad quos Sacramenta ordinantur, nec etiam traheret ius, & exigentiam ad auxilia pro huiuſmodi actibus. Contrà enim impugnaberis; negandum eſt antecedens. Ad cuius probationem a paritate deductam dico in ordine ad actus ſalutares quomodocunque acceptos, & prouenientes ab habitibus virtutum conſequentium ad gratiam habitualem communitèr dictam ſufficere auxilia communia; in ordine verò ad actus peculiares iuxta modum Sacramentorum proprium facilius, promptius, & infallibilibus eliciendos non ſufficiunt auxilia communia, ſed requiruntur ſpecialia, adeoque &c. Quod, ſi repetas, quod, ſicuti ad actus ſalutares quomodocunque non ſolum requiruntur auxilia communia, ſed etiam habitus virtutum iuxta naturam earundem virtutum, ita ad actus ſpeciales, & ad modum proprium, & ſpecialem Sacramentorum non ſolum requiruntur illa ſpecialla auxilia, ſed etiam habitus proprij eorundem Sacramentorum; ſtatim etiam impugnaberis, quia cum habitus virtutum ſe habeant, vt potentiæ in ordine ſupernaturali; actus, vt ſunt diuerſi exigunt diuerſos habitus, ſicuti actus potentiarum cum ſint diuerſi exigunt diuerſas potentias, actus autem peculiares, vt prouenientes à Sacramentis cùm ſupponant iam habitus diſtinctos omnium virtutum ex illis procedunt, ſed diuerſo modo, & ideo exigunt ſolummodo auxilia ſpecialia diuina pro illo ſpeciali modo operandi, nec exigunt ſpecialem habitum, cum vagentur per omnes. Sic, vt vnum pro omnibus exemplum afferam, confirmatio, quæ habet pro obiecto fortitudinem ad fidem profitendam iam ſupponit habitum eiuſdem fortitudinis, adeoque nouo habitu non indiget, ſed ſolum ſpe-

12 Explicatur quomodo gratia Sacramentalis trahat ſecum ius ad ſpecialia auxilia.

cialj

ciali auxilio corroborat ad eandem fidem conſtantèr profitendam.

Hic pro complemento oritur ſolum difficultas, an illud ius morale, quod importat gratia Sacramètalis, cauſetur Phyſicè à Sacramentis, an tantum moralitèr. *Maderius tract. 2. de Sacrament. in gen. q. 3. art. 7. n. 9. in reſponſione ad ſecundum* dicit, hoc ius morale debere eſſe à Sacramentis Phyſicè in radice, & fundamento, quatenus efficiunt gratiam, quæ habet ius ad peculiaria auxilia; actualitèr vero tale additum non fit à Sacramentis Phyſicè, ſed tantum moralitèr in opportunis occaſionibus, nam dantur à Deo huiuſmodi actualia auxilia Sacramentis iam tranſactis: Vnico verbo ſentit, ius illud morale cauſari Phyſicè à Sacramentis, ipſa autem actualia auxilia ſolum moralitèr. *Casberanus tract. 8. de Sacram. in gen. c. 4. §. 5. num.* 97. arbitratur, & ius illud, & auxilia produci ſolum moralitèr a Sacramentis, cui probabilius adhærendum exiſtimo, tum proptèr correſpondentiam cauſalitatis ad effectum, vt, ſicuti ipſe effectus eſt ens morale, ità non niſi moralitèr producatur, & ſicuti ipſa actualia auxilia dantur ſolum dependentèr à tali iure morali non exigunt maiorem cauſalitatem, ac ipſum exigit; tum proptèr rationem non exiſtentiæ Phyſicè eorundem Sacramentorum, quando dantur ipſa actualia auxilia; vt plurimum enim hæc conferuntur non in ipſa ſuſceptione, ſed ex interuallo iuxta opportunitates occurrentes, & ſic conferuntur non exiſtentibus actu Sacramentis; non datur autem cauſalitas Phyſica, quando actu cauſa non exiſtit; Neque ex hoc inferas, ergo Sacramenta nullam penitus cauſalitatem in gratiam Sacramentalem exercerent, quandoquidem id, quod Sacramentalis gratia importat ſuper merè habitualem, per nos cauſatur Phyſicè, & ipſa gratia merè habitualis cauſatur extra Sacramenta. Non, inquam, hoc inferas, quia, licet gratia merè habitualis, & communitèr dicta cauſetur etiam extra Sacramenta, non propterea tollitur, quin eadem Phyſicè producatur à Sacramentis cum illo addito morali, vnde poteſt dici, quod gratia Sacramentalis producatur Phyſicè a Sacramentis ſecundum ſubtratum, non ſecundum rationem vltimi conſtitutiui.

13 Hoc ius morale ſecundū aliquos eſt Phyſicè à Sacramentis in radice.

14 Producitur ſolum moralitèr.

Si verò quæratur, an gratia Sacramentalis differat ſpecie à non Sacramentali; tunc dici poteſt, quod differat ſpecie morali, & inadæquatè, non ſpecie Phyſica, & adæquatè, quia gratia Sacramentalis importat quoddam complexum ex entitate gratiæ, & ex illo iure morali; non Sacramentalis vero importat ſolam gratiæ entitatem; & ſic ratione illius iuris moralis, quod vna importat, & non altera ad inuicem diſtinguuntur inadæquatè, & ratione eiuſdem cum non ſit, niſi quid morale non poteſt importare, niſi diuerſitatem moralem, & non Phyſicam.

15 Differt ſolū ſpecie morali à non Sacramentali.

ARTICVLVS VIII.

An Sacramenta cauſent gratiam in determinata quantitate, & quanam.

SVMMARIVM.

Duplex ratio dubitandi in ordine ad diuerſos reſpectus. 1.
Sacramenta adinuicem comparata cæteris paribus non habent ſecundum ſe producere æqualem gratiam. 2.
Procedit de inæqualitate intenſiua. 3.
Sacramenta ipſa ſunt in perfectione inæqualia. 4.
Non currit paritas de formis ſubſtantialibus in ordine ad effectus ſubſtantiales, & quarè. 5.
Intenſior gratia non habetur ex Sacramentis neceſſarijs. 6.
Si duo cum æquali diſpoſitione, alter Euchariſtiam, alter Confirmationem recipiant maiorem gratiam recipit, qui recipit Euchariſtiam. 7.
Soluitur inſtantia oppoſita. 8.
Vnumquodque Sacramentum in ſuo genere in ſubiecto æquè diſpoſito æqualem gratiam ex opere operato cauſat. 9.
Item in ſubiectis nullam habentibus diſpoſitionem. 10.
Duo pueri ante vſum rationis recipientes Baptiſmum æqualem gratiam ex opere operato conſequuntur. 11.
Nec obſtat, quod vnus ex illis ſit prædeſtinatus, alius non. 12.
Nec item obſtat, quod homines ſint ordinati ad reparandas ruinas Angelorum. 13.
In ſubiectis diuerſimodè diſpoſitis ex opere operato confertur gratia maior, vel minor iuxta maiorem, vel minorem ipſorum diſpoſitionem. 14.
Explicatur ſenſus Concilij Tridentini, & ſimul ſoluitur inſtantia ex eodem deducta. 15.
Illa maior diſpoſitio ſolum magis diſponit ſubiectum ad recipiendam gratiam producendam à Sacramento. 16.
Significatio practica in actu ſecundo variatur ſecundum quod inuenit ſubiectum, magis, vel minus diſpoſitum. 17.
Euincitur ex paritate ordinis naturalis. 18.
In quo conſiſtat illa maior diſpoſitio, ratione cuius maior gratia recipitur. 19.

SA-

1 Duplex comparatio Sacramentorum.

Sacramenta nouæ legis in ordine ad determinatum effectum gratiæ, vel poſſunt comparari ad inuicem inter ſe, vel in ordine vnumquodq; ad ſuum ſubiectum receptiuum. Iuxta primum membrum comparationis ratio dubitandi in eo conſiſtit, an omnia Sacramenta habeant ſecundum ſe æqualem virtutem, adeo vt, ſicuti v. g. Baptiſmus habet vim ad tot gradus gratiæ in ſuo genere producendos, ita, & Confirmatio habeat æqualem vim producendi totidem gradus in ſuo genere, & ſic de cæteris. Iuxta ſecundum membrum, ſiue habeant omnia inter ſe comparata æqualem vim, ſiuè non habeant æqualem comparando vnumquodque ad diuerſa ſubiecta ipſorum receptiua ratio dubitandi eſt, an in omnibus ex opere operato æqualem ſemper gratiam producant, & ſi non æqualem a quonam proueniat illa inæqualitas.

2 Sacramenta ad inuicem cōparata ſecundū ſe nō cauſāt æqualem gratiam.

Aſſertio I. Sacramenta ad inuicem comparata cæteris paribus non habent ſecundum ſe æqualem gratiam producere, ſed inæqualem iuxta quod ſunt magis, vel minus excellentia, irriterabilia, vel iterabilia. Conſentit in hoc *Cacheranus tract. 8. de Sacram. in gen. c. 4. §. 7. n. 118.*, qui quamuis aſſerat communitèr recipi, dicit tamen loquendo in ordine ad Sacramenta nouæ legis inter ſe comparata, eſſe probabile tantum, non certum.

3 Procedit de inæqualitate intenſiua.

Aduerte tamen hic, aſſertionem non procedere de inæqualitate eſſentiali, & entitatiua, quandoquidem certum eſt, quod, ſicuti Sacramenta inter ſe comparata ſunt ſpecie diuerſa, ità producant effectus ſaltem inadæquatè ſpecie morali diuerſos, quæ diuerſitas, ſeu inæqualitas entitatiuè iuxta ſupra expoſita conſiſtit in eo, quod omnia Sacramenta cauſent gratiam cum iure ad diuerſos effectus; ſed procedere de inæqualitate intenſiua, & graduali.

4 Sacramenta ipſa ſunt in perfectione inæqualia.

Probatur. Dantur Sacramenta alia alijs perfectiora, ergo dantur alia alijs efficaciora, adeoque productiua maioris, & intenſioris gratiæ. Antecedens maximè elucet in Sacramento Euchariſtiæ, in quo eſt fons vitæ ſpiritualis, & plenitudo gratiæ, & in quo corporalitèr habitat ipſa ſanctitas ſubſtantialis ratione vnionis hypoſtaticæ humanitatis cum verbo inexiſtentis in Chriſto Domino; item in Sacramento Baptiſmatis comparatiuè ad alia Sacramenta, cum ipſum ordinatum ſit ad vitam ſpiritualem conferendam. Conſequentia probatur; quia ex maiori perfectione Sacramentorum non inefficaciter arguitur maior ipſorum actiuitas, adeoque etiam intenſior effectus correſpondens maiori actiuitati. Rurſus, cum Sacramenta alia ſint irriterabilia, cuiuſmodi ſunt Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, alia iterabilia, cuiuſmodi ſunt alia Sacramentà, ratio ſaltem congruentiæ videtur exigere, vt Sacramenta irriterabilia ſint intenſiuè perfectiora, vt per maiorem intenſionem æquiualeant extenſioni aliorum, quæ, cum iterari poſſint, poſſunt ſemper maiorem, & maiorem gratiam extenſiuè producere, quòd, cum non poſſint præſtare Sacramenta vnica tantum vice ſuſceptibilia, debent ſaltem per intenſionem in vnica illa vice, qua ſuſcipiuntur, aliorum extenſioni æquiualere.

5 Non currit paritas de formis ſubſtantialibus.

Neque dicas primò, maiorem perfectionem in vno Sacramento potius, quam in alio inducere quidem maiorem perfectionem in effectu quoad ſpeciem, non autem quoad intenſionem, vt videre etiam eſt in cauſis naturalibus, quæ producunt quidem perfectiorem effectum in ſua ſpecie, ſi cauſæ ſint perfectiores, non autem in intenſione, ſic Leo, & Canis, v. g. producunt effectus in perfectione ſpecifica diuerſos, non tamen in intenſione, cum vnaquæque cauſa ad ſuam formam producendam exigat diſpoſitiones æquè intenſas, nempè, vt octo. Sed contra, quia aliud eſt loqui de formis ſubſtantialibus, quæ non admittunt magis, & minus, aliud de gradualibus, & accidentalibus, quæ admittunt maiorem, vel minorem intenſionem; Sacramenta autem non ſolum ſunt perfectiora in perfectione ſpecifica, ſed etiam reſpiciunt effectus conſiſtentes in qualitatibus gradualibus admittentibus intenſionem in gradibus; atque maior perfectio in eiſdem effectibus non poteſt congruentius conſiderari, niſi in illa maiori intenſione, cum nihil aliud ſit, quam ipſa gratia habitualis cum illo diuerſo iure ad diuerſa Diuina auxilia actualia; perfectio autem potiſſimum conſideranda eſt in eo, quod eſt principalius, & ſubſtratum illius iuris moralis, in ſubſtrato autem maior, & minor perfectio non poteſt in alio conſiſtere, quam in maiori, & minori intenſione.

6 Intenſior gratia nō habetur ex Sacramentis neceſſarijs.

Neque dicas ſecundò, maiorem potius perfectionem in effectu Sacramentorum deducendam eſſe ex neceſſitate Sacramentorum, quam ex eorum perfectione; ſicque magis conferre ad perfectionem gratiæ Sacramentalis Baptiſmum, & Pænitentiam, quam alia Sacramenta, & etiam Euchariſtiam, quandoquidem remiſſio peccatorum maximè gratiam exigit, adeoque illa Sacramenta ordinata ad eandem remiſſionem, cuiuſmodi ſunt Baptiſmus, & Pænitentia, debent maximè, & maiorem gratiam exigere; Contra enim impugnaberis. Fateor, remiſſionem maxi-

mè

Digitized by Google

mè exigere gratiam ſumendo ly *maximè*, pro neceſſitate acquirendi gratiam, quia ſine iſta non poteſt, quantum eſt ex vi præſentis prouidentiæ, haberi remiſſio peccatorum, non autem ſumendo ly *maximè*, pro gratia maxima, vel maiori comparatiuè ad gratiam aliorum Sacramentorum, quæ ex genere ſuo non habent peccata remittere, cum per quamlibet gratiam, quantumuis remiſſam, habeatur peccatorum remiſſio.

7 Recipiēs Euchariſtiam cū æquali diſpoſitione maiorem gratiam recipit.

Ex his omnibus habes, quod, ſi duo æqualitèr diſpoſiti, alter percipiat Sacramentum Euchariſtiæ, alter illud Confirmationis, maiorem primus conſequatur gratiam ex opere operato, quam ſecundus; idem dic in ordine ad alia Sacramenta, & hoc propter rationem ſupra adductam de maiori perfectione, & actiuitate ratione contenti eiuſdem Euchariſtiæ ſupra alia.

8 Soluitur inſtantia oppoſita.

Neque dicas, maior effectus eſt (& per hoc magis inſtauratur inſtantia Superior facta de Sacramentis remiſſiuis peccatorum) iuſtificare primo, & remittere peccatum, quam augere iuſtificationem; ſed per Sacramenta remiſſiua peccatorum homo primo iuſtificatur, & in eodem fit remiſſio peccati; in alijs vero Sacramentis ſolum conſequitur augmentum iuſtificationis, ergo maior eſt effectus, qui producitur à Sacramento Baptiſmatis, &, Pænitentiæ, quam ille, qui cauſatur ab Euchariſtia &c. Maior probatur, quia magis eſt ſuſcitare mortuum, eumque ad vitam reuocare, quam vitam augere; & ſi hoc valèt in corporalibus, non video, cur valere non debeat in ordine ſpirituali, & ſupernaturali; Contra enim impugnaberis, quia hoc ad ſummum eſt perfectior effectus in ſpecie, & perfectione eſſentiali non autem in perfectione intenſiua, cum vita ſpiritualis primo haberi poſſit per quamcunque gratiam etiam tenuiſſimam, & remiſſam.

9 Vnumquodque Sacramētum in ſubiecto æquè diſpoſito cauſat æqualem gratiam.

Aſſertio II. Vnumquodque Sacramentum in ſuo genere in ſubiecto æquè diſpoſito æqualem gratiam ex opere operato cauſat; item æqualem, eamque tamen minimam in quocunque ſubiecto nullam habente diſpoſitionem; inæqualem tamen in diuerſo ſubiecto magis, & minus diſpoſito. Quoad primam, & ſecundam partem conſentiunt *D.Thomas tertia part. q. 69. art. 8., Alenſis quarta part. q. 21. memb. 1., Suarez diſp. 7. q. 5., Lugus diſp. 9. ſect. 2., Amicus diſp. 4. ſect. 6., Madernus tract. 2. de Sacram. in gen. q. 3. art. 9., Cacheranus tract. 8. de Sacram. in gen. c. 4. §. 7. n. 122., & ſeqq.* Quoad tertiam omnes mox recenſiti excepto *Alenſi part. 4. q. 8. memb. 8. art. 3. §. 3.*

Probatur prima pars. Vnumquodque Sacramentum in ſuo genere æqualem vim continet ſecundum ſe, ergo intra limites eiuſdem virtutis, quam continet debet æqualem effectum producere, niſi reſtringatur, vel extendatur à ſubiecto, in quo eſt recipiendus; ſed quando ſubiecta ſunt æqualitèr diſpoſita nulla conſiderari poteſt in ipſo ratio reſtrictiui, vel extenſiui, ergo debet in tali hypotheſi æqualis diſpoſitionis æqualem producere effectum; non etenim eſt aliud aſſignabile, ex quo oriri poſſit illa inæqualitas.

Probatur ſecunda pars; pro qua prius aduerto, pro ijs, qui dicuntur, nullam habere diſpoſitionem, nos non ſolum eos intelligere, qui carent quacunque diſpoſitione poſitiua, ſed etiam eos, qui carent quacunque indiſpoſitione; ſi enim ſupponamus, habere indiſpoſitionem ratione obicis, quamuis nullam habeant diſpoſitionem poſitiuam, pro tunc non æqualem conſequantur gratiam, ſed nullam obſiſtente indiſpoſitione eiuſdem acquiſitioni. 10

Item in ſubiectis nullam habentibus diſpoſitionem.

Probatur, inquam, quando nulla eſt diſpoſitio, nec indiſpoſitio ex parte ſubiecti ſubiectum remanet in ſtatu puræ capacitatis, & eſt indifferens ad maiorem, vel minorem effectum cōſequendum ex maiori, vel minori actiuitate agentis; ſed actiuitas Sacramentorum in ſua ſpecie eſt æqualis, & determinata ex vi propriæ inſtitutionis; nam tota eorum efficacia eſt ex voluntate Dei inſtituentis; ſicuti igitur eſt vnica reſpectu cuiuslibet Sacramenti in ſpecie inſtitutio, ita, & vnica voluntas, & promiſſio Dei de conferendo ratione eiuſdem æquali effectu. Confirmatur; Sacramenta ſe habent, vt cauſæ naturales; quælibet autem cauſa naturalis determinatur ad maiorem, vel minorem effectum, vel ex diſpoſitione ſubiecti, vel ex conditione propriæ formæ; vel ex voluntate, & promiſſione agentis principalis, ſi agens principale ſit liberum, ſi ſit inſtrumentum eiuſdem; cum igitur in præſenti hypotheſi inæqualitas non poſſit prouenire ex ſubiecto, cum intelligatur ſine vlla prorſus diſpoſitione, ſiue poſitiua, ſiue negatiua; nec ex forma Sacramenti, quæ æqualis eſt; nec ex voluntate Dei, quæ virtutem æqualem Sacramentis indidit, niſi diuerſa diſpoſitio in ſubiecto exigat inæqualitatem, ſequitur, quod in hac hypotheſi non niſi æqualis ſit ſtatuenda gratia.

Hinc inferes primò, quod in Baptiſmo, qui confertur pueris ante vſum rationis, alijſque, qui vſu rationis ſemper caruerunt, quantum eſt ex opere operato, æqualis gratia ſemper conferatur, nec maior, nec minor, cum nulla in ipſis conſiderari

11 Duo pueri recipientes Baptiſmum ante vſum rationis ex opere operato conſequuntur æqualem gratiam.

poſſit diſpoſitio, vel indiſpoſitio. Dixi, *ex opere operato*; nam vtrum ex opere operantis ex maiori ſanctitate, & diſpoſitione miniſtri conferentis Baptiſmum, & ex adſtantium precibus maior quandoque gratia conferatur, non facit ad præſens inſtitutum, quod procedit tantum de effectu conferendo ex opere operato, & virtute Sacramenti. Exiſtimo tamen, re vera impetratoriè, vel ex maiori ſanctitate, & diſpoſitione miniſtri, vel ex adſtantium precibus poſſe maiorem aliquibus gratiam conferri.

Neque hic audiendi ſunt, qui dixerunt, quod ex duobus pueris ante vſum rationis baptizatis, vni, ſi ſit prædeſtinatus ad maiorem gloriam, detur maior gratia, quam alteri non prædeſtinato ad tantam gloriam; Nec item illi, qui dixerunt, homines eſſe prædeſtinatos ad implendas ruinas Angelorum, qui, cum eſſent inæquales in natura, & perfectione naturali, & in gratia, & donis ſupernaturalibus, exigerent, vt homines eorum ruinas reparaturi eſsēt in gratia inæquales, quod non de facili contingeret, ſi nullam habentibus diſpoſitionem æqualis gratia conferretur; contingeret enim multos decedere cum ęquali gratia. Non, inquam, audiendi ſunt; Non primi; nam, quamuis vnus ex illis pueris eſſet prædeſtinatus ad maiorem gratiam, quam alter, non propterea eidem eſſet maior gratia in Baptiſmo conferenda, ſed Deus, qui ex acto libero propriæ voluntatis nullis præcedentibus meritis illum ad illam gloriam maiorem vocauit, ex ordinata eiſdem voluntatis efficacia præmouebit ad maiora merita, ex

12 Non obſtat, quod vnus ex illis ſit prædeſtinatus, alius nó.

quibus ex parte obiecti maiorem illam gloriam erit conſecuturus. Quod, ſi vrgeas, puerum illum ad maiorem gloriam præordinatum poſſe poſt Baptiſmum immediate decedere, qua in hypotheſi, ne fruſtraretur Diuina præordinatio, certè in Baptiſmo maiorem gratiam deberet conſequi. Statim impugnaberis, quia Deus, qui prædeſtinauit ad maiorem gloriam, ex regulato ſuæ prouidentiæ ordine deberet eiuſdem vitam protrahere, vt medijs actibus meritorijs, vel ope Sacramentorum eam gratiam conſequeretur, quæ correſponderet illi gloriæ, ad quam prædeſtinatus eſt.

Non ſecundi, quia, nec eorum aſſumptum eſt ſubſiſtens, nec id, quod ex eo deducitur; non aſſumptum, quo arbitrantur Angelos omnes eſſe in perfectione ſpecifica, & in natura diuerſos; nam hoc falſum ſuppono ex quæſtionibus de Angelis; vbi latè docui, dari quidem ſpecies diuerſas Angelorum, ſed ſub vnaquaque ſpecie contineri plures, & plures Angelos ſolo numero differentes; Non id, quod ex illo aſſumpto deducitur, quia, quamuis daremus, homines prædeſtinatos eſſe ad ruinas Angelorum reparandas, ex hoc tamen non ſequitur, quod homines debeant eſſe æquales in illa gratia, & gloria, quam Angeli perduelles amiſerunt, quia reparatio illa non intelligenda eſt æqualitate numeri, ſed excellentia meriti, etenim homo poteſt quoad meritum implere ruinas multorum Angelorum, quinimmo Deipara Virgo, ſicuti in merito, ita, & in gratia ſuperat omnes Angelos.

13 Nec quod homines ſint ordinati ad reparandas ruinas Angelorum.

Inferas ſecundò, etiam in ordine ad alia Sacramenta a Baptiſmo, quod ſi duo, vel plures etiam adulti aliqua Sacramenta ſumpſerint ſine vlla præuia diſpoſitione, & ſine aliqua indiſpoſitione, æqualem, eamque minimam gratiam conſequantur. Hoc vix poteſt contingere, niſi in caſu, quo ſenſibus deſtituti Extremam Vnctionem ſuſciperent, quandoquidem, quando perfecto vſu rationis gaudent, vix poſſunt concipi accedere ſine aliqua indiſpoſitione, cum etenim ita exigente dignitate Sacramentorum teneantur accedere cum debitis diſpoſitionibus eo ipſo, quo accedunt ſine iſtis, contrahunt aliquam noxam, quæ inducit aliquam indiſpoſitionem; omiſſio etenim debitæ diſpoſitionis culpabilis eſt. Videndum igitur eſt, an illa omiſſio diſpoſitionum ſit culpabilis læthalitèr, quatenus ſit cum contemptu, & tunc nullam gratiam ex tunc conſequentur, an tantum venialitèr, & tunc gratiam minimam, quam conferent, conferent cum quodam tempore, & ſi non minuunt quoad quantitatem, minuunt quoad effectum promptius, & alacrius operandi.

14 In ſubiectis magis, vel minus diſpoſitis confertur, maior, vel minor gratia.

Probatur tertia pars, quæ tantum procedit de diſpoſitionibus maioribus, vel minoribus, quæ habentur per actus proprios ſuſcipientis eadem Sacramenta; nam, ſi daremus, quod vnus ſit iuſtior altero per maiorem gratiam habitualem, non tamen magis per proprios actus diſpoſitus, non maiorem gratiam conſequetur, quandoquidem maior gratia habitualis præcedens non eſt actus proprius, nec cooperatio ſuſcipientis; vnde ſicuti illa maior gratia non confert ad maius augmentum ex opere operantis per meritum eiuſdem, ita, nec conducit ad maius augmentum ex opere operato, quod confertur ex eo, quod actus proprij ſuſcipientis coniungantur quodamodo cum Sacramento, cui cooperantur ad conſtituendum quid vnum vnitim operans. Probatur, inquam, primo ex *D. Damaſceno lib. 4. c. 20.* vbi habet, *Quamuis peccatorum remiſſio omnibus æquè per Baptiſmum detur; ſpiritus tamen gratia*

pro

pro fidei, ac præcedentis purgationis moduli, ac ratione comparatur; Secundò ex *Concil. Trident. ſeſs. 6. c. 7.* vbi habet. *Nos iuſtificari iuſtitiam in nobis recipientes, vnuſquiſque ſuam ſecundum menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis, prout vult, & ſecundum propriam cuiuſcunque diſpoſitionem, & cooperationem.*

Dices, has auctoritates intelligendas eſſe dumtaxat de inæqualitate gratiæ ex opere operantis, non ex opere operato, quod pluribus rationibus euincitur primò, quia Concilium Tridentinum de duplici iuſtificatione ibi loquitur, altera, quæ fit extra Sacramenta per proprios actus iuſtificati, nempè per contritionem, & dilectionem Dei ſuper omnia, altera, quæ fit per Sacramentum Baptiſmatis, & virtute eiuſdem; loquens in ordine ad primam, ad ipſam refert ſubſequentia verba, *ſecundum propriam cuiuſcunque diſpoſitionem, & cooperationem*; loquens vero de ſecunda ad ipſam refert præcedentia verba, *ſecundum menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur &c.* Prima eſt ex opere operantis; ſecunda ex opere operato. Secundò, quia cauſare gratiam ex opere operato eſt illam cauſare ex meritis Chriſti; cauſare autem ſecundum propriam cuiuſcunque diſpoſitionem non eſt cauſare ex meritis Chriſti, ſed ex proprijs, ſaltem in ea parte, qua maiori diſpoſitioni correſpondet illa maior gratia. Tertiò, quia ſignificatio practica Sacramenti ſemper eſt eadem, nec variatur ex varia diſpoſitione ſumentis, cum ſolum id efficiant, quod ſignificant. Sed contrà; negandum eſt huiuſmodi auctoritates intelligendas eſſe ſolum de inæqualitate proueniente ex opere operantis. Ad primum deſumptum ex Concil. Trid. dico, illud quidem loqui de iuſtificatione quomodocunque accepta, prout extenditur tum ad iuſtificationem per Sacramenta, quam ad iuſtificationem per proprios actus, atque ideo de vtraque ibi mentionem facit; complectens poſteà vtramque vno ſermone dicit, dari, & ſecundum menſuram, quam partitur Spiritus Sanctus, & ſecundum diſpoſitionem vniuſcuiuſque, adeoque etiam vt datur per Sacramenta, datur iuxta normam eiuſdem diſpoſitionis, quæ determinat virtutem procedentem ex Sacramento in ordine ad effectum producendum, qui non poteſt eſſe, niſi ex opere operato, cum à Sacramento procedat.

15 Explicatur ſẽſus Concilij Trid.

Ad ſecundum, admitto effectum ex opere operato eſſe ex meritis Chriſti, & quamuis maior producatur ex maiori diſpoſitione ſumentis, non ſequitur, quod ſecundum gradum, vel gradus, quo, ſeu quibus conſtituitur maior, ſit ex opere operantis, cum ſolum maior illa diſpoſitio habeat magis adaptare ſubiectum, & quodamodo determinare principium ſecundum ſe aptum ad ſemper, & ſemper maius producendum, vt producat ſecundum illam quantitatem, ad quam ſubiectum eſt diſpoſitum; vnde aduertendum eſt, quod cum Sacramenta contineant moraliter merita Chriſti Domini, quæ ſecundum ſe ſunt infiniti valoris, poſſint ſemper, & ſemper producere effectum magis intenſum; quod vero producant in determinato ſubiecto maiorem, vel minorem intenſionem, ex inſtitutione Chriſti Domini, hoc prouenit à maiori, vel minori ſubiecti diſpoſitione, in quo recipiendus eſt effectus, ſemper tamen hic ſiue maior ſit, ſiue minor, eſt à Sacramentis.

16 Quo magis ſubiectum eſt diſpoſitũ, eo magis recipit de effectu cauſæ.

Ad tertium dico, quod licet ſignificatio practica in actu primo ſemper ſit eadem, varietur tamen in actu ſecundo, ſecundum quod inuenit ſubiectum magis, vel minus diſpoſitum; vnde Sacramenta ſumpta in abſtracto ſignificant gratiam indefinitè, non magis, vel minus intenſam; in applicatione poſtea, ſeu in concreto ſignificant gratiam, prout eam actu cauſent; cum autem cauſent ad menſuram diſpoſitionis ſubiecti ſignificant tunc in ea menſura, ſecundum quam cauſant, & ſecundum quod ſubiectum eſt diſpoſitum.

17 Significatio practica in actu ſecundo variatur.

Probatur eadem tertia pars ſecundo ratione ex proportionata habitudine ordinis ſupernaturalis ad naturalem. In ordine naturali, quo magis ſubiectum eſt diſpoſitum, magis recipit de effectu agentis naturalis, vt probat *D. Thomas tertia part. q. 69. art. 8. in corpore*, exemplo adducto de igne, de quo quis accipit plus caloris, qui plus ei appropinquat, ergo etiam in ordine ſupernaturali plus effectus Sacramentalis debet recipere, qui magis eſt diſpoſitus, & ſicuti totus calor eſt ab igne, non ab approximatione, quæ ſolum eſt conditio, ita tota gratia erit a Sacramento, non à diſpoſitione ſubiecti, quæ etiam eſt potius conditio, quam cauſa. Neque dicas, non valere paritatem de approximatione ignis ad ſubiectum, ac de diſpoſitione ſubiecti liberi ad effectum gratiæ ſuſcipiendum, quandoquidem approximatio ſecundum ſe non eſt actiua; diſpoſitio vero ſubiecti eſt ſecundum ſe operatiua; cum dicatur cooperans ſimul cum Sacramento ad illum effectum maiorem gratiæ; &, ſi eſt cooperans, illa maior gratia, vel erit ex opere operantis, vel ex opere operantis, & ex opere operato ſimul; contrà enim impugnaberis, quia cooperatio, quam præſtat ſuſcipiens Sacramentum eſt ſolummodo circa præparationem ſubiecti illud magit diſponendo, non circa

18 Euincitur ex paritate ordinis naturalis.

efficientiam, & effectiuam productionem gratiæ, quæ tota eſt à virtute Sacramenti.

Pro complemento eorum omnium, quæ pertinere poſſunt ad præſentem titulum, remanet inquirendum, quidnam veniat nomine diſpoſitionis, ſeu maioris diſpoſitionis in ſubiecto, vt virtute Sacramenti maior in eo gratia producatur. Ex præactis clarè habetur, pro diſpoſitione licitæ ſuſceptionis requiri in ſubiecto ſuſcipiente ſtatum gratiæ, intentionem ſaltem habi-
19 In quo conſiſtat illa maior diſpoſitio.
tualem, ſi ſit capax. Sed de his non procedit præſens difficultas, nam quoad gratiam habitualem, per quam ſtatus gratiæ conſtituitur, ſupra diximus, quod, quamuis ſit maior in vno, quam in altero, non conferat ſecundum ſe ad maius gratiæ augmentum, cum non ſit actus proprius recipientis; quoad intentionem habitualem verò, cum debeat in omnibus eſſe, non poteſt ad quid magis in vno, quam in altero conferre. Procedit igitur de actibus proprijs, & particularibus ſuſcipientis, pro quibus aduerto, quod huiuſmodi actus, vt magis diſponant ſubiectum ad recipiendam maiorem gratiam, debeant habere aliquam ſimultatem, vel Phyſicam, vel moralem cum eodem Sacramento; cum ſint veluti cauſæ cooperantes debent conſtituere quid vnum ſaltem morale cum cauſa, cum qua cooperantur. Huiuſmodi autem actus cooperantes poſſunt eſſe actus cuiuslibet virtutis; illi tamen videntur magis conferre, qui propriùs accedunt ad qualitatem, & conditionem Sacramenti ſuſcipiendi; & in eadem ſpecie illa maior erit, quæ intenſior, & diuturnior, & in diuerſa ſpécie illa melior, quæ magis ad Deum conuertit. Hæc ſufficiat dixiſſe in genere, nam certa, & determinata regula nequit aſſignari.

QVÆSTIO VII.

De effectu minus vniuerſali, & ſecundario Sacramentorum nouæ legis.

Quædam ſunt Sacramenta, quæ ſpecialem quendam habent effectum, quem non habent alia Sacramenta; huiuſmodi ſunt Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, quæ habent in anima quandam determinatam qualitatem diſtinctam à gratia habituali imprimere, quæ qualitas caracther dicitur. Per hunc caractherem tanquam per ſignum indelebile in Baptiſmo ſecernuntur adſcripti Chriſtianæ Reipublicæ à non adſcriptis, & infidelibus, in Confirmatione prouectiores in eadem Republica à tyronibus, & Neotericis; In ordine Eccleſiaſticæ militiæ deputati à cæteris Chriſtianæ Reipublicæ ciuibus. Hic caracther cum non ſit communis omnibus Sacramentis dicitur effectus minus vniuerſalis, & cum ex ſe non conferat ius ad gloriam, dicitur minus præcipuus, & ſecundarius. De hoc in præſenti quæſtione ſedulo peragendum eſt.

ARTICVLVS I.

Quid ſit caracther.

SVMMARIVM.

Euincitur ex Sacris Scripturis, & Conciliorum definitionibus dari caractherem in tribus Sacramentis. 1.

Definitio nominis caractheris. 2.

Caracther quoad eſſe rei, nec eſt ens rationis, nec aliqua relatio, nec modus ſuper additus, ſed qualitas ſpiritualis in anima impreſſa. 3.

Ens rationis, nec denominatio purè extrinſeca poteſt eſſe impreſſum, vel impreſſa in anima. 4.

Euincitur ex maiori excellentia Sacramentorum nouæ legis ſuper antiqua. 5.

Nec caracther conſiſtit in ſimplici relatione. 6.

Ca-

Caracther eſt fundamentum relationis non ipſa relatio. 7.

Non conſiſtit in modo ſuperaddito. 8.

Euincitur, quod ſit qualitas realis in anima impreſſa. 9.

1 Ex Sacris Scripturis euincitur exiſtentia caractheris, item ex definitionibus Conciliorum.

NOn immoramur circa quæſitum, an ſit caracther, cum de eius exiſtentia in tribus recenſitis Sacramentis conſtet tum ex Sacris Scripturis *ad Epheſ. 4. Nolite contriſtare Spiritum Sanctum in quo ſignati eſtis*, quem textum exponens D. Hieronymus intelligit de caracthere, quo anima noſtra his tribus Sacramentis ſignatur; tum ex *Concilijs Carthaginenſi IV.* in quo interfuerunt 214. Epiſcopi, vbi definitum eſt non licere fieri rebaptizationes, neque reordinationes, quæ definitio refertur *in c. non licet de conſecr. diſt. 4. Tarraconenſi can.* 10. vbi dictum eſt. *Non licere bis, vel ter confirmari, nec baptizari;* non alia autem ratione interdicitur reiteratio huiuſmodi Sacramentorum, niſi quia caractherem imprimunt *Florent. ſub Eugenio IV. in decreto vnionis Armenorum*, vbi ſic definitum eſt *Sacramenta tria ſunt Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, quæ caractherem hoc eſt ſpirituale quoddam ſignum imprimunt in anima indelebile*, vnde in eadem perſona non reiterantur. *Trident. ſeſſ. 7. can. 9.* vbi anathematizantur, qui dixerint. In tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi caractherem in anima, hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, vnde ea iterari non poſſunt.

2 Definitio nominis caractheris.

Suppoſito igitur quæſito, an ſit, ſeu exiſtentia huiuſmodi caractheris in tribus aſſignatis Sacramentis, deſcendimus ad quæſitum quid ſit, quod eſt meta præſentis tituli. Duplex autem poteſt eſſe quæſitum quid ſit, ſcilicet quid nominis, & quid rei. Quoad *quid nominis, Scotus in quarto diſt. 6. q. 9. §. de primo*, dicit caractherem idem Græcè ſignificare, quod Latinè figura, ſeu nota inſtrumento aliquo impreſſa, vnde, cum *Habreor.* 1. legitur, *Figura ſubſtantiæ*, Græci legunt *Caracther ſubſtantiæ eius*, & notæ, quibus nos ſcribimus, appellantur caractheres; vnde caracther nominalitèr ſumptus poteſt deſcribi, quod ſit figura, vel ſignum impreſſum in anima, quo ſuſcipientes huiuſmodi Sacramenta diſtinguuntur ab alijs, qui eadem non ſuſceperint; & hæc ſufficiant quoad quæſitum *Quid nominis*.

Maior difficultas eſt quoad quæſitum *Quid rei*, quæ magis ardua, & difficilis redditur propter diuerſitatem ſententiarum conſtituentium huiuſmodi caracterem, vel in aliqua relatione rationis, moralitate, & denominatione extrinſeca, vt ſentiebat *Durandus in quarto diſt. 4. q. 1. n. 11.*, vel in relatione prædicamentali, vt ſenſerunt nonnulli Scotiſtæ, inter quos *Faber, Centinus, Brancanus* relati à *Cacherano tract. 8. de Sacram. in genere c. 5. §. 2. n. 18.*, vel in entitate modali ſuperaddita, vt ſuſtinent aliqui ex Societate Ieſu, vel tandem in aliqua qualitate in anima impreſſa per Sacramentum.

Aſſertio I. Caracther, nec eſt ens rationis, nec aliqua relatio, nec modus ſuperadditus, ſed qualitas ſpiritualis in anima impreſſa. *D. Thomas tertia part. q. 63. art. 1., Ioannes à Sancto Thoma diſp. 25. art. 1. dub. 1.*, & regularitèr omnes ferè Thomiſtæ, *Suarez. diſp. 11. ſect. 2., Vaſquez diſp. 134. c. 2., Lugus diſp. 6. ſect. 2., Arriaga diſp. 17. ſect. 3., & alij magis communitèr.*

3 Non eſt ens rationis, nec denominatio extrinſeca.

Probatur prima pars. Ex Concilio Florent., & Tridentino ſupra allegatis. Caracther eſt ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile impreſſum in anima, ſed tale non eſt merum ens rationis, moralitas, & denominatio extrinſeca, ergo non conſiſtit in ente rationis, & denominatione extrinſeca. Minor probatur, quia eſſe ſpirituale, eſſe in anima impreſſum, eſſe indelebile important ex genere ſuo quid Phyſicum, & quid reale cum qualitate irriterabilitatis, cuiuſmodi non ſunt entia rationis, moralitates, & puræ denominationes extrinſecæ; Neque dicas, plura, quæ dicuntur ſolum per quandam denominationem extrinſecam, & ſunt veluti quædam moralitates, dici imprimi, eſſe velnti caractheres, vt videre eſt in peccato, per quod dicitur imprimi quædam macula in anima, & in Apocalipſi vocatur caracther beſtiæ, & tamen peccatum habituale non eſt, niſi denominatio extrinſeca prouenienſ à peccato præterito, & item in nota infamiæ, quæ dicitur alicui imprimi, & tamen hæc non eſt, niſi denominatio extrinſeca, ergo, quamuis caracther ſit ſolummodo relatio rationis, moralitas, & denominatio extrinſeca poteſt dici imprimi in anima, & in eadem permanere; Contrà enim impugnaberis, quia Concilia præallegata, dum dicunt caractherem eſſe ſignum ſpirituale in anima impreſſum, & indelebile non poſſunt intelligi loqui præcisè de illa moralitate, & denominatione extrinſeca; agebant etenim aduerſus ſectarios, & Hæreticos, qui non denegabant per receptionem Sacramentorum huiuſmodi moralitates, & denominationes extrinſecas reſultare; vnde voluerunt quid amplius decernere, quam quod ipſi admittebant, adeoque, non eſſe caractherem meram moralitatem, meramque extrinſecam denominationem, ſed quid reale, & Phyſicum; Neque vrgeas Concilia agere dum-

4 Ens rationis, nec denominatio pure extrinſeca poteſt eſſe in anima impreſſum, vel impreſſa.

dumtaxat contra Hæreticos, non quia adſtruerent caractherem conſiſtere ſolum in illa moralitate, & denominatione extrinſeca, ſed quia denegabant Sacramenta, ex quibus caracther proueniebat; contra enim adhuc impugnaberis, quia in primis, licet denegarent Sacramentum Confirmationis, & Ordinis, non denegabant tamen Sacramentum Baptiſmatis, cuius caractherem in ſola illa denominatione extrinſeca conſtituebant, & Concilia ipſos etiam in hoc damnant, ergo, quia volunt caractherem quid aliud importare ſupra meram denominationem extrinſecam. Deindè Concilia non ſolum damnant Hæreticos in eo, quod denegant Sacramenta Confirmationis, & Ordinis, quod Tridentinum præſtat *ſeſs.23. c.3., & 4., & can.1.*, ſed etiam in eo, quod aliqui ſuppoſitis illis Sacramentis negant per ipſa imprimi caractherem, quod idem Concilium præſtat *ſeſſ. 7. can. 9.*

5 Euincitur ex maiori excellentia Sacramentorũ nouæ legis.

Probatur vlterius quoad idem, quia, ſi caracther in ſola extrinſeca denominatione conſiſteret, miniſteria nouæ legis non præcellerent antiquis, in quibus Sacerdotes veteris legis ad miniſteria ſua ex officio peragenda deputabantur, immò, nec antecellerent humanorum officiorum dignitatibus, & muneribus, cum externam dumtaxat, & denominatiuam poteſtatem conferrent ſimilem illi, quæ ex Principis inſtitutione confertur Iudici, & Conſuli, quæ pro arbitrio eiuſdem Principis poteſt mutari, augeri, reſtringi, & auferri ſine vlla intrinſeca perſonæ mutatione, ergo non in ſola extrinſeca denominatione, & habitudine rationis eſt caracther conſtituendus, ſed potius in reali ſignaculo, quod vt aſſerit *D. Ambroſius lib. 7. de Spiritu Sancto c. 6.* fit non ſolum per ſpeciem viſibilem, vt olim fiebat in Iudæis, qui teſte *D. Ioanne Chryſoſtomo hom. 2. in Epiſt. ad Epheſ.* obſignati erant circuncisione, quemadmodum pecudes, ſed veritate in corde.

6 Non cõſiſtit in ſimplici relatione.

Probatur ſecunda pars. Vel auctores conſtituentes caractherem in relatione intelligunt, ipſum caractherem eſſe fundamentum proximum alicuius relationis, & ſecum trahere aliquam relationem, vel intelligunt ipſum caractherem eſſe præcisè relationem; ſi primum aſſerant; iam ſupponunt ipſum caractherem importare aliquam formam Phyſicam, in qua fundatur alia relatio, in quo non diſſentimus, cum habeamus intentum in illa forma Phyſica, quæ debet inhærere animæ, & in illa imprimi; ſi ſecundum aſſerant; peto, an illa relatio ſit tranſcendentalis, an vero merè prædicamentalis; primum non poſſunt congruentèr dicere, cum aſſerant illam relationem eſſe ex extrinſecè aduenientibus, quæ propterea non poteſt eſſe tranſcendentalis, cum hæc ſit eſſentialis ſuo ſubiecto, & ſibi identificet aliquod abſolutum; caracther autem non eſt eſſentialis animæ; ſecundum ſic impugnatur primò, quia iuxta noſtra principia iacta in Metaphyſicis relatio prædicamentalis conſiſtit præcisè in complexo fundamenti, & termini poſita ratione fundandi, nec eſt tertia entitas, ſicque importat ſolum denominationem extrinſecam reſultantem ex illo complexo, quæ propterea eiſdem rationibus impugnatur, quibus precedens pars. Secundò, quia per dicta Concilia caracther Sacramentalis dicitur imprimi in anima; ſi autem eſſet pura relatio, impropriè diceretur imprimi, cum pura relatio ſit ad aliud, non in alio; imprimi autem potius eſt in alio, quam ad aliud. Tertiò, quia relatio prædicamentalis exigit habere ſimul terminum, cum relatiua ſint ſimul natura, & cognitione; vel ergo caracther in Baptiſmo reſpicit tanquam terminum Sacramenta ſuſcipienda, in Confirmatione proficiendam fidem, in ordine adminiſtranda Sacramenta, vel reſpicit Chriſtum, de cuius familia, & malitia recipientes huiuſmodi Sacramenta imprimentia caractherem conſtituuntur; ſi primum dicatur, cum pro eo inſtanti, quo caracther ponitur, non ſint Sacramenta actu, quæ ſuſcipiantur, vel adminiſtrantur, nec actualis profeſſio fidei, non ſunt ſimul termini, adeoque nec relatio prædicamentalis, quæ exigit coexiſtentiam ipſorum; ſi dicatur ſecundum, poſſet relatio ceſſare permanente caracthere, qui propterea non poteſt in illo conſiſtere, quod autem poſſit ceſſare patet ex eo, quod Chriſtus Dominus in triduo mortis non extiterit, cum pro illo triduo non fuerit vnio animæ cum corpore, per quam ſicuti conſtituitur homo, ita, & Chriſtus.

7 Vt ſignũ eſt fundamentũ relationis, non ipſa relatio.

Dices, caracther eſt in genere figuræ, & ſigni; ſignum autem importat ex ſuo conceptu relationem ad rem ſignificatam, ergo caracther talem relationem importat; quod etiam confirmari poteſt ex eo, quod per Sacramenta imprimentia caractherem caractherizatus referatur ad Chriſtum Dominum, tanquam famulus ad Dominum, tanquam miles ad Ducem, & tanquam diſcipulus ad magiſtrum, adeoque ex illis reſultant tres relationes. Sed contra; aliud eſt, quod in illo caracthere inuoluatur aliqua relatio, quatenus ipſa ſit fundamentum ad ſuum terminum tanquam ſubſtratum ſignificationis ad rem ſignificatam, aliud eſt, quod ipſe caracther ſit relatio; primum admittitur, ſecundum negatur. Signantèr ad inſtantiam noto, ſignum, in quo dicitur conſiſtere caracther

duo

duo importare, & eſſe impreſſum, & indelebile, & eſſe ſignificatiuum; iuxta primum dicit inhęrentiam, & per conſequens formam inhærentem, & ſic aliquid abſolutum; iuxta ſecundum relationem ad rem ſignificatam, quæ duo, licet fundentur in eadem entitate, conſtituunt tamen duplicem rationem, & inhærentiæ, & relationis, atque hæc fundatur in prima.

Probatur tertia pars, ex noſtris principijs vbique iactis tum in Phyloſophia, tum in alijs quæſtionibus Theologicis, in quibus

8 Non cōſiſtit in modo ſuperaddito.

entitates huiuſmodi modales in omnibus reiecimus nulla exiſtente neceſſitate eos admittendi, quod ex eo fortius deducitur, quod aſſertores huiuſmodi modorum, qui acritèr deſudant circa alia in ipſis propugnandis, nullam neceſſitatem inueniunt illos ſtatuendi in caracthere Sacramentali. Addo, quod modi ſupponunt in ſubiecto, in quo recipiuntur virtutem ad operandum, & ſolum determinant; caracther autem non ſolum determinat ad operandum, ſed confert etiam poteſtatem.

Probatur tandem quoad vltimam partem ex excluſione aliarum ſententiarum;

9 Euincitur, quod ſit qualitas realis.

cum etenim non ſit denominatio merè extrinſeca, nec relatio, nec entitas modalis, ex neceſſitate debet eſſe aliqua entitas abſoluta; entitas autem abſoluta debet eſſe, vel ſubſtantialis, vel accidentalis; ſi accidentalis, vel quantitas, vel qualitas; non poteſt autem eſſe entitas ſubſtantialis, quia cum ſit ſupernaturalis non poteſt eſſe ſubſtantia, cum ex alibi dictis repugnet ſubſtantia ſupernaturalis; nec item in genere accidentali poteſt eſſe quantitas, quia hæc eſt corporea, caracther autem ſpiritualis, vnde ex neceſſitate debet reſolui in qualitatem; Nec poteſt eſſe actio, vel paſſio, quia caracther conſiſtit in re permanenti; actio vero, & paſſio tranſeunt.

ARTICVLVS II.

In quanam ſpecie qualitatis conſtituendus ſit caracther.

SVMMARIVM.

Quatuor ſpecies qualitatum. 1.
Caracther lato modo ſpectare poteſt ad qualitatem formæ, & figuræ. 2.
Item ad conditionem paſſibilis qualitatis. 3.
Item ad rationem potentiæ. 4.
Obiecta Suarez contra hanc qualitatem potentiæ in ordine ad caractherem. 5.
Eluduntur hæc obiecta. 6.
Specialitèr eluditur obiectum quoad Sacramentum Confirmationis. 7.
Item in ordine ad caractherem ordinis. 8.
Propriùs caracther conſiſtit in qualitate habitus. 9.
Soluuntur obiecta oppoſita. 10.
Hac intelliguntur de quadam reductione, non de propria comprehenſione. 11.
Definitur quid ſit propriè caracther. 12.

QVatuor ſpecies qualitatis enumerat Ariſtoteles, & cum eo omnes ferè Phyloſophi. Sub prima conſtituunt habitum, & diſpoſitionem; Sub ſecunda potentiam, & impotentiam; ſub tertia paſſionem, & paſſibilem qualitatem; ſub quarta formam, & figuram. Sub prima

1 Recenſētur quatuor ſpecies qualitatum.

ſpecie caractherem conſtituunt *Suarez diſp. 11. ſect. 3. §. vltimo ergo, Vaſquez diſp. 136., Alenſis quarta part. q. 19. memb. 1. art. 2., Amicus diſp. 7. n. 41., Cacheranus tract. 8. de Sacram. in genere c. 5. §. 2. n. 26.* Sub ſecunda conſtituunt *Caietanus in tertiam part. D. Thomæ q. 63. art. 2., Ioannes à Sancto Thoma diſp. 25. art. 2. dub. 3., Gonetus diſp. 4. art. 2. n. 37., Madernus tract. 2. diſp. 4. art. 3. n. 4.* Sub tertia conſtituunt *D. Bonauentura in quarto diſt. 6., Lugus diſp. 6. ſect. 3. n. 48., Herinez diſp. 4. q. 6. n. 74.* Sub quarta *Marſilius in quarto q. 4. art. 1., Riccardus in quarto diſt. 5. art. 1. q. 1., & alij.*

Aſſertio. Caracther, ſi ſumatur in tota ſua latitudine poteſt contineri ſub qualibet ex quatuor enumeratis ſpeciebus qualitatis, magis tamen propriè ſub aliqua, minus propriè ſub alia, maximè propriè ſub prima.

Probatur diſcurrendo per ſingulas ſpecies, & incipiendo ab vltima, cum in Græco caracther idem ſignificet, ac in Latino figura, & vlterius in Concilijs Florent., & Trident. ſupra allegatis dicatur ſignum indelebile impreſſum in anima, non eſt, cur non poſſit ſpectare ad qualitatem qualitatis quarto modo acceptæ maximè accedente proportionata habitudine vnius ad alteram, nam ſicuti caracther datur ad diſtinguendos caractherizatos in ſua ſpecie ab alijs non caractherizatis ſimplicitèr, vel ſolum in alia ſpecie, ita figura

2 Lato modo caracther ſpectare poteſt ad qualitatem figuræ.

eſt contradiſtinctiua vnius ab altero, vt ex ſe patet. Quia tamen figura propriè ſumpta conſiſtit in diuerſa partium diſpoſitione, & ex D. Thoma eſt terminatiua, quæ duo exigunt entitatem corpoream, & non poſſunt competere enti merè ſpirituali, cuiuſmodi eſt caracther, non niſi minus propriè, & per quandam analogiam hic poteſt dici figura; non eſt tamen ſimplicitèr, & ſecundum omnem rationem excludendus à tali linea, cum importet ſignaculum diſtinctiuum.

Proſequendo in tertia retenta communiori expoſitione qualitatis paſſibilis, quod conſiſtat in omni qualitate, quæ datur

præ-

præciſe ad perficiendum, deſignandum, & ornandum ſubiectum, erit innegabile,

3 Item ad paſſib lẽ qualitatẽ.

quod caracther ſub illa tertia ſpecie qualitatis contineatur, quandoquidem inficiari non poteſt, quin animam ornet, & perficiat; Quia tamen nonnulli arbitrantur non minus ſub tertia, quam ſub quarta ſpecie contineri ſolummodo qualitates corporeas, ideo ſtante hac opinione iuxta mentem Ariſtotelis minus propriè etiam poteſt dici, quod caracther contineatur ſub ſpecie qualitatis paſſibilis; cum tamen retineat proprium munus ornandi, & perficiendi vix excludi poteſt a tali ſpecie. Rurſus ſub ea ratione, ſub qua caracther in Baptiſmo impreſſus reddit ſubiectum capax ad recipienda alia Sacramenta, poteſt dici paſſio, ſeu paſſiuus; quia vero actio, & paſſio ſibi ſunt correlatiua, cum caracther in Cõfirmatione detur, vt ſignaculum ad pugnandum pro fide, poteſt dici actiuus, ſimul, & paſſiuus, caracther vero in ordine impreſſus poteſt dici actiuus, nam illo accepto dona Dei diſpenſare poſſumus.

Accendendo item ad ſecundam ſpeciem, præter quam quod ex modo dictis de actione relatiuè ad paſſionem aliquod veſtigium poſitum eſt, quo caracther videtur comprehendi ſub eadem ſecunda ſpecie potentiæ, adhuc clarius idem illuſtrando ſic procedo cum *D. Thoma q. 63. art. 2.*

4 Item ad rationem potent æ.

Primaria ratio, per quam in tribus recenſitis Sacramentis imprimitur caracther, illa eſt, vt per iſtum deputetur homo ad Dei cultum ſecundum ritum Chriſtianæ Religionis iuxta *D. Dionyſium in ſecundo cap. Eccleſiaſt. Hierarchiæ, Perficiens eum Diuinum, & communicatorem Diuinorum*; cultus autem Diuinus conſiſtit, vel in receptione, & communicatione Diuinorum; in receptione autem requiritur potentia paſſiua, in communicatione potentia actiua, quæ vtraque habetur per caractherem, ergo caracther reducitur ad qualitatem potentiæ, ſiue actiuæ, ſiue paſſiuæ. Quia tamen caracther non eſt, niſi potentia moralis, vt benè aduertit *Cacheranus d. c. 5. §. 2. n. 28.* non videtur propriè ſub eadem ſecunda ſpecie contineri; propriùs tamen ſub hac comprehenditur, quam ſub duabus procedentibus, & pro hac magis ſtat *D. Thomas loc. mox alleg.*

Neque hic audiendus eſt Suarez, dum impugnando rationes a nobis allatas reducentes caractherem ad ſpeciem potentiæ aſſerit caractheri per Baptiſmum impreſſo non poſſe competere rationem potentiæ paſſiuæ (nam de actiua ex ſe conſtat eidem non competere) cum ipſe caracther alia Sacramenta, nec gratiam in ſe recipiat, nec caractheres ab alijs producendos; ſi etenim ipſe caracther Baptiſmi abſque præcedentis caractheris, vel gratiæ apparatu recipitur in anima, cur in eadem anima non poterunt recipi alij caractheres cum gratia ſine præcedenti caracthere Baptiſimali? Aſſerit inſuper, rationem potentiæ non poſſe competere caractheri Confirmationis, quia potentia datur ad ſimpliciter poſſe, ſicuti habitus ad faciliter operari; hic autem caracther ad ſuſcipiendos Ordines non eſt ſimpliciter neceſſarius, cum validè poſſint ſuſcipi non præexiſtente Confirmatione, nec ad profitendum fidem, & pugnandum pro eadem deſideratur, cum ad eandem propugnandam poſſit ab habitibus virtutum fidei, & Religionis diſponi, & adiuuari; quod idem ſtatuit de caracthere Ordinis, cum hic non conferat, ſed operandi facultatem ſupponat; caracther etenim Acolito impreſſus ſupponit in eodem poteſtatem deferendi candelabra &c.

5 Obiecta Suarez contra hãc qualitatem potentiæ.

Non, inquam, audiendus eſt, quia in primis dici poſſet, quod, ſicuti quantitas dicitur potentia receptiua, media qua cætera accidentia inhærent ſubiecto, ita caracther Baptiſimalis ſit potentia paſſiua, media qua alij caractheres, & effectus Sacramentorum recipiantur;

6 Eluduntur hæc obiecta.

Deindè (& hoc certè melius) ad rationem potentiæ paſſiuæ non eſt neceſſe, quod in ſe ipſa recipiat formam, ſed ſufficit, quod reddat ſubiectum capax alterius formæ, cuius non eſſet capax, niſi illa adeſſet. Hoc exemplificari poteſt in mollitia ceræ, quæ licet non recipiat in ſe figuram ſigilli, reddit tamen ceram capacem ad recipiendam figuram, & ideo ab Ariſtotile ſub ſpecie potentiæ paſſiuæ conſtituitur; neque obſtat id, quod ſubditur de caracthere Baptiſmi immediatè in anima recepto ſine præcedentia alterius caractheris, ad cuius normam dicitur, quod alij etiam caractheres poſſint immediatè recipi; non obſtat, inquam, quia, cum caracther Baptiſimalis in ſuo genere ſit primus, & fundamentum cæterorum, non exigit alium habere ante ſe, cæteri autem, cum ſint conſecutiui, illum exigunt præcedentem.

7 In ordine ad caractherem Confirmationis.

Nec aliquid magis euincit id, quod Suarez dicit de caracthere Confirmationis, quod ſcilicet non inducat potentiam cum hæc habeatur ab habitibus fidei, & Religionis, medijs quibus miles Chriſti poteſt certamen fortè pro fide habere. Non, inquam, aliquid euincit, quia licet medijs habitibus fidei, & Religionis poſſit confirmatus præclara in Dei cultum exercere, non tamen ita ſtrenuè ex proprio munere hoſtes fidei efficaciter oppugnare, eoſdem confundere, atque ab eiſdem glorioſum triumphum reportare; quod exemplo

Apo-

Apoſtolorum clarè euincitur, qui, quamuis eſſent imbuti habitu Religionis,& fidei ante paſſionem Chriſti Domini adeo infirmi, & debiles extitèrunt, vt vel ab ipſo effugerint, ipſum negarint,quinimmo etiã poſt reſurrectionem timidi propter metum Iudęorum intra Cænaculi anguſtias ſe continuerint; Accepto poſtea in die Pentecoſtes Confirmationis robore fortes in bello exierint, hoſtes Religionis euerterint, & potentias Mundi, & Diaboli ſuperauerint. Quod, ſi quandoque aliqui ante ſuſceptum Confirmationis Sacramentum fortiter pugnarint non timentes flammam ignis, nec tirannorum tormenta,ſe quoq; morti intrepide obiecerint, vt ſua morte fidem confirmarent, dicendum eſt, hoc ex ſpecialioribus Dei auxilijs ob ſpecialem Dei prouidentiam,qui ſpirat, vbi vult, prouenìſſe, non ex conſuetis præſidijs, quibus milites Chriſti præmuniuntur, & coronantur.

8 Item in ordine ad Sacramentum Ordinis. Nec tandem quid magis euincit, quod de caracthere Ordinis ſubditur, quandoquidem comparãdo Ordines tum ad inuicem, tum ad ſuos effectus poſſunt dici per caractherem ab eiſdem productum conſtituere potentiam tum paſſiuam, tum actiuam; paſſiuam quidem, vel quatenus caractheres inferiorum Ordinum recipiant illos ſuperiorum, vel quatenus reddant ſubiectum capax, vel ſaltem magis diſpoſitum ad illos recipiendos; nec obſtat,quod Ordo ſuperior poſſit recipi ſine inferiori per ſaltum, quia licet poſſit validè recipi, nequit tamen iure recipi, & nomine potentiæ non ſolum venit id, quod reſpicit validum eſſe, ſed id, quod reſpicit licitum eſſe; actiuam vero, quatenus confert poteſtatem ritè exercendi actus, ad quos ille Ordo, cuius eſt caracther, ordinatur; nec obſtant, quæ ſubdebantur, caractherem ſcilicet ſupponere potentiam, non conferre; non obſtant, inquam, quia illa potentia, quæ ſupponitur eſt mera materialis, & Phyſica, non ordinata, nec cum habitudine ex officio proprio ad ſpiritualia, & Eccleſiaſtica munera; vnde munus, quod exercetur deferendi, v. g. candelabra ab eo, qui non eſt ad tale munus ordinatus,eſt adinſtar illorum,qui deferunt inſignia Doctoratus, cum eiuſdem laurea non fuerint inſigniti, hoc etenim eſt merè materialitèr deferre, non ex proprio officio &c.

9 Magis propriè conſiſtit in qualitate habitus. Concludendo tandem de prima ſpecie qualitatis ab Ariſtotile aſſignata, ſub eadem magis propriè contineri caractherem ſic oſtendo. Nomine habitus Ariſtotiles loco citato intelligit qualitatem, quæ ſit difficilè mobilis, quæ perficiat, & ornet ſubiectum, in quo recipitur, & opus eius reddat bonum; ſed hæc omnia conueniunt caractheri Sacramentali, ergo hic reducitur, & magis propriè ad primam ſpeciem qualitatis, quæ eſt habitus. Minor probatur, quia caracther nõ ſolum eſt difficilè mobilis, ſed etiam immobilis, & vtique negari non poteſt, eſſe perfectiuum, cum ſit qualitas ſpiritualis, & ſupernaturalis eleuans ad ſtatum, & dignitatem Superiorem, quod tandem habeat aliquam actiuitatem, & opus illum habentis red dat bonum, ex mox dictis facilè elucet, cum conferat poteſtatem exercendi ritè actus, ad quos Sacramentum, cuius eſt caracther,eſt ordinatum; nec obſtat id,quod ſupra dicebamus, quod hæc actiuitas, quæ tribuitur caractheri,ſit dumtaxat moralis, quæ propterea non poteſt comprehendi ſub ſpeciebus qualitatum ab Ariſtotile aſſignatis, quæ ſunt tantum de qualitatibus in genere Phyſico; Non obſtat, inquam, quia, vt comprehendatur ſub talibus ſpeciebus, ſufficit, quod ſint in genere Phyſico quoad entitatem, licet non ſint in eodem in genere, & modo operandi.

Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur primò, quod ex genere ſuo habitus actibus intendatur, & contrarijs deſtruatur; caracther autem, nec actibus augetur, nec vlla impietate deletur. Secundò, quia habitus iuxta mentem *D. Thomæ tertiis part. q. 63. art. 2.* non poſſit eſſe indifferens ad bonum, & malum; caracther autem poſſit ad vtrumque conferre; cum plurimi eo benè vtantur, alij malè; quarè modo refertur ad Religioſum cultum, modo ad ſacrilegam impietatem; Non, inquam, obeſſe poteſt; Non primum, quia, quod habitus, vel producatur per actus, vel intendatur per eoſdem, vel immediatè producatur à Deo,vel per ſe ipſum, vel medio aliquo inſtrumento pertinet ad modum productionis, non ad naturam eiuſdem habitus,qui,quomodocunque producatur, vel intendatur, dummodo habeat conditiones difficilis mobilitatis,& perfectiuitatis ſubiecti, & opus perficiẽtis,permanet in linea habitus, & hoc vnum eſt ex diſcriminibus, quæ intercedunt inter habitus acquiſitos,& habitus infuſos, nam illi producuntur, & perficiuntur ex actibus acquirentis, iſti ex virtute Dei; Non ſecundum; quia, quantum eſt de ſe, & ex inſtitutione Diuina,caracther eſt ordinatus ad bonum, cum ſit qualitas ſupernaturalis, & participatio Sacerdotij Chriſti,& propterea ex genere ſuo refertur determinatè ad Dei cultum, quod deindè miniſter illo peruersè, & ſacrilegè vtatur, non eſt ex ordine caractheris, ſed ex peruerſitate illo vtentis, eo modo quo Sacramenta ex vi ſuæ inſtitutionis ſunt ordinata, & ſecun-

10 Soluuntur obiecta oppoſita.

Digitized by Google

dum ſe determinata ad cultum Dei, & ad humanam ſalutem; quod, ſi peruerſus eorum vſus ſequatur, & cedant potius in perniciem, quam in ſalutem, hoc non eſt ex natura, & conditione eorundem, ſed ex peruerſitate ſumentium, per quam non tollitur eorum naturalis determinatio ad bonum.

11 Non eſt propria compre-henſio.

Quæ hactenus diximus, intelligenda ſunt de reductione huiuſmodi caractherum ſiue minus, ſiue magis propria ad ſpecies qualitatum aſſignatas ab Ariſtotile, non de rigoroſa, & ſtricta comprehenſione ſub aliqua illarum, quandoquidem Ariſtotiles locutus eſt de qualitatibus corporeis, & naturalibus, ſub quibus propriè non continetur qualitas ſpiritualis, & ſupernaturalis, qualis eſt illa caractheris, de qua nec cogitauit, nec cogitare potuit Ariſtotiles, cum verſaretur in puris naturalibus; vnde, quamuis in aliquo caracther Sacramentalis deficeret a conditionibus illarum qualitatum, non propterea tolleretur eiuſdem reducibilitas ad illas per quandam analogiam ſiue magis, ſiue minus proportionatam.

12 Definitur quid ſit propriè caracther.

Ex quibus omnibus deduci poteſt reſolutio eius, quod fuit in principio articuli propoſitum Quid ſit quidditate rei ipſe caracther. Dic etenim, quod ſit qualitas ſpiritualis ſaltem analogicè primæ ſpeciei animam perficiens, eidemque indelebilitèr inhærens ad ritè obeunda munera, ad quæ eſt ordinatus. Colligitur ex excluſione eorum, qui caractherem conſtituebant, vel in extrinſeca denominatione, vel in relatione, vel in entitate modali, & item eorum, qui conſtituentes in genere qualitatis referebant, vel ad ſecundam, vel ad tertiam, vel quartam ſpeciem, qui tamen non ſunt reprobandi tanquam malè, ſed ſolum tanquam minus propriè ſentientes.

ARTICVLVS III.

Quodnam ſit ſubiectum Sacramentalis caractheris.

SVMMARIVM.

Subiectum caractheris Baptiſmi, & Confirmationis remotum eſt homo ſiue maſculus, ſiue fæmina, Ordinis vero ſolus maſculus. 1.
Varia ſententia circa ſubiectum proximum. 2.
Non imprimitur in organo corporis. 3.
Subiectum immediatum, & proximum caractheris eſt ipſa ſubſtantia animæ. 4.
Euincitur ex Conciliorum definitionibus. 5.
Siue ſumatur per modum potentiæ, ſiue per modum habitus, debet recipi in anima. 6.
Perficit animam. 7.
Rationes ſuadentes recipi in intellectu, quæ ſunt Thomiſtarum. 8.
Rationes ſuadentes recipi in voluntate, quæ ſunt Scotiſtarum. 9.
Reijciuntur rationes primæ ſententiæ. 10.
Reijciuntur etiam illæ ſecundæ. 11.

SVbiectum ferè in alijs omnibus duplex aſſignatur; aliud ſcilicet remotum, aliud proximum, neque ab hac diſtinctione ſecernendum eſt ſubiectum caractheris. De ſubiecto remoto vix aliquid hic dicendum videtur, quod non fuerit attactum, dum de cauſa materiali, & ſubiectiua Sacramentorum; Sicuti enim ibi diximus, quod ſolus homo, non tamen omnis, ſit ſubiectum Sacramentorum, ita modo dicimus, quod ſubiectum remotum caractherum ſit homo, qui eſt capax illorum Sacramentorum, quæ ex vi ſua habent eundem caractherem imprimere. Cum igitur homo promiſcuè, ſiue fuerit maſculus, ſiue fæmina ſit capax Baptiſmi, & Confirmationis, & Sacramenti Ordinis ſit ſolum maſculus, non fæmina, ſequitur, quod ſubiectum Baptiſmi, & Confirmationis ſit promiſcuè maſculus, & fæmina, Ordinis vero ſolus homo ſuppoſitis debitis requiſitis.

1 Subiectũ remotũ caractheris Baptiſmi, & Confirmationis eſt omnis homn.

Difficultas potiſſimum reducitur ad ſubiectum proximum, & immediatum. Plures iuxta diuerſorum DD. principia, & placita inuenio opiniones. Alij conſtituunt in potentijs executiuis corporeis; atque huius opinionis auctor fuit *Durandus in quarto diſt. 4. q. 1. n. 4.* Alij in anima ſimul, & potentijs, & cum hac opinione tranſit *D. Bonauentura in quarto diſt. 6. art. 1. q. 3.* Alij in voluntate, vt *Scotus in quarto diſt. 6. q. 11. §. dico ergo*, quem ſequuntur omnes ferè Scotiſtæ. Alij in ſolo intellectu, vt *D. Thomas tertia part. q. 63. art. 4.*, & cum eo omnes ferè Thomiſtæ. Alij tandem in anima, vt *Suarez diſp. 11. ſect. 4.*, *& alij recentiores magis communitèr.*

2 Variæ ſententiæ circa ſubiectum proximũ.

Prima opinio, quamuis tribuatur Durando, falsò tamen eidem tribuitur, & ſolum ex quadam illatione incongruentèr deducta; Ex eo etenim, quod Durandus antecedentèr docuerit, caractherem non eſſe, niſi quandam denominationem extrinſecam, & relationem rationis, deducunt aliqui ſiniſtri eiuſdem mentis interpretes, quod voluerit ſubiectari in corpore, in quo recipitur Sacramentum. Sed hanc non fuiſſe mentem eiuſdem Durandi, facilè ex eo deducitur, quod, cum ipſe *in quarto diſt. 4. q. 1. n. 11.* conſtituerit caractherem in ſola relatione rationis, poſtea *in eadem quaſt. n. 13.* ſubdidit non eſſe quærendum, in quo ſit caracther, tanquam

3 Subiectũ proximũ non eſt organũ corporis.

in

in ſubiecto, & licet idem *Durandus d. q. 1. n. 9.* mentionem fecerit illius opinionis, quæ aſſerit, Ordinem Sacerdotalem caractherem imprimere in membris corporis, quibus Sacerdos Sacramenta conficit, ipſam tamen non ſequitur, ſed potius improbat. Cuiuſcunque fuerit illa opinio, certè non ſubſiſtit definiente *Trident. ſeſs. 7. can. 9.* caractherem imprimi in anima, & communis SS. PP., & Scholaſticorum conſenſus fert, poſt mortem non deleri, quod certè verificari non poſſet, ſi in corpore, quod corrumpitur, imprimeretur.

Aliæ ſententiæ videntur procedere ſuppoſita diſtinctione reali potentiarum ab anima, & earundem inter ſe, quam diſtinctionem nos latè reprobauimus in quæſtionibus de anima; vnde iuxta noſtra principia ceſſare videtur contentio, quæ eſt inter allegatos DD.; ſiue enim dicatur ſubiectari in potentia volitiua, ſiue in intellectiua; ſiue in vtraque, ſiue in anima ſimul cum omnibus potentijs ſemper verificatur, quod ſubiectetur in anima, cum potentiæ tum inter ſe comparatæ, tum comparatæ cum anima ſint vnum, & idem indiuiſibilitèr cum eadem anima. Quia tamen, quamuis hæ potentiæ, nec inter ſe, nec ab anima diſtinguantur, munus caractheris, vel referri poteſt ad operationes animæ, vt intellectiuæ, vel vt volitiuæ formalitèr, & reduplicatiuè, ideo hic quæritur, an in anima, vt intellectiua, an vt volitiua ſubiectetur.

4 Eſt ipſa ſubſtātia animæ.

Aſſertio. Subiectum immediatum, & proximum caractheris eſt ipſa eſſentia, ſeu ſubſtantia animæ. Conſentiunt *Suarez loc. cit., Vaſquez diſp. 134. c. 4., Amicus diſp. 7. q. 4., Lugus diſp. 6. ſect. 4., Arriaga diſp. 17. ſect. 6. n. 36., Madernus tract. 2. de Sacram. in genere q. 4. art. 4. n. 2., Cacheranus tract. 8. de Sacram. in gen. c. 5. § 3. n. 37., & ſeqq.*

Probatur primò ex Concil. Florent., & Trident. ſupra recenſitis, quæ ſimplicitèr aſſerunt, caractherem imprimi in anima, eſſe ſignum indelebile impreſſum in anima ſine vllo penitus addito; ſed anima ſimplicitèr ſumpta ſine addito importat ipſius eſſentiam, & ſubſtantiam, non eandem ſub aliquo conceptu reduplicatiuo, ergo ex eiſdem Concilijs immediatè in animæ ſubſtantia recipitur, & ſubiectatur; Neque dicas, quod, quamuis ſubiectaretur in potentijs, vel aliqua illarum maximè ſuppoſita indiſtinctione earundem potentiarum ab anima, adhuc diceretur in eadem anima ſubiectari cum plena verificatione definitionis Conciliorum, ergo ex allata ratione è Concilijs deducta non potius euincitur ſubiectari in anima, quam in potentijs eiuſdem; Contrà enim impugnaberis,

5 Euincitur ex Conciliorum definitionibus.

quia vbi verba Sacræ Scripturæ, & Conciliorum ſumi poſſunt, prout ſonant ſine aliqua nota, in eo ſenſu proprio, & literali ſunt accipienda, nec in alium minus proprium, & minus germanum deflectenda; verba autem Conciliorum, prout ſonant, important ſubſtantiam animæ ſine addito, & ſic intellecta nulli ſubduntur notæ, ergo ſic debent intelligi, non referri ad potentias, quamuis cum eadem anima identificatas.

Probatur ſecundò, quia caracther, vel eſt in ſecunda ſpecie qualitatis, nempè potentiæ, vel in prima, nempè habitus; in

6 Siue ſumatur per modum potentiæ, ſiue per modum habitus debet recipi in anima.

quacunque conſtituatur, debet in ſubſtantia animæ ſubiectari, ergo caracther in ipſa animæ ſubſtantia tanquam in ſubiecto debet recipi. Minor probatur, quia, ſi eſt in ſpecie potentiæ, ſicuti omnes potentiæ ſubiectantur in anima, ſi ſint ab illa diſtinctæ, vel ſaltem concipiuntur in illa recipi, ſi ſint indiſtinctæ, ita, & idem caracther prout eſt potentia debet in eadem anima ſubiectari; ſi ſit in ſpecie habitus cum non ſit Phyſicè operatiuus, ſicuti, nec habitus gratiæ, qui eſt potius natura in ordine ſupernaturali, quam potentia, ſed ex eo, quod habitus gratiæ non ſit operatiuus non recipitur in potentijs, ſed immediatè in ipſa animæ ſubſtantia, ergo etiam caracther vtpotè habitus non operatiuus non in potentijs, ſed in ipſa animæ ſubſtantia debet recipi. Quod, ſi dixeris, caractherem dari in ordine ad actus, ad quos ordinatur Sacramentum, cuius eſt caracther, adeoq; debere eſſe operatiuum; ſtatim impugnaberis, quia, ſi quoquo modo caracther poteſt dici operatiuus, erit ad ſummum talis moralitèr, quæ operatiuitas moralis non videtur in hoc conſideranda, ſicuti non cōſideratur quoad hunc effectum receptionis, ſeu receptibilitatis in aliqua potentia actiuitas moralis, quæ poteſt conſiderari in ipſo habitu gratiæ; ad ipſam enim moralitèr conſequuntur habitus virtutum, auxilia actualia, & alia dona ſupernaturalia.

7 Perficit animam.

Probatur tertiò, quia ipſe caracther datur potiſſimum ad ornandum, ad diſtinguendos varios hominum ſtatus ad certa munera deputatos, ergo in ea hominis parte ponendus eſt, ex qua reſultet denominatio ornati, & per quam melius notificetur diſtinctio eorundem ſtatuum, ſed anima eſt, quæ dicitur ornari, & tanquam prior, & notior aptior eſt ad notificandam talem diſtinctionem, ergo in ipſa congruentius ponendus eſt caracther.

8 Rationes fundẽtes recipi in intellectu.

Hinc diſſoluenda ſunt argumenta, vel Thomiſtarum conſtituentium caractherem in intellectum, vel Scotiſtarum collocantium in voluntate tanquam in ſubiecto.

10. Illi hac ratione mouentur, quia caracther eſt ſpirituale ſignum, quod datur ad excitandam cognitionem ſpiritualem, eſt ſpirituale lumen, quod inſeruit eidem cognitioni, eſt ſpiritualis potentia, quæ adiuuat potentiam intellectiuam; ſed hæc omnia pertinent ad intellectum, ergo in eodem debent immediatè ſubiectari. Iſti

9 *Rationes ſuadentes recipi in voluntate.*

his rationibus mouentur primò, quia caracther eſt diſpoſitio ad gratiam, & ſanctitatem; gratia autem, & ſanctitas recipiuntur in voluntate, ergo, & caracther. Secundò, quia caracther eſt ſignum obligationis, qua ſubdimur Deo in ratione famulatus, militiæ, & miniſterij; obligatio autem inducitur per actum voluntatis, ergo ſignum obligationis rationabilitèr in ea potentia eſt collocandum, in qua reſidet obligatio, adeoque in voluntate.

10 *Reijciuntur primæ rationes.*

Ad rationes Thomiſtarum admiſſis ijs omnibus, quæ de caracthere dicuntur, licet non propriè, ſed ex quadam proportione eidem conueniant ſolummodo, dico non rectè inferri, eundem ſubiectari immediatè in intellectu; non etenim illa omnia pertinent ad intellectum ſubiectiuè, ſed obiectiuè dumtaxat, quatenus ſunt obiectum eiuſdem; non eſt autem neceſſe, quod ea, quæ ſunt de obiecto potentiæ in eadem ſubiectentur, vt per ſe patet.

11 *Reijciuntur ſecundæ.*

Ad rationes Scotiſtarũ admiſſo etiam, quod caracther ſit diſpoſitio ad gratiam, ex hoc potius infertur, quod ſubiectetur in ſubſtantia animæ, quandoquidem gratia, ad quam diſponit, quæ ſe habet per modum naturæ in ordine ſupernaturali, potius in natura, quam in potentia ſubiectatur, quod potiſſimum etiam ex eo euincitur, quod caracther non ſolum ſit diſpoſitio, ſed ſit etiam quodamodo perfectio, vnde in eo ſubiecto debet ineſſe, quod ſimul cum gratia perficit. Ad illud, quod ſubditur de ſigno obligationis aſſumptæ, dato etiam, quod ſit ſignum obligationis (quod tamen non ita certum eſt, vt ſupponunt aduerſarij, nam obligatio habetur per actum voluntatis, qui haberi nequit in paruulis, in quibus tamen caracther imprimitur) ex hoc tamen non infertur, quod ſubiectetur in voluntate, quia licet requiratur ad inducendam obligationem aliquis voluntatis actus, obligatio tamen in anima recipitur, cum ipſa obligata remaneat, & denominetur, & ratione dominij, quod tenet in actus eoſdem, imperet, cuiuſcunque potentiæ ſint.

ARTICVLVS IV.

An, & quomodo caracther ſit indelebilis, & an ſignum ad placitum, an naturale.

SVMMARIVM.

Caracther eſt indelebilis ab anima etiam poſt vitam. 1.
Euincitur ex Concilijs Florentino, & Tridentino. 2.
Oſtenditur ſignantèr, quod poſt ſtatum viæ non deleatur. 3.
Nullum habet contrarium, nec dependet à corpore in conſeruari. 4.
Nec opponitur prauis operationibus. 5.
A fortiori non deletur in Beatis. 6.
Ex deſinentia munerum non rectè infertur deſinentia caractherum. 7.
Ad quem effectum ſeruetur tam in Beatis, quam in reprobis. 8.
De potentia Dei abſoluta eſt deſtruibilis. 9.
Indelebilitas conuenit ei ex natura ſua. 10.
Caracther Sacramentalis non eſt ſignum naturale, ſed ad placitum. 11.
Comparatur ad cingulum militum, quod ſignificat ad placitum. 12.
Nec eſt figura entitatiua, nec intentionalis. 13.
Varia obiecta contra aſſertum. 14.
SS. PP. loquuntur ſolum per quandam accomodationem. 15.
Soluuntur alia obiecta. 16.

ASſertio I. Caracther eſt ab anima indelebilis, ita vt poſt hanc vitam nedum in Beatis ad ornatum, ſed in damnatis quoque ad confuſionem perſeueret. 1 *Caracther eſt omnino indelebilis etiam poſt mortem.*
Conſentiunt duo Scholarum Thomiſtæ, & Scotiſtæ anteſignani *D. Thomas tertia part. q. 63. art. 5.*, *Scotus in quarto diſt. 6. q. 9. circa finem*, quos ſequuntur omnes ferè Scholaſtici; & quoad indelebilitatem pro ſtatu viæ habetur tanquam veritas fidei, pro ſtatu poſt mortem non ita, quamuis temeritatem ſapiat contrarium aſſerere.

Videtur primò euinci concludentèr ex 2
Concil. Flor., & Trident. ſæpius recenſitis, quæ eidem caractheri tribuunt indelebilitatem ſimplicitèr ſine vlla prorſus limitatione. *Euincitur ex Concilijs Florentino, & Tridentino.* & quamuis nonnulli reſtringant ipſam ſolummodo ad ſtatum viæ (quod vt aſſerebam eſt de fide) quia tamen nulla eſt ratio limitandi, & ex communi conſenſu extenditur etiam extra talem ſtatum, ſi non eſt contra fidem aſſerere delebilitatem poſt mortem, erit tamen temerarium vtpotè contra communem conſenſum.

Secun-

3 *Oſtenditur ſignatèr, quod poſt ſtatum viæ non deleatur.*

Secundò ratione euincitur, quia, ſi poſt ſtatum viæ caracther deſtrueretur, vel hoc fieret immiſſione alicuius contrarij, vel dependentia eiuſdem à corpore, vel merito peruerſæ vitæ in damnatis, vel deſtructione ſubiecti; ex nullo capite poteſt prouenire hæc deſtructio, ergo non eſt, cur debeat deleri. Maior patet, quia non eſt aſſignabilis alius modus, quo poſſit deleri. Minor quoad primam partem probatur, quia, cum caracther ſit ſpiritualis qualitas, nullum contrarium admittit, ex cuius poſitione poſſit deleri; quoad ſecundam etiam euincitur, quia, licet caracther, qui non imprimitur, niſi per Sacramentum inſtitutum ſolum pro hominibus viatoribus, in ſua productione quodamodo à corpore dependeat, cum ſine illo in anima non poſſit imprimi, ſemel tamen productus, & impreſſus, ab eodem corpore non dependet in conſeruari, quemadmodum & gratia Sacramentalis non confertur, niſi in corpore exiſtentibus, & tamen permanet etiam poſt ſeparationem animæ à corpore, ergo &c. Quoad tertiam etiam ſic euincitur, quia demeritis, prauiſque actionibus, quantumuis flagitioſiſſimis caracther non opponitur; vnde etiam blaſphæmi, Apoſtatæ caracthere, quem ſemel acquiſierunt, non priuantur, cæteroqui redeuntes ad fidem, & ad bonam frugem eſſent rebaptizandi, & reordinandi, quod Apoſtolicis traditionibus, & Catholicæ Eccleſiæ praxi prorſus repugnat. Quod quartam etiam partem ſic oſtenditur, quia ex ſupraprobatis ſubiectum huiuſmodi caractherum eſt anima immortalis, quæ nunquam deſinit, ergo non poteſt deſinere caracther ad deſitionem ſubiecti; Neque dicas, quod, quamuis ex nullo ex allegatis capitibus euellatur caracther, deſinat tamen ad ſuſpenſionem concurſus Dei ob demerita damnati, qui, ſicuti illum priuat omnibus donis, & beneficijs gratuitis, ita ipſum priuat caracthere, quod eſt donum Dei merè gratuitum; Statim impugnaberis, quia Deus iuxta præſentis prouidentiæ conſuetum formas non deſtruit, nec conſeruatiuum earundem, niſi ad alicuius cauſæ ſecundæ exigentiam; quinimmo Deus in hac hypotheſi iuxta iuſtitiæ vindicatiuæ leges ad maiorem damnatorum confuſionem præſumendus eſt illæſum relinquere caractherem, vt maior inde confuſio damnatis ingeratur.

4 *Nullum habet contrarium, nec dependet à corpore in cōſeruari.*

5 *Nec opponitur prauis operationibus.*

Si vero in damnatis caracther non deletur, à fortiori non deleri in Beatis cenſendus eſt, cum in eiſdem nullus ex allegatis titulus deſtructionis poſſit excogitari; quinimmo, ſicuti in damnatis perſeuerat ad maiorem ipſorum confuſionem, ita in Beatis permanere præſumendus eſt ad maiorem ipſorum gloriam, & ornatum. Quod, ſi dicas in Beatis fidem non perſeuerare ſuccedente viſione, quæ omnem fidem euacuat, adeoque, nec caractherem, qui eſt ſignaculum fidei; ſtatim impugnaberis, quia, quod fides non permaneat non eſt propter oppoſitionem, quam habeat ad lumen gloriæ, quia ex dictis tum in quæſtionibus logicis, tum in quæſtionibus de fide fides compati poteſt cum ſcientia ſiue abſtractiua, ſiue intuitiua, ſed quia inuoluit tum aliquam obſcuritatem, tum ſpem, cum definiatur ſperandarum ſubſtantia rerum argumentum non apparentium; in illo autem regno beatitudinis in quo ſumma claritas eſt, & poſſeſſio omnium bonorum omnis obſcuritas, omniſque ſpes, quæ eſt de bono non poſſeſſo, excluditur, hæc autem ratio non militat de caracthere, qui perſeuerare poteſt etiam deſinente fide, vt diximus in Apoſtata, & infideli.

6 *A fortiori non deletur in Beatis.*

Neque hic audiendi ſunt, qui ex deſinentia exercitij actuum, ad quos caracther eſt ordinatus ſiue in ſtatu beatitudinis, ſiue in ſtatu damnationis arguunt deſinentiam huiuſmodi caractherum; ad quid enim adſtruere habitum, vel potentiam in ordine ad actus, quos per totam, quæ latè patet, æternitatem non poterunt exercere? Certè loquendo ſpecialitèr de damnatis in illo ſtatu damnationis nullus Deo cultus exhibebitur, nulla hierarchica functio celebrabitur, nullus denique ordo, ſed ſempiternus horror inhabitabit. Non, inquam, audiendi ſunt, quia licet nullum ſit futurum exercitium actuum, ad quos ordinatur caracther, non propterea caracther eſt delendus, cum ex prouida Dei diſpoſitione debeat deſeruire in Beatis tanquam glorioſum inſigne munerum, quæ ad Dei gloriam exercuerunt in eiuſdem famulatu, in profeſſione fidei, & in propagatione eiuſdem, & ſicuti Chriſtus Dominus in corpore glorioſo cicatrices tanquam trophæa defert, & Martires, Virgines, & Doctóres aureolas conſequuntur tanquam inſignia victoriæ, quam à carnificibus, à carne, & à Dæmone reportarunt, ita congruum eſt, vt baptizati, confirmati, & ordinati caractherem deferant tanquam inſigne &c. In damnatis vero ad eorum ſempiternum obbrobrium debet deſeruire, vt dignoſcentes qua dignitate fuerint inſigniti, magis torqueantur, quod eiuſdem fructum non fuerint conſecuti.

Ex deſinentia munerū non rectè infertur deſinentia caractherum. 7

Ad quē finem ſeruetur. 8

Solum hic oritur difficultas, an indelebilitas eiuſdem caractheris talis ſit, vt non ſolum ex potentia ordinaria, ſed nec etiam ex abſoluta poſſit caracther deleri, & an talis ſit ex natura rei, an tantum ex Dei

diſpo-

diſpoſitione. In ordine ad primum abſolutè ſentio, indelebilitatem eſſe dumtaxat ex potentia ordinaria, non ex abſoluta; atque ita ſentit *Cacheranus d. c. 5. §. 4. n. 45.* 9 De potẽtia Dei abſoluta eſt deſtruibilis. Ratio eſt, quia caracther eſt qualitas Phyſica inhærens animæ, ab eaque realiter diſtincta, dependens a Deo in eſſe, & in conſeruari, ergo erit a Deo de potentia abſoluta per ſubtractionem concurſus cõſeruantis deſtruibilis, ſicuti eodem modo eſt deſtruibilis anima ipſa; omne enim ens creatum, & a Deo dependens non exigit ex ſuis intrinſecis principijs ſemper conſeruari; & quamuis nulla ſit creatura, ad cuius exigentiam Deus debeat deſtruere; abſoluta tamen Dei potentia a nulla creaturæ exigentia dependet.

In ordine ad ſecundum ſentiendum eſt, 10 Indelebilitas conuenit ei ex natura. indelebilitatem caractheris de potentia ordinaria eidem competere ex natura rei; & hoc deducitur ex ijs, quæ ſupra dicebamus, nempè non poſſe deſtrui, nec ex aliquo contrario, nec per deſitionem ſubiecti ſuſtentantis, nec ex dependentia a corpore, nec ex demerito, & peruerſitate illum habentis; Neque dicas, ſi eſt indelebilis ex natura ſua, ergo neque de potentia abſoluta poterit deleri; Quod enim conuenit rei ex natura ſua conuenit illi eſſentialitèr, quod conuenit eſſentialitèr, nec de potentia Dei abſolutè poteſt non conuenire; contra enim impugnaberis, quia aliud eſt conuenire eſſentialitèr aliud conuenire connaturalitèr; quod conuenit primò modo, nec etiam de potentia abſoluta poteſt non conuenire; quod conuenit ſecundò modo, quamuis de potentia ordinaria non poſſit non conuenire, de potentia abſoluta poteſt non conuenire; Indelebilitas autem conuenit quidem connaturalitèr, quod eſt idem, ac ex natura rei, non autem eſſentialitèr, ideo &c.

Aſſertio II. Caracther Sacramentalis 11 Non eſt ſignum naturale, ſed ad placitum non eſt ſignum naturale, ſed ad placitum, & ex inſtitutione Chriſti, non ex natura rei. Conſentiunt *Scotus in quarto diſt. 6. q. 10. §. illud probatur circa finem, Gabriel. ead. diſt. q. 1., Maſtrius diſp. 1. q. 5. art. 2., Suarez diſp. 11. ſect. 2., Madernus q. 4. art. 2. n. 8., Cacheranus tract. 8. de Sacram. in genere c. 4. §. 4. n. 55.*

Probatur primò, quia caracther nullam habet naturalem connexionem cum re, ad quam ſignificandam eſt inſtitutus, ergo non eſt ſignum naturale, ſed ad placitum ex inſtitutione Diuina, non ex natura rei. Antecedens probatur, quia res, ad quas ſignificandas inſtitutus eſt caracther, eſt famulatus, militia, & miniſterium hominum ad Chriſtum, item auxilia actualia ad exercendos actus proprios, & gratia habitualis dans ius ad huiuſmodi auxilia; ad hæc autem omnia caracther naturalem non habet connexionem; non cum famulatu, militia, & miniſterio, quia, vt aſſerit *D. Baſilius orat. 13.* caracther comparatur teſſeræ, quam Duces dant militibus ſuis, vt ad inuicem ſe cognoſcant, vt diſtinctos a non militibus ipſorum Ducum, quod idem, ſeu eandem comparationem habent *Nazianzenus, Chryſoſtomus, Ambroſius, & Auguſtinus*; teſſera autem habet ſolummodo ſignare, & diſtinguere ex inſtitutione, & voluntate ipſorum Ducum, non ex natura rei; non cum auxilijs 12 Comparatur ad cingulũ militum. actualibus, aut cum gratia habituali; quia ex ſupra dictis *q. 1. art. 2. in probatione aſſertionis*, ſicuti ipſum Sacramentum, quod ex genere ſuo eſt ſignum, non habet naturalem connexionem cum re ſignificata, ſed tantum ex inſtitutione Chriſti Domini, adeoque eſt ſignum ſolum ad placitum, ita caracther, qui eſt effectus Sacramenti, non poteſt talem connexionem ex natura rei habere, ſed tantum ex intentione inſtituentis. Accedit, quod, cum caracther habeat plura ſignificare, famulatum ſcilicet, militiam, & miniſterium, ita actualem gratiam, & habitualem, & ſit qualitas in anima impreſſa, non videtur quomodo hęc poſſit naturalem connexionem cum tot ſecundum ſe diuerſis habere.

Probatur ſecundò, quia, ſi caracther 13 Non eſt figura entitatiua, nec intentionalis. eſt figura, ſeu ſignum naturale rapræſentatiuum tum famulatus, militiæ, & miniſterij, tum gratiæ, ſiue actualis, ſiue habitualis, vel eſt figura entitatiua, & obiectiua, vel eſt intentionalis, vel connaturalis effectus proprietas; nullum ex his dici poteſt; Non primum, quia figura entitatiua, & obiectiua, qualis eſt ſtatua, habet cum re rapræſentata ſimilitudinem entitatis ſaltem quoad externam proportionem, & delineationem partium; talis autem non eſt caracther reſpectu Chriſti, cuius ſignificet famulatum, militiam &c. cum nullam cum ipſo habeat ſimilitudinem, nec proportionem partium; Non ſecundum, quia imago intentionalis, cuiuſmodi eſt ſpecies, eſt medium incognitum, quod tamen ducit in cognitionem obiecti; caracther autem eſt ſignum inſtrumentale, quod prius cognitum in ſe ipſo ducit in cognitionem rei ſignificatæ. Rurſus, ſi eſſet imago intentionalis, deberet recipi in intellectu, & tamen per nos caracther recipitur in ſubſtantia animæ. Tandem caracther præcipuè datur ad ornandam animam, non ad cauſandam notitiam; Non tertium, quia nulla videtur proportio inter hanc qualitatem, & exiſtentiam Chriſti Domini, adeout debeat eſſe eiuſdem proprietas naturalitèr rapræſentatiua eiuſdem.

14 Varia obiecta contra aſſertum.

15 SS. PP. loquuntur per accomodationẽ.

Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur primò, SS. PP. conſueuiſſe explicare caracțherem ſub ratione ſigni, & ſigilli, quæ naturalitèr habent rapræſentare rem ſignatam, & inſigne eius, cuius eſt ſigillum. Secundò, quod Deus connaturalius operatur medijs qualitatibus, & cauſis producentibus ſuos effectus ex natura rei, quam ex aliquo decreto extrinſeco, ſeu nõ habentibus connexionem, niſi ex inſtitutione extrinſeca, ergo &c. Tertiò, quia indelebilitas competit caracțheri non ex mera ordinatione, ſeu inſtitutione Diuina, ſed ex natura rei, ergo etiam rapræſentatiuas eiſdem debet ipſi competere naturalitèr, & ex natura rei, non ex inſtitutione extrinſeca; Quartò, quia, ſi eſſet ſolum rapræſentatiuus, ſeu ſignificatiuus ad placitum, æquè potuiſſet Deus hanc ſignificationem affigere gratiæ habituali, aut alicui alteri qualitati quantumuis materiali; ad quid ergo producere hunc caracțherem, quando eius effectus poterat ex ſola gratia habituali haberi? Non, inquam, obeſſe poteſt, quia SS. PP. per quandam ſolam accomodationem, & aliqualem analogiam dixerunt caracțherem eſſe ſignum, & ſigillum conſiderantes potius eius munus, quam naturam, cum cæteroqui dixerint eſſe ornatum animæ, eſſe indelebilem &c.

16 Soluuntur alia obiecta.

Non ſecundum, quia ratio adducta nimis probat, probat etenim; & Sacramenta ipſa eſſe ſigna naturalia gratiæ, aliorumque effectuum, ſi valèret, quod Deus connaturalius operatur medijs cauſis præſtātibus effectus ex natura rei potius, quam ex extrinſeca inſtitutione? Quamobrem dico connaturalius operari, quando illæ qualitates ſunt ordinatæ principalitèr ad illos effectus concauſandos, & Phyſicè, ſecus quando principalius ſunt ordinatæ ad aliud, vt eſt caracther, qui principalius ordinatur ad ornandum, & diſtinguendum, & non operatur Phyſicè, ſed tantum moralitèr.

Non tertium, quia non currit paritas de indelebilitate, & de rapræſentiuitate; quandoquidem ſuppoſito, quod caracther ſit qualitas Phyſica Phyſicè inhærens ſpiritualis, & ſupernaturalis habet à ſuo intrinſeco, quod deleri nequeat, cum nullum admittat contrariũ eiuſdem deſtructiuum; rapræſentatiuitas vero eſt quidam reſpectus in eadem qualitate fundatus, qui reſpectus æquè eſſe poteſt, vel à natura, vel ex inſtitutione, & ordinatione Dei, cumque nullam habeat naturalem connexionem cum re ſignificata, congruentius dicitur eſſe ex inſtitutione, quam ex natura.

Non quartum, quia fateor, quod Deus illam ſignificationem potuiſſet affigere gratiæ habituali, vel alteri qualitati etiam materiali; de facto tamen voluit potius affigere caractheri, vt conſtat ex Conciliorum definitionibus, quam alteri qualitati, nec vlterius indaganda eſt eius voluntas, cur potius caractheri, quam alteri affixerit, cum eorum, quæ voluntatis Diuinæ ſunt, nobis non ingeratur cognitio, niſi ex reuelatione Diuina. Dicere tamen poſſumus potius caractheri affixiſſe, quam gratiæ habituali ob ſpecialem ornatum, & inſigne diſtinctiuum ſuorum militum, & miniſtrorum.

ARTICVLVS V.

An caracther ſit æqualis in omnibus, an inæqualis.

SVMMARIVM.

Procedit titulus de caracțheribus ab eodem Sacramento productis. 1.

Caracțheres ab eodem Sacramento in ſpecie impreſſi ſunt æquales, tum in ratione ſpecifica, quam in intenſiua. 2.

Maior, & minor diſpoſitio ſubiecti in hoc non confert. 3.

Ex nullo capite oritur neceſſitas diuerſificandi caracțheres. 4.

Quod caracțheres ab eodem Sacramento impreſſi ſint æquales prouenit ex natura rei, non merè ab extrinſeco. 5.

Caracțheres, qui imprimuntur in diuerſis ordinibus, ſunt inæquales non in ratione graduali, ſed in entitatiua, & ſubſtantiabili. 6.

Caracther, qui in vnoquoque ordine imprimitur eſt indiuiſibilis. 7.

1 Procedit de caractheribus eiuſdem Sacramenti.

NOn comparamus hic caractherem impreſſum in Baptiſmo ad caractherem impreſſum in Confirmatione, & Ordine, quandoquidem certum videtur, quod, ſicuti Sacramenta, per quæ huiuſmodi caractheres imprimuntur, ſunt diuerſa inter ſe ſpecie, ita, & caractheres ab eiſdem producti ſint in ratione ſpecifica diuerſi; diuerſæ autem ſpecies ad inuicem comparatæ regularitèr ſunt inæquales. Comparamus igitur ſolum caractheres in eadem ſpecie ad inuicem puta caractherem Baptiſmi vni impreſſum ad caractherem eiuſdem in altero exiſtentem, caractherem Confirmationis ad alterum eiuſdem, illum Ordinis ad alterum in eodem Ordine. Sed quia plures ſunt Ordines, quorum alij ſunt minores, alij maiores, ideo non ſolum comparamus caractherem vnius Ordinis ad alium eiuſdem Ordinis puta illũ Acholitatus ad alium etiã Acholitatus, ſed etiam vnum vnius Ordinis ad

alios diuerſorum Ordinum, & quærimus, an ſint æquales, an inæquales, & ſuppoſita inæqualitate, an hæc ſit ſpecifica, an vero tantum intenſiua.

Aſſertio I. Caractheres ab eodem Sacramento in ſpecie impreſſi ſunt æquales inter ſe tum in ratione ſpecifica, tum intenſiua. Conſentiunt *Suarez tertia parte q. 63. in comment. art. 5., Lugus diſp. 6. art. 4. n. 76., Arriaga diſp. 17. ſect. 7. n. 48., Mandernus tract. 2. de Sacram. in genere quæſt. 4. art. 4. n. 13., Cacheranus tract. 8. de Sacram. in genere c. 4. §. 4. n. 51.*

2 Caractheres eiuſdem Sacramẽti ſunt æquales.

Probatur primò, quia æqualis eſt vis, ſeu virtus eiuſdem Sacramenti, ſiue in Ordine ad vnum, ſiue in Ordine ad alterum, & æqualis eſt capacitas in vno, ac in altero, ergo effectus caractheris ſiue in vno, ſiue in altero erit æqualis, ſiue in perfectione ſpecifica, ſiue intenſiua. Antecedens non videtur pati difficultatem. Conſequentia probatur, quia extante æquali virtute in agente, & capacitate in ſubiecto nulla eſt ratio, quæ poſſit effectum diuerſificare; Neque dicas, quod licet capacitas remota in ſubiecto ſit æqualis, non tamen ſit æqualis capacitas proxima, cum vnum ſubiectum poſſit eſſe magis diſpoſitum, quam alterum; & ſicuti ex ſuperius dictis maior, & minor gratia etiam ex opere operato prouenit ex maiori, & maiori diſpoſitione ſubiecti, ita maior, & major intenſio in caracthere debet à maiori, & maiori diſpoſitione eiuſdem prouenire; Contra enim impugnaberis, quia omnino diſpar eſt ratio de gratia habituali, ac de caracthere, quandoquidem caracther ad ſui productionem non aliam exigit in ſubiecto diſpoſitionem, niſi illam præcisè, quæ eſt neceſſaria ad validè ſuſcipiendum Sacramentum, cuius ſignum manifeſtum eſt, quod etiam in ſubiecto indiſpoſito, in quo nulla gratia producitur, caracther imprimitur; gratia autem in ſubiecto ad ſui productionem exigit ſaltem carentiam indiſpoſitionis, in quo caſu carentiæ indiſpoſitionis, ſi nulla fuerit diſpoſitio poſitiua ſemper iuxta ſuperius dicta producitur æqualis, eaque minima gratia, vnde comparando gratiam, quæ producitur vi Sacramenti præcisè nulla exiſtente diſpoſitione in ſubiecto ad caractherem, qui nullam exigit diſpoſitionem, dicendum eſt, quod ſicuti gratia ſic producta eſt æqualis in omnibus, ita, & caracther. Cæterum cum gratia ad augmentum exigat diſpoſitiones, quo maiores iſtæ fuerint, eo maius augmentum reſultabit, quod non militat in caracthere, qui a diſpoſitionibus non dependet.

3 Maior, & minor diſpoſitio in ſubiecto in hoc nõ confert.

Probatur ſecundò nulla eſt neceſſitas diuerſificandi caractherem, ſiue in ratione ſpecifica, ſiue intenſiua, ſi producatur ab eodem Sacramento, ſiue in vno, ſiue in altero ſubiecto, ergo erit ſemper æqualis in omnibus. Antecedens probatur, ſi quæ eſt neceſſitas, vel eſt ratione ſubiecti, vel ratione gradus, in quo habens talem caractherem conſtituitur, vel ratione Sacramenti, vel ratione auxiliorum actualium, ad quæ ius oritur; Ex nulla ex his rationibus oritur ratio diuerſitatis, ergo &c. Minor probatur diſcurrendo per ſingulas rationes; non ratione ſubiecti propter rationes ſuperius adductas in prima probatione; nec valet dicere, quod vbi eſt diuerſa capacitas, ibi conſtituenda ſit inæqualitas; in maſculo autem per ſuſceptionem Baptiſmatis maior habetur capacitas, quam in fæmina, quandoquidem ad plura Sacramenta ſuſcipienda diſponitur, nempè ad Ordinem, ad quem fæmina non redditur capax, ergo in maſculo intenſior caracther eſt conſtituendus; Non valet, inquam, quia, quod per caractherem Baptiſmi fæmina non reddatur capax Ordinis nõ eſt ex defectu caractheris, neq; ex defectu ſubiecti ex natura ſua, ſed ex ordinatione Diuina nolente fæminas aſſumi ad gradus Ordinum; cæterum, ſi Deus optimus maximus ex beneplacito ſuæ voluntatis ſtatueret Ordines etiam poſſe a fæminis ſuſcipi, non indigerent iſtæ nouo caracthere in nouo Baptiſmo ſuſcipiendo, cum primus in ipſis æquè ſufficeret, ac modo ſufficiat in maſculis; Non ratione gradus, quia Sacramenta caractherem imprimentia æqualem gradum, & poteſtatem in omnibus conferunt; omnes enim baptizati æqualitèr conſtituuntur in famulatu Chriſti capaces Sacramentorum, omnes confirmati æqualitèr in eius militia, omnes ordinati æqualitèr in miniſterio eiuſdem, omneſque æqualitèr ſua munera poſſunt exercere; Non ratione Sacramenti, cum habeant æqualem virtutem, & cum nequeant iterari, nequeunt eundem caractherem intendere; Non tandem ratione auxiliorum actualium, quia ius ad hiuſmodi auxilia potius conſequitur ad gratiam habitualem, quam ad ipſum caractherem, & ſicuti ipſe caracther indifferens eſt, vt coniungatur cum maiori, vel minori gratia habituali, ita indifferens eſt, vt coniungatur cum iure ad maiora, vel minora auxilia actualia, & hoc ius prouenit potius à gratia iuxta menſuram eiuſdem, quam ab ipſo caracthere.

4 Ex nulla ratione oritur neceſſitas diuerſificandi caractheres.

Aſſertio II. Caractherem impreſſum à Sacramentis eiuſdem rationis, & ſpeciei eſſe æqualem ei competit ex natura rei, non merè ab extrinſeco. Conſentit *Cacheranus d. tract. 8. de Sacràm. in gen. c. 4. §. 4. n. 54.*

5 Caractheres eſſe æquales prouenit ex natura rei.

Pro-

Probatur, quia caracther ex natura ſua de potentia Dei ordinaria eſt indelebilis iuxta ſuperius allegata, & probata, ergo etiam ex natura ſua erit in omnibus æqualis. Antecedens, præter quam quod elucet, vt innuebam, ex ſuperius dictis, hac alia ratione euincitur, quia, cum nemine diſceptante qualitas indelebilis ex natura ſua ſit poſſibilis, connaturalius omnino, & minus miraculoſum eſt, quod de facto Deus ſtatuerit pro caracthere hanc qualitatem indelebilem, quam delebilem, & non perpetuo duraturam, quandoquidem, ſi eſſet ex natura ſua delebilis, indigeret continuato miraculo ad ſui conſeruationem. Conſequentia vero ex hoc deducitur, quia, cum nec etiam ſit repugnantia, quod pro caracthere detur qualitas æqualis, connaturalius eſt, quod Deus in hac qualitate ex natura ſua æquali conſtituat caractherem, quam in qualitate ex natura ſua capaci intenſionis, & remiſſionis, quæ tamen ex ſola prouidentia extrinſeca eſſet conſeruanda in æqualitate, quia illa conſeruatio in tali æquilibrio contra inclinationem eiuſdem eſſet miraculoſa quodamodo.

6 Caractheres à diuerſis Ordinibus impreſſi ſút inæquales, & quomodo.

Aſſertio III. Caractheres, qui imprimuntur in diuerſis Ordinibus, hoc eſt in Ordine Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, Acolitatus, Subdiaconatus &c., ſi ad inuicem comparentur, ſunt inæquales non in ratione graduali, ſed entitatiua, & ſubſtantiali. In hanc videtur magis inclinare *Cacheranus d. tract. 8. c. 4. §. 4. n. 53. in fine*, qui tamen hoc potius ſupponit, quam probat, aſſerens examen eiuſdem non ad hunc locum ſpectare, ſed ad quæſtiones de Ordine.

De inæqualitate vix remanet locus ambigendi; cum etenim huiuſmodi Ordines ſint inter ſe diuerſi, & ad diuerſa munera deputati, & vnus alio ſuperior, non poſſunt, niſi diuerſum, & inæqualem effectum iuxta naturam, & conditionem eorum producere maiorem, vel minorem iuxta maiorem, vel minorem huiuſmodi Ordinum perfectionem.

7 Caracther, qui in vnoquoque Ordine imprimitur eſt indiuiſibilis.

Quod vero hæc inæqualitas non ſit in ratione graduali, ſed entitatiua, & quodamodo ſubſtantiali ex eo euincitur, quod qualitas, quæ in vnoquoque Ordine imprimitur, eſt indiuiſibilis, nec ſuſcipit magis, & minus, quod multis rationibus euincitur primò, quia virtus Sacramentalis productiua eiuſdem caractheris in ordine ad ſingulos Ordines eſt vna, & eadem ſemper æqualis, & capacitas ſubiecti etiam æqualis, & non diſparis rationis, & ex ſuperius dictis caracther non dependet à diſpoſitione ſubiecti, ergo, & effectus caractheris erit in omnibus æqualis, adeoque indiuiſibilitèr afficiens idem ſubiectum; ſecundò, quia Sacramenta imprimentia caractherem ſunt irriterabilia, quæ propterea ex iteratione non poſſunt eandem qualitatem intendere. Tertiò, quia eſt eadem poteſtas in omnibus eodem ordine initiatis, ergo quoad rationem gradualem caractheres omnium Ordinum ad inuicem comparati non differunt. Ex alia parte cum caractheres omnium Ordinum ſint, & ratione poteſtatis, & ratione effectuum diuerſi, & inæquales, & non ſuſcipiant magis, & minus differre ſolum poſſunt ratione inæqualitatis entitatiuæ, & quaſi ſubſtantialis, non merè gradualis. Sed in his non inſiſtimus, quia latè de illis agendum erit, dum de Sacris Ordinibus.

ARTICVLVS VI.

Quomodo caractheres componunt cum ſubiecto, & inter ſe.

SVMMARIVM.

Aſſignantur diuerſa genera compoſitorum. 1.
Caracther componit cum ſubiecto per modum actus, & potentiæ. 2.
Datur ad ornandam animam. 3.
Caractheres non vniuntur inter ſe ad conſtituendam vnam qualitatem magis intenſam. 4.
Qualitates ſpecie diuerſæ non vniuntur ad conſtituendam vnam intenſiuè. 5.
Nec vniuntur ad conſtituendam extenſionem propriè ſumptam. 6.
Non eſt vna qualitas, quæ extendatur per diuerſa Sacramenta. 7. 8.
Omnes caractheres conſtituunt vnam extenſionem impropriè ſumptam. 8.
Et quoddam ens per accidens improprium. 9.

PLura genera compoſitionum aſſignant Phyloſophi; alia pertinentia ad ſubſtantiam, alia ad accidentia. Ad ſubſtantiam pertinet compoſitio Phyſica actus, & potentiæ vtriuſque ſubſtantialis, item ex natura, & ſubſiſtentia, quæ conſtituunt ſuppoſitum; item coexiſtentiæ localis, quando duo ſubſtantialia eidem loco coexiſtunt. Ad accidentia, alia inhærentiæ quomodo accidens inhæret ſubiecto, alia intenſiua, quo gradus qualitatis vniuntur ad vnam qualitatem intenſiorem producendam, alia extenſiua, qua qualitates vniuntur quidem in eodem ſubiecto continuato, ſed in diuerſis partibus eiuſdem ad conſtituendam extenſionem; alia quaſi extenſiua, quatenus licet ſit in eodem ſubiecto inextenſo, & indiuiſibili, quia tamen eſt in ordine ad diuerſa munera, ac 1 Diuerſa genera compoſitorum.

ſint aliæ qualitates præexiſtentes non ordinatæ ad eadem munera dicuntur quoquo modo conſtituere extenſionem. Hic autem quæritur quali compoſitione caractheres componant cum ſubiecto, & quali inter ſe.

2 Caracther cum ſubiecto componit per modum actus, & potentiæ.

Aſſertio I. Caractheres cum ſubiecto, in quo recipiuntur componunt per modum actus accidentalis, & potentiæ. In hoc arbitror neminem poſſe diſſentiri ſuppoſito, quod caracther ſit qualitas Phyſica inhærens animæ, & ab eadem indelebilis.

3 Munus caractheris eſt ornare animam.

Probatur, quia caracther educitur de potentia animæ, ergo in eadem recipitur, & cum ſit accidens afficit eandem, cui inhæret, tanquam actus accidentalis ſuum ſubiectum, nec obſtat, quod caracther ſit in entitate accidens ſupernaturale, quia accidens abſtrahit ab eo, quod ſit naturale, vel ſupernaturale, vnde, ſi ſit naturale conſtituit complexum accidentale naturale, ſi vero ſit ſupernaturale conſtituit complexum accidentale ſupernaturale. Confirmatur, quia principale munus caractheris eſt ornare animam, eamque perficere in ordine ad ſe ipſam, ergo ſe habet tanquam actus ornans, & perficiens, &, cum ſit accidentalis, ornat, & perficit intrinſecè, cum inhæreat, & accidentalitèr, ſicque conſtituit cum anima complexum accidentale perfectibilis, & perfectiui.

4 Nō vniūtur inter ſe ad cōſtituendā qualitatē magis intenſam

Aſſertio II. Caractheres non vniuntur inter ſe ad conſtituendam vnam qualitatem magis intenſam, nec ad conſtituendam extenſionem propriè ſumptam, ſed quaſi extenſionem iuxta modum ſupra explicatum, & ens quodamodo per accidens improprium, non proprium. In hoc etiam arbitror omnes conſentire, qui caractherem conſtituunt in qualitate in ordine ad diuerſa Sacramenta, & ordines diuerſos.

Probatur prima pars, quia intenſio qualitatis fit per additionem gradus ad gradum, ſed ex ſupra probatis caractheres in quocunque genere producti conſiſtunt in indiuiſibili, & quilibet eorum non ſuſcipit magis, & minus, ergo non admittunt, nec vniuntur ad conſtituendam intenſionem. Maior ſupponitur ex dictis in quæſtionibus de ortu, & interitu. Minor euincitur ex ſupradictis, & conſequentia tenet. Neque dicas, quod, quamuis quilibet caracther correſpondens ſuo Sacramento, vel ſuo Ordini ſit qualitas indiuiſibilis, nec recipiens magis, & minus, prout tamen vnitur cum caractheribus aliorum Sacramentorum in eodem indiuiſibili ſubiecto, ſimul cum illis conſtituat intenſionem, eo proportionali modo, quo quilibet gradus qualitatis materialis eſt ſecundum ſe indiuiſibilis, prout tamen vnitur cum alijs gradibus quantum ſecundum ſe indiuiſibilibus conſtituit intenſiorem qualitatem; contrà enim impugnaberis, quia, ſi comparemus charactherem, v. g. Baptiſmi ad illum Confirmationis, & Ordinis ſunt ſpecie diuerſi, ſicuti Sacramenta, per quæ conferuntur, differunt in ſpecie; qualitates autem in ſpecie differentes nequeunt vniri ad eandem qualitatem magis intenſam conſtituendam; ſi vero comparemus caractherem vnius Ordinis ad alios caractheres aliorum Ordinum, cum etiam talitèr comparati ſint diuerſi, cum fiāt per Sacramenta conſtantia diuerſa materia, & forma in ſpecie, non poſſunt etiam vniri ad conſtituendum quid vnum per veram intenſionem, ſed ad ſummum per coordinationem, de qua re infra; Hæc, quæ dicuntur, maiorem vim habent in noſtris principijs; ſecundum quæ intenſionem aſſeruimus fieri per gradus homogeneos, & eiuſdem rationis, non per etherogeneos.

5 Sunt qualitates ſpecie diuerſæ.

6 Nō vniūtur ad conſtituendam extenſionē propriè ſumptam.

Probatur ſecunda pars, quia extenſio propriè ſumpta eſt eſſe partem extra partem, & ſi loquamur de extenſione qualitatis eſt eſſe plures gradus qualitatis non in eadem, ſed in diuerſis partibus ſubiecti per quas conſtituitur extenſio, ſed hoc verificari nequit de caractheribus, ſiue ab vno, ſiue ab altero Sacramento impreſſis, quandoquidem omnes recipiuntur in ſubiecto inextenſo, & incapaci diuiſionis, cuiuſmodi eſt anima rationalis ex genere ſuo indiuiſibilis, ergo nequit verificari de eiſdem caractheribus, quod conſtituant extenſionem propriè ſumptam. Neque dicas extenſionem non conſiſtere in eo, quod diuerſæ partes qualitatis conſtituantur in diuerſis partibus ſubiecti, ſed in eo, quod vna, & eadem qualitas per diuerſa Sacramenta extendatur adeout dum eſt producta qualitas caractheris per Sacramentum Baptiſmi, & confertur Sacramentum Confirmationis, non producatur noua qualitas, ſed ſolummodo prima magis extendatur, quod idem proportionalitèr intellige, dum conferuntur Ordines; contrà enim impugnaberis, nam quæro, in quo conſiſtat illa extenſio? Si dicas, conſiſtere in quadam morali officij collatione, ſeu nouo Diuino pacto concurrendi ad munera, & officia, ad quæ Sacramenta imprimentia caractherem ordinantur; hoc expreſsè aduerſatur Concil. Florent., & Tridentino ſupra recenſitis, quæ volunt caractheres à Sacramentis impreſſos non eſſe meras moralitates, ſed qualitates Phyſicas Phyſicè, & indelebilitèr impreſſas in anima. Deindè non benè cohærent hæc

7 Non eſt vna qualitas, quæ extendatur per diuerſa Sacramenta.

cum

eum ijs, quæ ſupra diximus, caractheres à diuerſis Sacramentis impreſſos eſſe ſpecie diuerſos; vna etenim, & eadem qualitas non poteſt eſſe ſpecie diuerſa. Si dicas, eſſe quidem additionem nouæ entitatis realis, ſed modalitèr tantum diſtinctæ à prima qualitate a primo Sacramento impreſſa; iam impugnationem habes ex toties repetita reiectione harum entitatum modalium. Deindè difficilè eſt intellectu, quomodo vna ſimplex qualitas ſupernaturalis, & indiuiſibilis extenſionis ſit capax, ſi non eſt capax intenſionis. Tandem poteſtates, quæ conferuntur per huiuſmodi caractheres, ſunt ſpecie diſtinctæ, cum ad diuerſa in ſpecie obiecta eſſentialitèr ordinentur, ergo debent eſſe qualitates ſpecie diſtinctæ, non vna, & eadem magis extenſa.

8 Conſtituunt extenſionē impropriè ſumptam.

Probatur tertia pars, quia extenſio impropriè ſumpta eſt adunatio plurium qualitatum in ordine ad diuerſa munera, & miniſteria in eodem ſubiecto, ſed re vera qualitates omnium caractherum, quamuis ſpecie diuerſæ adunantur, & recipiuntur in eadem anima indiuiſibili in ordine ad diuerſa munera, vt per ſe patet, ergo conſtituunt quandam extenſionem licet impropriam eo modo quo habitus virtutum ſupernaturalium in eadem anima vniuntur in ordine ad diuerſos actus proportionatos proprijs habitibus, qui per D. Thomam dicuntur quandam extenſionem licet impropriam conſtituere.

9 Et quoddam ens per accidens impropriū.

Probatur tandem, quod conſtituant quoddam ens per accidens improprium, non proprium. Ens per accidens improprium, vt ſuppono ex quæſtionibus logicis illud eſt, quod conflatur ex pluribus quoquo modo ad inuicem ordinatis ad differentiam entis per accidens proprij, quod conflatur ex pluribus non ſeruantibus ordinem ad inuicem, ſed caractheres Sacramentorum, & Ordinum dicunt ad inuicem aliquam ordinationem, quandoquidem caracther Baptiſmi non ſolum ad illum Confirmationis diſponit, ſed etiam eſt fundamentum illius, & ille Confirmationis, ſi non ex neceſſitate ſaltem ex maxima congruentia diſponit ad illum Ordinis, cum maximè congruum ſit, vt qui deputatur, vt dux, ſit militiæ adſcriptus, & ſicuti Ordines conſtituunt quandam Eccleſiaſticam, & benè diſpoſitam hierarchiam, ita, & caractheres ſunt ordinati ad illam in ſuo quoque Ordine deſignandam, ergo conſtituunt ens per accidens improprium.

QVÆSTIO VIII.

De Sacramentalibus.

QVamuis Sacramentalia ſint extra lineam Sacramentorum, quia tamen continent in ſe ritum quendam ſacrum, & Religioſum, in quo cum Sacramentis quodamodo communicant, non abs re eorundem perueſtigationem ab illa Sacramentorum opportunè duximus non ſciungendam. De his Sacramentalibus ſpecialem quæſtionem non habuit D. Thomas, de his tamen incidenter ferè in omnibus Sacramentis, de quibus ex profeſſo egit, plurima inſinuauit. Nos ea, quæ ad ipſa pertinent, maiori qua poterimus breuitate, & claritate perſtringemus, cum plurima contineant Sacramentis affinia, & plurimum perfectiori eorum notitiæ conferre valeant.

ARTICVLVS I.

An, Quid, & Quotuplex ſit Sacramentale.

SVMMARIVM.

Quid veniat nomine Sacramentalium. 1.
Dantur Sacramentalia, quæ etiam extra Sacramenta adhibentur. 2.
Dari huiuſmodi Sacramentalia eſt receptum in tota Eccleſia. 3.
Fuerunt inſtituta ab Eccleſia. 4.
Etiam quæ fiunt extra vſum Sacramentorum poſſunt eſſe Sacramentalia. 5.
Explicatur, quid propriè ſint Sacramentalia. 6.
Requiritur, vt pro talibus inſtituta ſint ab Eccleſia. 7.
Quotuplex ſit Sacramentale. 8.
Oratio Dominica computatur inter Sacramentalia. 9.
Item pia, & Religioſa pectoris percuſſio. 10.
Item generalis confeſſio, & qualis. 11.
Item largitio eleemoſinæ. 12.
Item ſacræ vnctiones, & quales. 13.
Quomodo perceptio Euchariſtiæ computetur inter Sacramentalia. 14.
Ieiunium pietatis, pænitentiæ, & Religionis ſtudio ſuſceptum. 15.
Item aqua luſtralis. 16.

1 Quid veniat nomine Sacramentalium.

NOmine Sacramentalium ſecundum communem DD. acceptionem veniunt ſacræ cæremoniæ ad externum Dei cultum ordinatę, quas cæremonias *D. Thomas prima ſecundæ q. 101. art. 4.* reuocat ad quatuor capita, nempè Sacramenta, Sacrificia, ſacra, & obſeruantias, quæ erant communia cæremonijs legalibus veteris legis, & per quandam repræſentationem referuntur ad ritus nouæ legis diſſignandos. In præſenti materia Sacramentalium non ſumimus cæremoniam in hac ampliſſima ſignificatione, ſed reducimus ad actionem Sacramentalem, quam Theologi appellant ſimplicitèr *Sacramentale*, qua voce intelligimus actiones quaſdam, ſeu circunſtantias, quas in Sacramentorum adminiſtratione, vel Sacrificij oblatione Eccleſia obſeruat; nec tamen ità ſtrictè accipimus, vt ſolum Sacramentalia verſentur in iſs; quæ in Sacramentis, & Sacrificijs fiunt, vel tanquam præambula, vel tanquam comitantia, vel ſubſequentia, cum etiam extendantur ad alia,

2 Etiam extra cōfectionē Sacramentorū dantur.

quæ citra Sacramentorum, & Sacrificij confectionem habentur, vt notat *Vualdenſis in tom. integro de Sacramentalibus, Oſius in Confeſſione Catholica c. 37.*, & latius *c. 86. Laudanus lib. 4. Panopl. c. 97., & ſeqq., Vgo à Sancto Victore lib. 2. de Sacram. part. 4., & 5., Bellarminus lib. 2. de Sacrament. in gen. c. 29.*; enumeratur enim inter Sacramentalia Aqua luſtralis, Oratio Dominica &c. quæ extra Sacramenta etiam adhibentur.

3 Eſt communitèr receptū, quod detur.

Dari, ſeu exiſtere huiuſmodi Sacramentalia eſt communi vniuerſalis Eccleſiæ conſenſu receptum, hocque pluribus iuris canonici textibus comprobatur; conſtat enim has cæremonias, ſeu Sacramentalia à temporibus Apoſtolorum incæpiſſe, vt auctor eſt *Clemens Papa in Epiſt. 2. decret., & lib. 7. conſtit. Apoſtol. c. 23., Dionyſius tot. lib. de Eccleſ. Hierarchia, & c. 1.* præmittit illos eſſe ex Apoſtolica traditione, idem tradit *Baſilius lib. 1. de Spiritu Sancto c. 27.*

4 Fuerunt inſtituta ab Eccleſia.

Ex quibus omnibus eruitur hæc Sacramentalia non fuiſſe à Chriſto Domino inſtituta, ſed ab Eccleſia poteſtate ipſi à Chriſto communicata. Solum aliqua difficultas eſt, quod inter Sacramentalia enumeratur Oratio Dominica, & aliqua alia, de quibus infra, dum de numero Sacramentalium, quæ conſtat a Chriſto Domino fuiſſe inſtituta. Sed breuitèr hic dicere poſſumus, quod illa quidem fuerint à Chriſto Domino inſtituta, vt ſunt piæ petitiones, & actiones, ſed illas ab Eccleſia fuiſſę ordinatas tanquam Sacramentalia ad externum Deo cultum exhibendum.

Hic tamen aduerte nonnullos, inter quos *Suarez diſp. 15. ſect. 2., & 3.* videri accipere pro Sacramentalibus ſolum cæremonias, & ritus, qui, ſeu, quæ fiunt in Sacramentorum adminiſtratione, & Diuini Sacrificij oblatione, cum tamen alij magis materiam extendentes computent pro Sacramentalibus alia, quæ extra Sacramenta exercentur, vt ſunt aqua luſtralis. Pectoris percuſſio, & alia, de quibus infra.

5 Etiam, quæ fiunt extra vſū Sacramentorū poſſunt eſſe Sacramentalia.

Nos vtraque inter Sacramentalia recenſentes, vtraque dicimus ab Eccleſia fuiſſe inſtituta, & licet Suarez ſolum loquatur de iſs, quæ contingunt circa vſum Sacramentorum, & Sacrificij, alij expreſſam mentionem faciunt de alijs etiā contingentibus extra vſum eorundem, & inter cæteros *Gloſ. in ſexto proemio in verb. Benedictionem, Hoſtenſis in c. omnis de pænit., & remiſ., Azorius inſtit. mor. part. prima lib. 4. c. 11. q. 5.*

Explicata exiſtentia, & inſtitutione Sacramentalium iam eius eſſentiam inquirimus; pro qua Suarez confundens quodamodo Sacramentalia, cum ritibus, qui adhibentur in Sacramentorum confectione, & adminiſtratione dicta *diſp. 15. ſect. 1. §. ex his igitur*, eam ſic definit. *Eſt exterior actio Religioſa, aut circunſtantia, ſeu conditio eius ad ornatum, ſeu cultum debitum Sacramentorum, ſeu Sacrificij inſtituta.* Sed non in hac inſiſtendum eſt, cum reſtringatur ad ritus Sacramentorum, & non comprehendat Sacramentalia in tota

6 Definitio Sacramentalium.

ſua latitudine. Quamobrem congruentius dici poteſt, quod ſit *actio quædam externa ſacra, & Religioſa ex Eccleſiæ inſtitutione ordinata ad Dei cultum, & ad animarum vtilitatem ſaltem mediate.* Ex eo, quod dicatur actio exterior, & Religioſa conuenit Sacramentale cum Sacramentis, & Sacrificio, ſicque habet rationem generis. Ex eo, quod dicatur *ex Eccleſiæ inſtitutione* contradiſtinguitur tum a Sacramentis, tum à Sacrificio, cum hæc ſint ex inſtitutione Diuina, reliquæ particulæ referuntur ad cauſam finalem, propter quam inſtituta ſunt hæc Sacramentalia. Dicitur tandem ſaltem mediatè, quia tam Sacrificium, quam Sacramenta ſecundum ſe, & immediatè conferunt ſuos effectus; Sacramentalia vero ſolum excitando ad actus, ex quibus effectus proueniunt.

7 Debent eſſe inſtituta ab Eccleſia.

Quod, ſi dicas, ſub hac definitione videri comprehendi non ſolum ea, quæ communitèr reputantur pro Sacramentalibus, & ab Eccleſia pro talibus recipiuntur, ſed etiam omnes actiones externæ priuatæ, quæ ſecundum ſe referantur, vel ad Dei cultum, vel ad vtile animarum, adeoque, vt nimis latam non admittendam; tunc dicam, eas dumtaxat actiones reputandas eſſe pro Sacramentalibus, quæ non ex priuato hominum arbitrio,

ſed

ſed ex publica Eccleſiæ auctoritate habentur, & ordinantur pro talibus, adeoque dixi *ex Eccleſiæ inſtitutione*.

8 Quotuplex ſit Sacramentale.

Iam deuenimus ad tertiam partem tituli, Quotuplex ſit Sacramentale. Omiſſis ijs, in quibus ſiſtit *Suarez loc. cit.* quæ potius ſunt ritus pertinentes ad ornatum Sacramentorum, & Sacrificij, atque adeo ex his denominatione deſumpta Sacramentalia dicuntur, me confero ad ea, quæ non ſunt præciſè ritus Sacramentorum, ſed ſunt talia etiam extra Sacramenta, & dicuntur quodamodo conferre ad remiſſionem peccatorum venialium. Nouem communitèr aſſignantur, & nouem nos etiam admittimus. Primum eſt Oratio Dominica, de qua tanquam Sacramentali, & conferente ad remiſſionem venialium

9 Oratio Dominica.

ſæpè meminit *D. Auguſtinus primo in Epiſt. 108. ad Seleutianum; ſecundo in lib. 55. homil. in vlt. c. 3., tertio in lib. de pænitentia medicina c. 2.* Tandem *in Enchirid. c. 71.*, & item de eadem ſit mentio *in c. de quotidianis de pænit. diſt. 3., & in Concil. Tolet. 4. c. 9.*

10 Pia, & Religioſa pectoris percuſſio.

Secundum eſt. Pia, & Religioſa percuſſio pectoris, quæ indicat internam animi compunctionem, quæ etiam inter Sacramentalia ab Eccleſia inſtituta connumeratur, atque de ipſa ſit mentio *in c. tres autem ſunt actiones de pænit. diſt. 1.*, atque de eadem etiam loquitur *D. Auguſtinus in Epiſt. prædicta ad Seleutianum*.

11 Generalis confeſſio, & qualis.

Tertium eſt. Generalis peccatorum confeſſio, cuius nomine non venit Sacramentalis confeſſio, qua peccata ſubijciuntur clauibus per Sacerdotalem abſolutionem remittenda, ſed confeſſio illa, quæ ſit extra Sacramentum per deteſtationem peccatorum coram Deo, vel hominibus nullo expreſſo peccato in ſpecie, & in indiuiduo, ſed omnibus in genere, quæ ſit per recitationem *Confiteor*. De hac nullum inuenio textum canonicum loquentem tanquam de Sacramentali, mentionem tamen faciunt antiqui *Scholaſtici in quarto diſt. 21.*, & inter cæteros D. Thomas, D. Bouauentura, Riccardus, & alij, & item *Hoſtienſis in c. omnis de pænit., & remiſ.*

12 Largitio eleemoſinæ.

Quartum eſt largitio eleemoſinæ, quam etiam prodeſſe ad remiſſionem venialium pluribus in locis tradidit *D. Auguſtinus in Enchiridio c. 72., & 73. tract. 12. in Ioannem*, & colligitur etiam *ex c. Medici, & c. medicamentum, & c. quamobrem de pænit. diſt. 1.*

Quintum. Benedictio Pontificia, ſeu Epiſcopalis, de qua, quamuis *Taludanus in quarto diſt. 16. q. 1. art. 2.* aſſerat fieri mentionem in pluribus locis iuris canonici, & ſignantèr *in c. dictum eſt, & c. Maledicam, & c. intra, & c. benedictio 1. q. 1.*, in ijs tamen locis nihil de hoc expreſſe, nihil concludentèr euincitur; euincitur tamen ex communi Theologorum conſenſu *in quarto diſt. 16.*

13 Sacræ Vnctiones, & quales.

Sextum eſt, ſacra vnctio, cuius nomine non venit vnctio, quæ ſit in Sacramento Confirmationis, & Extremæ Vnctionis, cum hæc non ſit præciſè Sacramentale, ſed verum, & proprium Sacramentum, ſed cæteræ Vnctiones, quæ ſiunt, vel in præambulis ad Baptiſmum, & ad ſacrum præsbyteratus Ordinem, vel in auguratione Regum, ſeu Principum &c. de qua extat titulus in iure canonico ſub hoc nomine.

14 Perceptio Eucharistię.

Septimum. Venerabilis Euchariſtiæ pia, & Religioſa perceptio, quæ quamuis re vera ſit perceptio Sacramenti, connumerari etiam poteſt inter Sacramentalia in eo ſenſu, quo per ipſam non conficitur Sacramentum, ſed confectum accipitur. De hac ſit mentio *in c. cum omnes de conſecr. diſt. 2.*

15 Ieiuniũ, & quomodo.

Octauum, ieiunium pietatis, pænitentiæ, ac Religionis ſtudio ſuſceptum, de quo ſit mentio *in c. ſanè cauendum de pænit. diſt. 3.*

16 Aqua luſtralis.

Nonum. Aqua luſtralis, ſeu benedicta, de qua meminit *Alexander 1. in Epiſt. 1. relata in c. aquam diſt. 3. de pænit.* vbi comparat cum cæremonijs antiquæ legis, & maiorem ei tribuit efficaciam ad emundationem animæ. Alia Sacramentalia etiam in ordine ad remiſſionem venialium recenſent nonnulli Theologi, ſcilicet præcationem in templis, & ſacris ædibus effuſam, & panem ſacrum hoc eſt benedictum, ſed quia de his nihil certum habetur ex antiquis PP., nec in iure canonico, ideo non auſim inter Sacramentalia connumerare, nec ab eiſdem excludere, ſed alijs relinquo diudicandum.

Si autem hic quæratur, qua ratione plura ex his Sacramentalibus, quæ non adhibentur in adminiſtratione, ſeu confectione Sacramentorum, ſeu Sacrificij, æquè dicantur Sacramentalia, ac illa, quæ verſantur circa eadem Sacramenta. Dicendum eſt non ſolum talia dici, quia ſunt actiones ſacræ ad Dei cultum ordinatæ, & ad animarum vtilitatem, ſed etiam quia videntur conſequi ſimiles effectus ijs, quæ adhibentur in Sacramentorum adminiſtratione, & confectione Sacrificij, quæ propterea ſortiuntur eandem nomenclaturam.

ARTICVLVS II.

De cauſis Sacramentalium tum intrinſecis, tum extrinſecis.

SVMMARIVM.

Cauſæ intrinſecæ Sacramentalium, quæ verſantur circa adminiſtrationem Sacramentorum conſiſtunt generatim in ritu ab Eccleſia inſtituto. 1.

Aſſignantur cauſæ intrinſecæ circa alia, quæ adhibentur extra Sacramentorum confectionem. 2.

Aſſignatur cauſa finalis omnium. 3.

Cauſa effectiua inſtituens eſt Eccleſia. 4.

Aſſignatur cauſa exequens ſingulorum. 5.

Regularitèr Sacramentalia non poſſunt inſtitui, nec mutari, niſi per Pontificem. 6.

1 Cauſæ intrinſecæ Sacramentaliũ verſantiũ circa Sacramenta remiſſiuè.

PRocedit titulus de Sacramentalibus in genere, tum prout eadem comprehendit, quæ adhibentur in adminiſtratione Sacramentorum, tum prout fiunt extra Sacramenta, & cum alia conſiſtant in pijs, & Religioſis actionibus, alia in pijs precationibus, de omnium cauſis ſermonem hic breuitèr inſtituimus.

De cauſis intrinſecis Sacramentalium, quæ verſantur circa adminiſtrationem Sacramentorum, ſeu Sacrificij non poſſumus pro omnibus in genere certam materiam, & formam aſſignare cum in diuerſis ſint diuerſæ, nec vacet ſingulas in præſenti examinare cum de eiſdem ſit agendum, dum de ſingulis Sacramentis, circa quæ exercentur; vnde ſolum hic poſſumus generatim dicere, intrinſecam veluti formam, & materiam vniuſcuiuſque conſiſtere in eo ritu, qui eſt ab Eccleſia inſtitutus, & definitus. De cauſis vero intrinſecis Sacramentalium, quæ fiunt extra Sacramenta, quamuis etiam de ipſis in genere nequeat quid certum deſignari, de eiſdem tamen in particulari quoad ſingula aſſignata non poſſumus congruè examen hic præterire, cum ad hunc locum accommodatius videantur pertinere. Quamobrem de ſingulis breuitèr diſcurrendo.

2 Aſſignatur cauſæ intrinſecæ circa alia.

Dico primò in Oratione Dominica verba eadem, quibus illa componitur eſſe materiam, piam autem affectionem, qua profertur, & ad Deum dirigatur, haberi tanquam formam, cum illa ſe habeant tanquam determinabilia, hæc tanquam determinans. Secundò in Religioſa pectoris percuſſione, eandem ſecundum ſe eſſe materiam, compunctionem verè internam ſaltem implicitam eſſe formam, ſeu ad modum formæ. Tertiò confeſſionem illam in genere expreſſam per *confiteor*, eſſe veluti materiam, deteſtatio vero peccatorum per modum formæ. Quartò in eleemoſinæ largitione res, quæ largiuntur eſſe materiam, intentionem vero, qua largiuntur, formam. Quintò in benedictione Pontificia, ſeu Epiſcopali actionem externam, qua conficitur, eſſe materiam, ritum vero cum intentione benedicentis formam. Sextò in vnctione ſacra oleum benedictum eſſe materiam, benedictionem eſſe formam, & fortè etiam ritum cum intentione vngentis. Septimò in ſuſceptione Venerabilis Eucharistiæ ipſum Sacramentum eſſe materiam, piam autem ſuſceptionem formam. Tandem in aqua luſtrali aquam ipſam eſſe materiam, benedictionem vero formam, vel ritum cum debita, & deuota intentione.

3 Cauſa finalis Sacramentalium.

Loquendo iam de cauſa finali in omnibus, ſiue verſantibus circa confectionem, & adminiſtrationem Sacramentorum, ſeu Sacrificij, ſiue extra Sacramenta, eſt cultus Dei tanquam finis vniuerſaliſſimus; præcipuus vero in ordine ad ea, quæ fiunt circa Sacramenta, eſt ornatus eorundem Sacramentorum, ſeu Sacrificij; in ordine verò ad ea, quæ fiunt extra eadem Sacramenta eſt potiſſimum vtilitas animarum, ſiue per remiſſionem venialium, ſiue per excitamentum ad actus virtutum, vt infra latius videbimus, ſiue per alios effectus, de quibus etiam infrà.

4 Cauſa effectiua inſtituẽs eſt Eccleſia.

Tandem loquendo de cauſa efficiente dicimus, aliam eſſe inſtituentem, aliam exequentem. Si loquamur de inſtituente quoad ritus pertinentes ad Sacramentorum adminiſtrationem, certo liquet eos inſtitutos eſſe ab Eccleſia poteſtate eidem à Chriſto Domino communicata, vt definitum eſt in *Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 13. de Sacrament. in gen., & ſeſſ. 21. c. 2.* Ibi *Præterea declarat hanc poteſtatem perpetuo in Eccleſia fuiſſe, vt in Sacramentorum diſpenſatione, ſalua illorum ſubſtantia, & ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium vtilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire iudicaret.* Id autem Apoſtolus etiam viſus eſt innuiſſe, cum ait: *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei &c.* vnde accepta hac poteſtate Eccleſia ritus ferè omnes inſtituit; Quoad alia Sacramentalia extra Sacramenta conſtat etiam ab Eccleſia inſtituta, quandoquidem, cum huiuſmodi actiones ſit ſpirituales quoad effectum exigunt iuriſdictionem, & poteſtatem ſpiritualem, & vniuerſalem, vt ſeruetur forma inter fideles vniuoca, quæ quidem poteſtas reſidet potiſſimum apud Romanum Pontificem, qui ſolus habet ſupremam poteſtatem, à

qua

Digitized by Google

qua omnis alia Eccleſiaſtica poteſtas pendet.

Si vero loquamur de cauſa exequente, quoad ea, quæ pertinent ad Sacramentorum confectionem, ſeu adminiſtrationem, illi dumtaxat ſunt cauſa exequens eorundem, qui ſunt miniſtri Sacramentorum in ſuo vnuſquiſque ordine; ſic Epiſcopus eſt miniſter, ſeu cauſa exequens rituum, ſeu cæremoniarum pertinentium ad Sacramentum Confirmationis, & Ordinum; Sacerdos illorum, quæ pertinent ad Sacramenta, quorum ſoli Sacerdotes ſunt miniſtri, & ſic de cæteris. In ordine vero ad alia, quæ fiunt extra Sacramenta, aliquorum eſt cauſa exequens Romanus Pontifex, aliquorum Epiſcopus, vt videre eſt in benedictione Pontificia, & Epiſcopali, aliquorum Sacerdotes, vt in adminiſtratione Euchariſtiæ, & in Vnctione, quæ præambulè fit in Baptiſmo, aliquorum homines Baptizati, & Eccleſiæ ſubditi, vt videre eſt in vſu aquæ luſtralis, Orationis Dominicæ, ieiunij, generalis peccatorum confeſſionis &c.

5 Aſſignatur cauſa exequens ſingulorũ

Hinc habemus, quod, cum regularitèr omnia hæc Sacramentalia inſtituta ſint ab Eccleſia vniuerſali, hoc eſt à Romano Pontifice, non poſſit Epiſcopus, nec alius Prælatus inferior ea mutare, nec deſtruere, cum inferior non habeat poteſtatem in ea, quæ à Superiori fuerunt inſtituta. Quia tamen poſſunt Epiſcopi in ſuis Diæceſibus nonnullos ritus, & cæremonias inſtituere, quæ non ſint contra vniuerſalem Eccleſiæ legem, vt factum eſt per D. Ambroſium, alioſque Eccleſiæ Prælatos, non video, cur per eorum ſucceſſores non poſſit aliqua mutatio induci.

6 Regularitèr Sacramentalia non poſſunt induci, niſi per Papam.

ARTICVLVS III.

An vſus Sacramentalium licitus ſit, & Eccleſiæ conueniens.

SVMMARIVM.

Referuntur Sectariorum errores. 1.

Euertitur primus error auferens quemcumque cultum Dei externum. 2.

Euertitur ſecundus aſſerens, Sacramentalia eſſe humana inuenta abſque Diuina auctoritate. 3.

Euertitur tertius aſſerens, ſolummodo ea eſſe obſeruanda, quæ continentur in ſacris paginis. 4.

Euertitur quartus error ſtatuens obſeruantiam horum Sacramentalium non poſſe præcipi ab Eccleſia. 5.

Ex his omnibus euincitur honeſtas, pietas, & Religioſitas Sacramentalium. 6.

NOn eſt nobis hic altercatio cum Catholicis, ſed cum Sectarijs, & Hæreticis, qui ſua peruerſitate ducti, vel vniuerſum Dei cultum externum abſtulerunt è medio, vel Eccleſiaſticas cæremonias aſſeruerunt humana inuenta abſque Diuino præcepto, vel auctoritate in Diuinis Scripturis contenta, vel non licere Deum colere alio externo cultu, niſi illo, qui in Scriptura Sacra nobis præceptus eſt, vnde eliminabant omnes traditiones, vel quamuis admitterent, licitum fortè fore, vti huiuſmodi cæremonijs, & ritibus, non tamen poſſe ab Eccleſia præcipi. Contra hos omnes errores modo inſurgimus.

1 Sectariorum errores.

Contra primum dictum euertens vniuerſum cultum Dei externum, vix eſt immorandum, cum plenæ ſint ſacræ paginæ, plenæ Conciliorum definitiones, plenæ SS. PP. auctoritates peruerſum hunc errorem eliminantes; Legatur integer liber Exodi, vbi innumeræ cæremoniæ, innumeri ritus ad cultum Dei ordinati conſpiciuntur. Repetatur *Concil. Trident. d. ſeſs. 7. can. 13., & ſeſs. 21. c. 2.* vbi præcipiuntur ſeruari ritus, & cæremoniæ ab Eccleſia inductæ. Reuoluantur SS. PP., & præcipuè *Baſilius lib. de Spiritu Sancto c. 27., Hieronymus dialog. contra Luciferanos, Auguſtinus lib. 4. de Baptiſ. c. 24.* vbi ſeruandas eſſe cæremonias non ſolum ſcriptas, ſed etiam conſuetudinarias præcipit.

2 Euertitur error auferens quemcũque cultũ externũ.

Contra ſecundum aſſerens, Sacramentalia eſſe humana inuenta abſque Diuina auctoritate in Diuinis Scripturis inuenta, aduerto, quod ſi per ly humana inuenta intelligunt eſſe inſtituta humana, quatenus, non à Deo immediatè, ſed ab Eccleſia eius interprete inducta, non recedunt à vero; quatenus vero dicunt eſſe abſque auctoritate Diuina turpitèr errant, quandoquidem certum eſt, & in Sacris Scripturis apertum, quod Deus Eccleſiæ poteſtatem contulerit ea ſtabiliendi, quæ pertinent ad fidem, ad mores, ad cultum Dei, & ad animarum ſalutem iuxta illud. *Tibi dabo claues Regni Cælorum, Quodcunque ligaueris ſuper terram erit ligatum, & in Cælis, & Quodcunque ſolueris &c.* Item iuxta illud *Paſce oues meas*, hoc eſt paſculo ſalutis, quod habetur per ſalutifera media, per ſalutares ſanctiones, per Religioſos ritus &c.

3 Euertitur alius aſſerens eſſe humana figmenta.

Contra tertium repellens quemcunque Dei cultum, qui in Sacra Scriptura non ſit præceptus, & per conſequens reprobans cultum, qui ex traditionibus habetur, & ſeruatur, militat expreſſe textus *D. Pauli ſecunda ad Theſſalon. 2. Tenete traditiones, ſiue per Epiſtolam, ſiue per ſermonem*. Deindè ſublata traditione, quomodo Sectarij diſtinguere poterunt Sacram Scripturam,

cuius

4 *Euertitur aſſerens ſola concenta in ſacris paginis eſſe ſeruāda.*

cuius ſolummodo præſcripta quoad ritus, & cæremonias ſeruanda eſſe aſſerunt a profana? Legantur hac de re *Iraneus lib. 3. contra hæreſes c. 3., Ciprianus epiſt. 72. circa fin., Epiſanius lib. 4. hæreſ. 71.* Rurſus quot oblationes factæ fuerunt Deo, & ab eodem acceptæ, quamuis ab ipſo non præceptæ. *Abel Geneſ. 4. obtulit Sacrificium de ouibus gregis ſui. Noë cap. 8. Erexit altare, & obtulit ſacrificia de pecoribus multis, & Daniel.* 10. legitur, quod ieiunijs corpus ſuum caſtigabat, quæ omnia fuerunt acceptabilia Deo, licet ab eodem non præcepta. Tandem, cum hæretici aſſerant, non eſſe ſeruandum, quod in ſacris paginis non reperitur expreſsè à Deo præceptum, iam ipſi ſtatuunt, quod nobis opponunt; Dicant quæſo, vbi eſt hoc præceptum in ſacris paginis expreſſum, quod non ſit ſeruandus cultus, niſi à Deo expreſſe præceptus? Certè ad traditionem ipſi nequeunt recurrere, cum in primis negent traditiones eſſe ſeruandas; Deindè traditiones potius contrarium ſuadent. Ad legem naturalem etiam nequeunt confugere, cum ipſum lumen naturæ dictet Deum eſſe ſignis externis ab hominibus colendum. Si igitur nequeunt aſſignare textum expreſſum vetantem Deum coli, niſi eo cultu, qui fuerit ab ipſo præceptus, & ipſi dicant ea tantum ſeruanda eſſe, quæ expreſſe à Deo præcipiuntur, fateantur hoc ipſorum præceptum fictitium eſſe, & non tenendum, cum nullibi expreſſe præcipiatur.

5 *Euertitur item error ſtatuens nō poſſe præcipi.*

Contra quartum aſſerens huiuſmodi ritus, quamuis eſſent honeſti, non poſſe ab Eccleſia præcipi, militant ea omnia, quæ ſupra diximus de inſtitutione Sacramentalium facta ab Eccleſia poteſtate eidem communicata a Chriſto; ex qua poteſtate inſtituendi arguitur etiam poteſtas præcipiendi illorum obſeruantiam, atque hoc potiſſimum verificatur in ordine ad ritus, & cæremonias verſantes circa Sacramentorum adminiſtrationem militantibus pro illa præcepta obſeruantia pluribus rationibus, & primò, vt ſicuti vnica eſt Eccleſia Dei, ita ſeruetur vnitas in ratione Sacramenta adminiſtrandi; Secundò, vt debita Sacramentis præbeatur reuerentia in Religioſo, & ordinato cultu. Tertiò, vt diſtinguatur populus fidelis ab infideli. Quartò, ne ex variatione rituum, & cæremoniarum conferatur occaſio variè ſentiendi de Sacramentorum ſubſtantia.

Ex his deducitur, quam turpitèr errarint hæretici, qui contemnentes ritus, & cæremonias poteſtate Eccleſiaſtica inductas, damnant eas tanquam vanas nugas, & ſuperſtitioſa figmenta, dum exercentur ex intentione cultus, & Religionis; licet enim aliqui ex ipſis fateantur ſeruandum eſſe modum, & circunſtantias, vt omnia honeſtè, & ſecundum ordinem fiant, hoc dicunt, præſtandum eſſe ob quandam humanam politiam, non ex intentione cultus, & Religionis, ſecus eſſet manifeſta ſuperſtitio; ex prædictis etenim conſtat exteriorem cultum, vel voluntarium, vel humana lege præſcriptum, ſi honeſtè, & ſecundum ordinem fiat, non eſſe malum, nec ſuperſtitioſum, ergo neque erit malum illum in actionibus honeſtis intendere.

6 *Vndique patet hec eſſe honeſta, pia, & Religioſa.*

Suppoſita iam legitima inſtitutione huiuſmodi Sacramentalium, eaque vindicata ab Hæreticorum verſutijs, & calumnijs, ex directo ſequitur eorum vſum pium eſſe Religioſum, & honeſtum, & ad cultum Dei ſecundario ſaltem pertinere, ac Eccleſiæ, & fidelibus per quam vtilem; nullam etenim malitiam, nec ex obiecto, nec ex circunſtātijs, nec ex fine inuoluunt; vnde merito *Trident. d. ſeſs. 7. c. 13.* de Sacramentis in genere, hos ritus, atque cæremonias adhiberi conſuetas, & ab Eccleſia Catholica receptas obſeruandas eſſe, & retinendas ſub anathemate definit.

Hæc omnia, quæ hactenus ſub hoc titulo diximus, regularitèr procedunt quoad ritus, & cæremonias verſantes circa ſolemnem Sacramentorum, ſeu Sacrificij adminiſtrationem, quæ à Suarez Sacramentalia appellantur, quæque præcipiuntur obſeruanda in tali ſolemni adminiſtratione; Quoad licitum tamen eſſe, Religioſum, & pium verificantur etiam quoad alia Sacramentalia, quæ fiunt extra Sacramenta etiam ad priuatam cuiuſque vtilitatem.

ARTICVLVS IV.

De effectibus Sacramentalium.

SVMMARIVM.

Enumerantur effectus, de quibus poteſt eſſe controuerſia. 1.

Procedit de Sacramentalibus, quæ fiunt extra Sacramentorum confectionem. 2.

Non procedit de effectibus ex opere operantis. 3.

Sacramentalia non conferunt ex opere operato gratiam habitualem. 4.

Nec ius ad aliquod auxilium actuale ſupernaturale. 5.

Si illa Sacramentalia coniungantur cum precibus ab Eccleſia ordinatis ad obtinendum illud auxilium illud non obtinent ex opere operato. 6.

Explicatur in hoc mens D. Thomæ. 7.
Non remittunt immediatè ex opere operato peccata venialia. 8.
Quantumuis coniungantur cum Eccleſiæ precibus ad hoc ordinatis. 9.
Explicatur textus in c. aquam de conſecr. diſt. 3., vt non obſtans noſtræ opinioni. 10.
Soluitur inſtantia oppoſita. 11.
Ex eo, quod alia mediatè ordinentur ad remiſſionem venialiũ non propterea ſequitur, quod ſint Sacramentalia. 12.
Sacramentalia ex ordinatione Eccleſiæ poſſunt cauſare remiſſionem pænæ. 13.
Sacramentalia habent vim expellendi Dæmones. 14.
Potentia eijciendi Dæmones eſt ſupernaturalis, & moralis. 15.
Et conſequitur effectum per modum impetrationis, & quomodo. 16.
Cauſant etiam effectum conſecutionis bonorum temporalium per modum impetrationis. 17.

EFfectus plures conſiderari poſſunt, an à Sacramentalibus proueniant; primò,
1 Effectus de quibus poteſt eſſe controuerſia. an gratia habitualis ſanctificans, & gratum faciens. Secundò, an aliquod auxilium actuale, vel bonus motus gratiæ. Tertiò, an remiſſio culpæ ſaltem venialis. Quartò, an remiſſio alicuius pœnæ temporalis. Quintò, an Dæmonis expulſio. Sextò, an aliquod commodum temporale. In hac effectuum numeratione, qui controuertuntur, an ſint effectus Sacramentalium, aduerte nos non inquirere, an omnes illi ſint effectus cuiuslibet Sacramentalis, quatenus omnia, & ſingula Sacramentalia conferant illos omnes, ſed ſolum indefinitè, an ſint aliqua Sacramentalia, quæ hos effectus cauſent, quatenus aliqua cauſent vnum, vel alterum, aliqua alium, & ſic de cæteris.

Quamuis autem quaſi promiſcuè nos in
2 Procedit de Sacramentalibus extra Sacramenta. præcedentibus egerimus de Sacramentalibus, & inter ea computauerimus tum verſantia circa ſolemnem Sacramentorum adminiſtrationem, tum ea, quæ fiunt extra Sacramenta, hic tamen ſpecialius agimus de illis, quæ fiunt extra Sacramenta, quæque numerauimus ſupra in hac eadem quæſtione articulo primo, dum de numero eorundem, quandoquidem Sacramentalia, quæ adiunguntur ſolemni Sacramentorum adminiſtrationi, quæ potius ſunt dicenda ritus, & cæremoniæ, cum ordinentur potius ex genere ſuo ad ornatum eorundem Sacramentorum, non videntur, niſi cum Sacramentis, quibus adiunguntur, ſuos effectus conferre, & ſi quem effectum diſtinctum conferant, eſt quoad excitationem deuotionis, & reuerentiæ.

Non procedit titulus de effectibus huiuſmodi Sacramentalium ex opere operantis, 3 Non procedit de effectibus ex opere operãtis.
quandoquidem certum eſt, quod, ſi vſus eorundem ſanctè, Religioſè; & ſecundum ordinem habeatur in ſtatu gratiæ cum debita intentione ad Deum relata, ſit aptus ad meritum, & ſatisfactionem, cum ſit gratus Deo; adeoque mereri poteſt effectum gratiæ ex opere operantis. Procedit igitur ſolum de aliquo effectu per modum operis operati, qui debeatur ex ſpeciali virtute, ſeu efficacia, vel promiſſione illi addita ex vi inſtitutionis. Pro quo aduerto, aliqua Sacramentalia conſtitui per benedictiones, & conſecrationes, nec tamen in orationibus pro eiſdem adhibitis poſtulari aliquem ex enumeratis effectibus; aliqua vero conſtitui per huiuſmodi benedictiones, quæ fiunt per ſpeciales orationes expreſsè poſtulantes aliquem ex his effectibus, vt videre eſt in benedictione aquæ luſtralis &c. Quibus ſuppoſitis deſcendendo ad ſingulos ex enumeratis effectibus

Dico primò. Sacramentalia ex opere
operato non conferre gratiam habitualem 4 Non cõferunt gratiam habitualẽ ex opere operato.
ſanctificantem, & gratum facientem, ſiue primam, ſiue ſecundam. In hoc arbitror communitèr conuenire. Probatur primò, quia non eſt ea vis Sacramentalibus conferenda, quæ ſpecialitèr Sacramentis conuenit; ſed, ſi Sacramentalia ex opere operato conferrent gratiam habitualem, vim eandem haberent, quam habent Sacramenta, ergo &c. Secundò, quia Sacramentalia non ſunt immediatè a Chriſto Domino inſtituta, ſed ab Eccleſia; Eccleſia autem non poteſt conferre virtutem conferendi gratiam ex opere operato, ergo neque inſtituendi opera, quibus annectat virtutem eandem producendi, adeoque neque Sacramentalibus eundem potuit conferre.

Dico ſecundò. Neque huiuſmodi Sacramentalia ex opere operato conferre ius 5 Nec ius ad aliquod auxilium actuale ſupernaturale.
ad aliquod auxilium actuale ſupernaturale, ſeu vim ad excitandum in nobis aliquem bonum gratiæ motum. Conſentit in hoc *Suarez diſp. 15. ſect. 4. verſ. ſed in hac re.* Probatur primò, quia, vel Sacramentalia hanc vim habent tanquam inſtrumenta Phyſica, vel tanquam moralia; Non Phyſica, quia nullibi conſtat datam eſſe poteſtatem Eccleſiæ ad inſtituendas, & eleuandas res ſenſibiles, vt ſint inſtrumenta ſpiritualium effectuum, cæteroqui nõ eſſet, cur ex eadem poteſtate non poſſet etiam res ſenſibiles ad effectum gratiæ ordinare, quod tamen falſum apparet ex mox dictis; Non moralis, quia etiam nullibi apparet Deum promiſiſſe. Accedit, quod non minus ſit effectus ſupernaturalis

Digitized by Google

auxilium actuale ſupernaturale, ac ſit ipſa gratia habitualis, & vtrumque eſt munus proprium Dei, ergo, ſicuti Eccleſia nequit inſtituere ſigna effectiua gratiæ habitualis, nec poterit quoad auxilia actualia.

Hæc præcipuè intelliguntur, quando hæc Sacramentalia conſtituuntur quidem per benedictiones, ſed non importantes aliquas preces ordinatas ad impetrationem huiuſmodi effectuum. Si vero in eorum benedictione inuoluatur aliqua oratio directa ad huiuſmodi effectus impetrationem, tunc dicendum eſt per modum impetrationis obtinibilem eſſe a Deo hunc effectum non ſolum ob communem legem,

6 Quamuis coniungantur cum precibus ad hoc ordinatis illud non obtinent ex opere operato,

& efficaciam orationis, ſed ex ſpeciali modo orandi Eccleſiæ, cuius preces magis Deus exaudit, quam hominum priuatorum; Hic tamen effectus etiam per modum impetrationis ex illis Sacramentalibus infallibilitèr non conſequitur, quia non eſt fundatus in aliqua Dei promiſſione, & per conſequens non eſt ex opere operato; Neque dicas, quod, quando huiuſmodi Sacramentalia applicantur, orationes Eccleſiæ, quibus fuerunt benedicta, non amplius perſeuerent, adeoque ex illis non poſſit effectus impetrari, & ſic virtus illa impetratiua ſit refundenda in aliquam virtutem Dei, quæ ſit ex opere operato; Contra enim impugnaberis, quia, licet illa oratio Phyſicè non perſeueret, perſeuerat tamen moralitèr in acceptatione Diuina.

Neque obſtat *D. Thomas tertia part. q. 71. art. 3.* vbi dicit vnctionem, quæ fit in capite baptizati conferre auxilium ad conſeruandam gratiam baptiſimalem, & per

7 Explicatur in hoc mens D. Thomæ.

ſaliuam typicam, & Sacerdotalem actum Diuinam virtutem operari ſalutem Cathecumeni; Non, obſtat, inquam, quia ibi D. Thomas non loquitur de virtute ex opere operato ad cauſandum illud actuale auxilium ſupernaturale, quia ibi agebat de cæremonijs Baptiſmi, quæ fiunt circa puerum non capacem pro illo tempore illius motus, quod, ſi ſubdatur *Diuinam virtutem operari ſalutem Cathecumeni*, hoc non refertur ad illas cæremonias, ſed ad actum Sacerdotalem, per quem Baptiſmus ipſe confertur, vnde illa vnctio, & typica ſaliua ſunt ſolummodo quædam præambula, & ſigna indicatiua effectuum per Baptiſmum producendorum; & ſe habent eo modo, quo conſecratio templi, ratione cuius Deus ſpecialius aſſiſtit ad exaudiendas fidelium orationes, & eorum animos ad deuotionem excitandos; & ſic illa vnctio etiam ſe habet, vt quoddam ſignum, quo intelligatur Dæmon expulſus ab illo, qui baptizatur, illæque cæremoniæ, concurrunt ſolum, vt ornamentum Sacramenti, & cum illo quid vnum tanquam diſpoſitiones conſtituunt.

Dico tertiò. Neque ex opere operato huiuſmodi Sacramentalia cauſare per ſe remiſſionem peccatorum venialium. In hoc conſentiunt ex antiquioribus *Alenſis part. 4. q. 15. memb. 3. art. 4. §. 2.*, *D. Thomas tertia part. q. 87. art. 3.*, *D. Bonauentura in quarto diſt. 21. art. 1. q. 2.*, *Riccardus in quarto diſt. 16. art. 5. q. 1. ad ſecundum Abulen. 4. Reg. c. 2. q. 39.*, & alij magis communitèr contra *Sotum in quarto diſt. 5. q. 2. art. 3.*, *Canum relect. de Sacram. part. 1. ad ſextum, & lib. 12. de loc. Theol. c. 13. ad nonum. Valdenſem tom. 3. de Sacramentalibus tit. 4. c. 68.*, *& alios*. Rationem ex eo deduco primò,

8 Non remittunt immediatè ex opere operato venialia,

quia peccata venialia de lege ordinaria non remittuntur, niſi per gratiam remiſſiuam eorundem, ſed Sacramentalia ex ſupra probatis ex opere operato non conferunt gratiam, cum hoc ſit proprium Sacramentorum à Chriſto Domino inſtitutorum, ergo, nec remiſſionem peccatorum venialium. Secundò, quia Sacramentalia, vt ſupradictum eſt, ſunt inſtituta ab Eccleſia; non eſt autem in poteſtate Eccleſiæ remittere peccata venialia ſine actu pœnitentis deteſtantis eadem peccata, ergo, nec conferre vim Sacramentalibus eadem remittendi. Tertiò, quia, nec ex inſtitutione Chriſti Domini, nec ex inſtitutione Eccleſiæ habent huiuſmodi Sacramentalia vim eadem venialia remittendi; Non ex vi inſtitutionis Chriſti, quia hic eadem non inſtituit, nec vim contulit Eccleſiæ eadem inſtituendi addito pacto remittendi venialia per eorundem vſum, cum de tali pacto nullibi conſtet; Non ex inſtitutione Eccleſiæ, quia, præter quam quod, vt ſupradicebamus hæc poteſtas non ineſt Eccleſiæ, non conſtat inſtituiſſe cum virtute remiſſiua eorundem venialium.

Dices, Sacramentalia eſſe in quaſi duplici differentia; nam aliqua ſunt, in quibus, ſeu quorum confectione nulla fit mentio, nec deprecatio pro tali effectu acquirendo; alia, in quibus adiunguntur orationes, quibus huiuſmodi effectus poſtulantur.

9 Quantūuis coniungantur cum Eccleſiæ precibus ad hoc ordinatis.

Eſto igitur, quod primis ex vi inſtitutionis Eccleſiæ non ſit collata talis vis remiſſiua, cum ex modo, & orationibus, quibus conficiuntur, dignoſci poſſit finis, ad quem fuerunt inſtituta; ſecundis denegari non poteſt, quod ex vi ſuæ inſtitutionis non ſint ordinata ad illum effectum, qui in illis orationibus poſtulatur, adeoque &c. Sed contrà. Iam quoad primam habemus intentum. Quoad ſecundam negamus ſolum, habere vim immediatè conferendi talem remiſſionem, non autem impetrandi à Deo actus, quibus poſſit illa remiſſio acquiri, eo modo quo per noſtra

pri-

priuata opera bona poſſumus à Deo impetrare actus, medijs quibus bonum motum acquiramus, quo excitati ad actus pænitentiæ conſequi poſſimus remiſſionem eorundem; Quinimmo cum illa Sacramentalia ſint cum Eccleſiæ precibus coniuncta videntur efficaciora ad illum effectum conſequendum.

Dices ſecundò objjciendo textum *in c. aquam de conſecrat. diſt. 3.*, qui eſt Alexandri I. vbi ſic legitur. *Aquam ſale conſperſam in populis benedicimus, vt ea cuncti aſperſi ſanctificentur, & purificentur. Si enim cinis vitulæ aſperſus populum ſanctificabat, atque mundabat, multo magis aqua ſale conſperſa populum ſanctificat, & mundat*; cui dicto cohærentèr loquitur Eccleſia, dum in benedictione aquæ deprecatur, vt ſit ſumentibus ſalus mentis, & corporis. Huc referri poſſunt illæ benedictiones Sacramentalium, in quibus ſit mentio, & deprecatio huiuſmodi effectus. Sed contra; allegatus textus, & omnes Eccleſiæ deprecationes intelligendæ ſunt non de remiſſione Immediata, ſed mediata, quatenus excitant quodamodo ad actus pænitentię, quibus talem remiſſionem conſequamur. Quod, ſi repetas, quod textus allatus comparet cinerem aſperſum ad aquam ſale permixtam, vnde, ſi cinis vitulæ aſperſus ab immunditis legalibus immediatè mundabat, & aqua ſale conſperſa debet immediatè purificare. Accedit, quod in eodem textu ſit comparatio ſalis per Eliſeum Profetam in aquam immiſſi, qui immediatè ſterilitatem aquarum ſuſtulit, ad aquam ſale conſperſam, quæ propterea debet, vt ſaluetur comparatio, immediatè ſterilitatem animarum ſanare; Statim etiam impugnaberis, quia aliud eſt loqui de immunditijs legalibus, quæ per legalia purgabantur, aliud de immunditijs moralibus animæ, quæ non niſi per proprios actus, & per Sacramenta purgantur; nec in omnibus neceſſe eſt, currere paritatem, adeo vt, ſi in illis fiebat immediata mundatio, ità, & in iſtis, ſed ſufficit, quod currat in eo, quod, ſicuti legalia mundabant, ità, & Sacramentalia mundent. Cæterum ex hoc textu inferre etiam poſſemus, quod Sacramentalia etiam immediatè mundarenr à læthalibus; textus enim indefinitè loquitur de ſanctificatione, & mundatione à peccatis non diſtinguens inter læthalia, & venialia; ſi ergo ex eo, quod legalia immediatè mundarent à legalibus, & ſal immediatè ſterilitatem aquæ auferret, inferunt, quod Sacramentalia immediatè ſanent à venialibus, & ego inferre poſſem, ea à læthalibus immediatè ſanare.

10 Non obſtat textus in c. aquam de conſecr. diſt. 3.

Inſtabis, ex hoc ipſo, quod huiuſmodi Sacramentalia non ſanent immediatè à læthalibus inferri, quod immediatè purgent à venialibus, quod ſic probatur. Maior vis conferenda eſt Sacramentalibus in ordine ad venialia delenda, ac in ordine ad læthalia, ſed in ordine ad læthalia habere poſſunt Sacramentalia vim mediatè illa remittendi, quatenus excitare poſſunt ad actus contritionis, vel ad Sacramentalem Confeſſionem, ergo in ordine ad venialia debent habere vim immediatam illa remittendi; cæteroqui eiſdem æqua vis eſſet in ordine ad læthalia, ac ad venialia. Sed contra. Fateor in ordine ad vtraque habere ſolum vim mediatè, ſed expeditiorem, faciliorem, & promptiorem in ordine ad remiſſionem venialium, ac ad læthalium non ſolum ratione ſubiecti, quia ſolis venialibus affectus eſt Deo amicus, gratus, & filius adoptionis ratione gratiæ præexiſtentis, quæ compatitur cum venialibus; affectus vero læthalibus eſt abhominabilis Deo, atque inimicus, & facilius dona ab amico conſequitur amicus, ac inimicus; tum ratione medij, quia ad acquirendam remiſſionem venialium ſufficit quædam de eiſdem diſplicentia, ad remiſſionem vero læthalium requiritur perfecta contritio, vel Sacramentalis Confeſſio.

11 Soluitur inſtantia oppoſita.

Dices tertiò, hac ratione non ſolum nouem eſſent Sacramentalia ſupra recenſita, ſed etiam plura, & longè plura, quandoquidem innumeræ poſſent aſſignari actiones, medijs quibus mediatè poſſumus conſequi remiſſionem venialium. Sed contrà, quia non in ordine ſolum ad remiſſionem venialium conſtituta ſunt Sacramentalia, ſed ſingula in ordine ad aliquos peculiares effectus, vnde non in ordine ad ipſam ſolũ ſunt Sacramẽtalia cõputanda, cum ipſa ſit effectus quaſi communis, & alijs pluribus competens; Deindè dato, quod, & alia ratione talis effectus poſſet dici quoquo modo Sacramentalia, dici poſſet, quod reductiuè poſſent ad recenſita referri. Tandem dici poteſt, quod licet poſſent talem effectum mediatè cauſare, non tamen ſint inſtituta ab Eccleſia, nec a ſcribentibus computata, vt Sacramentalia.

12 Ex eo, quod alia ordinentur mediatè ad venialiũ remiſſionem non ideo ſunt Sacramẽtalia.

Dico quartò, quod, quamuis ab Eccleſia potuerit in inſtitutione horum Sacramentalium conferri vis eiſdem remittendi, vel in toto, vel in parte pænam temporalem, de facto tamen non conſtat eandem ipſis contuliſſe; poteſt tamen, ſi voluerit, vel aliquibus, vel omnibus ipſam, quoties placuerit, conferre. In hanc conſentit *Suarez. diſp. 25. ſect. 4. verſ. circa quartum effectum*. Ratio primæ partis de eo, quod potuerit Eccleſia, ex eo deducitur, quod licet non intelligatur à Chriſto Domino collata poteſtas remittendi peccata, vel læthalia,

13 Poſſunt ex ordinatione Eccleſiæ remittere pænas.

vel venialia, fuit tamen collata in ordine ad remiſſionem pænæ ſublato reatu culpæ, cum Eccleſia diſponat de ſuo theſauro per indulgentias in ſatisfactionem pænarum, quæ pro peccatis debentur; Non eſt igitur ambigendum, quin potuerit Romanus Pontifex affigere, vel alicui, vel omnibus Sacramẽtalibus ſatisfactionis partem, qua pæna remitteretur vtentibus huiuſmodi Sacramentalibus. Ratio ſecundæ partis poteſt ex eo deduci, quod non conſtet, quod fuerit hæc vis indefinitè, & in genere, & pro ſemper alligata alicui Sacramentali, licet quandoque ex arbitrio Romanus Pontifex vtenti aliquo ex his Sacramentalibus indulgentiam concedat.

14 Habent vim expellendi Dæmones. Dico quintò, Sacramentalia vim habent expellendi Dæmones non præciſè ex merito, vel priuata oratione miniſtri operantis, ſed ex virtute illis indita ex inſtitutione Eccleſiæ. Hanc poteſtatem expellendi Dæmones extare in Eccleſia virtute eidem à Chriſto Domino conceſſa colligitur expreſsè ex pluribus Conciliorum definitionibus, ex pluribus SS. PP. auctoritatibus, quas latè refert *Suarez. diſp. 25. ſect. 4. verſ. circa quintum effectum*. Nobis ſufficiat *Lactantius lib. 2. c. 16.* vbi de Dæmonibus ſic loquitur, *Iuſtos autem ideſt cultores Dei metuunt, cuius nomine adiurati de corporibus abſcedunt, quorum verbis tanquam flagris verberati non modo Dæmones ſe eſſe confitentur, ſed etiam nomina ſua edunt, quia, nec Deo, per quem adiurantur, nec iuſtis, quorum voce torquentur, mentiri poſſunt &c.* Quod vero hæc poteſtas non ſit præciſè fundata in merito, & oratione miniſtri operantis, ſed etiã in virtute collata eiſdem Sacramentalibus ab Eccleſia in inſtitutione eorundem, vt docent *D. Thomas q. 71. art. 3., & in quarto diſtinct. 6. q. 2. art. 3. q. 2.*, & ibi etiam *D. Bonauentura art. 3. q. 2.*, ex eo euincitur, quod habetur *Matthæi 10., Lucæ 10., Marci 16. In nomine meo Dæmonia eijcient*, ex quibus verbis colligitur, quod non præciſè ex merito, & ſanctitate propria miniſtri Dæmonia eijciant, ſed in nomine Chriſti Domini. Etiã ratione hoc idem euincitur, quia in adminiſtratione Sacramentorum effectus non pendet ex ſanctitate miniſtri, quia non in ſua, ſed in Chriſti perſona operatur, ergo neque in Sacramentalibus, quę ad hunc effectum eijciendi Dæmones inſtituta ſunt, efficacia eorum pendebit a merito, & ſanctitate miniſtrorum ſimpliciter, quia etiam nõ in ſua, ſed in perſona Eccleſiæ operãtur.

15 Potentia eijciendi Dæmones eſt ſupernaturalis, & moralis. Circa hanc poteſtatem Sacramentalibus collatam eijciendi Dæmones duo potiſſimum dubia conſurgunt. Primum qualis ſit hæc potentia. Secundum quomodo exerceatur. Quoad primum non defuerũt aliqui, qui ſtatuerunt eſſe potentiam merè naturalem; Sed iſti non ſunt audiendi, quia, cum Dæmon ſit ſubſtantia ſpiritualis non poteſt pati a qualitatibus naturalibus; tum quia Sacramẽtalia, de quibus agimus, conſiſtunt in ſignis ſacris, orationibus, & ſimilibus, in quibus nulla vis naturalis, poteſt conſiderari. Alij ſtatuunt, eſſe quandã poteſtatem ſupernaturalem, & Phyſicam. Sed, nec iſti in ea parte, qua aſſerunt eſſe poteſtatem Phyſicam, ſunt audiendi, quandoquidem non apparet, quomodo Eccleſia, quæ vtitur orationibus, ſignis ſacris, & imperio in vſu horum Sacramentalium poſſit qualitatem Phyſicam in eiſdem producere, quæ effectum Phyſicum in Dæmonibus cauſet; hic etenim nil aliud poteſt eſſe, quam motus Phyſicus, & receſſus a loco, qui certè non poteſt eſſe per impulsũ Phyſicum, cum hic nequeat imprimi in ſubſtantiam ſpiritualem. Dicendum eſt igitur hanc poteſtatem eſſe ſupernaturalem, & moralem, quatenus Dæmones per virtutem Diuinam moralitèr excitatam compelluntur recedere.

Quoad ſecundum poteſt dici, hunc effectum conſequi ad vſum Sacramentalium per modum impetrationis non ſolum ex meritis, & ſanctitate miniſtri, ſed ex ſanctitate totius Eccleſiæ per quam fuerunt inſtituta huiuſmodi Sacramẽtalia, & in cuius perſona ipſa operantur, quod eſt cauſare moralitèr, ſed tantum mediatè. Dici etiam poteſt moralitèr Sacramentalia cauſare hunc effectum immediatè ex poteſtate Eccleſiæ data à Chriſto Domino ad imperãdum Dæmonibus, qui ex ipſius Chriſti voluntate obedire compelluntur; de cuius poteſtatis conceſſione cõſtat ex præcitatis verbis. *In nomine meo Dæmonia eycient*. 16 Conſequitur effectum per modum impetrationis.

17 Cauſant etiam impetratoriè cõſecutionẽ bonorum temporalium. Dico ſextò, Sacramentalia cauſare effectum conſecutionis bonorum temporalium per viam impetrationis; ſicuti etenim per alia pia opera huiuſmodi bona poſſumus impetrando conſequi, ità nõ eſt, cur medio Sacramentalium, quæ vim habent ex inſtitutione Eccleſiæ, eadem non poſſimus conſequi; nec ſolum directè per viã impetrationis virtute Sacramentalium hæc nobis conceduntur, quatenus ex ſe ordinantur ad illorum conſecutionem; ſed etiã indirectè, quatenus illis poſſumus Dęmonũ poteſtatẽ coercere vtendo v. g. his Sacramentalibus ad repellendas tempeſtates, & animalia noxia, ex qua expulſione proueniũt huiuſmodi bona temporalia. Concedat nobis Deus Optimus Maximus, vt Sacramentorum, & Sacramentalium ope, & præſidio ita bona temporalia acquiramus, vt non amittamus æterna. Atque hæc dicta ſufficiant de Sacramentis in genere ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei eorundem Auctoris, Deiparæ Virginis, & Doctoris gentium.

PARS

PARS II.

IN VNIVERSAS

DE SACRAMENTO BAPTISMI

QVÆSTIONES.

INfelix Adæ poſteritatis conditio, vt nondum nata iugo ſeruitutis ſubiaceat, vix concepta culpæ grauamen ſentiat, nondum particeps lucis caligine iniquitatis obuoluatur. Nondum diſcit cognoſcere, & infenſiſſima labe ſentit ſe coinquinari prius filia peccati, quam vitalis lucis, prius mancipata Dæmoni, quam vinculis materni carceris abſoluta. Hæc hæreditas, quam à primo parente nanciſcimur; hæc dos, qua genus ſuum Satanæ deſponſauit; Hic caracther, quo filios ſuos æquè, ac Dæmonis vtpotè filios iræ per inobedientiam obſignauit. A peccati ſeruitute, vt nos Deus liberaret, & caractherem iniquitatis deleret, miſit Filium ſuum in mundum, vt mundum redimeret, & chirographum culpæ obliteraret affigens illud cruci. Hinc Chriſtus Dominus mediator Dei, & hominum, vt ſordes omnes ablueret, lauacrum regenerationis inſtituit mundans nos aqua in verbo vitæ; vnde *Auguſtinus lib. 3. de Simbolo c. 10.* ait: *Innouat hominem, qui fecit hominem, donat delicta, qui non quærit merita, præuenit gratia etiam ipſam infantiam, vt ſint liberi per Chriſtum liberati, qui à Diabolo in Adam tenebantur ante captiui*, & Apoſtolus ad Titum 3. *Per ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis, et renouationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per*

Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum. Hoc lauacro teſte *Chryſoſtomo homil. ad baptizandos*, non ſimplicitèr nos puros à delictis oſtendit, ſed tanquam denuò generatos efficit non de terra componens iterum, ſed ex alio elemento aquarum naturæ nos procreat. In huius lauacri contemplatione iam ſiſtimus, vt, qui eiuſdem virtute ſumus à Dæmonis captiuitate liberati, & ablutione à peccati ſordibus emundati, eiuſdem dignitatem, efficientiam, & vim omnem non ignoremus.

QVÆSTIO I.

De Inſtitutione, & exiſtentia Baptiſmi.

A Conſueta methodo, quam ſeruauimus in indagine aliorum tractatuum, ſecundum quam prius rerum exiſtentiam, & eſſentiam indagauimus, quam eorum proprietates, actiones, & effectus, non recedimus; ordo etenim doctrinæ ſequitur ordinem naturæ, & ordo naturæ eſt, vt res ſit prius ſaltem natura, & cognitione, quam eius qualitates, actiones, & effectus. Quarè exiſtentiam Baptiſmi inquirimus, quæ ex inſtitutione eiuſdem clarè reſultabit.

ARTICVLVS I.

An, & quando hoc Sacramentum fuerit inſtitutum.

SVMMARIVM.

Inſtitutio, & exiſtentia huius Sacramenti conſtat ex Sacris paginis, & Conciliorum definitionibus. 1.

Sententia docens inſtitutum eſſe, quando Chriſtus Dominus baptizatus eſt à Ioanne. 2.

Euincitur ex eo, quod poſt ipſum immediatè Apoſtoli baptizabant. 3.

Congruum fuit, vt Apoſtoli baptizarentur, antequam initiarentur Sacerdotio. 4.

Soluitur obiectum Scoti. 5.

Baptiſmus vim regeneratiuam tunc accepit. 6.

Sententia docens Baptiſmum inſtitutum fuiſſe, quando Ioannis 3. Chriſtus dixit: Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c. 7.

Rationes pro hac ſententia. 8.

Sententia docens inſtitutum fuiſſe Matthæi 2. dum dixit: Euntes baptizate &c. 9.

Quoad ſubſtantiam inſtitutus eſt in Iordane, quoad neceſſitatem tunc declaratus, cum dixit: Niſi quis renatus fuerit, *quoad vſum poſt paſſionem; quoad diuulgationem, quando dixit*: Euntes baptizate &c. 10.

In Baptiſmo Chriſti Domini fuit deſignata materia, & implicitè indicata forma. 11.

Chriſtus Dominus contulit tunc aquis vim regeneratiuam. 12.

Explicatur in hoc mens D. Thomæ. 13.

Præceptum, quod fuit impoſitum à Chriſto Domino, tunc quando dixit: Niſi quis renatus fuerit, *pro tunc non obligabat*. 14.

Non vrgebat tamen quoad vſum, niſi poſt mortem Chriſti Domini. 15.

Promulgatus fuit, quando Matthæi vltimo dixit: Euntes docete omnes gentes baptizantes &c. 16.

Miſſio Apoſtolorum Matthæi 10. *non fuit ad promulgandum legem in particulari*. 17.

A tempore inſtituti Baptiſmi ad mortem Chriſti Domini non vrgebat præceptum eiuſdem. 18.

Si quis tamen fuiſſet baptizatus ante mortem non indiguiſſet probabilius circunciſione. 19.

Per mortem Chriſti fuit conſummatus quoad vltimum effectum. 20.

Poſt paſſionem Baptiſmus cæpit eſſe in præcepto. 21.

Poſt promulgationem omnes obligat. 22.

1 Loquimur hic ſpeciatim de Sacramento fluminis, nam de alijs ſanguinis, & flaminis erit infra ſermo. Clariſſimis ſacrarum paginarum teſtimonijs huius inſtitutio elucеſcit, & primò ex illo Apoſtoli ad Titum. *Per ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum*. Secundò ex illo eiuſdem ad Epheſios 5. *Mundans eum lauacro aquæ in verbo vitæ*. Tertiò ex illo Ioannis 3. *Niſi*

Inſtitutio huius Sacramenti conſtat ex ſacris paginis, & Concilijs.

quis

quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt intrare in Regnum Dei. Quartò ex illo Matthæi 28. *Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris; & Filij, & Spiritus Sancti.* Omnia hæc ſupponunt, & probant ſufficientèr hanc inſtitutionem, quam etiam declarat *Concil. Trid. ſeſs. 7. de Sacramentis can. 1.*, vbi anathematizat, qui dixerit Sacramenta omnia nouæ legis non fuiſſe à Chriſto Domino inſtituta, & aliquod horum non eſſe Sacramentum, & primo loco enumerat Baptiſmum. Rurſus *ead. ſeſs. 7. de Baptiſmo can. 1.* diſtinguit Baptiſmum Ioannis ab illo Chriſti Domini, & huic maiorem vim tribuit, vbi, cum agnoſcat maiorem virtutem in hoc Chriſti, vtique ſufficientèr indicat, inſtitutionem ipſius a Chriſto Domino factam.

Difficultes ſolummodo circa hunc articulum reducitur ad inquirendum tempus, pro quo hoc Sacramentum fuerit inſtitutum. Prima ſententia docet, hoc Sacramentum fuiſſe inſtitutum ante mortem Chriſti, eo ſcilicet die, quo in Iordane à Ioanne baptizatus eſt. Huius opinionis fuit *D. Thomas tertia part. q. 66. art. 2. in corp., & in quarto diſt. 3. art. 5. quæſtiunc. 3. in corpore*. Pluribus rationibus hæc opinio innititur. Primò, quia, poſtquam Chriſtus baptizatus eſt in Iordane, venit in Iudęam cum diſcipulis ſuis, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat *Ioannis 3.*; baptizabat autem per manus diſcipulorum, prout colligitur *ex eodem Ioanne c. 4.* Ibi- *quamquam Ieſus non baptizaret, ſed diſcipuli eius*, ergo tunc inſtituit hoc Sacramentum, ſecus non eſſet, cur tunc diſcipuli baptizarent. Neque hic audiendus eſt Alenſis, dum dicit diſcipulos Chriſti tunc baptizaſſe Baptiſmo Ioannis. Non, inquã, audiendus eſt, nam, cum orta eſſet quęſtio inter diſcipulos Ioannis, & Fariſæos de purificatione, & quærimonia delata ad Ioannem, quod Chriſtus per manus ſuorum diſcipulorum baptizaret, Ioannes quæſtionem diremit dicens. *Non ſum ego Chriſtus, ſed quia miſſus ſum ante illum, illum oportet creſcere, me autem minui*, hoc eſt, vt nonnulli explicant, eius Baptiſmum creſcere, quia eius fides per filiorum ſpiritualem in Baptiſmo procreationem debet augeri; meum autem decreſcere, cum ſit dumtaxat figura illius.

2 Sentẽtia docens inſtitutũ eſſe, quãdo Chriſtus à Ioanne baptizatus eſt.

3 Euincitur ex eo, quod immediatè poſt ipsũ Apoſtoli baptizabant.

Secundò, quia maximè congruum fuit, vt Apoſtoli prius baptizarentur, quam ſacris ordinibus, & Sacerdotio initiarentur; initiati autem ſunt Sacerdotio ante paſſionem, & mortem Chriſti Domini in vltima cœna, vt probatum eſt in quæſtionibus de ſacris ordinibus, & patet ex textu Euangelico, ergo maximè congruum fuit, vt etiam ante eandem baptizarentur, ergo, & inſtitutio huius Sacramenti facta eſt ante eandem paſſionem; aliud autem iſtius Inſtitutionis tempus non poteſt conuenientius aſſignari, quam, quando Chriſtus baptizatus eſt, cum tunc aqua in materiam Baptiſmi deſignata eſt, & veluti cõſecrata aſſerente *D. Auguſtino ſerm. 36. Ex quo Chriſtus aquis immergitur, ex eo omnium peccata abluit Aqua.*

4 Congruũ fuit, vt baptizarentur Apoſtoli antequã inſtituerentur Sacerdotes.

Neque obeſſe poteſt, quod aſſerit *Scotus in quarto diſt. 3. q. 4.*, nempè Chriſtum Dominum, quando baptizatus eſt, non eſſe vſum Baptiſmo ſuo, nec eius forma, ſed illo Ioannis, quarè ſolum tunc videtur deſignaſſe aquam in materiam Baptiſmi; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, licet in illa ſerie narrationis Baptiſmi Chriſti Domini non facta fuerit expreſſa mentio formæ huius Sacramenti, præſumitur tunc deſignata (multa enim fecit Ieſus, quæ non ſunt ſcripta in Euangelio) nec hoc nouum debet apparere, cum etiam quoad aliqua alia Sacramenta eorum forma in eodem Euangelio non fuerit expreſſa. Deindè in ipſo facto implicitè deſignata eſt forma Baptiſmi; tunc etenim tota Trinitas apparuit; vox enim Patris audita eſt: *Hic eſt Filius meus dilectus*; Spiritus Sanctus ſub Columbæ ſpecie viſus eſt, & filius ipſe tunc baptizatus.

5 Soluitur obiectum Scoti.

Tertiò ratione *D. Thomæ tertia part. qu. 66. art. 2. in corp.*, quia tunc videtur Sacramentum inſtitui, quando accipit virtutem producendi ſuum effectum; Baptiſmus autem virtutem regeneratiuam accepit, quando Chriſtus baptizatus eſt, ergo &c. Minor probatur ex *Vgone lib. 2. de Sacram. part. 6. c. 4.*, & *Beda in homil. Epiphaniæ*. Ibi- *Tactu mundiſſimæ ſuæ carnis vim regeneratiuam contulit aquis*, D. Auguſtini *in Sermone Epiphaniæ*, Ibi- *Ex quo Chriſtus in aqua mergitur ex eo omnium peccata abluit aqua*, D. Ambroſij *lib. 2. in Lucam c. vlt. Baptizatus eſt Dominus non mundari volens, ſed mundare aquas, vt abluta per carnem Chriſti, quæ peccatum non cognouit, baptiſmatis ius haberent.*

6 Baptiſmus vim regeneratiuam accepit, quando Chriſtus baptizatus.

Secunda ſententia docet, tunc Sacramentum Baptiſmatis inſtitutum eſſe à Chriſto Domino, quando *Ioannis 3.* Nicodemo dixit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt intrare in Regnum Dei.* Rationem ex eo deducunt, quia ex vna parte per hoc ſaluatur, quod ſic inſtitutum ante paſſionem, & mortem Domini, & propterea, quod diſcipuli prius fuerint baptizati, quam ſacris ordinibus initiati, & ex alia, quod fuerit inſtitutum, antequam Apoſtoli baptizarent; poſtquã enim dixit Nicodemò, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* ſubdit Euangeliſta,

7 Sentẽtia docens tunc inſtitutum quando Chriſtus dixit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua.*

8 Rationes pro hac ſentẽtia.

Baſ

Poſt hæc venit Ieſus, & diſcipuli eius in terram Iudæam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat, quæ poſtrema verba congruentius videntur referri ad illa, *Niſi quis renatus fuerit*. Accedit, quod in hoc reſultat diſpoſitio Chriſti præcipiētis huiuſmodi ablutionem, vbi in Baptiſmo Ioannis nulla ipſius actiua diſpoſitio reſultat, ſed dumtaxat paſſiua.

9 Sentētia docens inſtitutū eſſe quādo Matthæi 28. dixit: *Euntes baptizate.*

Tertia ſententia, eaque ſatis communis docet, quod tunc fuerit inſtitutum, quando Matthæi 28. dixit: *Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Ratio eſt, quia tunc apparet de materia per ly *baptizantes*, quod importat materiam nedum remotam, quia baptizari, ſeu ablui proprium eſt aquæ, & proximam conſiſtentem in ipſa ablutione, quæ omnia non ita expreſſè habentur in duabus præcedentibus ſententijs. Quod iam in hoc concludendum? Conciliando has tres opiniones ſit

10 Aſſignatur tēpus quo fuit inſtitutū.

Concluſio. Inſtitutio Baptiſmi quoad ſubſtantiam Sacramenti facta eſt, quando Chriſtus baptizatus eſt in Iordane; quoad neceſſitatem fuit declarata Ioannis 3. per illa verba, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto &c.*; quoad vſum poſt paſſionem, & mortem Chriſti Domini; quoad diuulgationem, quando Matthæi vlt. dixit: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Conſentit in vniuerſum *D. Thomas tertia part. q. 66. art. 2. in corpore, & q. 73. art. 5. ad quartum, & in quarto diſt. 3. art. 5. quæſtiunc. 2. in corpore.*

11 In Baptiſmo Chriſti Domini fuit deſignata materia, & implicitè indicata forma.

Prima pars deducitur ex ijs, quæ dicta ſunt pro prima ſententia, quæ efficacitèr eandem videntur conuincere; ibi etenim deſignata eſt materia, & aquis collata eſt vis regeneratiua, vt auctoritatibus allegatis ſit certum, & forma quodamodo fuit figurata in aſſiſtentia trium Diuinarum Perſonarum, Patris in voce, Filij in carne, Spiritus Sancti in Columba; Neque obſtant ea, quæ ſupra inſinuabantur, nempè, quod in illo Baptiſmo Chriſti a Ioanne in Iordane nulla apparet diſpoſitio actiua Chriſti Domini, ſed dumtaxat paſſiua; Non obſtant, inquam, quia licet ibi Chriſtus non Baptiſmum contulerit, ſed receperit, ſua tamen virtute, & Diuinitate ſanctificauit aquas Iordanis,

12 Chriſtus Dominus ſanctificauit aquas.

& quodamodo deſtinauit in materiam huius Sacramenti; vnde D. Maximus homil. 1. Epiphaniæ ſcriptum reliquit. *Sicut relatu paternæ traditionis inſtruimur; ferunt hodie Chriſtum Dominum noſtrum ſuſcepto à Ioanne Baptiſmate conſecraſſe fluenta Iordanis, ſuumque ſimul purificaſſe Baptiſtam*, ex quibus elucet, quod fuerit ſimul in eo myſterio patiens, & agens; patiens, quia à Ioanne baptizatus eſt, agens, quia aquas ſanctificauit, eaſque mundauit.

13 Quomodo intelligendus ſit D. Thomas.

Neque item obeſſe poteſt id, quod aſſerit *D. Thomas tertia part. q. 73. art. 5. ad quartum*, nempè, quod Baptiſmus erat aliqualitèr inſtitutus in ipſo Chriſti Baptiſmo, ergo tunc non fuit ſimplicitèr inſtitutus, ſed dumtaxat deſignata aqua, in qua erat inſtituendus. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, dum Sanctus Doctor dixit, *aliqualitèr inſtitutus*, voluit ſolum indicare, quod non erat inſtitutus inferendo pro tunc neceſſitatem, & vſum, cum tunc non cæperit obligare vrgente adhuc lege circuncisionis, vt infra.

14 Obligatio fuit impoſita, quando dixit: *Niſi quis renatus fuerit.*

Secunda pars patet ex eo, quod ex vna parte ex facto Chriſti Domini, quo baptizatus eſt in Iordane, nulla pro tunc vrgebat neceſſitas Baptiſmum recipiendi, cum tunc vrgeret adhuc lex circuncisionis, quę non erat adhuc abolita; ex alio illa verba, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt intrare in Regnum Dei*, important præceptum, & neceſſitatem ſub interminatione non conſequendi Regnum Dei, ergo tunc verè inducta eſt neceſſitas illum ſuſcipiendi. Verum tamen eſt, quod hoc præceptum, & neceſſitas non obligabant pro tunc, ſed in futurum, vt notat *D. Thomas d. q. 66. art. 2. ad tertium.* Ibi. *Hoc magis videtur ad futurum reſpicere, quam ad præſens tempus*; iuxta quem ſenſum videtur etiam procedere *D. Bernardus Epiſt. 77.*, dum aſſerit, quod tunc, quando Chriſtus verba illa protulit, erat priuata Baptiſmatis, & legis nouæ explicatio, cuius poſtea præceptum, & generalis obligatio imponi debebat; vnde verba illa appellāt præceptum vitæ, cæleſte edictum, noui myſterij decretum, & ſi adhuc ſecretum, legem prolatam, & ſi nondum promulgatam.

15 Non vrgebat tamen quoad vſum tunc.

Tertia pars ex eo euincitur, quia ante paſſionem, & mortem Chriſti Domini, vt mox aſſerebam, vigebat adhuc lex circuncisionis, quæ ſolum cum alijs cæremonialibus in morte eiuſdem abolita eſt, ſicuti tunc velum templi ſciſſum eſt, vnde D. Leo ſermone 7. de paſſione, ait: *Traxiſti Domine omnia ad te, quoniam ſciſſo templi velo Sancta Sanctorum ab indignis Pontificibus receſſerunt, vt figura in veritatem, Prophetia in manifeſtationem, & lex in Euangelium verteretur*; tum quia, vt benè notat *D. Thomas d. tertia part. q. 66. art. 2. in corpore, per Baptiſmum configuratur homo paſſioni, & Reſurrectioni Chriſti, in quantum moritur peccato, & incipit nouam iuſtitiæ vitam*, & ideo oportuit Chriſtū prius pati, & reſurgere, quā hominibus indiceretur neceſſitas, ſe cōfigurandi morti, & Reſurrectioni eius,

tum

Google

tum quia hęc omnia Sacramenta conſummationem habuerunt in morte Chriſti; vnde D. Leo Epiſt. 4. c. 6. dixit: *Chriſtum tunc regenerationis potentiam ſanxiſſe, quando de latere eius profluxerunt ſanguis redemptionis, & aquæ Baptiſmatis.*

16 **Promulgatio facta fuit *Matthæi* 28.**

Quarta pars patet ex mandato, quod Chriſtus dedit Apoſtolis, *Euntes docete*, quod mandatum non conſtat, antea fuiſſe promulgatum; Neque dicas, videri ſufficientèr fuiſſe promulgatum, quando *Matthæi* 10. miſit Chriſtus diſcipulos ſuos dicens: *Euntes autem prædicate dicentes, quia appropinquauit Regnum Cælorum; Infirmos curate, Mortuos ſuſcitate; Leproſos mundate, Dæmones eijcite*, quæ verba non intelligenda ſunt ſolum de infirmitate, & morte corporali &c. ſed etiam de ſpirituali, quæ potiſſimum habentur per Baptiſmum, per quem homines ſanantur, & vitam nanciſcuntur ſpiritualem; Contrà enim impugnaberis, quia textus iſte Euangelicus non intelligendus eſt de miſſione Apoſtolorum ad prædicandam vniuerſam legem, & Euangelium in particulari, cum omnes leges tunc non eſſent conditæ, vt patet in lege Euchariſtiæ, ſed ad prædicandum Euangelium in communi, &, vt diſponerent populos ad illud recipiendum, facultatem conceſſit illa operandi, quæ nunciata ſunt. Cæterum, quod tunc non fuerit datum præceptum promulgandi legem Baptiſmatis liquet ex eo, quod de eodem nulla facta fuerit mentio, ſicuti, nec de cæteris Sacramentis, quorum aliqua tunc non erant inſtituta.

17 **Miſſio Apoſtolorum *Matthæi* 10. non fuit ad promulgandam legem in particulari.**

Ex his nonnulla cum D. Thoma poſſunt inferri. Primum, quod à tempore conditi Sacramenti Baptiſmatis vſque ad paſſionem, & mortem Chriſti Domini non erat obligatio ſuſcipiendi hoc Sacramentum, cum tunc vigeret adhuc lex circunciſionis abolita duntaxat per mortem Chriſti Domini, vnde Baptiſmus tunc erat ſolummodo de conſilio, circunciſio verò de præcepto, vt ex D. Thoma notat *Sotus lib. 2. de iuſt., & iur. q. 5. art. 4.* Sed circa hoc oritur dubium, cum dictum modo ſit, quod tunc temporis inter inſtitutionem Baptiſmi, & inter paſſionem, & mortem Chriſti Domini Baptiſmus ipſe eſſet de conſilio, & circunciſio de præcepto, an, ſi quis tunc vtens conſilio baptizatus fuerit, fuiſſet obligatus ad adimplendum præceptum circunciſionis, illam ſuſcipere. Arbitrarer abſolutè, non teneri, quia iam per Baptiſmum conſecutus fuiſſet primam gratiam remiſſiuam peccati originalis, & omnium actualium præcedentium ipſum Baptiſmum, nec congruum videtur, quod tunc, qui Baptiſmum ſuſcepit, grauaretur alio præcepto ad primam gratiam ſuſcipiendam, idemque primogenium peccatum delendum; nec releuat, quod adhuc vigeret præceptum circunciſionis, nam reſpondetur, quod, licet illud non ceſſaret abſolutè, ceſſaret tamen in caſu particulari, quo peccatum, pro cuius remiſſione illud præceptum datum eſt, eſſet per virtutem ſuperiorem deletum; Minus releuare poteſt id, quod ſupra attactum eſt, quod ſcilicet Sacramentum Baptiſmatis vim receperit à paſſione, & morte Chriſti Domini, per quam conſummatum eſt. Minus, inquam, releuare poteſt, quia, vt innuitur in ipſa inſtantia, in paſſione Chriſti ſolum habuit Baptiſmus, ſicut, & alia Sacramenta conſummationem, quantum ad vltimum effectum, vt notat *D. Thomas in quarto diſt. 3. art. 5. quæſtiunc. 2. in corpore, & tertia part. q. 73. art. 5. ad quartum*, qui eſt apertio ianuæ Cœlorum; per hoc tamen non tollitur, quin immediatè conferat, ſeu contulerit gratiam remiſſiuam ijs, qui a Chriſto per diſcipulos baptizati fuerunt *Ioannis 3.* Hoc euincitur ex D. Auguſtino in illo Ioannis 13. *Qui lotus eſt non indiget, niſi vt pedes lauet*, vbi aſſerit, quod Petrus lotus erat, quia iam Baptiſmo Chriſti erat baptizatus; & ſi lotus erat; ergo iam receperat gratiam remiſſiuam, per quam lotus eſt; hinc etiam infertur, quod omnes Apoſtoli fuerint baptizati ante paſſionem Chriſti Domini, & cum in vltima Cæna Chriſtus Dominus Euchariſtiam illis contulerit, veritati conforme videtur, quod non contulerit illis non baptizatis, & ſi, tunc receperunt gratiam Euchariſtiæ, non eſt, cur non receperint gratiam remiſſiuam Baptiſmi, quando illud receperunt.

18 **A tempore inſtituti Baptiſmi ad mortē Chriſti Domini non vrgebat præceptum eiuſdem.**

19 Si quis tamen fuiſſet baptizatus ante mortem Chriſti non indiguiſſet circoncisione.

20 **Per mortē Chriſti fuit conſūmatus quoad vltimum effectum.**

Secundum, quod infertur eſt, quod poſt paſſionem, & Reſurrectionem Chriſti Domini Baptiſmus cæpit eſſe in præcepto, & lex circunciſionis abolita fuit, licet illi, ad quos promulgatio Baptiſmi non pertingerat, excuſarentur; vnde, ſi ante debitam promulgationem deceſſiſſent, ſalui forent; ſi autem ſuperſtites fuiſſent ad eandem promulgationem, tenerentur Baptiſmum ipſum ſuſcipere.

21 **Poſt paſſionem cæpit eſſe in præcepto.**

Tertium eſt, quod poſt ſufficientem promulgationem quilibet teneretur legem Baptiſmi ſeruare circumſcripta lege veteris circunciſionis, quam nemo ſeruare poterat citra impietatis notam. Ratio eſt, quia lex Baptiſmi eſt abolitiua legis circunciſionis, quæ promulgata vim habet legis obligantis.

22 **Poſt promulgationem omnes obligat.**

His illationibus non acquieſcit *Scotus in quarto diſtinct. 3. q. 4.*, & primò quoad primam licet aſſerat, quod Baptiſmus ab inſtitutione vſque ad promulgationem eſſet tantum de conſilio, quoad circunci-

ſionem, tamen aſſerit non manſiſſe ſub præcepto vſque ad mortem Chriſti Domini, ſed dumtaxat vſque ad inſtitutionem Baptiſmatis, & exindè ſolum in ratione conſilij concurriſſe cum Baptiſmo vſque ad promulgationem eiuſdem, adeo vt pro tempore intermedio Iudæus poſſet ex libertate, vel circumcidi, vel baptizari; ſecundò quoad ſecundam voluit, quod Baptiſmus non incæperit eſſe ſub præcepto à paſſione, & morte Chriſti Domini, ſed poſt promulgationem Euangelij, quæ fuit in die Pentecoſtes, vt ipſe aſſerit.

Sed, vel facilè elidi poteſt Scotus, vel ad ſanum ſenſum iuxta mentem D. Thomæ reduci. Ad primum etenim, quo dicit 23 Reſpondetur obiectis Scoti. Baptiſmum ab inſtitutione vſque ad promulgationem eſſe tantum de conſilio, licet dicat aliquid veri; non dicit tamen omne verum; nam licet poſt paſſionem, & mortem Chriſti Domini fuiſſent excuſati illi, ad quos non perueniſſet lex Baptiſmi conſummata per mortem Chriſti, non ceſſaret tamen eadem lex obligare, quantum eſt de ſe; vnde, qui delinquerent, ſeu deliquiſſent poſt mortem Chriſti ab obſeruantia huius præcepti non eſſent, ſeu fuiſſent excuſabiles, quia Baptiſmus eſſet de conſilio, ſed quia præceptum ipſis non innoteſcebat. Ad ſecundum, qua dicebat, quod præceptum circuncitionis perſeuerauit dumtaxat vſque ad inſtitutionem Baptiſmi, non vſque ad mortem Chriſti Domini, verum non attingit, quia nihil eſt, quod ipſum irritet, & cæremonialia perſeuerabant, & vrgebant vſque ad mortem Chriſti, per quam eorum obligatio extincta eſt.

Ad illud, quod ſubdit tertio loco, quod præceptum Baptiſmi non incæperit niſi à die promulgationis eiuſdem, & quod hæc dies promulgationis non incæperit, niſi in Pentecoſte, dicendum eſt, quod minus verum dicat, cum lex iſta, quantum eſt ex ſe, cęperit obligare, quādo Chriſtus Dominus dixit Nicodemo: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto &c.*; vnde in die Pentecoſtes non lata eſt hæc lex, ſed data dumtaxat facultas, & iuſſio illam promulgandi.

ARTICVLVS II.

Quotuplex ſit Baptiſmus.

SVMMARIVM.

Baptiſmus alius fluminis, alius ſanguinis, alius flaminis. 1.

Baptiſmus ſanguinis conſiſtit in martirio propriè ſumpto. 2.

Non eſt neceſſe, quod ſit cum effuſione ſanguinis. 3.

Explicatur quid ſit ille flaminis. 4.

Explicatio proprij martirij. 5.

In adultis requiritur intentio ſuſcipiendi martirium pro Chriſto nomine. 6.

In paruulis hæc intentio non requiritur. 7.

In adultis hæc intentio debet eſſe charitate in Deum regulata. 8.

Nec ſufficit ſola atritio. 9.

Reijcitur Suarez volens ſufficere charitatem ſubſequentem, vt effectum. 10.

Requiritur, vt cruciatus, & mors ſubſequatur. 11.

An qui læthale vulnus pro Chriſto accepit, & ab eodem Dei ope liberatus fuit, poſſit dici martir remiſſiuè. 12.

D. Ioannes paſſus eſt vſque ad mortem. 13.

Martirium debet eſſe toleratum ob cauſam honeſtam, & Deo gratam. 14.

Sufficit, ſi ſit ex motiuo caſtitatis. 15.

Etiam ſi referatur in actum honeſtum præteritum. 16.

Requiritur, vt tirannus cruciatus, & mortem inferat in odium Chriſti, & Religionis. 17.

Baptiſmus ſanguinis propriè ſumptus confert remiſſionem culpæ, & pœnæ. 18.

Soluitur obiectum deductum ex ſupradictis. 19.

Rationes ſuadentes non conferre remiſſionem ex opere operato. 20.

Probabilius eſt, quod conferat ex opere operato. 21.

Soluuntur rationes contrariæ. 22.

Sententia docens tunc cauſare effectū, quando infligitur læthale vulnus. 23.

Sententia docens cauſare in vltimo inſtanti extrinſeco vitæ. 24.

Sententia docens cauſare in vltimo inſtanti, ſed intrinſeco. 25.

Præfertur hæc vltima ſententia. 26.

Refelluntur aliæ ſententiæ. 27.

QVamuis Baptiſmus, vt Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum ſit vnus, iuxta illud *Apoſtoli ad Epheſ. 4.* 1 Triplex Baptiſmus aſſignatur. *Vnus Deus, vna fides, vnum Baptiſma*, ad excluſionem illius Ioannis, qui propriè non erat Sacramentum, nec gratiam iuſtificantem conferebat, & propterea erat ſolum figura iſtius Chriſti Domini; attamen attento effectu, qui poteſt produci in ordine ad remiſſionem originalis, & actualium etiam poſt legem latam à Chriſto Domino triplex communitèr aſſignatur; alius ſanguinis, alius flaminis, alius fluminis. De hoc tertio erit latus ſermo in his omnibus quæſtionibus. De primo, & ſecundò nonnulla ſub hoc titulo breuitèr attingemus.

Baptiſmus ſanguinis nihil aliud, quam martirium propriè ſumptum, quod dicitur

2 Baptiſmus ſanguinis conſiſtit in martirio propriè ſumpto.

tur Baptiſmus non ſolum, quia in ordine ad remiſſionem peccatorum præſtat effectus, quos produceret verus Baptiſmus, ſed quia etiam ſemper eſt cum voto ſaltem implicito eiuſdem Baptiſmi. Ad hoc autem, vt martirium dicatur Baptiſmus, & cauſet effectum remiſſionis eorundem peccatorum, non eſt neceſſe, quod ſit cum effuſione ſanguinis, ſed ſufficit, quod ſit per mortem pro Chriſti fide toleratam, quocunque modò ſumatur, ſiue per funem, ſiue per gladium, ſiue per igniem &c. vnde D. Marcellus ab Eccleſia vniuerſa com-

3 Non eſt neceſſe, quod ſit cum ſanguinis effuſione.

putatur inter martires, licet ſanguinem non effuderit, ſed in ſtabulo coniectus tabe confectus ſit. Baptiſmus Flaminis eſt votum Baptiſmi cum pænitentia, ſeu dolore perfecto ob Dei amorem, de quo loquitur, Lucas 3. *Prædicans Baptiſmum pænitentiæ in remiſſionem peccatorum*. Hic

4 Quid ſit Baptiſmus flaminis.

Baptiſmus ſufficiens eſt, quando haberi non poteſt Baptiſmus fluminis, ſecus, ſi iſte haberi poſſit, & negligatur, & hoc quia exigit ſemper eſſe cum voto ſaltem implicito eiuſdem Baptiſmi.

Incipientes à primo plura de ipſo inquiremus; & primò quid propriè ſit martirium, & quænam ad ipſum requirantur; ſecundò, quemnam effectum præſtet martirium, & quomodo illum cauſet; tertiò, quandonam martirium cauſet ſuum effectum.

5 Explicatur quid propriè ſit martirium.

In ordine ad primum conueniunt communitèr, quod Baptiſmus ſanguinis ſit mors pro Chriſto tolerata, ſeu martirium, in quo proprio ſanguine pro Chriſto effuſo abluitur, antequam pro temporis anguſtijs viuificis Baptiſmi vndis regeneretur. Dicitur autem Baptiſmus, quia ſic ipſum appellauit Chriſtus Dominus, Marci 10. *Poteſtis bibere Calicem, quem ego bibiturus ſum, aut Baptiſmo, quo ego Baptizor, baptizari*, innuens propriam paſſionem, & mortem, & Lucæ 12. *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor, vſque dum perficiatur.*

6 In adultis requiritur intentio ſuſcipiendi martirium pro Chriſti nomine.

Ad hunc Baptiſmum ſanguinis, vt valeat ſuum effectum conſequi, plures requiruntur conditiones; quarum prima eſt, quod in adultis requiratur intentio ſuſcipiendi Baptiſmum ſanguinis, ſeu martirium pro Chriſti nomine, prout ſentit *D. Thomas ſecunda ſecundæ q. 124. art. 1., Henriquez lib. 2. c. 34. n. 2., & c. 36. nn. 1.*, & alij communitèr. Dixi, *in adultis*, nam in paruulis ante vſum rationis talis voluntas non requiritur, cum ſint eiuſdem incapaces; vnde Eccleſia recipit tanquam martires infantes, qui iuſſu Regis Herodis poſt natiuitatem Chriſti Domini interfecti ſunt; & ſicuti in eiſdem non requiritur hæc voluntas in receptione Baptiſmi conſueti fluminis, ità, nec videtur requiri in Baptiſmo ſanguinis. Ratio huius conditionis ea eſt, quia non ſubſiſtit in adultis Baptiſmus fluminis ſine voluntate ſaltem habituali eum recipiendi, ergo, nec poteſt ſubſiſtere Baptiſmus ſanguinis ſine eà intentione; Nec obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod, ſi adultus dormiens occidatur in odium Chriſti Domini, dicatur martir, & tamen tunc non ſupponatur habere voluntatem martirij, ergo huiuſmodi voluntas non requiritur; nòn, inquam, obeſſe poteſt, quia in primis negant *Suarez diſp. 20. ſect. 2., Henriquez lib. 2. c. 34. n. 2., Sotus in quarto diſt. 5. art. 4. concl. 3., Coninchus q. 66. art. 2. dub. 2. n. 136.* computandum pro martire, niſi præuiderit martirium, & antecedentèr in illud conſenſerit, quia tunc videtur habere voluntatem virtualem, ſeu ſaltem habitualem, vel niſi ſit vir iuſtus, & Deo maximè deditus, quia, cum habeat in ſuis operationibus ſemper Deum pro fine, præſumitur voluntate interpretatiua referre in Deum quidquid boni fecérit, aut mali ſuſtinuerit. Deinde dici poteſt, quod tunc pro tempore, quo dormit, computetur pro puero, ſeu infante.

7 In paruulis hæc intentio non requiritur.

Secunda conditio eſt, quod in adultis talis voluntas debeat eſſe charitate in Deum regulata; nec ſufficiat mera attritio quantumuis ſupernaturalis *D. Thomas qu. 66. tertiæ part. art. 12. ad ſecundum*, vbi expreſsè hæc habet. *Effuſio ſanguinis non habet rationem Baptiſmi, ſi ſit ſine charitate*, & Apoſtolus *prima ad Corint. 13. Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod maioris efficaciæ videatur Baptiſmus ſanguinis, quam Baptiſmus fluminis, quandoquidem, vt loquitur idem *D. Thomas dicta q. 66. art. 13.* per Baptiſmam fluminis homo configuratur Chriſto per quandam figuralem rapræſentationem; per Baptiſmum verò ſanguinis per operis imitationem; ad Baptiſmum autem fluminis ſufficit ſola attritio ſupernaturalis, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergo à fortiori ſufficere debet ad Baptiſmum ſanguinis; vnde *D. Ciprianus in præfatione tractatus de exhort. ad mart.* loquens de hoc martirio ſanguinis hæc habet. *Nos, qui Domino permittente primum Baptiſma credentibus dedimus* (Baptiſmum ſcilicet fluminis) *ad aliud quoque ſingulos præparemus* (nempè ſanguinis) *inſinuantes, & docentes hoc eſſe Baptiſma in gratia maius, in poteſtate ſublimius, in honore pretioſius; Baptiſma, in quo Angeli baptizant, Baptiſma, in quo Deus, & Chriſtus eius exultant; Baptiſma, poſt quod nemo iam peccat, Baptiſma, quod fidei noſtræ*

8 Hæc intētio debet eſſe charitate regulata.

9 Nec ſufficit ſola attritio.

incrementa conſumat; Baptiſma, quod nos de mundo recedentes ſtatim Deo copulat. In aquæ Baptiſmo accipitur peccatorum remiſſio, in ſanguine corona virtutum. Non, inquam, obeſſe poteſt; quia hoc proprium eſt Sacramentorum mortuorum nouæ legis, vt poſita dumtaxat retractatione peccatorum læthalium, ſi quæ fuerint ante illa commiſſa, per eadem Sacramenta inducatur remiſſio eorundem peccatorum; quæ virtus non intelligitur alijs ab eiſdem Sacramentis, niſi fuerint charitate informata; vnde ea omnia, quæ dicuntur in inſtantia, intelligenda ſunt ſuppoſitis debitis conditionibus, nempè eadem charitate, ſine qua extra Sacramenta, haberi nequit eadem remiſſio, vt loquitur *D. Thomas loc. cit.* nempè *d. q. 66. art. 12. ad ſecundum.* Suppoſita igitur tali charitatis, & dilectionis Dei conditione Baptiſmus ſanguinis habet illas omnes prærogatiuas, quas enumerat *D. Ciprianus loc. cit.* non aliter, nec alio modo.

Nec item obeſſe poteſt id, quod aſſerit *Suarez diſp. 24. ſect. 3. concl. 2.*, nempè re-

10
Reijcitur Suarez volens ſufficere charitatē ſubſequētem.

quiri quidem charitatem, non tamen, quæ præcedit tanquam directio operis, ſed quæ ſubſequitur tanquam effectus, quatenus illam paſſio pro Chriſto ſecum trahat, vnde verificatur, quod martir ſine charitate non recedat. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, vt benè notat *D. Thomas ſecunda ſecundæ q. 124. art. 2. ad ſecundum. Ad actum martirij* (ſunt verba formalia eiuſdem Sancti Doctoris) *inclinat charitas, ſicut primum, & principale motiuum per modum virtutis imperantis, fortitudo autem ſicut motiuum proprium per modum virtutis elicientis &c.* & deinde ſubdit. *Et inde eſt, quod martirium eſt actus charitatis, vt imperantis*, ex quibus patet, quod, cum charitas imperet, martirium præcedat, non merè ſubſequatur; & ex his habetur, quod martirium ſit actus ſimul charitatis, & fortitudinis, charitatis quidem dirigentis, & imperantis, fortitudinis, vt operantis, & elicientis.

Tertia conditio eſt, vt cruciatus, & mors ſubſequatur, vt patet ex definitione ſupra tradita; non eſt tamen neceſſe, vt

11
Requiritur, vt cruciatus, & mors ſubſequatur.

mors ſequatur ex ſanguinis effuſione, ſed ſufficit, quod quocunque modo eueniat in odium Chriſti, vt dictum eſt ſupra de martirio D. Marcelli, quod euenit ob tabem contractam in ſtabulo, in quo fuit in odium Chriſti detruſus; Nec obſtat, quod dicatur martirium ſanguinis, quia ſic denominatur ex eo, quod regularitèr contingit; cæterum effectus æquè habetur, ſiue fiat per ſanguinis effuſionem, ſiue per mortem alio quocunque modo intentatam.

12
Qui accepit læthale vulnus pro Chriſto, & ab eodem liberatus, ſi morte naturali obierit, an ſit dicendus martir remiſſiuè.

Sed hic oritur difficultas, an, ſi quis in odium Chriſti vulnus læthale receperit, ſed ab eo fuerit per Dei virtutem ſupernaturalitèr liberatus, & deindè poſt aliquod temporis morte naturali obierit, verè dici poſſet martir, & effectum martirij conſequi. Ex eo, quod *D. Hieronymus lib. 3. comment. in Matthæum c. 20.* loquens de D. Ioanne Apoſtolo dixerit, quod *ipſe propter martirium miſſus ſit in feruentis olei dolium &c. videbimus martirio animum non defuiſſe, & bibiſſe Ioannem Calicem confeſſionis, quem, & tres pueri in camino ignis biberunt, licet perſecutor non fuderit ſanguinem*, & ab Eccleſia computetur pro martire, videtur dicendum, quod in hypotheſi, ſub qua procedit hoc dubium, verè martir ille ſit habendus, qui tale vulnus læthale accepit, licet fuerit miraculosè à Deo ſanatus, & deindè morte naturali obierit; ſed quia in caſu D. Ioannis Apoſtoli non ſolum D. Hieronymus dicit, quod fuerit in dolium feruentis olei immiſſus, & inde ad ſuſcipiendam coronam Chriſti proceſſe-

13
D. Ioannes paſſus eſt vſque ad mortem.

rit, ſtatimque relegatus in Patmos inſulam ſit, videtur non conſummatum martirium per ſolam immiſſionem in illud dolium, ſed per relegationem in illam inſulam vſque ad mortem, in qua multa paſſus eſt pro Chriſti nomine, ſicuti paſſus eſt D. Marcellus in illo ſtabulo, in quo tabe confectus mortuus eſt, videtur in hoc caſu D. Ioannis ſpecialis ratio, cum in eodem videantur in illa relegatione continuata tormenta vſque ad mortem, & ideo quoad dubium excitatum nihil definio, niſi in eo ſic liberato continuauerint propter Chriſtum tormenta, & cruciatus vſque ad mortem, ſed Sedi Apoſtolicæ decidendum remitto. *Leſſius lib. 3. c. 1. dub. 3. n. 22. verſ. ſecundus eſt*, ſentit verè eſſe martirem.

14
Martiriū debet eſſe toleratū ob cauſā honeſtā.

Quarta conditio eſt, quod, vt martirium fuerit toleratum ob cauſam honeſtam puta ob conſeruationem fidei, vel Religionis, vel caſtitatis, vel immunitatis Eccleſiaſticæ, vt notant *D. Thomas ſecunda ſecundæ q. 124. art. 5., Suarez diſp. 29. tom. 3. ſect. 1., & 2. verſ. ex quo, Henriquez lib. 1. c. 37. n. 2., Leſſius lib. 3. c. 1. dub. 3., Molfeſius in ſumma tract. 1. c. 11. n. 29.* Ratio eſt, quia, ſi fieret non ex fine honeſto, puta toleraretur ex fine inanis gloriæ, vel alio per ſe non moralitèr recto, certè non induceret martirium. Sed quomodo poſſit eſſe martirium, ſi toleraretur extra

15
Sufficit, ſi ſit ex motiuo caſtitatis.

motiuum fidei, & Religionis, puta propter virtutem caſtitatis, vel alterius virtutis, cum martirium debeat eſſe in odium Chriſti, & fidei? tunc dicam hæc motiua non diſiungi à motiuo fidei, & Religionis, quatenus mortem, & cruciatus ſufferens,

ideo

ideo ſufferat, ne Deum offendat, ne à Chriſti doctrina recedat. Vnde D. Ioannes Baptiſta decollatus eſt propter caſtitatem redarguens Herodem, quod vxorem fratris ſui viuentis acceperit; & D. Agata propter caſtitatem ſuſpenſa eſt in equuleo, vnde dixit, *propter fidem caſtitatis iuſſa ſum ſuſpendi in equuleo.*

16 Sufficit, ſi referatur in actum honeſtũ præteritum.

Sed hic oritur difficultas, an propriè ſit martirium, ſi ſolum referatur in actum honeſtum præſentem, vel futurum, an etiam, ſi referatur in actum præteritum. Reſpondendum eſt, etiam eſſe verè martirium, quantumuis referatur in actum honeſtum præteritum, quatenus, qui illum operatus eſt, illum approbet, adeo vt neque ob mortem ſibi imminentem illum retractare velit. Conſentiunt in hoc *Bonacina de Baptiſmo diſp. 2. q. 1. punct. 1. n. 2., Leſſius lib. 3. c. 1. dub. 3. n. 29.* Ratio ex eo deducitur, quod mors inferatur in contemptum boni operis, & ſuſtinetur ob illam virtutem, ob quam ille actus elicitus eſt, vnde, qui illam patitur, patitur proptèr eandem virtutem; & ſic verè recipitur in Eccleſia, vt martir D. Ioannes Baptiſta, qui decollatus eſt proptèr improbationem adulterij, quam fecit contra Herodem.

17 Requiritur, vt tirannus cruciatus, & mortem inferat in odium Chriſti, & Religionis.

Quinta eſt, vt tirannus inferat cruciatus, & mortem in odium Chriſti, vel in contemptum fidei, aut alterius virtutis, vnde, ſi in aliam cauſam inferret, non inferret propriè martirium, quinimmo etiã requiritur, vt patiens, & cruciatus, & mortem ſufferat propter Chriſtum in proteſtationem eius fidei, & doctrinæ; Neque obſtat, ſi dicatur, quod bonus latro agnoſcatur ab Eccleſia, vt martir, nec tamen tormenta, & mors eidem fuerunt illata propter Chriſtum, ſed ob eius ſcelera, ergo &c. Non obſtat, inquam, quia licet tormenta, & cruciatus ſuſtinuerit quoad ſubſtantiam ob propria ſcelera, quoad modum tamen, & tempus eadem ſuſtinuit in ignominiã, & ſpretum Chriſti Domini, vt eius mors redderetur magis contemptibilis ob cõcomitantiam latronũ, vt notant *Henriquez lib. 2. c. 27. n. 4., Coninchus q. 66. art. 2. n. 136.*, & ipſe latro eadem tormenta, & mortem ſuſtinuit proptèr iuſtitiam. Ibi- *Nos quidem factis digna recipimus, hic autem quid? Memento mei Domine, dum veneris in Regnum tuum.*

Proſequentes deindè quoad ſecundam difficultatem propoſitam circa hunc Baptiſmum ſanguinis quoad effectus quos cauſat, dicimus duos potiſſimum effectus cauſare, alterum remiſſionem omnis culpæ, & pænæ; alterum quandam laureolam, de qua latè agunt Theologi in quæſtionibus de Beatitudine. In primam partem conueniunt communitèr *Medina. C. de pænit. q. 2., Bellarminus de Baptiſmo c. 6., Suarez tertia part. diſp. 29. ſect. 2. concl. 1., Henriquez c. 34. n. 4., Valentia tom. 4. diſp. 4. q. 3. punct. 4. concluſ. 4., Vaſquez tertia part. qu. 168. art. 3. diſp. 153. c. 1.*

18 Baptiſmus ſanguinis propriè ſumptus confert remiſſionem culpæ, & pænæ.

In ſecundam partem omnes communitèr conſentiunt, nec eſt, cur in ea immoremur, cum de eadem ſit agendum in eiſdem quæſtionibus de Beatitudine. Quod autem martirium obtineat effectum remiſſionis culpæ, & pænę expreſsè docet *D. Thomas tertia part. q. 87. art. 1. ad ſecundum*, Ibi- *Paſſio pro Chriſto ſuſcepta obtinet vim Baptiſmi, & ideo purgat ab omni culpa, & veniali, & mortali, niſi actualitèr voluntatem peccato inuenerit inhærentem*, & *ſecunda ſecundæ q. 124. art. 1. ad primum*, ait: *Effuſio ſanguinis proptèr Chriſtum vicem gerit Baptiſmatis &c.* Hoc idem expreſſius habet *tertia part. q. 68. art. 2. ad ſecundum q. 87. art. 1. ad ſecundum, & in quarto diſt. 4. q. 3. art. 3. quæſtiunc. 3. in corpore.* Ibi- *Vniuerſalis abſolutio fit in perceptione Baptiſmi, & martirio, proptèr quod dicitur, quòd in martirio omnia Sacramenta Baptiſmo complentur ſcilicet quantum ad plenam liberationem à culpa, & à pæna.* Ex quibus ſic efformo argumentum ad rem noſtram. Ex mente D. Thomæ, aliorumque SS. PP. Baptiſmus ſanguinis æqualem, quinimmo iuxta aliquos maiorem vim habet, ac Baptiſmus fluminis, ſiquidem per illum conformatur patiens per veram imitationem, per iſtum vero per ſolam quandam accomodationem, ſed Baptiſmus fluminis vim habet remittendi omnem culpam, & pænam, ergo, & Baptiſmus ſanguinis.

19 Soluitur obiectũ deductũ ex ſupradictis.

Neque dicas, cum ſupra dictum fuerit martirium ſanguinis debere eſſe regulatum charitate, & contritione, quod vis remittendi peccata non tribueretur eidem martirio, ſed contritioni, & charitati, à qua dirigitur, & regulatur; hæc etenim per ſe habent vim talis remiſſionis, quinimmo martirium nunquam per ſe conferret primam gratiam, nam hæc haberetur per ipſam charitatem, ſeu contritionem præcedentem, quod videtur aduerſari menti SS. PP., qui cognoſcunt hanc vim remiſſionis in ipſo martirio; Contrà enim impugnaberis, quia, vt notat D. Thomas, plenariam remiſſionem non ex ſola meritorum diſpoſitione, ſed vi ſua infallibilitèr confert, cum in Sanctis Confeſſoribus intenſior poſſit eſſe charitatis affectus, qui tamen pænæ temporalis obnoxij manent. Verba S.D. ſunt huiuſmodi, relata *in quarto ſent. diſt. 4. q. 3. art. 4. ad primum, Baptiſmus ſanguinis non habet hoc* (ſcilicet, vt liberet à culpa, & pæna) *tantum ex opere operantis; neque quantum ad pænam, qua aliquis martirium explet, quam contingit non eſſe ſufficientem ad ſatisfaciendum pro peccato;*

neque

neque quantum ad deuotionem iuſtæ voluntatis, quia contingit, quod voluntate maiori charitate informata aliquis ſine martirio non poteſt ab omni pæna liberari, ſed hoc habet ex inſtitutione paſſionis Chriſti, vnde de martiribus dicit Apochalipſis, lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni.

20
Rationes ſuadẽtes non conferre remiſſionẽ ex opere operato.

Sed hic oritur difficultas circa modum, quo Baptiſmus ſanguinis cauſat hunc effectum remiſſionis culpæ, & pænæ, an ſcilicet ſolummodo ex opere operantis, an vero ex opere aperato. Pro cuius difficultatis reſolutione aduertendum eſt, hunc Baptiſmum non eſſe propriè Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, cum non contineatur in ſeptenario Sacramentorum numero; Neque hic audiendus eſt maior, dum aſſerit non excedi numerum ſeptenarium in Sacramentis eo quod Baptiſmus ſanguinis connumeratur inter illa, quia continetur ſub eodem Baptiſmo, eo modo, quo plures ordines continentur ſub vno Ordinis Sacramento; Non, inquam, audiendus, quia antecedentèr ad inſtitutionem Sacramenti Baptiſmi fluminis martirium vigebat, pro quo tempore non aderat Sacramentum nouæ legis; quod autem vigeret conſtat ex martirio Machabeorum, & SS. Infantium, qui omnes ab Eccleſia computantur pro martiribus. Deindè non conſtat, quando hoc Sacramentum Baptiſmi ſanguinis fuerit inſtitutum, quænam ſit eius materia, quænam forma &c. Ex quibus videtur ſufficientèr indicari non cauſare ſuum effectum remiſſionis ex opere operato, cum hoc ſit proprium Sacramentorum.

21
Probabilius eſt, quod cõferat ex opere operato.

Nihilominus ſentiendum eſt cauſare hos effectus ex opere operato, quod ſatis videtur colligi ex mente D. Thomæ *in quarto diſt. 4. q. 3. art. 4. ad primum*, in præcitatis verbis: *Hoc non habet ex opere operantis &c. Sed ex inſtitutione paſſionis Chriſti, vnde de martiribus dicit Apochalipſis; lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni*. Id ipſum ſentiunt communius DD., qui pluribus rationibus ad hoc aſſerendum mouentur. Mihi præ cæteris placet ratio D. Thomæ aſſerentis martirium ſuos effectus producere ex inſtitutione paſſionis Chriſti, cui martires conformantur per operis imitationem plenius, ac per Baptiſmum fluminis, per quem conformantur ſolum ſimilitudinariè; vnde, ſicuti paſſio Chriſti confert vim Baptiſmo fluminis ſaltem conſummatiuè, ita eandem vim confert Baptiſmo ſanguinis; & propterea Chriſtus Dominus hanc vim conceſſam Baptiſmo ſanguinis expoſuit per illa verba, Matthæi 10. *Qui perdiderit animam ſuam proptèr me, inueniet eam*. Confirmari poteſt etiam ex mente eiuſdem S. D. in

Rationes pro hoc aſſerto.

præcitatis verbis, vbi omnes effectus huius martirij non tribuuntur merito, & diſpoſitioni operantis, ſed inſtitutioni paſſionis Chriſti Domini; ex quo DD. efformant argumentum hoc pacto. Effectus, qui confertur ſupra meritum, & diſpoſitionem operantis, non poteſt alia ratione conferri, niſi ex opere operato, ſed plenaria abſolutio peccatorum tam quoad culpam, quam quoad pænam eſt ſupra meritum operantis, nam vt tradit *D. Thomas loc. cit.* quandoque eſt intenſior charitatis affectus in SS. Confeſſoribus, qui tamen ab omni pæna non liberantur. Adde, quod SS. Infantibus conceſſa eſt gratia remiſſionis originalis nullis præcedentibus meritis.

22
Soluuntur rationes contrarię ſentẽtiæ.

Neque obſtant, quæ ex aduerſo afferebantur; quamuis enim Baptiſmus ſanguinis non ſit propriè Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum, habet tamen vim ex opere operato remittendi omnem culpam, & pænam ex promiſſione Chriſti Domini. *Qui perdiderit animam ſuam proptèr me, inueniet eam*. Quarè hic aduertendum eſt, quod quando dicitur *ex D. Thoma tertia part. q. 87. art. 1. ad ſecundum*, quod paſſio pro Chriſto ſuſcepta obtineat vim Baptiſmi, hoc intelligendum ſit, non quoad Sacramentalia, ſeu Sacramentali rapreſentatione; non enim producit caractherem, & alia huiuſmodi, ſed quoad effectus remiſſionis &c. quia tunc conſideratur, vt res, non verò, vt res, & Sacramentum ſimul. Cæterum, cum effectus producat relatiuè ad inſtitutionem paſſionis Chriſti, eos producit ex opere operato.

23
Sentẽtia docens tunc cõferre effectum, quando infligitur læthale vulnus.

Deuenientes tandem ad tertiam propoſitam difficultatem inuenimus circa eandem multiplicem ſententiam. Prima docet tunc conferre martirium ſuum effectum, ſeu ſuos effectus, quando martiri illatus eſt cruciatus, ſeu vulnus læthale de ſe naturalitèr mortiferum, ita vt mors nequeat amplius euitari. In hanc conſentiunt *Vega lib. 6. in Trident.*, *Henriquez lib. 1. c. 39 n. 1., & lib. 2. c. 9. n. 1.*, *Suarez tertia part. diſp. 29. ſect. 3.*, & huic videtur magis adhærere *Leſſius lib. 3. c. 1. dub. 5. num. 59.*

24
Sentẽtia docens cauſare in vltimo inſtanti terminatiuo extrinſeco.

Secunda ſententia docet conferre in inſtanti vitæ terminatiuo, quod inſtans *Caietanus ſecunda ſecundæ q. 124. art. 4. ad ſecundam*, aſſerit eſſe extrinſecum, cuius rationes hæ ſunt, quia in illo inſtanti terminatiuo martirium conſumatur, & adhuc eſt in termino, & tunc ipſe martir meretur quaſi in termino, ergo tunc ſuum effectum confert; tum quia etiam Sacramenta conferunt ſuum effectum in inſtanti terminatiuo, quo perficiuntur.

Tertia

25 Sentẽtia docens cauſare in vltimo inſtanti, ſed intrinſeco.

Tertia ſententia docet, conferre ſuum effectum in inſtanti vitæ terminatiuo, ſed intrinſeco, ita vt homo deſinat per vltimum ſui eſſe; atque hanc ſententiam probabilem exiſtimat *Leſſius lib. 3. c. 1. dub. 5. n. 59.*, quamuis ipſe videatur magis adhærere primæ ſententiæ. Quid iam in hoc concludendum?

Huic tertiæ opinioni tanquam meo videri probabiliori adhærendum exiſtimo; Nam prima pluribus difficultatibus obnoxia remanet; nam in primis difficile eſt explicatu in ijs, qui martirium ſubeunt, non per læthalia vulnera, ſed per diutinam detentionem, vel in carcere, vel in loco immundo, & contaminato, & fætido, quandonam intelligantur pati cruciatum læthalem, & per conſequens recipere gratiam martirij; dietim enim intelliguntur dilabi.

26 Præfertur hæc vltima ſententia.

Deindè poteſt contingere, quod poſt læthalia vulnera, quis miraculosè conualeſcat, & ſuperſtes remaneat; an tunc gratiam martirij obtinebit, & quando? Si dicatur, quod tunc obtineat quando vulnus accepit; Quid erit, ſi poſtea (vt poſſe contigere aſſerit D. Thomas) in talem deueniat negligentiam, quæ culpam mortalem inducat? Certè tunc eſſet martir, vt ſupponitur, & non eſſet martir, cum effectum martirij non obtinuerit. Si dicatur, quod poſt accepta vulnera per ſe læthalia dono Confirmationis in gratia infallibilitèr muniatur; hoc piè quidem, ſed gratis dicitur, cum nullo ſcripturæ loco, nullaque legitima traditione comprobetur.

27 Refellũtur aliæ ſentẽtiæ.

Secunda item ſententia pleriſque difficultatibus premitur; & primò, quia vltimum inſtans terminatiuum extrinſecum tunc intelligitur, quando anima primo non eſt in corpore, ſeu eſt primo à corpore diſiuncta; ſed, quando primo eſt à corpore diſiuncta, non eſt capax meriti, nec recipiendi gratiam ex merito, quia iam eſt in termino, ergo &c. Secundò, quia, ſi gratia martirij conferretur in illo inſtanti vitæ terminatiuo extrinſeco poſſet anima acquirere gratiam pro inſtanti, pro quo non poſſet peccare, quod non videtur conſentaneum Sacris Scripturis, quæ conſtituunt parem ſtatum merendi, & demerendi. Quod, ſi dicas, quod meritum illius gratiæ, quæ confertur in illo ſigno extrinſeco vitæ terminatiuo, tribuatur acceptationi mortis, & paſſionis, quæ fuit in vita; hoc in primis non habebit locum in morte infantium illata proptèr Chriſtum; Deindè, ſi illa acceptatio fuit ſecundum ſe digna gratia remiſſiua, tunc fuiſſet conferenda, cum Deus ne momento quidem temporis differat conferre condignum præmium meritis.

Quamobrem ſiſtendum eſt in tertia opinione, quia ex vna parte in illo inſtanti vitæ terminatiuo intrinſeco martirium perficitur; ex alia non poſſit dici anima ſeparata à corpore, cum vltimo ſit in eodem, hocque eſt inſtans ſeparationis eiuſdem à corpore, quod Deo notum eſt; Neque dicas in hoc verificari etiam id, quod obiecebatur contra præcedentem ſententiam, nempè quod in illo inſtanti conſequeretur ex merito gratiam remiſſiuam, in quo non poſſet peccare; contra enim impugnaberis, quia non eſt, cur in illo non poſſet peccare, quamuis ob præcedentes diſpoſitiones ad mortem vix poſſet concipi periculum peccandi, quod ſatis eſt, vt ſaluetur potentia ad peccandum.

ARTICVLVS III.

Expediuntur nonnulla pertinentia ad Baptiſmum flaminis.

SVMMARIVM.

Votum Baptiſmi informatum debitis qualitatibus, vbi in re haberi non poteſt, eſt ſufficiens ad iuſtificationem. 1.
Auctoritates D. Auguſtini, quæ videntur obſiſtere. 2.
Rationes pro noſtra ſententia. 3.
Quamuis quis poſſit iuſtificari per Baptiſmum in voto regularitèr tamen non poteſt glorificari ante ſuſceptionem illius in re. 4.
Euincitur ex ſacris paginis. 5.
Reſpondetur auctoritatibus D. Auguſtini. 6.
Votum Baptiſmi debet eſſe informatum dolore perfecto ob dilectionem Dei. 7.
Non poteſt eſſe dolor perfectus ſine voto Baptiſmi. 8.
An hoc votum debeat eſſe explicitum, an ſufficiat implicitum. 9.
Quatuor ſententiæ circa hoc referuntur. 10.
Præfertur ſententia aſſerens ſufficere implicitum. 11.
Refelluntur aliæ ſententiæ. 12.

AMpla adeo in nos, & benefica eſt Dei clementia, vt noſtræ ſaluti proſpiciens medelam noſtris languoribus allatura, nedum per lauacrum regenerationis labes originarias abluat, ſed, & per votum eiuſdem, vbi actu haberi non poſſit, acceptum pro remiſſione habeat. Hinc inſtituto in remedium originalis Baptiſmate tanquam ſalutari remedio, nedum eidem in actu ſuſcepto ſalutem alligauit, ſed, & ad eiuſdem votum extendit, vbi adimplementum in opere impediretur. De hoc igitur voto placet in præſenti diſſerere, quamuis plures de eo diſſerant in

quo-

Digitized by Google

quæſtionibus de pænitentia.

1 Votum Baptiſmi vbi in re haberi non poteſt eſt ſufficiens ad iuſtificationē.

Dico igitur primo, hoc votum Baptiſmi, vbi alitèr haberi non poteſt in re, ſufficiens eſſe ad obtinendam remiſſionem originalis, cæterorumque peccatorum actualium, quæ fuerunt commiſſa ante ipſum, ſi fuerit debitis qualitatibus informatum. In hoc conſentiunt cōmunitèr DD. contra nonnullos Hæreticos, & præcipuè contra Michaelem Baium Theologum Louanienſem, qui, quamuis aſſeruerit ſine Baptiſmo ipſo ſuſcepto poſſe quandoque charitatem obtineri, negauit tamen, poſſe cnnſequi remiſſionem peccatorum ante realem Baptiſmi ſuſceptionem; atque ad hoc aſſerendum motus fuit aliquibus aſſertinnibus *D. Auguſtini*, *& primo tract.* 13. *in Ioannem*, Ibi- *Quantumcunque Cathecumenus proficiat, adhuc ſartinam iniquitatis noſtræ portat, non illi dimittitur, niſi cum peruenerit ad Baptiſmum*. Secundò *lib.* 4. *de Baptiſmo* r. 21. *Deeſt bono Cathecumeno Baptiſmus ad capeſtendum Regnum Cælorum, ſicut deeſt malo baptizato vera conuerſio. Qui enim dixit: Niſi quis renatus fuerit &c.* dicit etiam *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam ſtribarum, & Phariſeorum &c.* ex quibus verbis infertur, quod ſicut malè baptizato neceſſaria eſt actualis, & vera conuerſio, ita homini Cathecumeno eſt neceſſaria actualis, & vera Baptiſmi ſuſceptio.

2 Auctoritates D. Auguſtini, quæ videntur obſiſtere.

Probatur iam noſtrum dictum. Poſita vltima diſpoſitione ad gratiam ſalntarem, & remiſſiuam peccatorum, non eſt, cur ipſo iure eadem gratia non ſit conferenda, vt eſt in confeſſn apud omnes, cum facienti quantum in ſe eſt per auxilium gratiæ excitantis, Deus gratiam non deneget, ſed ante actualem Baptiſmi ſuſceptionem poteſt poni vltima diſpoſitio ad gratiam remiſſiuam, ergo ante eandem Baptiſmi ſuſceptionem poteſt eſſe, & poni eadem gratia remiſſiua. Minor probatur primò ex *Concil. Trident. ſeſs.* 6. *r.* 6. vbi præſcribit modum præparationis, & diſpoſitionis ad iuſtificationem per hoc, quod *excitati Diuina gratia, & adiuti fidem ex auditu concipientes liberè mouentur in Deum, & dum peccatores ſe eſſe intelligunt*, & nonnullis additis ſubdit, *& propterea mouentur ad odium aliquod, & deteſtationem per veram pænitentiam*, & deindè *c.* 7. *eiuſdem ſeſſionis* concludit ſe referendo ad caput præcedens *Hanc diſpoſitionem, & præparationem iuſtificatio ipſa conſequitur*; hæc autem omnia haberi poſſunt ante actualem Baptiſmi ſuſceptionem, ergo &c. Secundò, probatur eadem minor ex illo Ezechielis 18. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*; conuerſio autem ad Deum poteſt haberi antecedentèr ad ſuſceptionem Baptiſmi.

3 Rationes pro noſtra ſententia.

Quamuis autem ante Baptiſmi ſuſceptionem in re poſſit adultus iuſtificari regularitèr tamen loquendo non poteſt conſequi Beatitudinem, niſi ipſo ſuſcepto. Dixi, *Regularitèr*, nam, ſi legitimo impedimento poſt acquiſitam iuſtificationem irretitus non poſſet Baptiſmum in re conſeqni, vel morte præoccupatus, vel ob deficientiam materiæ, vel miniſtri, non dubitarem ex ſola iuſtificatione acquiſita per præcedentes actus vitam æternam conſecuturum; hoc enim decet Diuinæ clementiæ, & miſericnrdiæ, vt iuſtificatos per actus pænitentiæ, & dilectionis Dei non valentes in re ſuſcipere Baptiſmum non deſerat deſtitutos corona gloriæ. Quod autem regularitèr, & per ſe loquendo in ordine ad capeſcendam vitam æternam ſit neceſſaria actualis, & in re ſuſceptio Baptiſmatis, colligitur primò ex verbis Chriſti Domini Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire in Regnum Dei*. Secundò ex eo, quod habetur in *Actis Apoſtolorum* r. 9., *&* 10., vbi Centurio, & alij fideles poſt conuerſionem, & iuſtificationem baptizati ſunt, vt vitam æternam poſſent conſequi; ex quibus *Auguſtinus lib.* 4. *de Baptiſmo c.* 21. hanc deducit conſequentiam. *Si Centurio poſt Spiritum Sanctum acceptum baptizari noluiſſet, contempti Sacramenti reus fieret*, & paulo poſt ſubdit. *Bono Cathecumeno deeſt Baptiſmus ad conſequendum Regnum Cælorum*. Ratio autem horum omnium ea eſt, quia actus pænitentiæ, & dilectionis Dei, per quos adultus conſequitur iuſtificationem, debent, vt ſint efficaces, habere inditum votum ſaltem implicitum conſequendi Baptiſmum in re, cum poſſit haberi, vnde data opportunitate, ſi negligeret eundem recipere, delinqueret contra illnd votum, & ſic conſtitueretur reus grauis culpæ neglecti Saeramenti.

4 Quamuis quis poſſit iuſtificari per Baptiſmum in voto non poteſt tamē glorificari ſine illo in re.

5 Euincitur ex ſacris paginis.

Nec aliquid negotij faceſſunt ea, quæ ex D. Auguſtino obijciebantur; Ad primum etenim, quo dieitur, quòd Cathecumenus ante ſuſceptum Baptiſmum adhuc portet ſarcinam iniquitatis quantumcunque proficiat, reſpondendum eſt, per ly *Sarcinam iniquitatis*, non intelligere Auguſtinum reatum culpæ, & pænæ æternæ, ſed ſolummodo reatum aliquem pænæ temporalis, quæ etiam eſt effectus culpæ; regularitèr etenim per ſolum Sacramentum Baptiſmatis in re ſuſcepti fit plenaria remiſſin cuiuſcunq; culpæ, & cuiuſcunque pænæ etiam temporalis; nec alitèr intelligi poteſt Auguſtinus, cæteroqui ſibi contrarius eſſet, cum alibi, *& primo lib.* 4. *de Baptiſmo r.* 22., *ſecundo lib.* 2. *contra lit. Petil.*, *tertio lib.* 8. *de Ciuit. Dei*, expreſsè docuerit etiam ante ſuſceptionem Baptiſmatis per actus veræ pænitentiæ poſſe

6 Reſpondetur auctoritatibus D. Auguſtini.

homi-

hominem ſaluari. Dici etiam poteſt, portare ſarcinam iniquitatis ratione oneris annexi ſuſcipiendi Baptiſmum, ſi poteſt, quod onus, ſi non adimpleat, efficitur reus non adimpleti oneris, ad quod tenetur, ratione cuius dicitur portare ſarcinam ſumpto effectu non implementi pro onere adimplendi. Ad ſecundum dicendum eſt, paritatem de deficientia veræ conuerſionis in ordine ad malum baptizatum, & de deficientia Baptiſmi in ordine ad Cathecumenum non currere in omnibus, ſed ſulummodo in eo, quod, ſicuti Cathecumeno deeſt Sacramentum Baptiſmatis, ita malo baptizato deeſt vera conuerſio. Cæterum in eo, quod facit ad præſens inſtitutum non facit ad rem, quandoquidem vera conuerſio reſpectu peccatoris eſt vltima diſpoſitio ad iuſtificationem, quæ, ſi actu non ponatur, non eſt, cur debeat poni eadem iuſtificatio; Baptiſmus autem reſpectu Cathecumeni ex natura ſua non eſt vltima diſpoſitio, ſed ſolum ex inſtitutione Diuina, quando poteſt ſumi, vnde ſufficit ſolum contritio de peccatis cum voto eiuſdem Baptiſmi, quando hic in re haberi non poteſt; & congrua quidem ratione hoc ſancitum eſt, ſiquidem vera conuerſio poteſt ſemper exhiberi, & ſic non ſufficit votum ipſius; ſuſceptio vero Baptiſmi in re non poteſt ſemper haberi, ideo &c.

7 Votum Baptiſmi debet eſſe informatum dolore perfecto ex motiuo charitatis.

Dico ſecundò, votum Baptiſmi, vt ſit efficax ad iuſtificationem, debet eſſe informatum dolore perfecto de peccatis ob Dei amorem, & dilectionem. In hoc conſentiunt communiter. Ratio ex eo deducitur, quod remedium vnicum conſequendi extra Sacramenta iuſtificationem a peccatis eſt dilectio Dei ſuper omnia, & deteſtatio peccatorum ob eandem dilectionem, ergo, vt votum Baptiſmi ſit efficax ad conſequendam eandem, debet eſſe informatum vera pænitentia elicita ob dilectionem Dei ſuper omnia. Conſequentia probatur, quia votum Baptiſmi ſecundum ſe non eſt Sacramentum, ergo, ſi extra Sacramenta non datur remedium conſequendi iuſtificationem, niſi per actus pænitentis informatos vera contritione elicita ob dilectionem Dei ſuper omnia, non poterit eadem iuſtificatio haberi per idem votum, niſi ſit informatum &c.

8 Dolor perfectus non poteſt eſſe, niſi ſit cum voto implicito Baptiſmi.

Dices; ſuppoſita contritione, ſeu deteſtatione peccatorum ob dilectionem Dei ſuper omnia iam ipſa iuſtificatio tribuenda eſſet eidem deteſtationi, non voto ſuſcipiendi Baptiſmum, ergo votum illum ſuſcipiendi non eſt ſecundum ſe cauſa iuſtificationis. Sed contra, quia ipſa deteſtatio peccatorum non eſt ſufficiens ad iuſtificationem, niſi habeat imbibitum votum ſuſcipiedi Baptiſmum; vnde diximus, quod ipſum votum debeat eſſe informatum contritione, ſeu deteſtatione peccatorum ex motiuo dilectionis Dei.

9 An hoc votum debeat eſſe explicitum, an ſufficiat implicitum.

Hic pro complemento remanet dubitandum, an votum illud ſuſcipiendi Baptiſmum, ſeu quod idem eſt Baptiſmus flaminis debeat eſſe cum voto explicito, an ſufficiat, vt ſit cum implicito. Circa hoc dubium tres, vel quatuor inuenio ſententias apud DD. Prima procedit cum diſtinctione, & docet, quod quoad illos; qui non habent fidem, & notitiam Baptiſmi, ſufficiat votum implicitum eiuſdem contentum in contritione inuoluente votum ſeruandi omnia Dei præcepta; quoad eos verò, qui habent fidem, & cognitionem Baptiſmi neceſſarium eſſe votum, & deſiderium explicitum illum ſuſcipiendi, quam primum poterit. Atque huius opinionis eſt *Sotus in quarto diſtinctione 14. q. 1. art. 5.* Secunda docet, neceſſarium eſſe votum explicitum tam ad obtinendam iuſtitiam, quam ad conſequendam gloriam; hæc opinio refertur a *Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 27. ſect. 2. verſ. ſupereſt verò dubium*, nullum tamen patronum eiuſdem allegat. Tertia ſtatuit, quod ad comparandam iuſtitiam ſufficiat votum implicitum eiuſdem Baptiſmi; ad acquirendam vero gloriam requiratur explicitum; atque huius opinionis eſt *Canus relect. de Sacram. in genere part. 2., & relect. de pænit. part. 1.* Quarta demum docet, ſufficere votum implicitum eiuſdem. Quid in hac ſententiarum varietate concludendum?

10 Quatuor ſententiæ circa hoc referuntur.

11 Præfertur ſententia aſſerens ſufficere implicitum.

Amplector quartam hanc ſententiam aſſerentem, ſufficere votum implicitum tum ad iuſtitiam, tum ad gloriam conſequendam, quam etiam amplectuntur *Vega lib. 5. in Tridens. c. 14.*, *& alij*, & in hanc videtur etiam inclinare *D. Thomas tertia part. q. 68. art. 2., & q. 69. art. 4. ad ſecundum, Suarez tom. 3. in tertiam part. D. Thomæ diſp. 27. ſect. 2. in fine.* Fundamentum eiuſdem deſumetur potiſſimum ex confutatione aliarum ſententiarum. Prima namque nulla efficaci ratione innititur, quandoquidem in deteſtatione peccatorum ob motiuum dilectionis Dei neceſſario, vt ſit efficax, debet eſſe propoſitum placendi Deo ſuper omnia, & ſeruandi omnia eius præcepta, in quo generali propoſito continetur etiam votum ſuſcipiendi Baptiſmum, quod videtur ſufficere ad iuſtificationem; ſicuti enim ſufficit ad eandem tale generale propoſitum ſeruandi omnia præcepta in ordine ad alia Sacramenta ſumenda, quantumuis de illis actu non cogitetur, cum elicitur actus contritionis, ita videtur ſufficere idem, quam-

uis in deteſtatione peccatorum actu non cogitetur de ſuſceptione Baptiſmi. Adde, quod ſicuti reſpectu ignorantis Sacramentum Baptiſmi eadem ignorantia illum excuſat a voto explicito, ita reſpectu alterius non ignorantis poſſit illum excuſare inconſideratio; cum poſſit contingere, quod motus efficaci Dei auxilio immediatè feratur in eiuſdem Dei dilectionem, & deteſtationem peccatorum, & pro tunc non cogitet de Baptiſmo. Secunda ſententia eiſdem rationibus euellitur. Tertia ex eo reprobatur, quod interior vltima diſpoſitio, quæ eſt ſufficiens ad iuſtificationem, videtur etiam ſufficiens ad glorificationem, ſed iuxta hanc ſententiam votum implicitum Baptiſmi eſt ſufficiens ad iuſtificationem, ergo erit etiam ſufficiens ad glorificationem; eo etenim ipſo, quo quis conſecutus eſt gratiam iuſtificantem, acquiſiuit ius ad gloriam eadem gratia perſeuerante.

12 Refellũtur aliæ ſententiæ.

Adde, quod ipſe Baptiſmus in re ſuſceptus non eſt neceſſarius ad ſalutem, cum poſſit caſus contingere, quo nequeat ſuſcipi, ergo, nec deſiderium, ſeu propoſitum explicitum eiuſdem erit neceſſarium, cum etiam poſſit contingere, quod illud haberi nequeat, vt ſi quis ſubito mortis periculo præoccupatus feratur in ſupernaturalem Dei dilectionem, & deteſtationem peccatorum non valens tunc ad ſuſceptionem Baptiſmi cogitare, vel quamuis cogitet, apprehendat ſuſceptionem eiuſdem ſibi fore impoſſibilem. Ex quibus omnibus clarè elucet ſufficere deſiderium implicitum, quod etiam videtur colligi *ex Trident. ſeſs. 14. c. 4.*, cum hoc tamen, vt teneatur, ſi poſſit, Baptiſmum recipere, cæteroqui conſtitueretur reus neglecti Sacramenti.

ARTICVLVS IV.

An, quomodo, & quibus ſit neceſſarius Baptiſmus.

SVMMARIVM.

Neceſſarius eſt Baptiſmus ad ſalutem, ſiue in re, ſiue in voto. 1.
Et vtique neceſſitate medij. 2.
Euincitur tum ex ſacris paginis, tum ex Concilijs, tum ex SS. PP. 3.
Refellitur ſententia agnoſcens ſolum neceſſitatem præcepti. 4.
Eſt neceſſarius neceſſitate medij in re, quando haberi poteſt, vel in voto, quando haberi non poteſt. 5.
Opinio aſſerens, quandoque pueros ante vſum rationis ſaluari ſine Baptiſmo in re, vel per votum parentum ſigno externo exhibitum. 6.
Rationes pro hac opinione. 7.
Paruuli decedentes ſine Baptiſmo in re ſaluari non poſſunt per ſolum votum parentum. 8.
Euincitur ex ſacris paginis, Concilijs, & Sanctis Patribus. 9.
Non prodeſt infanti Baptiſmus incohatus, & non perfectus, vel inualidè collatus. 10.
Caietanus aſſerens infantes inopinato decedentes ſine Baptiſmo certa lege ſaluari per fidem externam parentum communitèr reprobatur. 11.
Non eſt certum, quod lex circuncisionis poſſet ſuppleri per remedium legis naturæ. 12.
Non eſt durior lex gratiæ, ac fuerit lex circuncisionis. 13.
Remedium legis naturæ non habet illam vim, quam habet modo votum Baptiſmi. 14.
Voluntas parentum non ſufficit ad iuſtificandos filios ſine Baptiſmo. 15.
Non valet paritas de voluntate poſterorum translatam in illam Adami. 16.

1 Neceſſarius eſt Baptiſmus, ſiue in re, ſiue in voto.

EX dictis in præcedenti articulo plura colligere licet, quæ ad præſentis diſcuſſionem non modicum conferre poſſunt; & primò neceſſarium eſſe ad ſalutem ſimplicitèr Baptiſmum, vel in re, vel in voto, adeo vt ſine alterutro nequeat ſalus æterna conſequi; in re quidem, quando haberi poteſt, in voto, quando in effectu, & re ipſa haberi nequit. Secundò votum ipſum Baptiſmi, quando in re haberi non poteſt, non ex neceſſitate debere eſſe explicitum, ſed ſufficere, ſi ſit implicitum contentum in generali intentione placendi Deo in omnibus, & ſeruandi omnia eius præcepta.

2 Et vtique neceſſitate medij.

An vero Baptiſmus ſit neceſſarius neceſſitate medij, an vero tantum præcepti Diuini; ſentiendum eſt, non tantum neceſſitate præcepti neceſſarium eſſe, ſed etiam neceſſitate medij. In hoc conſentiunt communitèr Concilia, SS. PP., & Theologi, vt videre eſt apud *Vaſquez tertia parte diſp. 149. c. 1. 2., & 3., & diſp. 152. c. 2.* Expreſsè deducitur ex illo Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*, quæ verba certè important neceſſitatem, nam illud dicitur neceſſarium ad finem, ſine quo finis ipſe haberi non poteſt; vnde Chriſtus Dominus ibidem ſubdit *oportet vos naſci denuo*.

3 Euincitur ex ſacris Scripturis, & definitionibus Cõciliorum.

Euincitur item ex Conciliorum definitionibus ex Cartaginenſi, & Mileuitano ad Innocentium Papam, & reſcriptis eiuſdem, quæ habentur inter Epiſtolas Innocentij 24., & 26.; Ex Florent. appellante Baptiſmum Ianuam ſpiritualis vitæ; ex *Trident. ſeſſ. 7. can. 5.* vbi anathematizat, qui dixe-

dixerit Baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt non neceſſarium ad ſalutem. Item ex SS. PP. auctoritatibus Clementis Papæ Epiſtola 4. *Per Baptiſmi regenerationem exuere hominem maculam priori natiuitate contractam*, & poſtea ſubdit. *Alias impoſſibile eſt* D. Irenei lib. 3. contra hæreſes c. 19. *Aquã, & Spiritum Sanctum eſſe neceſſaria, vt homo in vitam Dei perficiatur*, D. Proſperi lib. 2. de vocat. gent. c. 8. *Nec credi fas eſt eos, qui non ſunt adepti regenerationis Sacramentum ad vllum Beatorum peruenire conſortium*.

4 Refellũtur DD. referentes neceſſitatem ſolum in præceptum.

Neque audiendi ſunt, qui dicunt, huiuſmodi Scripturæ loca, Conciliorum definitiones, & SS. PP. auctoritates intelligenda eſſe ſolummodo de neceſſitate præcepti, non verò de neceſſitate medij. Non, inquam, audiendi ſunt, quia ſuppoſita inſtitutione Baptiſmus eſt vnica via, per quã ſaluamur, & re vera influit per ſe in ipſam ſalutem, ſine quo illam conſequi non valemus; vnde *Apoſtolus ad Titum 3.* comparat Baptiſmum generationi, ex quo ſic arguo; ſicuti naturalis generatio eſt vnica ratio, per quam contrahimus peccatum ex Adamo, ità Baptiſmus, ſeu regeneratio per aquam eſt vnica ratio reſurgendi ab illo peccato per Chriſtum. Adde, quod, vt infra probabimus, neceſſitas Baptiſmi vrgeat non ſolum reſpectu adultorum, ſed etiam reſpectu infantium; infantes autem legibus, ſeu præceptis poſitiuis non ſubduntur, ergo hæc eſt neceſſitas medij, ſine qua non eſt aditus ad ſalutem; vnde *Concil. Trid. ſeſs. 6. c. 4.* docet *Poſt Euangelium promulgatum neminem transferri à ſtatu peccati in ſtatum gratiæ ſine lauacro regenerationis, aut eius voto*.

5 Quomodo poteſt dici neceſſarium eſſe neceſſitate medij in re, ſi effectus haberi poteſt in voto.

Dubium aliquod ſolummodo in eo verſari videtur, quod id, quod neceſſarium dicitur ad aliquem finem neceſſitate medij, ita neceſſarium eſt, vt ſine illo nullatenus poſſit finis ille conſequi, ſed æterna ſalus, ad quam dicitur neceſſarius Baptiſmus, poteſt conſequi ſine Baptiſmo in re ſuſcepto, vt ſupra probauimus, ergo Baptiſmus in re non eſt neceſſarius neceſſitate medij, ſed ad ſummum præcepti. Ad hoc reſpondemus, quod aſſertio noſtra procedat alternatiuè ideſt, vel in re, quando adeſt facultas illum ſuſcipiendi, quia tunc non ſufficit votum illius, ſed requiritur actualis ſuſceptio, vel in voto, quando haberi non poteſt; vnde, quando in re haberi poteſt eſt neceſſarius neceſſitate medij, quia ſine eiuſdem ſuſceptione ſalus haberi nequit, & tunc influit in ipſam ſalutem; quando verò haberi non poteſt, votum eiuſdem eſt tali neceſſitate neceſſarium, & ipſum votum influit in talem ſalutem, & ſupplet quodamodo defectum actualis ſuſceptionis.

Sed, an votum ipſius neceſſarium ſit reſpectu infantium carentium vſu rationis, quando eiſdem actualitèr non confertur, & in re. Non defuerunt aliqui, inter quos *Altiſidorienſis in ſumma lib. 4. tract. 3. c. 4.; Alenſis quarta part. q. 13. art. 1., & 2., Silueſter verb. Baptiſmus 1. n. 5., & 7.*, qui aſſeruerunt, quod, quamuis de lege ordinaria nemo ſaluari poſſit ſine Baptiſmo, vel in re, vel in voto, nihilominus ex ſpeciali Dei diſpenſatione infantes ſine eodem ſaluari poſſint, quando exterius Baptiſmus ipſis adminiſtrari cœpit, ſed ex aliquo defectu ſubſtantiali, vel in materia, vel in forma inualidè collatus eſt, quia tunc Deus supplet talem defectum; ſic exigente ſumma Dei clementia, vel ob parentum iuſtorum deprecationem, vel ad oſtenſionem ſuæ miſericordiæ; atque in eandem ſententiam inclinat *D. Bonauentura in quarto diſt. 4. art. 5. q. 1. ad vlt., & ibi Gabriel q. 2. art. 3. dub. 1. circa fin.* Non defuerunt alij, qui abſolutè dixerunt ex certa lege pueros ſaluari ſine Baptiſmo, quando hic ex inopinato fato haberi non poteſt per ſolam fidem parentum applicatam quodam ſenſibili ſigno, puta ſigno crucis cum inuocatione Sanctiſſimæ Trinitatis; & iuxta hanc ſententiam proceſſit *Caietanus tertia part. q. 68. art. 2.* Hæc opinio pluribus rationibus innititur.

6 Opinio docens pueros ante vſũ rationis, quandoque ſaluari ſine Baptiſmo in re.

7 Rationes pro hac opinione.

Primò, quia ſuauior, & leuior, benigniorque eſt lex gratiæ, quam lex vetus, ſiquidem in illa per merita Chriſti Domini omnis difficultas alleuiatur, ſed in lege veteri, quando circunciſio in re haberi non poterat in remedium originalis validè, & efficaciter ſupplebatur per legem naturæ, per quam per ſolam fidem parentum aliquo ſigno externo manifeſtatam originale paruulorum demebatur; ergo in lege noua, ſeu gratiæ, quando remedium Baptiſmi haberi non poteſt, ſuppleri poterit per legem naturæ, hoc eſt per fidem parentum eodem ſigno externo propalatam. Secundò, quia remedium originalis tam in lege naturæ, quam in lege ſcripta vim habebat per ordinem ad fidem Chriſti, & Baptiſmi, cuius erant figura, ergo, ſicuti, in lege gratiæ, quando Baptiſmus in re haberi nequit, ſufficientèr habetur iuſtificatio per actum dilectionis Dei, & deteſtationis peccatorum, in qua inuoluitur votum implicitum Baptiſmi, ita, quando in paruulis haberi nequit idem Baptiſmus, poterit haberi iuſtificatio per legem naturæ, in qua inuoluitur fides implicita Baptiſmi, in qua remedium originalis habebatur per fidem parentum ſigno aliquo externo manifeſtatam. Tertiò, quia, ſicuti, quando Baptiſmus haberi non poteſt in adultis in re ipſa,

haberi poteſt eius effectus per voluntatem propriam, ita, quando in paruulis haberi nequit ipſe actualis Baptiſmus, iuſtificatio eorundem poterit haberi per voluntatem parentum, cum voluntas paruulorum intelligatur translata in illam parentum. Quartò, quia, ſicuti originale peccatum transfunditur in Adæ filios, & poſteros ſine eorum actu, ex eo præcisè, quod eorum voluntas intelligatur fuiſſe moralitèr translata in voluntatem eiuſdem Adæ, ita remedium eiuſdem intelligi debet transfundi in filios per voluntatem parentum, quando in effectu haberi nequit per ipſos filios.

His tamen non obſtantibus ſentiendum
8 Paruuli ſine Baptiſmo in re ſaluari non poſſunt.
absolutè eſt, paruulos decedentes ſine Baptiſmo in re ſaluari non poſſe, nihilque proderit votum parentum in vtroque caſu ſupra expoſito *D. Thomas tertia parte q. 68. art. 2., & q. 73. art. 3., & prima ſecundæ qu. 113. art. 3. ad primum, & in quarto diſt. 4. q. 3. art. 3. quæſtiunc. 2. ad tertium, & quodlib. 6. art. 4.*, & in hoc communitèr conſentiunt Theologi. Probatur primò ex illis verbis, Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto &c.* quæ verba importāt neceſſitatem generalem tam in ordine ad adultos, quam ad infantes, & vtique abſolutè, non merè conditionatè ſecundum ſenſum Caietani. Secundò, quia contraria ſententia coincidit cum errore Pelagij, contra quam propterea militant omnia ferè Concilia poſt eundem habita, & pugnant SS. PP. vnde D. Auguſtinus agens de paruulo, qui deceſſit ſine Baptiſmo ſic contra eundem Pelagium, loquitur. *Abſoluat eum Pelagius, & aperiat ei contra ſententiam Domini Regnum Cælorum. Sed non abſoluit eum Apoſtolus dicens, per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors.* Tertiò euincitur ex Sum-
9 Euincitur ex ſacris paginis, Cōcilijs, & SS. PP.
morum Pontificum ſanctionibus *Gregorij lib. 7. Epiſtola 53. verſ. fin.* vbi de paruulis morte præuentis ante ſuſceptionem Baptiſmi dicit, eſſe rem certam eos non ingredi Regnum Cælorum ex lege à Chriſto lata, *Innocentij III. in c. maiores de Baptiſmo*; Item ex definitionibus Conciliorum *Conſtantinopolitani ſeſs. 15.* vbi abſolutè damnat aſſerentes paruulos poſſe ſine Baptiſmo ſaluari *Trident. ſeſs. 5. can. 3.* vbi ſtatuit peccatum originale non poſſe paruulis remitti per aliud remedium, præterquam per meritum Chriſti applicatum per Baptiſmi Sacramentum ritè collatum.

Reſpondendum iam remanet argumentis contrariæ ſententiæ, & quidem quoad primum modum dicendi, quo ſtatuebatur infantes ex ſpeciali Dei diſpenſatione ſaluari, quando Baptiſmus incohatus eſt, vel collatus inualidè, expreſsè con-
10 Nō prodeſt infanti Baptiſmus incohatus, vel inualidè collatus.
uincitur falſitatis ex *Concil. Trident. ſeſs. 5. can. 3.* vbi requirit ad iuſtificationem infantis, vt applicetur meritum Chriſti per Baptiſmi Sacramentum in forma Eccleſiæ ritè collatum, & alitèr ſentientes anathematizat, ergo, ſi non fuerit hoc Sacramentum ritè collatum, non conferet ad iuſtificationem, quia perindè erit, ac ſi non fuerit collatum. Hinc moneo, me non negare poſſe Deum de lege extraordinaria, & abſoluta remittere infantibus, ſed nego hoc de facto præſtare, cum de hoc nullum habeatur indicium, nec ex ſacris paginis, nec ex aliqua reuelatione, nec ſufficienti auctoritate, & ex alia parte habeamus certam diſpoſitionem Diuinam complectentem omnes, quod nullus conſequatur Regnum Cælorum, niſi renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto.

Quoad ſecundum dicendi modum aſſerentem ex certa lege ſaluari infantes de-
11 Caietanus communitèr reprobatur.
cedentes ſine Baptiſmo, quando ex inopinato fato haberi non poteſt, per ſolam parentum fidem exteriori aliquo ſigno manifeſtatam, dicendum eſt Caietanum huius modi dicendi auctorem communitèr reprobatum eſſe, adeo vt *Caſtro lib. 3. contra hæreſes verb. Baptiſmus hæreſi 9.* aſſerat ſententiam Caietani eſſe hæreticam, & *Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 27. ſect. 3. verſ. dico primo*, mitius agens cum eodem Caietano dicit, ſolum eſſe valdè alienam à ſenſibus, & dogmatibus Eccleſiæ, & vt minimum eſſe temerariam, & errori proximam, & Pius V. hanc Caietani opinionem à commentarijs Diui Thomæ expungi fecit in Romana impreſſione. Quamobrem eidem parum deferendum eſt.

Ad primum argumentum pro hac ſen-
12 Non eſt certum, quod lex circuncisionis ſuppleri poſſet per remedium legis naturæ.
tentia relatum dicendum eſt in primis non ita certum eſſe, vt ſupponitur, quod lex circuncisionis in caſu, quo hæc haberi non poſſet, ſuppleri potuerit per remedium legis naturæ, hoc eſt per ſolam fidem parentum ſignificatam aliquo ſigno exteriori. Deindè dato, quod ita poſſet ſuppleri, non propterea ſequitur, quod Baptiſmus quoad paruulos in lege gratiæ poſſit ſuppleri per idem remedium legis naturæ, nam non conſtat, quod per legem circuncisionis abolitum fuerit remedium legis naturæ, ſicuti conſtat, quod per legem gratiæ abolita fuerit lex circuncisionis, & remedium legis naturæ; nec ex hoc ſequitur, quod lex gratiæ durior, & aſperior eſſet, quam lex circuncisionis, quandoquidem licet per illam ſublatum fuerit remedium legis naturæ, inducta eſt tanta facilitas in collatione Baptiſmatis, vt potius mitior videatur, quam aſperior; cuicunque etenim

colla-

collata eſt facultas conferendi Baptiſmum vrgente neceſſitate, quæ facultas applicandi remedium legis naturæ non erat omnibus collata, ſed duntaxat parentibus paruulorum. Accedit primò, quod,

13 Non eſt durior lex gratiæ, quã lex circunciſionis, & quarè.

cum Sacramentum Baptiſmi ſit inſtitutum in aqua elementari, quæ præſto eſt omnibus ſub certa verborum forma, ita facilis eſt eiuſdem collatio, quantumuis in materia, & forma determinata, ac eſſet remedium legis naturæ in ſigno indifferenti. Accedit ſecundò, quod, quamuis daremus, quod remedium legis naturæ eſſet facilius collatu, illa tamen maior facilitas ſuppleatur in lege gratiæ per certiorem, & vberiorem fructum, qui infallibilitèr confertur in Baptiſmo. Accedit tertiò, quod circunciſio erat differenda vſque ad octauum diem à Natiuitate infantis, vbi remedium Baptiſmi poteſt quacunque hora conferri, & propterea mirum non eſt, quod in primo caſu vrgente neceſſitate relictum fuerit in ſuo robore remedium legis naturæ, non ſic in ſecundo. Congruentiſſima autem ratione inductum eſt, vt Baptiſmus limitaretur ad certam materiam, & formam; primò, vt in Eccleſia, quæ vnica eſt, eſſet vniformitas in Sacramento omnibus neceſſario; ſecundò, vt eſſet expreſſior Sacramenti, & fructus eiuſdem ſignificatio.

14 Remediũ legis naturæ non habet illã vim, quã habet modo votum Baptiſmi.

Ad ſecundum argumentum fatendum quidem eſt, quod tam remedium legis naturæ, quam remedium circunciſionis in lege ſcripta vim haberent per relationem ad fidem Chriſti, & Baptiſmi; negandum tamen eſt, quod nunc remedium legis naturæ ratione illius ordinis ad Baptiſmum Chriſti habeat illam vim, quam habet votum eiuſdem Baptiſmi in adultis in lege gratiæ, non ſolum, quia illud remedium modo abolitum eſt, ſed etiam quia illa relatio ad fidem Chriſti non habet vim voti, cum non ſit actus infantis, ſed parentum.

15 Voluntas parentum non ſufficit ad iuſtificandos filios ſine Baptiſmo.

Ad tertium negandum abſolutè eſt, voluntatem parentum ſufficere ad iuſtificandos infantes, quando Baptiſmus in re haberi nequit, nec valet, quod infantes ante vſum rationis regantur parentum voluntate, & quodamodo voluntas parentum in eo ſtatu ſit voluntas filiorum infantium; Non valet, inquam, quia hoc effatum verificatur ſolummodo in ordine ad externum eorundem regimen, & gubernium, non autem in ijs, quæ ad ſalutem animæ pertinent; ſecus, ſi Baptiſmus conferretur filio contra voluntatem parentum, inualidè conferretur, quod omnino falſum eſt. Item, ſi Pater deſideraret filio vberiorem gratiæ fructum, vtique filius illam conſequeretur ſine proprio actu, & è conuerſo, ſi Pater ex praua propria voluntate filio prauitatem optaret, prauitas imputaretur filio, quæ ſunt omnino à veritate remota.

Ad quartum dicendum eſt non currere paritatem in transfuſione peccati originalis in poſteros ab Adamo per voluntatem eorundem poſterorum moralitèr vnitam voluntati eiuſdem Adami delinquentis, ac in transfuſione remedij eiuſdem originalis à parentibus per voluntatem filiorum moralitèr vnitam voluntati eorundem parentum. Ratio diuerſitatis ex eo deſumitur primò, quod ex communi SS. PP., & Theologorum conſenſu conſtat in voluntate Adami, vel ad ſeruandam iuſtitiam originalem, vel ad contrahendum originalem noxam voluntates poſterorum fuiſſe translatas moralitèr; nullibi autem conſtet in ordine ad remedium originalis voluntates filiorum translatas eſſe in illam parentum; quinimmo, cum Chriſtus Dominus alligauerit hoc remedium Baptiſmo excludendo quodcunque aliud remedium per illa verba, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*, videtur ſimplicitèr voluntatem parentum excluſiſſe. Secundò, quia peccatum originale transfunditur in poſteros per naturalem generationem; gratia vero Chriſti per ſpiritualem regenerationem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quæ in re haberi non poteſt, niſi in ipſo ſubiecto, & in voto exigit voluntatem propriam ipſius.

16 Non valet paritas de voluntate poſterorum translatã in illam Adami.

ARTICVLVS V.

Explicatur eſſentia Baptiſmi, vt eſt Sacramentum.

SVMMARIVM.

Eſſentia Phyſica Baptiſmi conſiſtit in eo, quod ſit exterior corporis ablutio ſub præſcripta forma verborum. 1.
Explicantur ſingula particulæ. 2.
Baptiſmus metaphyſicè ſumptus eſt Sacramentum ad ſpiritualem regenerationem inſtitutum. 3.
Explicatur, vt eſt conflatum ex re ſignificante, & ſignificatione. 4.

IN quocunque concreto, ſiue ſubſtantiali, ſiue accidentali, ſiue artificiali duplex quodamodo eſſentia conſiderari poteſt, altera Phyſica, quæ habetur per partes eſſentiales, & Phyſicas ipſam conſtituentes; altera Metaphyſica, quæ habetur per prædicata eſſentialia, & Metaphyſica, hoc eſt per proprium genus, & differentiam. Vtraque hæc eſſentia in Sa-

cra-

ſcramento Baptiſmatis, quod eſt quoddam concretum Sacramentale, eſt inueſtiganda ſub præſenti titulo. Pro quo ſit

1 In quo conſiſtat eſſentia Phyſica Baptiſmi.

Concluſio I. Eſſentia Phyſica Sacramenti Baptiſmatis conſiſtit in eo, quod ſit exterior corporis ablutio ſub præſcripta forma verborum. Conſentit in hoc *D. Thomas tertia part. q. 66. art. 1. in corpore*, qui talem definitionem deſumpſit *ex Magiſtro ſent. in quarto diſt. 3.*

Probatur ſimul, & explicatur. Ad rationem Sacramenti, ſi excipias illud Euchariſtiæ, cum conſiſtat in vſu, requiritur aliqua actio exterior, per quam fiat applicatio proportionatæ materiæ ad ſubiectum cum debita forma in ordine ad determinatum effectum gratiæ; ſed hæc omnia habentur per allatam definitionem quoad Sacramentum Baptiſmi; ſiquidem

2 Explicatur ſingulæ particulæ.

actio habetur per ly *corporis ablutio*, quæ nedum importat actionem miniſtri, ſed etiam materiam proximam, & per eandem particulam implicitè inuoluitur materia remota, quæ eſt aqua, cuius proprium eſt abluere. Dicitur, *exterior*, quia de ratione cuiuslibet Sacramenti, quod ad homines ordinatur, eſt ſenſibilitas, quæ non niſi in exteriori actione habetur. Dicitur, *corporis*, quia ſubiectum, in quo immediatè recipitur Baptiſmus, eſt corpus licet per ipſum intus reformemur in anima; vnde *Clemens Alexandrinus lib. Pædag. c. 7.* ſcriptum reliquit. *Tincti.* hoc eſt abluti aqua Baptiſmatis, *illuminamur, illuminati in filios adoptamur, adoptati perficimur, perfecti immortales reddimur.* Dicitur *ſub præſcripta verborum forma*; per quas particulas indicatur forma, quæ habetur in verbis præſcriptis à Chriſto Domino. Addendum crederem definitioni *ad regenerationem ſpiritualem* ad indicandum finem, ad quem hoc Sacramentum inſtitutum eſt.

3 Definitio Metaphyſica eiuſdem.

Concluſio II. Baptiſmus, prout eſt quoddam totum Metaphyſicum conſtans ex genere, & differentia poteſt ſic congruè definiri. Eſt Sacramentum ad ſpiritualem fidelium regenerationem inſtitutum *Suarez, tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ in commet. eiuſdem ad quæſtionem 66. art. 1.*

Ratio eſt, quia, cum Sacramentum ſit in genere ſigni, eius explicatio ſumenda eſt in ordine ad ſignificationem, & cum omnia Sacramenta nouæ legis id efficiant, quod ſignificant, ſpecialis eius, ſeu eorum ſignificatio ſumenda eſt in ordine ad effectum, quem cauſant. Hinc ponitur Sacramentum tanquam genus vtpotè importans ſignum ſenſibile ſignificatiuum, per quam particulam conuenit cum cæteris omnibus Sacramentis; ſubditur deindè *ad ſpiritualem fidelium regenerationem*, quæ particula ſtat loco differentiæ, vtpotè, quæ importat ſpecialem effectum huius Sacramenti, qui eſt regeneratio ſpiritualis; Neque obſtat, quod quælibet hominis iuſtificatio, quæ haberi poteſt per alia Sacramenta, vel per proprios actus, dici poſſit ſpiritualis regeneratio, quia per illam nouum, ac Diuinum eſſe acquirit, iuxta illud primæ Petri 1. *Regenerauit nos in ſpem viuam*, adeoque illa particula non ſit differentialis; Non obſtat, inquam, quia ſumpto vocabulo regenerationis ſimpliciter, hæc intelligenda eſt de prima ſanctificatione; per quam primo homo moriens peccato naſcitur Deo, & ex membro Adæ fit membrum Chriſti.

Conſiderari etiam poteſt Sacramentum Baptiſmi vt eſt, quoddam conflatum ex re ſignificante, & ſignificatione, ſub qua ratione totum concretum ex materia, & forma erit ſubſtratum materiale, & ipſa ſignificatio inde reſultans erit quodamodo forma, & ſub hac conſideratione, licet tam materia, quam forma, habeant rationem ſubſtrati, ipſa tamen forma vtpotè conſiſtens in verbis habet maiorem vim ſignificandi, quia ex genere ſuo expreſſius habent inducere in cognitionem ſignificationis, ſeu rei ſignificatæ. 4 Explicatur, vt eſt conflatū ex re ſignificante, & ſignificatione.

QVÆSTIO II.

De cauſa materiali Sacramenti Baptiſmatis.

IAm incipimus in particulari explicare partes, quæ intrinſecè, & Phyſicè habent conſtituere hoc Sacramentum, & quia in omni ferè compoſito materia debet formam præcedere, cum illam recipiat, ideo nos ſequentes ordinem naturæ prius indagare aſſumimus materiam eiuſdem, quam formam inquiramus. Materia autem in omnibus ferè Sacramentis duplex eſt, altera remota, altera proxima, de qua vtraque ſub hac quæſtione erit ſermo vberimus.

AR-

ARTICVLVS I.

Quænam ſit materia remota Sacramenti.

SVMMARIVM.

Refertur error Gnoſticorum aſſerentium aquã ſenſibilem non eſſe materiam huius Sacramenti. 1.
Confutatur hic error. 2.
Error Galatarum, & Iacobitarum conſtituentium materiam in igne. 3.
Reijcitur etiam hic error. 4.
Quomodo intelligenda ſit illa particula, In igne. 5.
Error Flagellantium, qui conſtituebant materiam in ſanguine. 6.
Reijcitur item hic error. 7.
Materia remota huius Sacramenti eſt ſola aqua naturalis, & elementaris. 8.
Excluduntur alij liquores, qui non ſunt aqua elementaris. 9.
Aqua poteſt amittere ſuam puritatem, vel per commixtionem, vel per alterationem. 10.
Quandonam per commixtionem, & per alterationem reddatur inepta. 11.
Glaties, vt talis non eſt apta materia. 12.
Aqua fluminis turbida eſt apta. 13.
Item aqua maris. 14.
Item aqua commixta balſamo, & decocta, ſi non fuerit cum maiori alia materia commixta. 15.
Item aqua ſulphurea, & pluuiales. 16.
Non tamen licet extra neceſſitatem has adhibere. 17.
Aqua, quæ fluxit à latere Chriſti, eſſet apta. 18.
In neceſſitate poteſt adhiberi materia dubia, ſed ſub conditione. 19.

1 Error Gnoſticorum exponitur.

PLures circa præſentem titulum inuenio hæreticorum errores, qui tamen vel ipſa ſunt antiquitate deleti, vel Conciliorum definitionibus eliminati. Primus eſt Gnoſticorum, quem poſtea ſecuti ſunt Manichæi, alijque relati ab *Auguſtino hæreſ. 46.* ſentientium aquam ſenſibilem non eſſe neceſſariam ad Baptiſmum; vnde textum illum Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*, intelligunt metaphoricè nomine aquæ gratiam ſanctificantem, iuxta illud Ezechielis 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam*, cuius nomine SS. PP. communitèr intelligunt gratiam ſanctificantem, & iuſtificantem. Sed hic error facilè confutatur, quia ſenſus literalis ſolum in argumentationem deducendus eſt, & ille dicitur literalis, quem voces, vel res vocibus expreſſæ ſignificant, & ille ſolus eſt, quem Spiritus Sanctus auctor ſacræ paginæ intendit, & quicunque alius ſenſus eſt adulterinus, vnde D. Hieronymus ſuper Epiſtolam ad Galatas ſcriptum reliquit. *Quicunque ſcripturam alitèr interpretatur, quam ſenſus Spiritus Sancti efflagitat, licet non recedat ab Eccleſia, hæreticus eſt*, & D. Auguſtinus in Epiſtola ad Vincentium Donatiſtam dixit: *Quis eſt autem ille, qui vult aliquid allegoricè interpretari, niſi habeat teſtimonia maniſeſtiſſima, quorum lumine obſcura illuſtrantur.* Ad ſummum igitur ſenſus myſticus, ſeu allegoricus admittendus eſt, quando aut euidens neceſſitas, aut ſufficiens auctoritas cogit talitèr interpretari. Cæterum, quod textus ille ſit literalitèr accipiendus ex multis conuincitur, & primo ex eo, quod Chriſtus Dominus Matthæi vlt. per illa verba, *Euntes docete omnes gentes baptizantes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, non ſolum Apoſtolis mandauit prædicationem, & promulgationem Euangelij, ſed etiam actionem aliquam ab eis circa alios corporalitèr, & ſenſibilitèr exercendam, quæ aliud non eſt, niſi ipſe Baptiſmus, qui fit per ablutionem aquæ; quam intelligentiam clarius explicat textus Actorum 8. vbi Phylippus per inſtructionem Eunuci de lege Chriſti Domini eum Baptizauit in aqua. Ibi *deſcenderunt vterque in aquam Phylippus, & Eunuchus, & baptizauit eum*; atque iuxta hunc literalem ſenſum procedunt Concilia, SS. PP, eumque recipit vniuerſalis Eccleſia.

2 Confutatur hic error.

3 Error Galatarũ conſtituentiũ materiã in igne.

Secundus error eſt Galatarum, de quibus loquitur *Auguſtinus lib. de hæreſibus c. 59* qui ſumpto fundamento ex illo Matthæi 3. *Ipſe vos baptizauit in Spiritu Sancto, & igne*, dixerunt materiam huius Sacramenti non eſſe aquam, ſed ignem. Eundem amplexi ſunt Iacobitæ, qui propterea ferro candenti caractherem crucis frontibus baptizatorum inurebant teſte *Præſeolo verb. Iacobitæ*, non negabant tamen iſti etiam aquam eſſe materiam huius Sacramenti, ſed eandem ſimul cum igne adhibebant, & per hoc arbitrabantur ſaluare vtrumque Euangelij textum, nempè illum Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto &c.* & illum Matthæi 3. *Ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne.* Sed etiam hic error facilè confutatur, & primo ex verbis Matthæi vlt. *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ baptizantes eos in nomine Patris &c.* vbi ly *baptizantes*, quod eſt nomen Græcum idem latinè ſonat, ac abluentes; nullus autem igne abluitur, ſed aduritur; vnde Paulus ad Epheſios 5. dixit, *Lauacro aquæ Chriſtus nos mundauit*,

4 Reijcitur etiã hic error.

lauit, & alibi *mundans nos aqua in verbo vitæ*; nec alicubi legitur, quod igne mundauerit.

Difficultas igitur ſolummodo verſatur in explicatione textus Matthæi 3. in quo fidunt Hæretici. *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne*; ſi enim dixerimus, quod ille textus intelligendas ſit metaphoricè de Spiritu Sancto, qui in igne apparuit; immediatè reſpondebunt Hæretici, quod literalitèr ille textus intelligendus eſt, ſicuti nos dicimus literalitèr intelligendum eſſe textum Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*, & ſi nos volumus textum *Matthæi* 3. intelligendum eſſe metaphoricè, cur ipſi nequeunt intelligere metaphoricè illum alium *Ioannis* 3.? Si verò dixerimus ab illo textu *Matthæi* expungendam eſſe illam particulam, *& igne*, quam Theofilactus, & Eutimius prætermiſerunt, ſicuti, nec legitur *in c.* 1. *Marci*; immediatè reſpondebunt, eandem communitèr antiquos PP. non prætermittere, & in vulgata lectione ipſam legi; & ſi *Marci* primo non legitur, legi apud eundem *c.* 3. Nihilominus retento, quod re vera in Euangelio *Matthæi* 3. extet illa particula, *in igne*, aſſerendum eſt, illum textum non niſi metaphoricè intelligendum eſſe, & quidem non in ordine ad Baptiſmum, vt Sacramentum; ſed in ordine ad Spiritus Sancti gratiam; Nec obſtat, quod Spiritus Sancti gratia iam expreſſa

5 Quomodo intelligenda ſunt illa particula *In igne*.

fuerit in illo verbo. *Ille baptizabit vos in Spiritu Sancto*, vnde illa particula, ſi idem importaret, ac gratiam Spiritus Sancti, nihil diſtinctum inuolueret, & propterea eſſet ſuperflua; Non, inquam, obſtat, quia, vt notat Chryſoſtomus illa repetitio inducta eſt ad indicandam abundantiam gratiæ, & efficaciam eius, quia, & animam ſanctificat, & ſordes eius conſumit, & vim hanc operandi præſtat; Nec item obſtant ea, quæ dicuntur de ſenſu literali, quia ſecundum eum nequit intelligi ille textus, cum nunquā legatur Baptiſmum; vt Sacramentum collatum eſſe in igne, ſicut legitur collatus in aqua; & in hoc conſentit vniuerſalis Eccleſia, quæ nunquam Baptiſmum conferre conſueuit in igne, & eius auctoritas cogit textum illum ſic interpretari.

Secundus error eſt flagellantium, de quibus loquitur *Caſtro verb. Baptiſmus hæreſi* 12.; qui ſomniauerunt non ex aqua

6 Error Flagellantium, qui conſtituebant materiam in ſanguine.

Baptiſmum conferendum eſſe, ſed ex proprio baptizatorum ſanguine, qui propterea flagellis ſe cedebat vncinis ferreis armatis. Hi mouebantur ex ſiniſtra interpretatione textus Euangelici, quando ſcilicet Chriſtus Dominus in nuptijs Canæ Galileæ mutauit aquam in vinum; per quod aſſerunt ſignificatum eſſe Baptiſmum aquæ in Baptiſmum ſanguinis conuertendum. Sed facilè falſitatis conuincuntur ſtantibus verbis Chriſti Domini

7 Reijcitur etiam hic error.

Ioannis 3. vbi dixit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*, non *ex proprio ſanguine*. Quod, ſi huiuſmodi Hæretici intelligere voluerint Baptiſmum ſanguinis, iam in primis non loquerentur de Baptiſmo, vt Sacramento, de quo procedit hic titulus; deindè Baptiſmus ſanguinis ab alio conferendus eſt in odium Chriſti, & eius fidei, non a ſe ipſo. Deindè vniuerſalis Eccleſiā *in Concil. Viennenſi ſub Clemente V. & Alberto I.* Auſtriaco Romanorum Imperatore anno ſalutis 1311. maledixit hunc errorem flagellantium.

Reiectis igitur his hæreticorum erroribus ſentiendum eſt, materiam remotam,

8 Materia propria eſt ſola aqua elementaris.

& neceſſariam huius Sacramenti eſſe ſolum aquam naturalem, & elementarem. Ita tenet communis Eccleſiæ conſentus tot Conciliorum definitionibus firmatus, tot Pontificum ſanctionibus ſtabilitus, tot SS.PP. auctoritatibus confirmatus, &, quod firmius eſt, ipſis ſacris paginis manifeſtatus in quibus loquitur Spiritus Sanctus prima regula cuiuſcunque veritatis.

Ex eo autem, quod diximus, materiam huius Sacramenti debere eſſe aquam na-

9 Excluduntur alij liquores, qui non ſunt aqua.

turalem manifeſtè excluduntur à ratione materiæ eiuſdem ceruiſia, ſudor, lac, vrina lacrimæ, ſputum, ſaliua, aqua roſacea, aqua à vite profluens, aut alius liquor artificialis ſpecie diuerſus ab aqua naturali, cum propriè non veniant nomine aquæ.

Sed, an aqua naturalis, ſed non pura ſit materia ſufficiens, & apta huius Sacra-

10 Aqua poteſt amittere ſuam puritatem, vel per admixtionem, vel per alterationem.

menti; tunc iuxta doctrinam *D. Thomæ tertia parte q.* 66. *art.* 4. aduertendum eſt, aquam dupliciter poſſe ſuam puritatem amittere, vel per mixtionem, vel per alterationem; quocunque autem ex his duobus modis deturpetur, conſiderandum eſt, an ita deturpetur, vt amittat ſuam ſpecificam rationem aquæ naturalis, an vero adhuc illam retineat, quamuis aliquo modo accidentalitèr commutatam. Si ſuam ſpecificam rationem aquæ naturalis amiſerit, certum eſt, non eſſe aptam materiā Baptiſmi, quia non poteſt dici ſubſtantialitèr aqua; hoc contingeret in caſu, quo aqua commixta vino haberetur pro vino vſuali, quia, quantumuis iuxta mea principia expoſita in quæſtionibus de Euchariſtia non tranſeat Phyſicè in ſubſtantiam vini, tranſit tamen moralitèr, quia habetur pro vino vſuali; Si verò

11 Quandonam redditur inhabilis,

adhuc retineat ſubſtantialitèr ſpeciem aquæ; tunc adhuc conſiderandum eſt, ſi ſit commixta, an plus habeat de aliena ſubſtantia, quam de ſubſtantia aquæ, adeo

vt

vt communitèr non reputetur pro aqua, & tunc certè non erit apta materia huius Sacramenti, niſi fortè ſeparetur ab alia ſubſtantia maiori, cui fuit commixta; ſi vero ſit alterata, an adhue ſit apta ablutioni;

12 Glaties, vt talis non eſt apta abluere.

nam ſi *v.g.* facta eſſet glacies, ſeu gelu, quamuis retineat ſubſtantiam aquæ, quia tamen in eo ſtatu non eſt apta abluere, non eſt apta materia baptiſmatis; ſi vero ſit ſolummodo alterata, apta tamen ſit abluere, erit apta ad baptizandum, vt ſi fuerit calefacta, vel fuerit commixta cum alio modico liquore.

13 Aqua fluminis turbida eſt apta.

Hinc in particulari poteris cum *D. Thoma loc. cit.* deducere primò, aquam fluminis turbidam ex commixtione terreſtrium partium, aliamque qualitercunque tranſmutatam, dummodo non ſoluatur ſpecies aquæ eſſe aptam materiam huius Sacramenti, quod aſſerit in corpore articuli circa finem. Secundò aquam maris, quantumuis ſalſam, alijſque humoribus, & qualitatibus commixtam eſſe aptam, & validam ad effectum Baptiſmi, quod aſſerit ad primum:

14 Item aqua Matis.

Tertiò commixtionem chriſmatis, & etiam aquam decoctinnis carnium, eſſe idoneam ad hoc munus, niſi fortè ſit facta tanta carnium reſolutio corporum lixatorum, vt plus habeat de aliena ſubſtantia, quam de ſubſtantia aquæ, quod aſſerit in eodem articulo ad ſecundum.

15 Item aqua cōmixta balſamo in modica quantitate.

Quartò aquas ſulphureas non ceſſare eſſe aptam materiam, nec item aquas pluuiales, cum ſint ſubſtantialitèr aquæ, quia huiuſmodi aquæ non incorporantur per artem, vel naturam aliquibus corporibus mixtis, ſed ſolum aliqualitèr alterantur ex eo, quod tranſeunt per alia corpora.

16 Item aquæ ſulphureæ, & pluuiales.

Sed, an quamuis recenſitæ aquæ aptæ ſint ad validam collationem Baptiſmi poſſint licitè adhiberi? Negatiuè reſpondendum arbitror, ſi neceſſitatem excludas ſic exigente honeſtate, & veneratione debita Sacramento; quinimmo, nec licitum eſt adhibere extra neceſſitatē aquam puram, & naturalem ſimplicitèr, ſed illa adhibenda eſt, quæ præſcribitur ab Ecclesia, benedicta, quæque ſeruatur in vaſe mundiſſimo ad hoc munus, vt habetur ex *Clem. vnica de Baptiſmo*, ſicque ſeruat communis Eccleſiæ praxis.

17 Non tamen licet has adhibere.

18 Aqua, quæ fluxit à latere Christi eſt ſufficiens

Secundò deducere poteris è conuerſo aquam roſaceam, aquam, quæ fluit ex reciſis racemis vitis, alioſque liquores, qui extrahuntur ex herbis non eſſe materiam idoneam, quia non ſunt aqua naturalis. Sed, an aqua, quæ fluxit ex latere Chriſti, fuiſſet apta materia Baptiſmatis? *D. Thomas tertia part. d. q. 66. art. 4. ad tertium*, aſſerit talem aquam non fuiſſe humorem Phlegmaticum, in quo non potuiſſet Baptiſmus conferri, ſed aquam puram, & elementarem ad indicandum corpus Chriſti verè fuiſſe compoſitum ex quatuor elementis contra errorem Manichæorum, in qua propterea non video, cur non potuiſſet conferri Baptiſmus; non obſtante, quod illa aqua miraculosè effluxerit ex corpore mortuo, ſicuti non obſtaret, quod validè poſſet confici Euchariſtia in vino miraculosè producto, vt contigiſſet in vino ex aqua facto in nuptijs Canæ Galileæ, ſi tunc inſtitutum fuiſſe Sacramentum Euchariſtiæ, & in illo facta fuiſſet conſecratio.

Hic pro complemento eorum, quæ pertinent ad præſentem articulum, remanet inquirendum, an in neceſſitate licitum ſit adhibere materiam dubiam. Arbitrarer in tali neceſſitate vtique poſſe, prout ſentiunt *Poſſeninus de Baptiſmo num. 4.*, *Bonacina diſp. 2. de Baptiſmo q. 2. punct. 3. num. 9.* aſſererem tamen Baptiſmum conferendum eſſe ſub conditione, quia ex vna parte conſulitur, quantum poteſt, ſaluti periclitantis, cum melius eſt aliquem baptizari cum materia dubia, cum poſſit eſſe, quod ſit vera materia, quam non baptizari; & ex alia parte non fit iniuria Sacramento, cum conferatur ſub conditione. 19 In neceſſitate poteſt adhiberi materia dubia, ſed ſub conditione.

In hac tamen hypotheſi aſſererem, iterum baptizandum eſſe in materia pura, & elementari ſub conditione tamen, ſi primus Baptiſmus non fuerit validus *Sotus in quarto diſt. 3. q. vnica art. 4.*, *Coninchus in tertiam part. D. Thomæ q. 66. art. 4. num. 22.*, *Reginaldus lib. 27. num. 13.*, *Nugnus tertia part. q. 66. art. 3. verſ. vltimum corrolarium*, & hoc ex iuſta, & legitima cauſa ſubueniendi antea baptizato, ſi fortè primus Baptiſmus eidem collatus in materia dubia fuerit inualidus.

ARTICVLVS II.

Quænam ſit materia proxima Sacramenti Baptiſmatis.

SVMMARIVM.

Ablutio eſt materia proxima huius Sacramenti. 1.

Eruncitur ex Sacris Scripturis. 2.

Materia proxima conſiſtit in actione tranſeunte. 3.

An ablutio conſiſtat in actione, an vero in paſſione remiſſiue. 4.

Quænam quantitas aquæ requiratur ad validam ablutionem. 5.

Modica quantitas aquæ ſufficit, non tamen vna gutta. 6.

Ablutio quoad modum debet eſſe per Phyſicum contactum cum quadam ſucceſſione. 7.

Non eſt neceſſe, quod mundet aliquas ſordes corporales. 8.
Cum ablutio debeat eſſe ſucceſſiua, an effectus producatur in principio, an in fine ablutionis. 9.
Sententia docens, hoc dependere ab intentione miniſtri, reijcitur. 10.
Sententia docens non produci, niſi in vltimo termino ablutionis etiam reijcitur. 11.
Tunc producitur effectus, quando poſita ſufficienti ablutione perficitur forma. 12.

VBi materia in ordine ad quodcunque complexum indifferens eſt ad plures effectus, indiget determinatiuo, per quod limitetur ad ſpecialem effectum intentum. Cum igitur aqua naturalis, quæ ex dictis eſt materia remota, ſit ſecundum ſe indifferens, vel ad effectum mundandi, vel ad ſitim extinguendam, vel ad alia munera, vt determinetur ad ſpecialem effectum mundationis in Sacramento, indiget alio, per quod conſtituatur in eſſe proximo. Modo igitur quærimus, per quid aqua in tali eſſe conſtituatur.

1 Ablutio eſt materia proxima huius Sacramenti.

Concluſio. Id, per quod aqua naturalis conſtituitur in ratione materiæ proximæ huius Sacramenti, eſt ablutio. Conſentiunt communitèr, & ſignantèr *D. Thomas tertia parte q. 66. art. 1., & 2., & in quarto diſt. 3. q. 1. art. 1. quæſtiunc. 1., & 2., & ibi Scotus q. 3., Riccardus art. 1. q. 1.*

2 Euincitur ex Sacris Scripturis.

Expreſsè colligitur ex pluribus ſcripturæ locis, & primò ex illo Matthæi vltimo, *Euntes docete &c. baptizantes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, vbi ly *Baptizantes* idem ſonat, ac Latinè abluentes. Secundò ex illo Apoſtoli ad Epheſios 5. *Mundans eum lauacro aquæ in verbo vitæ.*

Probatur etiam aliqua ratione communi, quia illa eſt materia proxima cuiuſcunque concreti, per quam materia remota applicatur ſubiecto ſimul cum forma proportionata eiuſdem, ſed aqua naturalis, quæ ex ſuperius dictis eſt materia remota huius Sacramenti, applicatur baptizando per ipſam ablutionem, quando profertur forma, ergo ipſa ablutio eſt materia proxima. Maior patet inductione per omnia ferè compoſita. Minor probatur, quia aliud non eſt aſſignabile, quod ſe teneat ex parte materiæ, per quod aqua conſtituatur in eſſe proximo, niſi ipſa ablutio.

3 Materia proxima conſiſtit in actione tranſeunte.

Probatur ſecundò alia ratione, quia Sacramentum Baptiſmi, ſicuti cætera omnia, ſi excipias illud Euchariſtiæ, conſiſtit in actione tranſeunte, ſcilicet in vſu, ergo materia proxima, per quam conſtituitur hoc Sacramentum, debet etiam conſtitui in actione tranſeunte, non in ſubſtantia permanente; hæc autem eſt ipſa ablutio, non aqua, quæ permanet deſinente Sacramento.

4 An ablutio formalis conſiſtat in actione, an vero in Paſſione remiſſiuè.

Hic longam intexunt quæſtionem Theologi Scholaſtici inquirentes, in quonam conſiſtat formalis illa ablutio, quæ dicitur materia proxima, an in ſimplici paſſione, an vero in actione; circa quam *Sotus in quarto diſt. 3. quæſt. vnica art. 1.* aſſerit, conſiſtere in mera paſſione, ſeu receptione aquæ in corpore baptizati, cum aqua ſic recepta ordinetur ad ſanctificationem, ſeu mundationem animæ, *Riccardus vero in quarto diſt. 3. art. 1. q. 2.* ſentit inuoluere vtramque rationem, & actionis, prout exercetur a Miniſtro, & paſſionis, prout recipitur a baptizando, ſeu in baptizando; Sed, cum hæc quæſtio, quæ eſt merè ſpeculatiua, nequeat valdè conferre ad præſens inſtitutum, ideo relinquo Scholaſticis reſoluendam.

Id, quod pertinere poteſt ad præſens inſtitutum, & ad moralem indaginem, eſt explicatio qualitatis, ſeu modi, quo fieri debet huiuſmodi ablutio, circa quam explicationem duo poſſunt conſiderari, ſcilicet, & pars corporis, in qua poſſit fieri ablutio, & quantitas aquæ, per quam eadem ablutio fieri poteſt. Quoad primum latus erit ſermo, dum de ſubiecto huius Sacramenti; quarè tota difficultas reducitur ad quantitatem aquæ, per quam fieri debet, & ad modum, quo fieri debet, Pro quo dico primo, requiri talem quantitatem aquæ, per quam abluatur pars hominis, qua abluta poſſit dici homo ablutus, & in hoc conſentiunt *Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 20. ſect. 2. verſ. atque hinc eſt facilis reſponſio, D. Thomas tertia part. q. 68. art. 11. ad quartum, Valentia tom. 4. diſp. 4. q. 1. punct. 2. verſ. ex cuius, & alij communitèr.* Ratio eſt, quia ad validitatem Baptiſmi ſolum requiritur ablutio; poſita autem aqua, per quam dici poteſt facta ablutio, habetur quod quid requiritur ad Baptiſmum; hæc autem quantitas ſufficiens ad ablutionem non eſt neceſſe, quod ſit in magna quantitate, quia, vt benè notat *Suarez loco cit.*, cum contactus, qui fit per ablutionem, fieri debeat ſucceſſiuè, parua quantitas aquæ ſine dubio ſufficiet, quia ſucceſſiuè fluere poteſt per magnam corporis partem (ſunt formalia verba eiuſdem Suarez;) neque eſt neceſſe, quod in diuerſis partibus corporis diuerſæ partes aquæ applicentur, cum vna, & eadem diuerſas partes ſucceſſiuè poſſit abluere. Verum tamen eſt, quod vna, vel altera gutta aquæ applicata digito, quæque non fluit, non videtur ſufficiens &c.

5 Quænam quantitas aquæ requiratur ad validam ablutionem.

6 Modica aquæ quantitas ſufficit.

Dico ſecundò, ablutionem quoad modum debere eſſe per Phyſicum contactum

aquæ

7 **Ablutio debet eſſe per Phyſicum cõtactum cum ſucceſſione.**

aquæ ad corpus baptizati cum quadam ſucceſſione, prout notant *Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 20. ſect. 2. verſ. ego ſentio, Coninchus q. 66. art. 4. dub. 1. n. 25., & dub. 2. n. 29., Filliutius tract. 2. c. 2. q. 4., Bonacina de Baptiſmo diſp. 2. q. 2. punct. 3. n. 14.*, vbi alios plures allegat, & euincitur ex ipſo nomine ablutionis, quod non importat merum contractum.

8 **Non eſt neceſſe, quod mundet aliquas ſordes corporales.**

Aduerto hic tamen, quod, quamuis ablutio exigat tactum ſucceſſiuum aquæ, non ſit tamen neceſſe, quod in corpore abluto mundet aliquas ſordes corporales, cum Sacramentùm Baptiſmatis non ſit inſtitutum ad corporales maculas detergendas, ſed ad munditiem animæ, quæ ex illa exteriori ablutione tanquam ſigno ſenſibili reſultet *Nugnus in tertiam partem D. Thomæ q. 66., Camerata de Baptiſmo c. 2. dub. 2.*

9 **An effectus producatur in principio, an in fine ablutionis.**

Cum autem dictum fuerit, ablutionem conſiſtere in contactu aquæ ſucceſſiuo ad corpus baptizandi, oritur immediatè dubium, quandonam producatur effectus eiuſdem, an in prima quantumuis minima ablutione, ſeu contactu, an vero quando ponitur vltimus terminus eiuſdem. Hoc dubium, ſeu eiuſdem reſolutio per nonnullos apud *Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 20. ſect. 2. verſ. dices*, pendet ab intentione miniſtri conferentis, adeout, ſi intendat perficere in prima ablutione, tunc perficiatur, ſi vero non intendat perficere, niſi in vltima, tunc effectus ſuſpendatur vſque ad vltimum terminum eiuſdem ablutionis.

10 **Rejicitur ſententia docens dependere ab intentione miniſtri.**

Sed non poſſum huic ſenſui acquieſcere, quandoquidem poſitis omnibus requiſitis ad effectum ponendum non eſt in poteſtate miniſtri ipſum ſuſpendere; quando autem eſt poſita ſufficiens ablutio cum debita forma, intelliguntur omnia ſubſtantialitèr requiſita; neque dicas, deficere intentionem miniſtri, cum non intendat perficere, niſi poſita tota ablutione; contrà enim impugnaberis, quia, cum intendat perficere Sacramentum, ſi eius intentio regulata eſt, & rationalis, debet intendere tunc perficere, quando ſunt poſita omnia ſubſtantialia. Quod, ſi ſupponas, quod abſolutè intendat non perficere, niſi poſita tota ablutione, quam ſtatuit ponere, & ante poſitionem totius formam abſoluerit; tunc probabilius eſt, quod Sacramentum non perficiat defectu debitæ, & requiſitæ intentionis, nam antecedentèr ad poſitionem termini intentionem abſolutè non habet, in poſitione vero vltimi termini non eſt forma Sacramentalis.

11 **Sentẽtia docens non produci, niſi poſito vltimo termino ablutionis.**

Alij dicunt abſolutè non confici Sacramentum, niſi quando ponitur vltimus terminus determinatus ablutionis, quia pars eiuſdem, quamuis, ſi ſola poneretur, eſſet ſufficiens, quando tamen ponitur, ſeu ponenda eſt cum alia, non videtur ſufficiens, cum non ſit ablutio, ſed pars ablutionis; Sacramentum autem non eſt pars ablutionis, ſed ſimplicitèr ablutio. Sed, nec huic opinioni poſſum acquieſcere, quia illa pars, ſi ſit ſecundum ſe ſufficiens, quantumuis in ordine ad aliam compartem dicatur pars, in ordine tamen ad effectum, qui intenditur, dici poteſt ſimplicitèr ablutio, cum hæc non ſit in quantitate determinata, ſed poſſit eſſe maior, vel minor, vnde, quando eſt ſufficiens ad effectum, dicitur ſimplicitèr ablutio.

12 **Tunc producitur, quãdo poſita ſufficiẽti ablutione perficitur forma.**

Quamobrem abſolutè ſentio, quod perficiatur Sacramentum, & ponatur effectus eiuſdem, quando poſita ſufficienti materia perficitur forma, quia tunc intelligitur poſita cauſa ſufficiens, & neceſſaria, quæ neceſſario trahit ſuum effectum; Neque obeſſe poteſt *D. Thomas in quarto diſt. 3. art. 4. quæſtiune. 3. ad tertium*, dum dicit, quod, quando Baptiſmus fit trina immerſione, non perficiatur Sacramentum, donec abſoluatur tertia immerſio, quod congrua ratione videtur aſſeri, nam ſecus ſecunda, & tertia eſſet ſuperflua, ſi perficeretur in prima. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia D. Thomas intelligendus eſt, quando forma Sacramentalis non perficitur, niſi in tertia immerſione.

ARTICVLVS III.

Quomodo fieri debeat ablutio.

SVMMARIVM.

Varij modi ablutionis, qui in varijs Eccleſijs adhibentur. 1.

Non eſt de neceſſitate Sacramenti, quod ablutio fiat, vel per immerſionem, vel per infuſionem aquæ. 2.

Nec eſt de neceſſitate eiuſdem trina immerſio. 3.

Quomodo intelligendus ſit textus in c. multi ſunt de conſecr. diſt. 4. 4.

Quomodo intelligendus canon Apoſtolorum. 5.

Ex neceſſitate præcepti ſeruandus eſt ritus cuiuſcunque Eccleſiæ circa ablutionem. 6.

Ex neceſſitate, ſeu iuſta cauſa poteſt variari. 7.

Variatio ſine neceſſitate eſt peccaminoſa. 8.

Poſita immerſione in aqua cum debita forma non eſt neceſſaria neceſſitate Sacramenti emerſio. 9.

Baptiſmus ordinatur ad vitam ſpiritualem. 10.

Finis prauus occidendi puerum non irritat Sacramentum. 11.

Ad emundationem ſpiritualem ſufficit contactus aquæ ſucceſſiuus. 12.

Explicatur textus Apoſtoli ad Romanos ſexto. 13.

QVamuis Chriſtus Dominus, nec in inſtitutione huius Sacramenti, nec in præcepto, nec in promulgatione eiuſdem præſcripſerit aliquem modum in particulari ſeruandum in huiuſmodi ablutione, ſed præcisè dixerit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Ioannis 3. *Baptizantes* Matthæi vltimo, per varias tamen Eccleſias inductus eſt modus baptizandi, vel per immerſionem, vel per infuſionem, vel per aſperſionem, qui tamen modi non egrediuntur terminos ablutionis, cum hæc ſit quodammodo genus ad illos. Quamobrem circa hos modos plura ſub præſenti titulo inquirimus, & primò, an ſit de neceſſitate Sacramenti, quod ablutio fiat potius vno, quam altero modo. Secundò, an de neceſſitate eiuſdem ſit, quod fiat per trinam immerſionem, vel aſperſionem, an vnica, vel in vno, vel in altero genere ſufficiat. Tertiò, quinam modus ſeruandus ſit ex neceſſitate præcepti. Quartò, an variatio modi ſine neceſſitate ſit grauitèr peccaminoſa. Tertiò, an quando ablutio fit per immerſionem, neceſſe ſit, vt ſuccedat emerſio, & his ſimilia.

1 Varij modi ablutionis, qui in varijs Eccleſijs adhibentur.

2 Poteſt æquè fieri, vel per immerſionem, vel per infuſionem.

Concluſio I. Non eſt neceſſe neceſſitate Sacramenti, quod ablutio fiat potius per immerſionem, vel per infuſionem aquæ, ſed poteſt licitè vno, vel altero modo fieri. Conſentiunt in hoc communitèr, & ſignantèr *Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ q. 20. art. 3. verſ. ſed nihilominus, Bonacina de Baptiſ. diſp. 2. q. 2. punct. 3. n. 17.* vbi teſtatur de communi.

Ratio ex eo deducitur, quia ablutio æquè eſſe poteſt, vel per immerſionem, vel per infuſionem aquæ; Chriſtus autem Dominus, tam in inſtitutione, quam in mandato executionis ſolummodo præſcripſit ablutionem per aquam, ergo, ſiue fiat per immerſionem, ſiue per infuſionem, cum ſemper habeatur ablutio, habebitur validè, & ſufficientèr Baptiſmus. Hinc pro diuerſis temporibus, & locis diuerſis mos viguit Baptiſmum conferendi vno, vel altero modo, nec talis modus vnquam fuit ab Eccleſia reprobatus; & quidem mos baptizandi per immerſionem ſemper viguit, & viget in hac Mediolanenſi Eccleſia, nec vllus eſt, qui talem morem reprobat; idem ſeruatur frequentius in alijs locis; mos vero baptizandi per aſperſionem, ſeu infuſionem aquæ fuit approbatus à *D. Cipriano lib. 4. epiſt. 7.* vbi in confirmationem adducit textum Ezechiellis 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris*; item fuit vſu receptus à D. Laurentio, qui inſtante eius martirio alterum baptizauit aſperſione, & ab Apoſtolis, qui eadem die tria millia hominum baptizarunt *Actorum 2.*, quod plerique præſtitum aſſerunt per eandem aſperſionem; quinimmo Chriſtus Dominus aſſeritur a Ioanne in Iordane baptizatus per aſperſionem, ſeu infuſionem.

Concluſio II. Neceſſitate Sacramenti non exigitur, quod Baptiſmus fiat trina immerſione, ſed æquè validè fieri poteſt, vel per vnam, vel per trinam. In hoc etiam communitèr conſentiunt DD., quæ eiſdem ferè rationibus euincitur, ac præcedens concluſio; Chriſtus enim Dominus præſcripſit præcisè ablutionem, nec determinauit vnam, vel trinam. Hinc Gregorius Papa Conſultus à Leandro Epiſcopo ſuper more diuerſo vigente in Hiſpanijs baptizandi, vel vna, vel trina immerſione, reſpondit, vtrumque morem retineri poſſe, Trinam ad ſignificandam Trinitatem perſonarum, vnam ad indicandam vnitatem diuinitatis; quinimmò pro eo tempore potius commendauit morem baptizandi per vnam ad vitandam Armenorum peruerſitatem tunc vigentem negantium vnitatem naturæ Diuinæ.

3 Nec eſt de neceſſitate Sacramenti triplex immerſio.

Neque obeſſe poteſt id, quod refertur à Gratiano in *cap. multi ſunt de conſecrat. diſt. 4.* vbi dicitur: *Præceptum Euangelicum eſſe ipſo Deo, & Domino Saluatore noſtro Ieſu Chriſto docente, & tradente nos admonet in nomine Trinitatis trina etiam merſione Sanctum Baptiſmum vnicuique tribuere &c.* vbi, cum coniungat inuocationem expreſſam Sanctiſſimæ Trinitatis cum trina immerſione, videtur eandem neceſſitatem agnoſcere trinæ immerſionis, quam cognoſcit in illa inuocatione expreſſa. Nec item obeſſe poteſt *Canon. 50. Apoſtolorum*, vbi dicitur: *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter non trinam merſionem vnius myſterij celebret, ſed ſemel mergat in Baptiſmate, quod dari videtur in Domini morte, deponatur.* Non, inquam, obeſſe poteſt, quia non ideo Pontifex *in illo c. multi ſunt*, coniunxit trinam illam immerſionem cum expreſſa inuocatione Sanctiſſimæ Trinitatis, quia in vtraque cognouerit eandem neceſſitatem, ſed quia voluit definire non ſufficere Baptiſmum collatum nomine Chriſti, ſed requiri expreſſam inuocationem Sanctiſſimæ Trinitatis; quod deindè coniunxerit trinam immerſionem hoc præſtitit, quia tunc temporis mos erat baptizandum ter in aqua immergendi; nec hoc gratis dictum debet apparere, quandoquidem tunc ſolum erat controuerſia, an ſufficeret baptizare in nomine Domini, an requireretur inuocatio expreſſa Sanctiſſimæ Trinitatis, non autem, an eſſet neceſſaria trina,

4 Explicatur textus in c. multi ſunt de conſecr. diſt. 4., vt non repugnet noſtro dicto.

trina, an vna tantum immerſio, & ideo definiuit, ſolum eſſe neceſſariam inuocationem Sanctiſſimæ Trinitatis, & quoad immerſionem ſolum retulit, quod tunc conſuetum erat, nec aliquid definiuit, quod magis firmauit Pontifex in fine illius capitis, vbi nulla facta mentione trinæ immerſionis ſolum concludit, Baptiſmum collatum ſine expreſſa inuocatione Trinitatis inualidum eſſe.

5 Quomodo intelligendus canon Apoſtolorum.

Ad *Canonem 50. Apoſtolorum*, dicendum eſt, ibi ſolummodo damnari errorem illorum, qui baptizabant in nomine Chriſti mortui, & ideo adhibebant vnicam tantum immerſionem, non quia vnicam tantum adhiberent, ſed quia illam referebant ad indicandum, formam concipiendam eſſe relatiuè ad Chriſti mortem; quod clarè conijcitur ex ſequentibus verbis eiuſdem canonis, Ibi- *Non enim dixit. In morte mea baptizate, ſed in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Quod, ſi deindè aliqui ex SS. PP. videantur agnoniſſe neceſſitatem illius trinæ immerſionis ex Apoſtolicis traditionibus ad indicandam Triduanam Domini ſepulturam, vt *Leo Papa epiſt. 4. ad Epiſc. Siciliæ c. 3., & D. Damaſcenus lib. 4. c. 10.*; hi intelligendi ſunt non de neceſſitate, ſed de conſuetudine, quæ illis temporibus ſeruabatur.

6 Seruandus eſt ex præcepto ritus vniuſcuiuſque Eccleſiæ.

Concluſio III. Ex neceſſitate præcepti, quando alitèr neceſſitas, vel iuſta cauſa non vrget, ſeruandus eſt mos legitimè receptus cuiuſcunque Eccleſiæ in conferendo Sacramento Baptiſmatis, ſiue ſit per immerſionem, ſiue per aquæ infuſionem, ſiue per trinam, ſiue per vnicam *Sotus in quarto diſt. 10. q. vnica art. 8. concl. 3., Henriquez c. 7. n. 4., Tabiena verb. Baptiſmus 5. n. 1., Conincbus q. 66. art. 4. n. 84., Bonacina de Baptiſmo diſp. 2. q. 2. punct. 3. n. 18., & alij magis communitèr.*

Ratio ex eo deducitur, quia conſuetudines, & mores in vnaquaque Eccleſia legitimè inductæ, ſeu inducti habent vim legis non ſcriptæ, quando non aduerſantur dictamini iuris naturalis, nec iuri Diuino; æquè autem obligat lex non ſcripta, quando eſt legitimè recepta, & inducta, ac lex ſcripta, & hoc iure quidem optimo inductum eſt, ne in vna, & eadem Eccleſia ex varietate modi oriantur confuſiones, & imperitis tribuatur occaſio errandi.

7 Ex neceſſitate, & iuſta cauſa poteſt variari.

Dixi, *quando alitèr neceſſitas, vel iuſta cauſa non vrgeat*, nam, cum hoc Sacramentum maximè ſit neceſſarium ad ſalutem, & à Chriſto Domino non ſit præſcriptus certus modus illum conferendi, neceſſitas debet conſuetudini in modo prævalere, & iuſta cauſa ab illius executione excuſare. Hinc tradit primo *Bonacina de Baptiſmo diſp. 2. q. 2. punct. 3. n. 18.*, quod, ſi miniſter in hac Mediolanenſi Eccleſia, vbi viget mos baptizandi per immerſionem, nequeat ob imbecillitatem ſuſtinere baptizandum, vel hic ſit adultus, vel vrgeat periculum vitæ, poſſit ipſum baptizare per infuſionem; tradit ſecundo *Paludanus in quarto diſt. 3. q. 3. circa finem*, quod etiam, vbi viget conſuetudo baptizandi per trinam immerſionem quoad puerum periclitantem in vita, ſi miniſter teneat ſeruare eandem conſuetudinem, & puer in prima immerſione moriatur, grauitèr peccet, & præterea maneat irregularis, & puer ipſe moriatur ſine Baptiſmo; & quidem, quod grauitèr peccet, certiſſimum eſt, cum exponat puerum periclitantem in vita periculo decedendi ſine Baptiſmo, & ex illo modo inferat eidem nocumentum, cum alitèr poſſit eidem conſulere de Baptiſmo per vnam immerſionem, vel per aſperſionem. Quod vero incurrat irregularitem, ſi ex illa trina immerſione infans moriatur; tunc verum erit, ſi ex illa trina immerſione ſequatur mors, vel eadem acceleretur infanti, & non ſolum, ſi moriatur imperfecto Baptiſmo, ſed etiam eodem abſoluto, quia irregularitas non oritur proptèr ſpirituale nocumentum, ſed, vel proptèr mortem ſecutam, vel accelerationem eiuſdem.

8 Sine neceſſitate peccatū eſt.

Concluſio IV. Secluſa neceſſitate, & iuſta cauſa, ſi miniſter in conferendo Baptiſmum declinet à more ſuæ Eccleſiæ, læthalitèr peccat *D. Thomas tertia part. q. 65. art. 8. in fine corporis.*

Ratio eſt, quia tranſgreſsio moris in Sacramentorum adminiſtratione, qui ſeruatur in vnaquaque Eccleſia, quique approbatus eſt in illa, eſt ex ſe grauitèr peccaminoſa, ſi ſit in materia graui; atqui huiuſmodi variatio nulla exiſtente neceſsitate, nullaque cauſa legitimè excuſante, eſt grauis, & in materia graui, & contra morem legitimè receptum, ergo non poteſt eſſe, niſi grauiter peccaminoſa. Confirmatur, ſi quis in ritibus, qui ſeruantur in Sacrificio Miſſæ, alijſque Sacramentis, induceret varietatem grauem, quantumuis hæc non aduerſaretur ſubſtantiæ eiuſdem Sacrificij, & Sacramentorum, grauitèr peccaret, vt probauimus in quæſtionibus de Sacramentis in genere, ergo etiam grauitèr peccaret, qui variaret in ritibus approbatis ſuæ Eccleſiæ in adminiſtratione Baptiſmi.

9 Non eſt neceſſaria neceſſitate Sacramenti emerſio.

Concluſio V. Poſita immerſione in aqua cum debita forma non eſt neceſſaria neceſsitate Sacramenti emerſio. In hoc conſentiunt *Gabriel in quarto diſt. 4. q. 2. art. 3. dub. 4. circa finem, Panormitanus in c. non vt apponeres de Baptiſmo, Roſella verb. Baptiſmus.*

Ratio

Ratio ex eo deducitur, quia in illa præciſa immerſione ſuppoſita debita forma tunc applicata, & intentione miniſtri baptizandi habetur, quidquid requiritur ad veram rationem Baptiſmi præciſa etiam illa emerſione, ergo non eſt, cur non debeat eſſe validus Baptiſmus, & conſequi ſuum effectum. Hoc potiſsimum contingeret in caſu, quo quis puerum in flumen, vel in puteum proijceret, & tunc formam Sacramentalem applicaret.

10 Baptiſmus ordinatur ad vitam ſpiritualem.

Dices primò cum *Scoto in quarto diſt. 5.* ablutio, quæ eſt de ratione Baptiſmi ordinatur ad vitam eius, qui baptizatur; illa autem ablutio, quæ fit per immerſionem ſine emerſione ordinatur potius ad mortem, quam ad vitā, ergo non eſt valida, vtpotè contra finem intentum. Sed contra, quia finis proprius intentus à Chriſto Domino; & ab Eccleſia in collatione Baptiſmi non eſt in ordine ad vitam corporalem, ſed in ordine ad ſpiritualem, quæ preciſè habetur per ablutionem aquæ cum debita forma, & intentione miniſtri, nec inualidatur Baptiſmus ex eo, quod coniungatur cum fine extrinſeco occidendi puerum in illa immerſione; quia ille finis extrinſecus inficit quidem illam actionem, redditque illicitam, & grauitèr peccaminoſam ex parte miniſtri operantis ex illo fine, non reddit tamen illam inualidam, quia non aduerſatur ſubſtantiæ eiuſdem Sacramenti, quod conſiſtit eſſentialitèr in debita materia, & forma, & intentione miniſtri, qui, quamuis in illa actione intendat mortem pueri, intelligitur tamen velle efficere Sacramentum, & verè Baptizare efficiendo id, quod intendit Eccleſia in illa actione.

11 Finis prauis occidendi puerū non irritat Sacramentum.

Hoc pluribus exemplis euincitur in eo, qui hoſtiam conſecraret cum intentione per illam committendi ſortilegium, dummodo non excluderet intentionem verè conſecrandi, & adhiberet omnia requiſita ad conſecrationem; eſſet enim verè illa hoſtia conſecrata, quamuis graue ſacrilegium committeret, qui tali intentione conſecraret. Secundò in eo, qui hoſtiam veneno infectam conſecraret cum intentione interficiendi eum, qui deberet talem hoſtiam ſumere; quia etiam in hoc caſu intelliguntur omnia eſſentialia concurrere ad conſecrationem, quæ non inficeretur ex illa praua intentione cum ſit finis extrinſecus, nec aduerſetur ſubſtantiæ eiuſdem conſecrationis. Tertiò in eo, qui puerum baptizaret aqua calidiſsima, & ebulliente cum animo eum interficiendi, dummodo haberet veram intentionem baptizandi.

Dices ſecundò cum *Riccardo in quarto diſt. 4. art. 4. caſ. ſecundo, Paludano item in quarto diſt. 6. q. 1. art. 3., & alij*, de ratione ablotionis eſſe, vt corpus prius aqua tingatur, ſeu cooperiatur in toto, vel in parte, & poſtea diſcooperiatur; ad hoc autem requiritur poſt immerſionem emerſio, ſecus non eſſet ablutio, ſed potius ſuffocatio.

12 Ad emūdationē ſpiritualem ſufficit contactus aquæ ſucceſſiuus.

Sed contra, quia, quidquid ſit, quod in ordine ad ablutionem cum effectu corporali requiratur illa tinctio, & coopertio, & poſtea diſcoopertio corporis abluti, ad emundationem tamen ſpiritualem ſufficit contactus ſucceſsiuus corporis iuxta inſtitutionem Chriſti Domini, qui præciſè ſtatuit illum contactum ſucceſsiuum, nec eſt neceſſe ad effectum emundationis interioris per gratiam ſanctificantem, quod ſeruentur omnia, quæ concurrunt ad ablutionem corporalem. Dixi, *quidquid ſit in ordine ad ablutionem cum effectu corporali*, nam etiam in ordine ad hoc non eſt fortè neceſſe, quod ſit res abluta cum emerſione, nam, vt loquitur *Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 20. ſect. 3. verſ. vna tantum ſupereſt*, lapis immundus proiectus in flumen abluitur, & purificatur, quamuis à flumine non extrahatur.

13 Explicatur mens Apoſtoli.

Dices tertiò ex illo Apoſtoli ad Romanos 6. *Conſepulti enim ſumus cum Chriſto per Baptiſmum in mortem, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita, & nos in nouitate vitæ ambulemus; ſi enim complantati ſumus ſimilitudini morti eius, ſimul, & Reſurrectionis erimus*; ex quibus verbis deducitur, quod Baptiſmus ſit inductus ad ſignificandam mortem, & Reſurrectionem Chriſti Domini; licet autem per immerſionem ſignificetur mors eiuſdem; ſine emerſione tamen non ſignificatur eius Reſurrectio, ergo ad plenè explicandum miſterium, ad quod iſtitutus eſt Baptiſmus, non ſolum requiritur immerſio, ſed etiam emerſio. Sed contra; quia illa verba Apoſtoli quoad Reſurrectionem ſolum inducunt effectum Baptiſmi, non ſubſtantiam eiuſdem, cum dicatur, *Ita, & nos in nouitate ſpiritus ambulemus*; licet igitur Baptiſmus vtrumque ſignificet, & mortem ſcilicet, & Reſurrectionem, non tamen eodem modo, ſed mortem tanquam ſubſtantiam, Reſurrectionem vero tanquam effectum, & ſic immerſionem tanquam cauſam iuſtificationis, emerſionem vero tanquam effectum, qui ex natura ſua conſequitur poſita ſufficienti cauſa.

AR-

ARTICVLVS IV.

Expediuntur alia nonnulla de materia Baptiſmatis.

SVMMARIVM.

Non tota aqua maris eſt materia pueri baptizati per immerſionem in eodem, ſed illa ſolum pars, quæ poteſt habere aliquem effectum in baptizato. 1.

Aqua ex pane cocto diſtillata eſt materia dubia. 2.

In neceſſitate poteſt ſub conditione adhiberi. 3.

Ceſſante neceſſitate puer. ſic baptizatus eſt rebaptizandus ſub conditione. 4.

Lutum ex aqua, & puluere compactum non eſt materia apta. 5.

Aqua ex luto extracta eſt materia apta. 6.

Non eſt valida ablutio vno immergente, altero verba proferente. 7.

An valida ſit ablutio, ſi vnus immergat, alter dicat Nos te abluimus remiſſiuè. 8.

Si miniſter ſubmittat puerum aquis pluuialibus, & dicat formam validè baptizat. 9.

DVbitatur primò, an ſi quis baptizaretur in mari, totum mare dicendum eſſet materia Baptiſmi, an aliqua pars eiuſdem, & quænam.

1 Non tota aqua maris eſt materia Baptiſmi pueri in eodem immerſi.

Reſpondeo cum *D. Thoma in quarto diſt. 3. art. 3. quæſtiunc. 3. ad ſecundum*, non totum mare pertinere ad materiam huius Sacramenti, ſed illam ſolum partem aquæ maris; quæ poteſt habere aliquem effectum in baptizato, vel lauando, vel infrigidando, ſunt verba eiuſdem Sancti Doctoris. Ratio ex eo deducitur, quia illa dicitur materia huius Sacramenti, quæ per motum ſucceſſiuum tangit corpus baptizandi; illa autem dicitur tangere corpus baptizandi, quæ in eo cauſat illos duos effectus lauandi, & infrigidandi, ergo illa dumtaxat aqua erit materia huius Sacramenti, quæ infrigidat, vel lauat, ergo non totum mare, cum totum non infrigidat, nec lauat; Nec obſtat, quod omnes partes maris continuantur, & ratione continuationis videantur conſtituere quid vnum; Non obſtat, inquam, quia, quantumuis illæ partes continuantur, quoad effectum tamen, quem præſtant, diſiunguntur; non enim omnes dicuntur lauare, & infrigidare, ſed illæ dumtaxat, quæ corpus contingunt.

Dubitatur ſecundò, an validè poſsit fieri Baptiſmus ex aqua diſtillata ex pane cocto per efficaciam ignis, de qua dubitat *Sotus in quarto diſt. 3. q. vnica art. 4.*, an ſit vera aqua.

Reſpondeo primò extra caſum neceſsitatis non licere vti illa aqua ſic diſtillata, prout docet *Sotus loc. cit.* Ratio ex eo deducitur primò, quia, cum dubium ſit, an illa ſit vera, & naturalis aqua, miniſter illam adhibendo ſe exponeret periculo baptizandi inualidè, ergò non vrgente neceſsitate licitum non erit illam aquam adhibere; Neque dicas, non poſſe eſſe dubium, quin illa aqua ſit vera, & naturalis; cum etenim panis ille compactus ſupponatur ex aqua naturali, quando vi diſtillationis extrahitur, intelligitur extrahi ſecundum qualitates, & ſpeciem, quam prius habebat; non enim ſupponitur nouus liquor generari; contrà enim impugnaberis, quia cum illa aqua, ex qua compactus eſt ille panis, facta fuerit quid vnum cum illo pane, ſeu cum farina, ex qua compoſitus eſt virtute ignis aſſantis, & coquentis videtur quodamodo in naturam aliam tranſijſſe, vel ſaltem reliquit dubium de illo tranſitu. Deindè dato etiam, quod in aliam ſpeciem non tranſierit valdè hæſitandum relinqueret, quod per diſtillationem extraheretur commixta cum alijs liquoribus extractis ex farina, & pane, vt poſsit dubitari, an plus eſſet aquæ naturalis, an alterius liquoris; ſicuti enim ex alijs rebus non compactis aqua naturali poſſunt per diſtillationem extrahi alij humores, ità non eſt, cur non poſsint extrahi ex pane, & farina compacta. Ratio ſecundò ex eo deducitur, quia extra neceſſitatem non eſt licitum vti aqua immunda, & fæda ad ſeruandam reuerentiam debitam Sacramento, ergo multo minus erit licitum adhibere materiam illam dubiam, quia illa ſolum poteſt officere honeſtati Sacramenti, iſta vero validitati.

2 Aqua diſtillata ex pane cocto eſt materia dubia Baptiſmi

Reſpondeo ſecundò vrgente neceſsitate baptizandi periclitantem in vita, nec exiſtente alia aqua licitum eſt adhibere illam aquam diſtillatam ex illo pane cocto *Dominicus Sotus in quarto d. diſt. 3. q. vnica art. 4., Nugnus tertia part. q. 66. art. 4., Ghetius in theſaur. animæ verb. Baptiſmus de materia Baptiſmi art. 4. num. 12. in expoſit. lit. D. Thomæ*, & quotquot ſuſtinent in illa hypotheſi neceſsitatis generatim adhibere licitum eſſe materiam dubiam. Ratio ex eo deducitur, quia, cum hoc Sacramentum ſit ſummæ neceſsitatis, in ordine ad conſulendum indigenti adhibendus eſt quicunque modus, qui poſsit eſſe illi proficuus, illumque ad ſalutem æternam conducere; magis autem eſt expediens ad ſalutem, quod adhibeatur materia ſecundum ſe dubia, quam quod omittatur Baptiſmus, cum poſsit contingere, quod illa materia ſit vera, & ſufficiens; Neque obſtat, ſi dica-

3 In neceſſitate poteſt adhiberi, ſed ſub conditione.

dicatur, quod, ſicuti poteſt contingere, quod illa materia ſit vera, ità poſſit contingere, quod non ſit vera, ſed inualida, quo caſu inureretur irreuerentia, & iniuria Sacramento, & in dubio potius fauendum ſit reuerentiæ Sacramenti, quam ſaluti periclitantis. Non obſtat, inquam, quia irreuerentia, ſi quæ poteſt reſultare, Sacramenti, poteſt vitari per conditionem appoſitam in collatione eiuſdem, vt ſi dicatur: *Si hæc aqua vera eſt, & ſufficiens, ego hac te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

4 Ceſſante neceſſitate puer eſſet rebaptizãdus ſub conditione.

Hic tamen aduerto, quod ceſſante illa neceſſitate, ſi ſic baptizatus eſſet ſuperſtes, eſſet iterum rebaptizandus in aqua naturali ſub conditione tamen, ſi eſſet inualidus prior Baptiſmus, quia adeſt iuſta, & ſufficiens cauſa, &, ſi non eſt baptizatus per præcedentem ablutionem, conſequetur effectum per iſtam, &, ſi per illam fuerit baptizatus, hæc erit irrita, nec vllam inuoluet irreuerentiam, quia poſita eſt ſub conditione.

Dubitatur tertiò, an per lutum ex aqua, & puluere ſimul compactum poſſit Baptiſmus validè conferri.

5 Lutum ex aqua & puluere compactum non eſt materia apta.

Reſpondeo negatiuè, & in hoc conſentire tenetur *D. Thomas in quarto diſt. 3. art. 3. quæſtiunc. 3. ad tertium*, dum dicit, quod, ſi aqua paludis ſit intantum ingroſſata, quod recederet à vera raritate aquæ, non ſit materia Baptiſmi, quod, ſi hæc verificantur in aquis paludis ingroſſatis, à fortiori verificari debent in luto, quod ex genere ſuo eſt magis denſum. Ratio ex eo deducitur primò, quia lutum plus habet terræ, quam aquæ. Secundò, quod ſecundum ſe non eſt aptum abluere, & mundare, ſed potius inficere, & deturpare.

6 Aqua ex luto extracta eſt materia apta.

Sed, an aqua ex luto extracta poſſit eſſe materia valida huius Sacramenti? Reſpondendum eſt affirmatiuè, quia verè, & propriè eſt aqua naturalis, & elementaris, & apta ſecundum ſe abluere; Nec obſtat id, quo ſupra dicebatur de aquis vi diſtillationis expreſſis ex pane coćto; non obſtat, inquam, quia diuerſa omnino militat ratio, quandoquidem vix ex pane coćto poteſt extrahi aqua purè naturalis vi diſtillationis, cum etiam cum aqua exprimatur humor farinæ, & panis, & ex concoćtione panis, aqua, ex qua ille compactus eſt tranſierit in tertiam ſubſtantiam; aqua vero ex luto expreſſa ſit pura aqua, cum per præciſam commixtionem cum puluere non tranſierit in mixtum, & ſecundum eam qualitatem, per quam fuit commixta, extrahatur.

Dubitatur quartò, an teneat ablutio quoad ſubſtantiam, & effectum Baptiſmi vno immergente, vel infundente aquam, altero verba proferente?

7 Non eſt valida ablutio vno immergente, altero verba proferẽte

Reſpondeo negatiuè, prout negatiuè reſpondent *D. Thomas part. 3. q. 67. art. 6. ad tertium, Ghetius in theſaur. animæ tom. 1. verb. Baptiſmus c. 5. de miniſtro Baptiſmi n. 15. in expoſitione literæ D. Thomæ, Bonacina de Bapt. diſp. 2. q. 2. punct. 3. n. 29., Nugnus in tertiam partem D. Thomæ q. 67. art. 6. difficultate tertia.* Ratio ex eo deducitur, quia in ea hypotheſi verborum forma, nec ex parte vnius, nec alterius verificatur; non ex parte proferentis verba, quia ipſe verè non abluit, nec immergit, vnde non poteſt dicere, *Ego te abluo, Ego te baptizo*; non ex parte immergentis, quia ipſe formam eſſentialem non applicat, ergo in ea hypotheſi non poteſt ſubſiſtere Sacramentum, quod conſiſtit in forma verborum, & in vſu materiæ.

8 An valida ſit ablutio, ſi vnus immergat alter dicat, Nos te abluimus remiſſiuè.

Quid vero erit dicendum, ſi vno abluente, alter proferret verba per hanc formam, *Nos te baptizamus &c.* tunc enim videtur forma illa verificari, cùm verè vterque concurrat ad illum Baptiſmum, vnus immergendo, alter verba proferendo, ſicuti, ſi duo ſiue per actiones difformes, ſiue conformes concurrant ad eundem effectum poteſt vnus ex illis dicere. Nos hunc effectum producimus referendo dictum ad vniuſcuiuſque actionem. In hac etiam hypotheſi negat *D. Thomas* Sacramentum Baptiſmi ſubſiſtere, & hoc præſtat *loc. mox cit.* addita etiam ratione, quia neuter baptizat, & ad hoc confirmandum adducit exemplum de duobus, quorum alter partem libri ſcribit, alter alteram, in quo caſu dicit non eſſe propriam locutionem, ſi dicatur, *Nos ſcripſimus librum iſtum*, ſed impropriam, & Synegdochicam, in quantum totum ponitur pro parte; in Sacramentorum autem confectione, & adminiſtratione neceſſaria eſt propria locutio. De hoc erit infra ſermo vberior, dum de miniſtro huius Sacramenti.

9 Miniſter ſubmittans puerũ aquis pluuialibus, & proferẽs formam validè baptizat.

Dubitatur quintò. An ablutio ſit ſufficiens ad valorem Sacramenti, quando miniſtce aquis pluuialibus è tecto difluentibus ſubmittit baptizandum, & profert verba Sacramentalia. Ex dictis in præcedenti dubio videtur aſſerendum, non eſſe ſufficientem, cum dici non poſſit, quod ipſe miniſter immergat, vel aquam infundat. Nihilominus

Reſpondeo, eſſe ſufficientem ad valorem, & effectum huius Sacramenti. *Bonacina de Baptiſmo diſp. 2. q. 2. punct. 3. n. 29.* Ratio ex eo deducitur, quod in hac hypotheſi miniſter dicitur abluere infantem, & infans verè dicitur ablutus à miniſtro; ipſe etenim miniſter verè puerum ſupponit aquæ, & ſicuti, dum defert baptizan-

duin

dum ad fontem, & in aqua ibi exiſtente ſubmittit, dicitur validè baptizare, ità, dum defert ad aquam è tecto defluentem, eique baptizandum ſupponit, dicendus eſt verè abluere, ſeu baptizare; nec currit paritas de altero immergente, ſeu infundente aquam, dum ipſe formam profert, quia in illo caſu ipſe proferens verba non poteſt dici immergere, cum puerum non ſupponat aquæ; in iſto vero iuſtè dici poteſt abluere, cum re vera ipſe ſuis manibus eiſdem aquis ſubmittat.

QVÆSTIO III.

De cauſa materiali ſubiectiua huius Sacramenti.

Cauſa materialis duplex eſt, altera, quæ componit per receptionem formæ conſtituentis complexum; altera, in quo totum complexum recipitur tanquam in ſubiecto. Prima dicitur pars eſſentialis, & materialis compoſiti. Secunda cauſa ſubiectiua, & receptiua totius compoſiti, & effectus eiuſdem. De prima ſatis egimus in præcedenti quæſtione; De ſecunda agemus in præſenti, circa quam plura venient examinanda; & primò, quinam ſint capaces Baptiſmi, ipſumque poſſint recipere diſcurrendo per varios hominum ſtatus; Secundò, quinam poſſint licitè baptizari. Tertiò, quænam conditiones requirantur in baptizando, ſiue fuerit infans, ſiue adultus. Quartò, quænam pars hominis ſit apta ad recipiendum Baptiſmum.

ARTICVLVS I.

Quinam ſint capaces Baptiſmi recipiendi.

SVMMARIVM.

Varij hominum ſtatus ſecundum ordinem naturæ, & ſecundum ordinem ſubiectionis. 1.
Rationes ſuadentes, puerum in vtero Matris exiſtentem poſſe baptizari. 2.
Docentes puerum in vtero Matris eſſe partem Matris. 3.
Efficacius eſt donum Chriſti ad ſalutem, quam peccatum Adæ ad damnationem. 4.
Docentes poſſe baptizari per fiſtulam in vtero Matris immiſſam. 5.
Puer ſecundum ſe totum in vtero Matris exiſtens non poteſt baptizari. 6.
Quomodo intelligendum ſit dictum D. Auguſtini, Nemo renaſcitur, niſi prius naſcatur. 7.
Non poteſt immediatè aqua contingi. 8.
Vt eſt animatum eſt corpus diſtinctum ab illo Matris. 9.
Et ſecundinis obuolutum. 10.
Non eſt in commercio hominum. 11.
Soluuntur rationes contrariæ ſententiæ. 12.

Varios hominum ſtatus poſſumus conſiderare, vel ſecundum ordinem naturæ, vel ſecundum ordinem ſubiectionis, & profeſſionis. Secundum ordinem naturæ, vel quatenus adhuc ſunt in vtero Matris animati, & viuentes, vel quatenus, nec penitus ſunt in eodem exiſtentes, nec penitus extracti, vel quatenus ſunt penitus extra clauſtra materni vteri, non tamen gaudent vſu rationis, vel quatenus ſunt adulti, non tamen gaudentes vſu rationis, cum ſint amentes, vel quatenus ſunt adulti, & compotes rationis, vel quatenus perfectè nati ſunt, ſed mortui ante ſuſceptionem Baptiſmatis. Secundum ordinem ſubiectionis, & profeſſionis conſiderari poſſunt, vel quatenus ſunt filij infidelium non baptizatorum, vel filij fidelium, & ſi filij infidelium, an iſti ſint ſubditi Principibus fidelibus, vel infidelibus, an baptizandi ſint ſerui, ſeu filij ſeruorum; an vero liberi. In ordine ad hos omnes ſtatus, alioſque ſimiles examinandus eſt præſens titulus, ſed quia hæc materia ampla eſt, & confuſionem ingereret, ſi cuncta ſub eodem titulo diſcuterentur, placet eundem titulum, eandemque materiam in plures ſectiones diuidere, in quibus ſinguli ſtatus examinabuntur. *Varij hominũ ſtatus ſecundum ordinem naturæ, & ſubiectionis.* 1

SECTIO I.

An pueri in vteris maternis exiſtentes poſſint baptizari.

Videtur ſic exigente ordine ſummæ Dei clementiæ quæ nullum hominum ſtatum relinquit ſine remedio, vtique poſſe filios in vtero Matris exiſtentes maximè vrgente neceſſitate baptizari; cum etenim iſti non poſſint per proprios actus ſibi conſulere, nec fides parentum poſſit illis prodeſſe, certè omni remedio ad ſalutem neceſſario deſtitueremur, ſi in illo ſtatu non poſſent baptizari; quinimmo in hac lege gratiæ eſſet deterior illorum conditio, ac eſſet in lege naturæ, in qua per Parentum fidem aliquo ſigno exte- *Rationes ſuadẽtes puerum in vtero Matris poſſe baptizari.* 2

riori exhibitam ab originali liberabantur.

3 Docentes puerum in vtero matris eſſe partem eiuſdem.

Hinc plerique dixerunt, quod, cum puer in vtero materno exiſtens ſit pars eiuſdem matris, per baptiſmum matri collatum, intelligatur & filius in eadem exiſtens baptizatus.

4 Efficacius eſt donũ Chriſti ad ſalutẽ, quam peccatũ Adæ ad damnationem.

Alij dixerunt, efficacius eſſe donum Chriſti ad ſalutem, quam peccatum Adæ ad damnationem; innegabile autem eſt, quod pueri etiam in vtero matris exiſtentes contrahant Adæ peccatum, & propter illud damnentur, ergo multò magis ſaluari poſſunt per donum Chriſti, quod maximè habetur per baptiſmum.

5 Docentes p fiſtulã, poſſe baptizari.

Alij admittentes, puerum in vtero matris exiſtentem eſſe ſuppoſitum diuerſum ab illo matris, dixerunt, nihil deeſſe, quo minus poſſint recipere validè baptiſmum, & ſolum reſiſtere difficultatem in modo, quo aqua poſſit corpus pueri pertingere, quæ tamen ſuperari poteſt per fiſtulam, & hac ratione motus *Præpoſitus in 3. part. q. 66. art. 8. dub. 3. n. 91.* aſſeruit, vtique fore validum baptiſmum, ſi puero conferretur etiam in materno vtero exiſtenti. Nihilominus ſit

6 In vtero matris, exiſtens integer, non poteſt baptizari.

Concluſio. Puer adhuc in vtero matris exiſtens ſecundum ſe totum non poteſt validè baptizari *D. Thomas 3. part. q. 68. art. 11. in corp., & 3. ſentent. diſt. 3. q. 1. art. 1. quæſtiunc. 3. ad primum, & in 4. ſent. diſt. 1. q. 2. art. 6. quæſtiunc. 2. ad 2., & diſtinct. 6. quæſt. 1. art. 1. quæſtiunc. 1. in corp., Reginaldus lib. 27. n. 18., Vaſquez 3. part. q. 67. art. 11., Sotus in 4. diſt. 5. q. vnica art. 11., & alij magis communiter.* Dixi, *ſecundum ſe totum*, nam, ſi ſecundum aliquam partem fuerit egreſſus ex vtero matris, poterit abſolutè in illa parte baptizari, ſi fuerit pars principalis, vel conditionatè, ſi fuerit ex minus principalibus, vt infra latius dicemus.

7 Quomodo intelligendum ſit dictũ D. Auguſtini.

Non moueor ea ratione, qua plerique mouentur ex dicto *D. Auguſtini ad Dardanum Epiſt. 57.* nempè neminem renaſci, niſi prius naſcatur, cum ergo baptiſmus ſit quædam regeneratio, non poteſt conferri, niſi ijs, qui iam nati ſunt. Non moueor, inquam, hac ratione, quia D. Auguſtinus non intelligendus eſt de natiuitate propria, ſecundum quam homo ex vtero materno egreſſus ſit perfectè ad hanc lucem, ſed de natiuitate, qua ex non homine factus ſit homo; cæterum, ſi eſſet illud dictum intelligendum de natiuitate propria, homo ex cæſo matris vtero extractus non poſſet baptizari, cum non poſſit propriè dici naſci, ſeu natus.

Moueor igitur ratione *Diui Thomæ loco cit.*, quia ſcilicet baptiſmus eſt ablutio, quam conſtituimus materiam propriam eiuſdem, ſed puer in vtero matris exiſtens, non poteſt ablui, ergo nec poterit baptizari. Minor, in qua ſita eſt tota difficultas ſic euincitur, quia puer, quouſque permanet in vtero matris, eſt contectus membris, ſeu partibus carneis matris, adeo vt ad eandem non pateat aditus; nec ſufficit contactus ſucceſſiuus aquarum in corpore matris, quia contactus debet eſſe immediatus corpori baptizandi, adeo vt, quantumuis eſſet perfectè natus, & veſtibus tegeretur, per contactum factum in veſtibus non diceretur validè baptizatus. Neque obſtare poteſt, ſi dicatur, quod, quouſque puer remanet in vtero matris, corpus pueri habeatur pro parte corporis matris, quamuis anima pueri ſit diſtincta ab illa matris; ad validum autem baptiſmum ſufficit ablutio facta in parte corporis baptizandi; Non, inquam, obſtare poteſt, quia ex eo, quod corpus infantis exiſtentis in vtero matris ſit formatum anima rationali, intelligitur à corpore matris diſtinctum, & per conſequens baptiſmus, quo mater baptizatur, non redundat in prolem in vtero exiſtentem.

8 Non poteſt immediatè aqua cõtingi.

9 Vt eſt fætus animatus eſt corpus diſtinctũ ab illo matris.

Dices, ex eo, quod puer in vtero matris exiſtens ſit ſuppoſitum omnino diſtinctum à matre, tam quoad animam, quam quoad corpus, ſi fieri poſſit, quod corpus eiuſdem aqua tangatur, nihil poteſt obeſſe, quominus validè baptizetur, cum nihil deeſſet, quod requiritur ad validam baptiſmi collationem, ſed fieri poteſt aliqua arte, quod aqua ad ipſum pertingat, vt, ſi tunc mater plurimum aquæ hauriat, vel per fiſtulam miniſter in vterum matris aquam immittat, ergo, &c. Sed contra, quia in primis quoad hauſtũ aquę factum a matre, quamuis daremus, quod illa aqua ſic hauſta poſſet puerum contingere, non poſſet fieri valida baptizatio, quia nõ eſſet actio miniſtri, ſed actio matris: Deindè nõ poteſt concipi, quomodo illa aqua poſſit corpus pueri contingere, cum ſit obuolutum quibuſdam ſecundinis à natura inditis, quæ ſunt partes matris, ne puer obruatur nimijs cibis, & potibus à matre ſumptis, & ſicuti, ſi puer ſacco coriaceo concluderetur, non poſſet validè baptizari, quamuis aqua ſaccum illum contingeret, ita &c. Idem ferè reſpondendum eſt ad id, quod dicitur de aqua immiſſa per fiſtulam.

10 Et ſecundinis obuolutum.

11 Non eſt in commertio hominũ.

Alia ratione ad hanc concluſionem mouetur *D. Thomas d. 3. part. q. 68. art. 11. ad primum*, quia ſcilicet, quouſque puer remanet in vtero matris, non eſt in commercio cum alijs hominibus, vnde non poteſt ſubijci actioni humanæ, vt per hominum miniſteria Sacramenta recipiat ad ſalutem, licet ſubijciatur operationi diuinæ, per quam poteſt ſanctificari, vt contigit in Hieremia, & Ioanne Baptiſta.

Nec

11 Soluũtur rationes contrariæ ſententiæ.

Nec obſtant, quæ primo loco dicebantur, ſcilicet, quod diuina bonitas nullum hominum ſtatum relinquat ſine remedio ad ſalutem neceſſario, ideoque, cum puer in vtero matris exiſtens non poſſit ſibi per proprios actus conſulere, nec per fidem parentum, eidem conſulendum ſit, vel per baptiſmum matri ferendum cuius eſt pars, vel per immiſſionem aquæ in vterum matris; Non obſtant, inquam, quia ſecundum ordinem præſentis prouidentiæ certa, & vniuerſalis regula ſtatuta eſt, ſecundũ quam Deus Optimus Maximus prouidit de faciliori remedio, à qua regula non eſt recedendum ex caſu particulari, qui quandoque poſſit euenire quique raro euenit; nec modi aſſignati in obiectione poſſint prodeſſe, vt ſupra probauimus; vnde, quod in eo caſu puer non ſaluetur, eſt effectus diuinæ prouidentiæ ob fines Deo cognitos.

SECTIO II.

An quandoque, vt puer in vtero exiſtens, poſſit baptizari ſcindendus ſit vterus maternus.

SVMMARIVM.

Nonnullæ conſiderationes circa titulum. 1.
An mater prægnans periclitans in vita teneatur pati ſciſcionem ad extrahendum fœtum remiſſiue. 2.
An mortua matre prægnante ſecandus ſit eius vterus ad extrahendam prolem. 3.
Sententia docens mortua matre, nec per momentum viuere prolem in ipſa exiſtentem. 4.
Non ſolum licitum eſt, ſed etiam debitum. 5.
Soluuntur rationes docentium non poſſe mortua matre prolem viuere. 6.
Euincitur exemplis mortua matre poſſe viuere fœtum, & extrahi viuum. 7.

1 Conſiderabilia circa titulum.

Titulus poteſt procedere, vel in ordine ad matrem iam recenter mortuam, vel adhuc viuentem; & ſi in ordine ad matrem adhuc viuentem, an hæc ſit ſimul cum fœtu in periculo vitæ, ſi non patiatur ſectionem, vel ſolummodo proles, quatenus nulla ſit ſpes, quod viua ſit edenda ſine tali ſectione. Rurſus, ſi mater ſit viuens, conſiderari poteſt, an ſit ob enorme crimen damnata ad vltimum ſupplicium, in quo caſu quæritur, an ſupplicium ſic diferendum vſque ad partum, an vero nullo expectato tempore poſſit eius vterus ſcindi ad extrahendam prolem, vt aquis ſalutaribus poſſit ablui.

2 An mater viuens quando periclitatur eius vita, & illa pueri teneatur pati ſciſcionem remiſſiuè.

In ordine ad matrem viuentem, quando periclitatur eius vita, & ſimul illa prolis, vel ſolummodo illa prolis, non eſt, cur in præſenti immoremur, cum latè de hoc actum fuerit *tom. 8. ſub tit. Contractus XV. de matrim. 8. prænot. 15. ferè per totum, & ſignanter n. 7., & 8.*, quæ ibi dicta ſunt recolenda, non hic inanitèr repetenda, vbi etiam *n. 10.* diximus, quod, ſi mater prægnans fuerit ad mortem damnata ob enorme delictum, ſi ſit ſpes, quod proles poſſit ad partum deuenire, diferendum ſit vltimum matris ſupplicium, ſecus vero, ſi non ſit talis ſpes, tunc etenim poterit ſcindi vterus matris ad extrahendam ipſam prolem, vt baptizetur, & in hoc conſentiunt *D. Thomas 3. parte q. 68. art. 11. in reſponſ. ad 3., Paludanus in 4. diſt. 6. q. 1. art. 1. concl. 3., Rainaudus de ortu infantium c. 2. n. 1., Ioannes Angelus Boſſius de effect. matrimonij c. 9. n. 223.* Recole, quæ ibi dicta ſunt.

3 An ſcindendus ſit vterus matris mortuæ ad extrahendam prolem.

Quamobrem hic ſolum remanet examinandum circa huiuſmodi ſectionem, quãdo mater mortua eſt, & per eandem ſperatur proles viua edenda, ſeu extrahenda. Nonnulli arbitrantur hoc quæſitũ eſſe de ſubiecto nõ ſupponente, & inter cæteros, *Rodericus de Caſtro lib. 4. de morb. mulieb. c. 3. in ſcholijs*, cum exiſtiment, impoſſibile eſſe matre iam mortua fœtũ etiam per momentum in eius vtero poſſe viuere, eo quia ceſſante motu, ſeu vita matris prægnantis, ceſſet etiam in fœtu cordis motus, qui pendet ex contractione, & diſtenſione duarum arteriarum vmbelicalium, qui motus, cum primum in matre ceſſat, ceſſet etiam in fœtu, qui propterea ex tali defectu neceſſario ſtatim moritur.

4 Sententia docens mortua matre, nec per inſtans viuere prolem.

His tamen non obſtantibus ſentiendum, non ſolum licitum eſſe in ea hypotheſi ſcindere vterum maternum ſtatim, ac mortua eſt mater, ſed etiam debitum. Conſentiunt in hoc *D. Thomas 3. part. q. 68. art. 11. ad tertium, Sotus in 4. diſt. 5. q. vnica art. 11. concl. 3. circa tertium, Poſſeuinus de offic. Curati c. 6. n. 8. in fin., Alenſis 3. part. q. 17. memb. 4., & alij communiter.* Ratio ex eo deducitur, quia in hoc nullum poteſt eſſe nocumentum matri, & maximum beneficium proli, non ſolum in ordine ad vitam corporalem, ſed etiam in ordine ad ſpiritualem, & æternam, ergo ſic exigente ordine, & lege charitatis erit conſulendum proli per talem ſectionem.

5 Non ſolum licitum eſt, ſed etiam debitum.

6 Soluuntur rationes docẽtiũ prolem non poſſe viuere.

Neque obſtant, quæ ex Roderico de Caſtro afferebantur, quia, vt benè notat *Rainaudus lib. de ortu infantium c. 2. n. 8.*, vt fœtus ad aliquam moram viuat, non indiget motu reſpirationis pulmonum, quia hæc eſt neceſſaria ſolum propter refrigerationem maximi caloris, cuius euidens ſignum eſt, quod mulieres paſſione hiſtericæ laborantes propter exiguum calorem

vix reſpiratione vtuntur, & quandoque accidit fuiſſe ante mortem ſepulturæ traditas, ob non animaduerſam reſpirationem, quod etiam inſinuaſſe videtur *Andreas Laurentius lib. 8. tract. c.7.n.26.*; cum igitur fætus habeat exiguum calorem, non eget reſpiratione, ſed tantum tranſpiratione, ad quam valde poteſt deſeruire, ſi ſtatim aperiatur mortuæ matris os eidem immiſſo epiſcomio, vt fætus aerem poſſit attrahere.

7 Exemplis euincitur ex vtero matris mortuæ fætum poſſe extrahi viuum.

Cæterum, quod fætus in vtero matris exiſtens mortua matre poſſit ad modicum aliquod tempus viuere, manifeſtis exemplis euincitur, quæ refert *Ioannes Angelus Boſſius de effect. matrim. c. 9. n. 146.* Nobis ſufficiat vnum, vel alterum referre. Mortua eſt Maria Imperatrix vxor Ferdinandi III. dum eſſet prægnans, & cum ſtatim ſecta fuiſſet, ab illius vtero extractus eſt infans, & baptizatus, licet paulo poſt obierit, & hoc refert *Ioannes Angelus Boſſius loco cit.* Idem refert *Molina de iuſt. tract. 2. diſp. 624. n. 1.* de alia muliere mortua, & ſecta, ex cuius vtero extractus fuit Gerardus, qui poſtea fuit Epiſcopus Conſtantienſis.

SECTIO III.

An puer nondum perfectè natus, ſed egreſſus ſolum ſecundum partem ab vtero matris poſſit baptizari.

SVMMARIVM.

Puer natus ſolum ſecundum caput, ſi periculum ſit, ne totus naſcatur, poteſt, & debet in capite abſolutè baptizari. 1.
Si non ſit periculum expectanda eſt integra natiuitas. 2.
Si perfectè naſcatur, non eſt iterandus baptiſmus. 3.
Si natus, ſeu egreſſus fuerit ſecundum partem minus principalem, & non ſit ſpes perfecti exitus, eſt baptizandus in illa parte ſub conditione. 4.
In omnibus partibus corporis eſt anima, non tamen in omnibus integritas vitæ. 5.
Si perfectè naſcatur, eſt rebaptizandus ſub conditione. 6.

COntingit quandoque, quod fætus in vtero exiſtens tentans exitum egrediatur ſecundum aliquam partem, puta inuerſo ordine ſecundum pedem, vel bracchium, vel fortè etiam recto ordine ſecundum caput, nec poſſit egredi, vel extrahi ſecundum ſe totum, niſi cum certo moraliter periculo mortis in reliquarum partium egreſſu, vel extractione. Qua in hypotheſi quæritur, an in illa parte egreſſa poſſit, & debeat baptizari.

1 Puer natus ſecundum caput, ſi periculū ſit, ne totus naſcatur baptizandus eſt abſolutè in capite.

Reſpondeo primo, ſi pars egreſſa fuerit caput, vtique poteſt, & debet exiſtente illo periculo baptizari ſimplicitèr, & abſolutè ſine vlla prorſus conditione. In hoc conſentiunt cōmunitèr, & ſignantèr *D. Thomas 3. parte q. 68. art. 12. ad 4., Suarez tom. 3. in 3. partem D. Thomæ diſp. 20. ſect. 2. verſ. deinde etiam ſatis non eſt*, vbi etiam teſtatur de communi Theologorum conſenſu. Placet in hoc potiſſimum ratio D. Thomæ, quia ſcilicet caput eſt potiſſima pars hominis, in qua fundantur omnes ſenſus, ergo eodem capite abluto non erit, cur abſolutè non ſit validus baptiſmus; nō enim neceſſe eſt, quod totum corpus abluatur cū etiam de facto quando infans perfectè natus eſt, non abluatur, niſi idem caput, & ob hanc eandem rationem in hac hypotheſi baptiſmus debet ſimpliciter conferri, non ſub aliqua conditione, quia nullum poteſt ſubeſſe dubium de validitate eiuſdem, cum fiat in parte principaliori; quod, ſi dicas, quod nulla exiſtente neceſſitate, nulloque periculo, quin fætus ſit perfectè naſciturus, non poſſit in ſolo capite baptizari, ſed expectanda ſit perfecta natiuitas, vt ſtatuunt *D. Thomas, & Suarez locis citatis, & alij*, & propterea verſetur aliquod dubium quoad valorem eiuſdem, qui ſolum conceditur exiſtente illo periculo, & neceſſitate ad conſulendum, quantum fieri poteſt, ſaluti infantis, reſpectu cuius melius eſt baptizari in dubio, quam nullo modo baptizari; ſtatim impugnaberis, quia, quod non permittatur baptizari nullo exiſtente periculo, niſi cum perfectè natus fuerit, non ideò eſſe, quia ſit dubius valor eiuſdem baptiſmi, ſed quia maximè congruit, vt prius naſcatur ſecundum Adam, quam renaſcatur ſecundum Chriſtum.

2 Si non ſit periculū expectanda eſt integra natiuitas.

3 Si perfectè naſcatur, nō eſt iterādus baptiſmus.

Hinc ſequitur, quod ſi puer baptizatus in capite, poſtea perfectè naſcatur non ſit iterum, nec ſub conditione rebaptizandus, cum iam intelligatur ſimplicitèr, & perfectè baptizatus, & ſi miniſter iterum baptizaret, conſtitueretur reus reiterati baptiſmi, & ſubderetur pœnis rebaptizantium, de quibus infra.

4 Si egreſſus fuerit ſecundū partem minus principalem eſt baptizandus in illa ſub cōditione.

Reſpondeo ſecundo, ſi egreſſa fuerit pars minus principalis, puta ſolus pes, vel manus, & periculum ſit, quod perfectè naſci non valeat, baptizandus eſt puer in illa parte egreſſus, ſub conditione tamen. In hoc etiam conſentit *D. Thomas d. q. 68. art. 11. ad 4., & alij communiter.* Expreſsè hoc ſtatuitur in Ritualibus Eccleſiaſticis, quibus plurimum eſt deferendum, cum per Eccleſiam Romanam non ſolum fuerint approbata, ſed etiam quoquo modo præcepta. Ratio autem ea eſt, quia in Sacra-

mento

Digitized by Google

mento tantæ neceſſitatis lex charitatis videtur vrgere ad conſulendum, quantum fieri poteſt, ſaluti infantis periclitantis; conſultius autem erga ipſum agitur, ſi baptizetur in illa parte egreſſa, quia poteſt eſſe, quod validè baptizetur, quam quod non baptizetur. Quod deindè tunc Baptiſmus ſit conferendus ſub conditione, ratio ſecundum *D. Thomam loc. cit.* ex eo deducitur, quod in nulla exteriorum partium integritas vitæ ita conſiſtit, ſicut in capite.

5 Quamuis anima ſit in ſingulis partibus corporis in omnibus tamen non conſiſtit integritas vitæ.

Neque dicas, quod anima ſit tota in toto, & tota in qualibet parte corporis, ergo in quacunque parte corporis fiat ablutio validus ſimplicitèr cōferretur Baptiſmus, ideoque non ſit, cur debeat ſub conditione conferri; Contrà enim impugnaberis, quia, licet effectus Baptiſmi recipiatur in anima, collatio tamen Baptiſmi per ablutionem fieri debet in corpore, & ità, vt per eandem homo dicatur ablutus; per ablutionem autem factam in parte minus præcipua, cum in eadem non conſiſtat integritas vitæ, non poteſt dici homo ablutus, ſed ad ſummum cum addito illius partis, quæ, cum minus præcipua ſit, non poteſt denominare hominem ſimplicitèr ablutum.

6 Si perfectè naſcatur eſt rebaptizandus ſub conditione.

Hinc deducitur, quod, ſi ille infans poſtea perfectè naſcatur, ſit rebaptizandus ſub conditione tamen. *Si non es baptizatus, Ego te baptizo*; cum etenim certum non ſit, quod prior Baptiſmus collatus in illa parte minus præcipua validus ſit, debet puero certo remedio prouideri, ne eius ſalus æterna relinquatur incerta, & ſub dubio.

SECTIO IV.

An pueri poſt natiuitatem perfectam, ſed ante vſum rationis poſſint baptizari.

SVMMARIVM.

Tria dubia diſcutienda ſub hoc titulo. 1.
Si ex bruto, & muliere naſcatur fætus non præferens ſpeciem hominis non eſt baptizandus. 2.
Si præferat ſpeciem hominis eſt baptizandus. 3.
Semen fæmineum eſt infectum labe originali. 4.
Quomodo dici poſſet hic fætus in Adamo peccaſſe. 5.
Errores hæreticorum aſſerentium pueros ante vſum rationis non eſſe capaces Baptiſmi. 6.
Rationes, quibus innituntur huiuſmodi errores. 7.
Conuincitur primus error aſſerens pueros eſſe incapaces Baptiſmi ex ſacris paginis. 8.
Conuincuntur etiam falſitatis, qui dicunt pueros ante vſum rationis non contrahere originale. 9.
Etiam falſitatis conuincuntur illi, qui dicunt non poſſe conferri Baptiſmum ſine Eucharistia. 10.
Soluuntur hæreticorum rationes. 11.
Sententia docens, vt pueri validè baptizentur, requiri voluntatem parentum, ſeu tutorum. 12.
Contraria ſententia docens talem parentum voluntatem non eſſe neceſſariam. 13.
Quoad validitatem non eſt neceſſaria. 14.
Soluitur argumentum aduerſantium. 15.
Monſtra poſſunt eſſe ſecundum diuerſas ſpecies. 16.
Si monſtrum conſiſtat in maſſa carnea ſine ſpecie hominis non eſt ei conferendus Baptiſmus. 17.
Anima rationalis exigit ſubiectum proportionatum. 18.
Si monſtrum habeat quandam hominis deorganizationem, ſed declinantem à conſueta hominis ſpecie, vel per exceſſum, vel per defectum poteſt baptizari ſub conditione. 19.
Si potius præferat ſpeciem animalis non eſt baptizandus. 20.
Si ortum fuerit cum duplici capite in reliquis tamen partibus ſimili homini poteſt in vtroque baptizari. 21.
Si ortum fuerit cum omnibus partibus ſubſtantialibus duplicatis duplici Baptiſmo eſt baptizandum. 22.

SVb hoc titulo tria potiſſimum examinabuntur. Primum erit, an, ſi ex fæmina ortus fuerit fætus non habens ſpeciem hominis, quia fortè natus ſit ex bruto, & ex eadem fæmina, cuiuſmodi eſt ſatyrus, poſſit, & debeat baptizari. Secundum, an ſi verè natus fuerit puer, ſed nondum conſequutus fuerit vſum rationis poſſit validè babtizari, & licitè. Tertium, an ſi ortum fuerit ex viro, & fæmina moſtrum, hoc ſit baptiaandum.

1 Tria dubia ſub hoc titulo excitata.

Quoad primum non eſt hæſitandum, quin poſſit contingere, quod ex bruto, & fæmina poſſit fætus aliquis progigni, cum legatur quandoque in hiſtorijs ex concubitu ſcimiorum maſculorum cum muliere fætus fuiſſe progenitos, & in lucem viuos editos; quo ſuppoſito, quidquid ſit de veritate, certum omnino videtur hos non poſſe baptizari *Bartholomæus ab Angelo* §. 132., *Poſſeuinus de Baptiſ. c.6. n.13.*, *Henriquez c. 21.*; *Bonacina de Sacram. Baptiſm. diſp.2. q.2. punct.6. n.3.* Ratio eſt, quia non poteſt dici ſimplicitèr homo, nec contraxiſſe peccatum originale, cum hoc traducatur ex Adamo per virilem propagationem,

2 Si ex fæmina, & bruto naſcatur fætus nō præferēs ſpeciem hominis non eſt baptizādus.

nem, vt docent communitèr Theologi in quæſtionibus de peccato originali.

3 Si præferat ſpeciē hominis eſt baptizandus.

Sed quid erit dicendum, ſi in deorganizatione potius præferat ſpeciem humanam, quam belluinam. Adhuc aſſerendum exiſtimo, non fore capacem Baptiſmi, cum non ſit progenitus per virilem propagationem, & illa ſpecies ſit merè accidentalis; ſi tamen ſupponatur, quod ille fætus ſit animatus, ſeu informatus anima rationali, quod tamen vix poſſet credi; tunc maius dubium erit, quia ex vna parte verè poſſet dici homo ratione animæ rationalis, qui propterea ad ſalutem conſequendam indigeret Sacramentis ſalutaribus, quorum non eſſet capax ſine Baptiſmo; ex alia, cum non eſſet per virilem propagationem progenitus, non videretur contraxiſſe peccatum originale. Crederem tamen data illa ſuppoſitione, quæ tamen verſatur in actu metaphyſico, poſſe, & debere baptizari, quia eſſet compactus ex fæmineo ſemine infecto labe originalis culpæ; nec obſtat, ſi dicatur; quod cum femina intelligatur Baptiſmum ſuſcepiſſe, intelligatur etiam liberata à labe originalis, cum hæc dematur per Baptiſmum, adeoque, quod non poſſit illud in prolem transfundere; Non obſtat, inquam, quia in primis hac ratione filij à parentibus baptizatis progeniti non eſſet baptizandi, cum per Baptiſmum in parentibus intelligatur macula originalis ſublata. Deindè vt benè notat *D. Thomas tertia part. q. 68. art. 1. ad ſecundum*, illi, qui baptizantur, renouantur per Baptiſmum ſolummodo ſecundum ſpiritum, corpus tamen remanet ſubiectum vetuſtati peccati ſecundum illud ad Roman. 8. *Corpus quidem mortuum eſt propter peccatum; ſpiritus vero viuit propter iuſtificationem*; vnde non eſt, cur cum ſemine infecto originalis illa culpa non transfundatur in prolem.

4 Semen fæmineũ eſt infectum labe originali.

5 Quomodo dici poſſet hic fætus in Adamo peccaſſe.

Difficultas ſolummodo conſiſtit in eo, quod iuxta illud Apoſtoli, *Omnes in Adam peccauerunt*, communitèr dicitur, quod peccatum originale transfundatur in poſteros per virilem propagationem; in hoc autem caſu non poteſt dici virilis propagatio interuenire, cum maſculus ad illius fætus generationem non concurrat. His tamen non obſtantibus ſentiendum eſt, prolem ex illa fæmina progenitam infici labe originalis peccati, & indigere Sacramento Baptiſmatis; nec obſtare, quod illa proles non promanarit ex ſemine virili, ſeu per virilem propagationem, quandoquidem etiam Eua non proceſſit ab Adam per virilem propagationem, quia tamen habebat, & ipſa voluntatem moralitèr tranſlatam in illam Adami, & ipſa contraxit maculam originalem; cum ergo, & omnes fæminæ habuerint ex diuina diſpoſitione voluntatem vnitam illi Adami, & oriantur ex ſemine infecto eiuſdem, & ipſæ etiam actiuè iuxta noſtra principia concurrant ad generationem prolis, non eſt, cur maculam originalem, quam in ſe contraxerunt, non transferant cum ſuo ſemine infecto etiam in prolem; nec obſtat, quod omnes dicamur in Adamo peccauiſſe, quia reuera in ipſo peccauimus, & etiam illa proles diceretur in eodem peccaſſe proptèr voluntatem eidem vnitam; & proptèr ſemen ab eodem proueniens etiam in fæminas, à qua ipſe proceſſit.

6 Errores hæreticorum aſſerentiũ pueros ante vſum rationis nõ eſſe capaces Baptiſmi.

Quoad ſecundum non defuerunt hæretici, qui abſolutè aſſeruerunt paruulos etiā perfectè natos vſum tamen rationis non habentes, non eſſe capaces Baptiſmi, cum nequeant fidem habere. Huius erroris auctor fuit quidam Petrus de Bruis natione Gallus ex Prouincia Narbonenſi, quem poſtea ſecutus fuit quidem Henricus etiam natione Gallus patria Toletanus, quem errorem poſtea per ducentum, & amplius annos ſepultum excitarunt Anabatiſtæ anno 1302. ſub Clemente V., & Alberto I. Auſtriaco Romanorum Imperatore. Huic errori acceſſerunt Pelagius, Viclephus, & Armeni, vti illis tribuit Guido in ſua ſumma de hæreſibus, qui omnes illa ratione mouebantur, quod pueri ante vſum rationis non contrahant peccatum originale. His etiam quodamodo acceſſerunt, ſed alia ratione quidam Armeni aſſerentes non poſſe conferri Baptiſmum, niſi etiam conferatur Sacramentum Euchariſtiæ; pueris autem ante vſum rationis Euchariſtia non confertur.

7 Rationes quibus innituntur hi errores.

Pluribus rationibus ad hunc errorem comprobandum vtuntur, & primò ex verbis Chriſti Domini Matthæi vlt. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris &c.* Rurſus *Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit*; pueri autem ante vſum rationis ſunt incapaces doctrinæ, & fidei, ergo ad eos non poteſt dirigi locutio diuina. Secundò ad valorem Baptiſmi, eiuſque effectum requiritur intentio illum ſuſcipiendi, quæ intentio non poteſt conſiderari in pueris vſu rationis carentibus. Tertiò ex illa primæ Petri 3., vbi dicit, quod homines ſaluos facit baptiſma non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum; ſed pueri neque conſcientiam habent bonam, vel malam, cum non habeant vſum rationis.

8 Ex ſacris paginis refellitur primus error.

Sed hæc hæreſis ſecundum omnes ſui partes conuincitur falſitatis, & primò ſecundum id, quo dicitur, eſſe incapaces Baptiſmi ſic arguo. Pueri ante vſum rationis ſunt capaces ſalutis æternæ, & Regni Cælorum, iuxta illud Matthæi 9. *Sinite paruu-*

les

los venire ad me, talium enim eſt Regnum Cælorum; item ex illo eiuſdem Matthæi 18. *Aduocans Ieſus paruulum ſtatuit in medio eorum, & dixit, niſi efficiamini ſicut paruulus iſte, non intrabitis in Regnum Cælorum*; neque arbitrandum eſt iuxta nonnullorum interpretationem Chriſtum Dominum ibi nomine paruulorum intellexiſſe ſolummodo humiles, & ſimplices corde, vnde adultis dixit: *Niſi efficiamini ſicut paruulus iſte*, quod nequit intelligi, niſi ſecundum ſimplicitatem; Non, inquam, arbitrandum eſt, quia, licet in ſenſu ſpirituali, & myſtico poſſint illa verba intelligi, ſecundum ſenſum tamen literalem, qui in ſacris paginis magis eſt attendendus ſonant paruulos, & infantes; vnde D. Epiphanius ponderans illa verba Matthęi 18. dixit: Ne ſolum puerorum eſſe intelligeretur Regnum Cælorum, & non omnis ætatis, ab ipſis quidem initium facit; his vero, qui ſimiles ipſorum ſunt, largitus eſt, vt cum ipſis habeant hæreditatem; ſi enim hi, qui ſecundum ipſos ſunt, habent regnum, quanto magis illi, qui exemplaria ſunt eorum, qui ſecundum ipſos ſunt? ex quibus omnibus infero, ergo, ſi ſunt capaces Regni Cælorum, erunt etiam capaces Baptiſmi, ſine quo non poſſunt conſequi Regnum Cælorum, iuxta illud Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt intrare in Regnum Dei*, quod dictum non limitatiuè refertur ad adultos, ſed indefinitè ad omnes, cum ſit remedium pro omnibus inſtitutum, prout conſtat ex latitudine ſermonis.

9 Conuincitur etiã error aſſerens pueros ante vſũ rationis non contrahere originale.

Secundò quoad eos, qui dixerunt paruulos ante vſum rationis non indigere Baptiſmo, eo quia ante illum non contrahunt peccatum originale; apertè conſtat de falſitate, reſultante ex regula generali edita ab Apoſtolo, *Omnes in Adam peccauerunt*; qui autem dicit *omnes*, nullum excludit. Deindè nulla eſt ratio ob quam paruuli debeant excipi ab illa regula, potiſſimum cum idem Apoſtolus dicat. *Omnes naſcimur filij iræ*, dum autem naſcimur, certò caremus vſu rationis. Rurſus ad contrahendam hanc noxam non eſt neceſſarius aliqnis actus propriæ voluntatis, ſed ſufficit, quod voluntas propria ſit moralitèr tranſlata in illam Adami, ad quam vnionem parum referre poteſt, quod ſit voluntas adulti, vel paruuli. Tandē hæc falſitas euincitur ex Concil. II. Milleuitano celebrato anno ſalutis 416. per quod definitur pueros egere Baptiſmo ad deletionem peccati originalis, quod ex Adam traxerunt, & ex Concil. Conſtantienſi celebrato anno ſalutis 1415. ſub Ioanne XXIV. mille, & amplius PP. vbi idem definitum eſt. Vlterius ex Concil. Trid. ſub Paulo III. ſeſs. 5. in decreto peccati originalis, vbi ſub anathemate damnat dicentes pueros ante Baptiſmum non habere peccatum originale, & conſequentèr non egere Baptiſmo.

10 Etiam illi, qui aſſerunt non poſſe cõferri Baptiſmũ ſine Euchariſtia.

Tertiò falſitatis conuincuntur illi, qui dixerunt, non poſſe conferri Baptiſmum, niſi ſimul conferatur Sacramentum Euchariſtiæ ex eo, quod nec in inſtitutione Baptiſmi, nec in præcepto, nec in promulgatione eiuſdem facta ſit mentio vlla Euchariſtiæ, vt legenti eſt manifeſtum, nec vllus eſt aſſignabilis textus, qui conuincat neceſſitatem coniunctionis huiuſmodi Sacramentorum. Accedit, quod longè antè inſtitutum eſt Sacramentum Baptiſmi ab illo Euchariſtiæ, ſi quidem illud, vt ſupra aſſerebamus, inſtitutum eſt, quando à Ioanne Chriſtus baptizatus eſt in Iordane, & iſtud in vltima cæna, & tamen antecedentèr ad cænam diſcipuli baptizabant, vt legitur *Ioannis* 4. ergo non eſt neceſſitas, quod in collatione Baptiſmi conferatur ſimul Euchariſtia. Falcem demum huic errori immiſit *Concil. Trid.* dum *ſeſs.* 21. *can.* 4. damnat ſub anathemate. Si quis dixerit paruulis, antequam peruenerint ad annos diſcretionis, neceſſariam eſſe Euchariſtiæ communionem, & ex alio capite *ſeſs.* 7. *can.* 13. ſub eodem anathemate damnat dicentes paruulos eo quod actum credendi non habent, ſuſcepto Baptiſmo inter fideles computandos non eſſe, ac propterea, cum ad annos diſcretionis peruenerint, eſſe baptizandos; ex quibus euincitur baptizandos eſſe, antequam eis permittatur vſus Euchariſtiæ.

11 Soluuntur hæreticorum rationes.

Ad argumenta, quibus innitebantur hęretici huius falſitatis auctores, vel fautores, nunc reſpondendum, & quidem ad primum deſumptum ex verbis Matthæi. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit &c. Euntes docete omnes gentes baptizantes*, dicendum eſt ea verba, *euntes docete omnes gentes baptizantes*, duo inuoluere prædicationem ſcilicet, ſeu inſtructionem populorum, & Baptiſmum, & prædicatio refertur ad adultos, vtpotè illius capaces, Baptiſmus vero ad omnes, vt exponit *Innocentius III. in c. maiores de Baptiſmo*, & dum illa prædicatio refertur ad adultos, refertur etiam in ordine ad paruulos, quia onus illorum eſt perducere paruulos ad eundem Baptiſmum. Ad illud, quod ſubditur de intentione ſuſcipiendi Baptiſmum, & de fide requiſita ad illius ſuſceptionem, dicendum eſt (& per hoc reſpondetur etiam ad illa verba. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit*) hæc quidem requiri in adultis, qui per proprios actus poſſunt diſponi ad ſuſceptionem Baptiſmi; non autem in paruulis, qui, cum per proprios actus nequeant ſe

diſpo-

diſponere, diſponuntur per actus aliorum, vel Eccleſiæ, vnde *D. Thomas tertia part. q. 68. art. 9. ad primum*, comparat regenerationem ſpiritualem, quæ fit per Baptiſmum, natiuitati, ſeu generationi carnali; quatenus, ſicut pueri in vteris maternis exiſtentes non per ſe ipſos nutrimentum accipiunt, ſed ex nutrimento matris ſuſtentantur, ità pueri nondum habentes vſum rationis quaſi in vtero Matris Eccleſiæ non per ſe ipſos, ſed per actus Eccleſiæ conſequuntur, quam ſimilitudinem deſumpſit ex *D: Auguſtino lib. de peccatorum meritis, & remiſ.* vnde idem D. Auguſtinus Bonifacio ſcribens dixit: In Eccleſia Saluatoris paruuli per alios credunt, ſicut ex alijs peccata, quæ per Baptiſmum remittuntur, contraxerunt. Idem ferè reſpondendum eſt ad illud, quod ſubditur ex illo primæ Petri 3.; nam ſicuti, vt mox dictum eſt, puer, dum actu baptizatur, credit per alios, ita interrogatur, & reſpondet per alios, & conſequitur conſcientiam bonam in ſe ipſo non actu, ſed habitu per gratiam iuſtificantem, quam recipit.

12 Sentẽtia docens, vt pueri validè baptizẽtur requiri voluntatem parentũ.

Hic excitant quæſtionem DD., an, vt infantes validè, & cum effectu recipiant Baptiſmum, requiratur, ſi non propria, quæ interuenire nequit ob defectum vſus rationis, ſaltem voluntas parentum, vel aliorum ſuſcipientium. Circa quam *Durandus in quarto diſt. 4. q. 7. n. 13., & ibi Paludanus q. 4. n. 33., & alij*, loquentes ſignantèr de filijs Iudæorum aſſerunt, neceſſariam eſſe voluntatem parentum ſuorum, vel aliorum, quorum curæ commiſſi ſunt, propter eam rationem, quia, quandiu pueri non poſſunt habere voluntatem propriam, manent ſub voluntate parentum, vel tutorum, ſeu curatorum; atque ad hãc opinionem confirmandum plurimum conferre poſſe videntur ea, quæ mox dicebamus in confutatione rationum pro hæreticis allatarum, ſcilicet paruulos credere, & intendere Baptiſmum per alios, non per actus proprios, quia illos nequeunt habere, ergo requiritur aliorum voluntas, vt validè paruulis conferatur Baptiſmus. Contrarium tamen ſuſtinet *Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 25. ſect. 1. verſ. dico ſecundo vſque ad finem ſectionis*, & pro hac opinione allegat *D. Thomam, Sotum, D. Auguſtinum, & alios*, ſub

13 Sentẽtia Suarez docentis talẽ parentum voluntatem non eſſe neceſſariã.

ea ratione, quod nulla ſit auctoritas, vel traditio, per quam inferatur huiuſmodi neceſſitas voluntatis parentum, vel aliorum, quorum curæ commiſſi ſint infantes, quin immò ex Eccleſiæ praxi euincitur, quod talis parentum voluntas non ſit neceſſaria, cum nunquam permiſerit Baptiſmum ſic collatum ob talem defectum iterari, ergo, quia ſentit Baptiſmum ſine tali voluntate ſubſiſtere. Accedit, quod, ſicuti paruuli contrahunt originale ſine conſenſu parentum per ſolum conſenſum præſtitum ab Adamo, ità poſſint ab eodem abſolui ſine parentum voluntate per ſolam Chriſti voluntatem quodamodo alligatam Baptiſmo. Addere etiam videtur vlterius, nec eſſe neceſſariam Eccleſiæ voluntatem, quandoquidem poteſt contingere, vt Eccleſia nolit, ſeu potius prohibeat, ne infans baptizetur, & tamen, ſi ab aliquo priuata auctoritate baptizetur, validus ſit Baptiſmus. Quid ergo erit in hoc ſtatuendum?

14 Quoad valorem non eſt neceſſaria.

Si loquamur de validitate Baptiſmi ſentiendum eſt cum eodem *Suarez loc. cit.* non requiri ex neceſſitate voluntatem parentum; ſi vero de licita eiuſdem Baptiſmi collatione procedendum eſt per varias diſtinctiones, de quibus in ſequenti ſectione. Quoad primam partem de validitate per rationes ab eodem Suarez adductas ſatis videtur euinci hæc aſſertio, quibus adde, quod intelliguntur etiam non accedente voluntate parentum adeſſe omnia requiſita iuxta inſtitutionem Chriſti Domini ad valorem, nempè debita materia, & forma, & intentio baptizantis; non enim filij quoad ea, quæ ad animam ſpectant, pendent à voluntate parentum. Quod, ſi repetas, quod ad valorem Baptiſmi requiratur intentio illum ſuſcipiendi, & fides, ſi non per voluntatem propriam, quæ requiritur, quando quis poteſt elicere, ſaltem per alienam, quando quis per ſe ipſum nequit illam habere; vnde, ſicuti adultus non validè reciperet, ſi non haberet voluntatem propriam illum recipiendi, ità, nec validè infans reciperet, ſi aliena voluntas non haberetur, quin potius contraria; Quamobrem iuxta ſupra allegata dicuntur pueri intendere Baptiſmum, & credere intentione, & fide parentum, ſeu Eccleſiæ; Si, inquam, hæc repetas, ſtatim

15 Soluitur argumẽtum aduerſantium.

impugnaberis, quia, vt notat *D. Auguſtinus lib. 3. de libero arbitrio c. 23.* in Baptiſmo paruulorum requiritur fides offerentium, non quidem per modum neceſſariæ diſpoſitionis, ſed quia per eam fit, vt eis applicetur Sacramentum fidei; hæc autem applicatiò ſufficientèr videtur fieri per ipſum baptizantem, qui intendit conferre Sacramentum, & eſt miniſter Chriſti, & Eccleſiæ; & Suarez ait huiuſmodi infantes intendere Baptiſmum, & credere non actu interno, ſed ipſo opere, & ſuſceptione Baptiſmi, ita vt credere in hac hypotheſi nihil aliud ſit, quam fidem Chriſti opere ipſo in Baptiſmo profiteri.

Quoad tertium in principio ſectionis propoſitum præmittendum eſt, monſtrum.

ea

Digitized by Google

ex maſculo, & fæmina progenitum, & ortum poſſe eſſe ſecundum diuerſas exteriores ſpecies, & formam;

16 Monſtrū quomodo poſſit concipi.

primò, quatenus eſt ſub maſſa quadam carnis ſine vlla hominis deorganizatione, quantumuis ex motu dignoſcatur viuens; Secundò, quatenus, licet habeat quandam hominis deorganizationem, præferat tamen quandam ſenſibilem deformitatem, vt plurimum differat à conſueta ſpecie hominis. Tertiò, quatenus præferat ſpeciem potius aptam manifeſtare aliam ſpeciem animalis, quam hominis. Quartò, quatenus ortum fuerit cum duplici capite, quamuis cum vnico tantum pectore, alijſque partibus homini naturalibus, & conſuetis puta cum duplici tantum bracchio, & duplici pede. Quartò, quatenus non ſolum cum duplici capite, ſed etiam duplici pectore licet non duplicatis alijs partibus. Secundum has omnes ſpecies diſſoluendum erit hoc dubium. Hinc

Reſpondeo primò, ſi ortum fuerit præferens ſolummodo quandam maſſam carnis ſine vlla prorſus hominis deorganizatione,

17 Si monſtrū conſiſtat in maſſa carnea ſine ſpecie hominis nō eſt ei cōferendus Baptiſmus.

probabilius arbitror, eidem non eſſe conferendum Baptiſmum, quantumuis ex motu dignoſcatur viuens. Rationem ex eo deduco, quod non ſit præſumendum, quod viuat vita hominis, ſeu rationali, quandoquidem anima rationalis exigit proportionatum ſubiectum cum debita partium dimenſione, & diſtincta earundē diſpoſitione, quibus non extantibus non videtur anima rationali, ſed alia quadam materiali informari. Nec obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod iuxta noſtra principia in quæſtionibus Phyloſophicis de anima in efformatione hominis in vtero matris anima rationalis infundatur in corpus, quando hoc aptum eſt ad operationes vegetatiuas, quantumuis non ſit tunc aptum ad operationes rationales, cum non habeat tunc ſubiectum proportionatum ad illas; ergo poteſt infundi anima, quantumuis non ſit ſubiectum proportionatum ad illius operationes; Non, inquam, obeſſe poteſt,

18 Anima rationalis exigit ſubiectū proportionatū.

quia ideo in fætu nondum perfectè efformato, dummodo ſit efformatum in ordine ad operationes vitales vegetatiuæ potentiæ, dicitur anima rationalis infundi, quia iuxta veriora principia vnica dumtaxat anima in homine ſtatuenda eſt, & licet anima rationalis nondum plenè, & perfectè efformato corpore non habeat ſubiectum proportionatum ad operationes animæ rationalis, habet tamen ſubiectum aptum ad informationem, quod poſtea in diſpoſitione proxima erit perficiendum etiam in ordine ad eaſdem operationes rationales; hæc autem verificari nequeunt in illa maſſa carnea, quæ nullam habet proportionem, nec ad recipiendam animam rationalem, nec ad eius operationes, nec in diſpoſitione proxima, nec in remota.

Reſpondeo ſecundò. Si monſtrum illud habeat quandam hominis deorganizationem,

19 Si habeat quandā hominis deorganizationem poteſt ſub cōditione baptizari.

ſed præferat deformitatem declinantem à conſueta hominum ſpecie, vel per exceſſum, quatenus è fronte emanent cornua, ſeu aures appareant aſininæ, ſeu quid ſimile, vel per defectum, quatenus deficiant partes aliquæ integrantes, puta aure, naſus, oculi, & ſimilia, poterit baptizari, ſed ſub conditione, ſi capax eſt. Ratio ex eo deducitur, quod, cum in cæteris habeat deorganizationem propriam hominis, & natus ſit ex maſculo, & fæmina per veram, & conſuetam generationis formam, præſumendum eſt, quod non careat anima rationali, cum ille exceſſus, ſeu defectus ſint, ſeu præſumi poſſint merè accidentales, & præter conditionem hominis, non contrà, ergo ſub hac ratione poterit baptizari; quia tamen ille exceſſus, ſeu defectus poſſunt ingerere aliquam ſuſpicionem, potiſſimum, ſi ſint in multis partibus, adeo vt probabilitèr poſſit dubitari, an ſit homo, nec ne, Baptiſmus non videtur abſolutè conferendus, ſed ſub conditione, per quam tollitur quæcunque irreuerentia Sacramenti, ſi fortè non eſſet capax illius.

Reſpondeo tertiò, ſi monſtrum ità oriatur,

20 Si potius præferat ſpeciem animalis non eſt baptizā dus.

vt potius præferat ſpeciem animalis, quam hominis, probabilius non videtur baptizandum, quia præualet natura animalis in eodem naturæ hominis, ſi tamen dubium foret, baptizari poſſet ſub conditione, vt conſulatur eius ſaluti, ſi capax fuerit.

Reſpondeo quartò, ſi ortum fuerit cum duplici capite,

21 Si ortum fuerit cū duplici capite in reliquis ſimile alijs poteſt in vtroque baptizari.

quamuis in alijs partibus ſit ſimilis alijs hominibus baptizari poſſe in vtraque parte, in vna, in qua perfectius caput reſultat abſolutè, in altera in qua non ità perfectè apparet, ſub conditione, & in hoc conſentiunt *Toletus lib. 2. c. 21. n. 6. verſ. quarto notandum*, *Camerota de Baptiſmo c. 5. dub. 11.*, *Silueſter verb. Baptiſmus 3. q. 10.*, *Bonacina de Baptiſmo diſp. 2. q. 2. punct. 6. n. 4.* Ratio eſt, quia in hoc caſu poteſt eſſe dubium, an ſit duplex perſona duplici anima informata, & vtrique quantum fieri poteſt, conſulendum eſt de remedio ſalutis æternæ, ergo reſultante perfectius de vno capite, in quo certius reſidet anima, in hoc erit monſtrum illud baptizandum, & vtique abſolutè cum certè conſtet in eodem animam reſidere, &, ne alterum ſuppoſitum, ſi fortè fuerit à primo diſtinctum, deſtitutum remedio remaneat, erit in illo capite baptizandum

ſub conditione tamen, ne fortè duplex Baptiſmus eidem ſuppoſito conferatur. Quod, ſi ſupponas, vtrumque caput eſſe eiuſdem perfectionis poterit etiam vnum abſolutè baptizari, & alterum ſub conditione, cum certum ſit vtrumque viuere, & dubium ſolum verſetur, an eadem anima vtrumque viuar, an duplici diſtincta, & ſi eadem anima vtrumque viueret per primum Baptiſmum illud ſuppoſitum baptizaretur, & conſequeretur ſuum effectum; & ſecundum irritum eſſet, nec tamen induceret aliquam irreuerentiam Sacramento, cum eſſet ſub conditione; ſi vero diſtincta anima viueret, vtrique per duplicem illum Baptiſmum foret conſultum.

22 Si ortum fuerit cũ duplici capite, duplici pectore aliiſque partibus ſubſtantialibus duplicatis debet duplici Baptiſmo baptizari.

Reſpondeo quintò, ſi monſtrum illud conſtaret duplici capite, & duplici pectore, aliiſque duplicatis partibus ſubſtantialibus duplici Baptiſmo abſolutè eſſet baptizandum. In hoc etiam conſentit Bonacina, aliique DD. pro præcedenti reſponſione allegati. Ratio ex eo deducitur, quia ex illa diuerſitate partium ſubſtantialium deſumitur conuincens ratio, quod ſit duplex ſuppoſitum, & perſona, ergo vtrumque, ſeu vtraque erit munienda proprio, & diſtincto Baptiſmo; vnde monet idem Bonacina loco, quo ſupra, quod nulla vrgente neceſſitate vtraque perſona diuerſo Baptiſmo ſub diſtincta forma ſit baptizanda, vrgente vero neceſſitate vtraque ſit abluenda ſub vna forma hoc ſermone concepta, *Ego vos baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Cauere tamen debet miniſter, ne formam abſoluat antequam vtramque perſonam abluerit.

SECTIO V.

An liceat filios infidelium baptizare inuitis parentibus.

SVMMARIVM.

Si filij infidelium peruenerint ad vſum rationis, & Baptiſmum petierint, poſſunt baptizari etiam inuitis parentibus. 1.
Varia genera infidelium. 2.
Infantes infidelium, qui nunquam communicarunt cum Eccleſia, nequeunt licitè baptizari inuitis parentibus. 3.
Iura, quibus innititur hoc dictum. 4.
Priuarentur parentes iure ſuo cum iniuria. 5.
Chriſtus Dominus vult homines ſaluari per voluntatem liberam. 6.
Incommoda, quæ orirentur ex illo Baptiſmo inuitis parentibus. 7.
Infantes infidelium poſſunt baptizari inuitis parentibus, dum exiſtunt in extremo mortis periculo. 8.
Cautela in hoc caſu adhibenda. 9.
Poſſunt etiam infantes infidelium baptizari, ſi vnus ex parentibus fuerit fidelis baptizatus. 10.
Etiam ſi alter parentum conuerſus fuerit ad fidem, & baptizatus. 11.
Etiam ſi vterque perſeueret in infidelitate, ſi alter conſentiat in Baptiſmum filij. 12.
Infantes infidelium etiam degentium in ditionibus Principum Chriſtianorum non poſſunt licitè baptizari inuitis parentibus. 13.
Ex eo, quod parentes degant in ditione Principum Chriſtianorum non ſiunt illis ſubditi quoad onus Religionis. 14.
Eluduntur rationes Scoti volentis poſſe compelli per Principes, in quorum ditione degunt. 15.
Filij infidelium, qui communicarunt cum Eccleſia per Baptiſmum, ſed poſtea ab ea receſſerunt, poſſunt baptizari inuitis parentibus. 16.

Non eſt dubium, quod, ſi filij infidelium peruenerint ad vſum rationis, inconſultis, quinimmò etiam inuitis parentibus, ſi ipſi filij in hoc conſentiant, poſſint nedum validè, ſed etiam licitè baptizari, ſi ſeruentur ſeruanda in hoc genere; ipſi etenim in iis, quæ ſpectant ad ſalutem animæ, ſui iuris ſunt, & independentes à parentibus. Difficultas igitur ſolum reducitur ad filios eorundem infidelium, quando adhuc ſunt in infantia, & carent vſu rationis; Pro qua

1 Filij infidelium habentes vſum rationis, ſi petant Baptiſmũ poſſunt etiã inuitis parentibus baptizari.

Aduerte filios infidelium eſſe in multiplici differentia iuxta diuerſitatem infidelitatis parentum; alij etenim ſunt infideles, qui nullo modo ſunt ſubiecti Eccleſiaſticæ poteſtati, cuiuſmodi ſunt Pagani, & Hæbrei, qui nunquam cum Eccleſia communicarunt; atque hi etiam ſunt in duplici differentia; alij, qui quamuis non ſubſint iuriſdictioni, & poteſtati Eccleſiæ, ſubduntur tamen quoad dominium, & poteſtatem ſæcularem Principibus Chriſtianis, quatenus in eorum ditionibus habitant, cuius modi ſunt Hæbrei; alij, qui nec ſunt ſub iuriſdictione Eccleſiæ, nec ſub poteſtate Principum Chriſtianorum; cuiuſmodi ſunt, qui viuunt in dominio Principum infidelium. Alij ſunt infideles, qui, quamuis ſe ſubſtraxerint per Apoſtaſiam ab Eccleſia poſt ſuſceptum Baptiſmum, adhuc tamen remanent ſubditi Eccleſiæ ratione poteſtatis, quam in eoſdem aquiſiuit ratione ſuſcepti Baptiſmi. De his omnibus procedit præſens titulus.

2 Varia genera infideliũ.

Concluſio I. Infantes infidelium, qui nunquam communicarunt cum Eccleſia, nec degunt in ditionibus Principum Chriſtianorum, regularitèr loquendo nequeunt licitè inuitis parentibus baptizari. In hoc con-

3 Filij infidelium infantes, qui non communicarunt cum Eccleſia nõ ſunt baptizandi.

conſentiunt *D. Thomas tertia part. q. 68. art. 10. in corpore, & ſecunda ſecundæ q. 10. art. 12.* quē ſequuntur omnes eius diſcipuli *Riccardus in quarto diſt. 6. art. 3. q. 3., D. Antoninus ſecunda part. tit. 12. c. 2. §. 4., Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 25. ſect. 3.*

4 Iura quibus hoc dictum innititur.

Euincitur primò *ex c. de Iudæis diſt. 45.,* ex *Concil. Tolet. 4. c. 15.* relatis à *D. Thoma d. q. 68. art. 10. in corp.* vbi Sancta Synodus nemini ait debere ad credēdum vim inferri; non enim tales inuiti ſaluandi ſunt, ſed volentes, vt integra ſit forma iuſtitiæ. Item ex *D. Gregorio lib. 11. Epiſt. 15., & lib. 2. c. 91. Epiſtola 52.*

5 Priuarētur parētes iure ſuo cum magna iniuria.

Secundò duplici ratione *D. Thomæ loc. cit.*, altera à priori, altera a poſteriori. Prima eſt, quia Parentes iure naturæ habent proprios infantes ſibi ſubditos potiſſimum, quando ipſi infantes ſibimet ipſis prouidere non poſſunt, ergo ex iure naturæ, & iuſtitiæ nequeunt ſubtrahi ab ipſis parentibus non conſentientibus, ſed potius inuitis, ergo eiſdem inuitis nequeunt baptizari, quia ſecus parentes priuarentur naturali iure, & quaſi dominio, quod habent in filios, potiſſimum cum Eccleſia ratione Baptiſmi acquireret poteſtatem in ipſos, & ad tuendum honorem Sacramenti, & ne filij deficerent, eos extrahere poſſet à patria poteſtate.

Neque dicas, maiorem poteſtatem habere Chriſtum Dominum in huiuſmodi filios infidelium, ac habeant eorum parentes, cum ipſe ſit Dominus ſupremus iuriſdictionis, & proprietatis in omnes; Chriſtus autem Dominus in generali locutione præcepit Apoſtolis, & per eoſdem Eccleſiæ, vt omnes baptizarent, *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris &c.* per quæ verba, ſicut dedit præceptum generale, ità dediſſe cenſendus eſt poteſtatem generalem in omnes; Contrà enim impugnaberis, quia Chriſtus

6 Chriſtus vult homines ſaluari per voluntatem liberam.

Dominus dedit quidem præceptum generale Apoſtolis baptizandi, per quod præceptum etiam obligauit omnes ad ſuſcipiendum Baptiſmum tanquam medium neceſſarium ad conſequendam ſalutem, non tamen præcepit, vt baptizarent contra eorum voluntatem, cum voluerit eos ſaluos per voluntatem liberam, non per coactam, & hoc in ordine ad adultos capaces recipiendi diuinam doctrinam; in ordine vero ad paruulos, & infantes præceptum quodamodo direxit ad eorum parentes, vt ipſos inſtruerent, & traherent ad Baptiſmum, non tamen ipſos ſubtraxit à patria poteſtate, quæ certè patria poteſtas læderetur, ſi contrà voluntatem parentum filij baptizarentur; non quia voluntas eorundem parentum requiratur tanquam neceſſaria diſpoſitio, ſed quia parētes habent ius à natura inditum in filios, illos in rebus omnibus dirigendi præſertim, quando filij propria voluntate regi non poſſunt, quo iure nequeunt priuari ſine manifeſta iniuria.

7 Incommoda, quæ orirentur ex illo Baptiſmo inuitis parentibus.

Secunda ratio D. Thomæ eſt, quia, ſi filij infidelium carentes vſu rationis baptizarentur contra voluntatem parentum, eſſet maximum periculum, quod peruenientes ad vſum rationis ob affectum parentum ad eorum ſectam declinarent in ſpretum recepti Sacramenti, & Religionis Catholicæ; ad quod periculum euertendum nunquam conſueuit Eccleſia filios infidelium contra voluntatem parentum baptizare.

8 Infantes infideliū in extremo mortis periculo poſſunt baptizari.

Dixi in concluſione *regulariter loquendo*, non etenim negauerim in aliquibus caſibus licere filios infidelium carentes vſu rationis contra voluntatem parentum baptizare; & primò, quando paruulus eſſet in extremo mortis periculo; tunc etenim talis extrema neceſſitas videtur præponderare iuri, quod habent parentes in filios, & in hoc conſentiunt *Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 25. ſect. 3. verſ. ex his autem, Sotus in quarto diſt. 5. q. vnica art. 7., Philiarchus part. 2. lib. 1. c. 18., Fillintius tract. 2. c. 6. q. 8. n. 144., & alij communiter.* Adde, quod ex vna parte ius patriæ poteſtatis in illa hypotheſi ob mortem imminentem cenſetur quodamodo extinctum, vel quaſi extinctum; ex alia parte videtur ceſſare periculum ſubuerſionis. Monet tamen *Suarez loc. cit.* cautè, & conſultè in hoc procedendum eſſe, vt

9 Cautelæ in hoc adhibendæ.

quantum fieri poteſt, infans ſic periclitans baptizetur occultè; item, vt infans ſit in eo ſtatu, vt de illius vita corporali moraliter nulla ſit ſpes, ne fortè, ſi euadat ab illo periculo, redeat ad parentum infidelitatem; item, vt Baptiſmus non conferatur per manifeſtam violentiam, quia hoc, ſi fieret, cederet in iniuriam Religionis Catholicæ, & præberet occaſionem ſcandalorum, & ſacrilegiorum.

10 Poſſunt etiam infantes infidelium baptizari, ſi vnus ex parentibus fuerit baptizatus.

Secundò etiam licitè poteſt baptizari infans, quando vnus ex parentibus eſt fidelis baptizatus, alter omnino infidelis, ſiue parens baptizatus fuerit pater, ſiue mater, & in hoc conſentiunt communiter, & inſignanter *Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 25. ſect. 3. verſ. duo ſuperſunt dubia, Nugnus in tertia part. q. 68. art. 10. diffic. 2. concl. 1., Bonacina de Baptiſmo diſp. 2. q. 2. punct. 6. n. 2. verſ. reſpondeo 4.*, & alij apud eundem Bonacinam. Hoc expreſsè habetur *in c. Iudæi 28. q. 1.*, & congrua quidem ratione, cum ſit melior conditio fidelis, & innocentis, & ſi mater fuerit fidelis partus videtur ſequi ventrem ſtante

ipſius fidelitate, & ſi Pater fuerit talis, cum ipſe ſit principalis in ordine ad procreationem filij, ratione originis coniunctę cum fidelitate ipſe debet præualere; Neque dicas hæc duo ad inuicem pugnare, vel etenim debet præualere venter maternus, & ſic quamuis pater ſit fidelis debet cedere matri, vel debet præualere origo principalis actiua patris, & ſic, quamuis mater fuerit fidelis, & pater infidelis, illa iſti debet cedere. Contrà enim impugnaberis, quia in noſtra aſſertione non conſiderauimus præciſè ordinem naturæ, ſed potiſſimum ordinem gratiæ, & ideo diximus, *ſtante eius fidelitate, ratione originis coniunctæ cum ipſa fidelitate*; quando autem alterius conditio in ordine gratiæ præualet, ipſa debet præferri.

11 Etiam ſi alter parentum conuerſus fuerit ad fidē.

Tertiò poteſt etiam licitè baptizari infans ortus ex vtroque parente infideli, quando alter iſtorum poſtea conuerſus eſt ad fidem, & baptizatus eſt, & in hoc conſentit *Bonacina loc. cit. verſ. tertio baptizandum eſſe*, & ratio ex eiſdem principijs deducitur, quia, ex quo vnus conuerſus eſt ad fidem, & baptizatus, eiuſdem conditio ad hunc effectum ſit validior conſiderato ordine gratiæ, & hoc inductum eſt in fauorem Religionis.

12 Etiam ſi vterque perſeueret in infidelitate, ſed alter conſentit in Baptiſmū filij.

Quartò etiā poteſt licitè baptizari infans ex vtroque parente infideli vtroq; perſeuerante in infidelitate, quando vnus conſentit in Baptiſmum filij, & non alter, & in hoc videntur conſentire *Bartholomæus ab Angelo de Baptiſmo §.3.*, *Poſſeuinus de Baptiſmo c. 6. n. 30.*, *Bonacina loc. cit. verſ. reſpondeo 5.*, quia ille conſenſus vtpotè fauorabilior, & Religioni, & ſaluti infantis præualere debet diſſenſui infidelis.

13 Infantes infideliū degentiū ſub ditione Principū Chriſtianorum nequeūt baptizari inuitis parentibus.

Concluſio II. Infantes infidelium degentium in ditionibus Principum Chriſtianorum, qui tamen, nec eiſdem, nec alijs ſunt addicti iure ſeruitutis, non poſſunt licitè baptizari inuitis parentibus. In hanc conſentiunt *Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 25. ſect. 4. verſ. dico ergo primo*, *Fillutius tract. 2. c. 6. q. 8. n. 142.*, *Toletus lib. 2. c. 21. n. 2.*, *& alij magis communitèr*, quidquid ex aduerſo dixerit *Scotus in quarto diſt. 4. q. 9.*

14 Nō ſunt ſubditi quoad onus Religionis.

Ratio ex eo deducitur, quod infantes infidelium ſimplicitèr non degentium in ditionibus Chriſtianorum nequeunt licitè baptizari inuitis eorum parentibus, vt probatum eſt in præcedenti concluſione, ergo, nec poterunt licitè baptizari, quantumuis eorum parentes degant in ditionibus Chriſtianorum, ſi ſint alitèr ſimplicitèr infideles. Conſequentia probatur, quia, quod eorum parentes degant in ditionibus Chriſtianorum, non conſtituit eoſdem ſubditos eiſdem Principibus Chriſtianis quoad onus Religionis, nec eoſdem priuat patria poteſtate, nec iure, quod habent in filios. Hinc nunquam conſueuit Eccleſia filios Hæbreorum degentium in ditionibus Principum Chriſtianorum, quinimmò eiuſdem Pontificis Summi baptizare inuitis eorum parentibus.

15 Eluduntur rationes Scoti volētis poſſe compelli per Principes.

Neque hic audiendus eſt *Scotus in quarto diſtinctione 4. q. 9.* aſſerens ſine vlla prorſus limitatione, hos paruulos inuitis etiam parentibus poſſe baptizari ea motus ratione, quod parentes iſti infideles tenentur de iure diuino velle, vt eorum filij baptizentur; ſicuti enim præceptum Diuinum promulgatum illis verbis, *Euntes docete omnes gentes baptizantes &c.*, quod certè inducit obligationem, vt colligitur ex illo Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit &c.* obligat ipſos infideles ad capeſcendum Baptiſmum, ita eoſdem obligat, ad permittendum, vt proprij filij baptizentur, ergo Principes, in quorum ditionibus degunt, poſſunt eoſdem ad hoc compellere, ſiquidem ratione iuriſdictionis, & poteſtatis, quam habent in ſuis ditionibus poſſunt compellere, vt Deo, qui eſt ſupremus omnium Dominus, obediant; & ſicuti ratione abuſus rerum ſuarum poſſunt Principes priuare ſubditos eiſdem rebus, ita ratione abuſus patriæ poteſtatis poſſunt eoſdem eadem patria poteſtate priuare; Non, inquam, audiendns eſt, quia in primis hac ratione poſſent compellere ipſos parentes infideles degentes in ſuis ditionibus ad ſuſcipiendum Baptiſmum, cum hoc illis præceptum ſit, & non ſuſcipiendo Deo non obediant, quod tamen præſtare nequeunt contra eorum voluntatem, vt ex communi praxi euincitur. Deindè poteſtas, quam habent Principes ſæculares in ſuos ſubditos, non eſt in ordine ad coercenda omnia ipſorum crimina, ſed ea dumtaxat, quæ ſunt contraria communi paci, & iuſtitiæ Reipublicæ; huic autem non contrariatur ſubditus infidelis, qui nec ſe, nec ſuam prolem baptizari patitur. Tandem aliqua ſunt peccata, quæ cadunt ſub præcepto obligante ſolum ſub interminatione pænæ æternæ ſine vlla coactione temporali, cum Deus opus præceptum velit liberè exerceri, iuxta illud, quod habetur *in c. de Iudæis diſt. 45.*, & ex *Concil: Tolet. 4. c. 15.* Ibi *Præcipit Sancta Synodus nemini deinceps ad credendum vim inferri; non enim tales inuiti ſaluandi ſunt, ſed volentes, vt integra ſit forma iuſtitiæ*, vbi vides, Concilium ſignantèr loqui de ſuſceptione fidei, & Baptiſmi; alia ſunt peccata, quæ non ſolum cadunt ſub præcepto obligante ſub interminatione pænæ æternæ, ſed, cum ſint noxia, & perniciosa Reipublicæ, etiam per compulſionem ſub in-

ter-

Google

terminatione pænæ temporalis; non ſuſceptio autem Baptiſmatis cadit ſub primo genere; vt manifeſtè cuincitur ex mox citatis textibus.

16 Filij infidelium, qui communicarunt cũ Eccleſia per Baptiſmum poſſunt baptizari inuitis parentibus.

Conclusio III. Filij infidelium, qui communicarunt cum Eccleſia per Baptiſmum ſuſceptum, & fidem, à qua poſtea declinarunt per apoſtaſiam, poſſunt inuitis parentibus baptizari. In hoc conſentiunt *Suarez in tertiam partem D. Thomæ tom. 3. diſp. 25. ſect. 3. in principio*, *Sotus in quarto diſt. 5. q. vnica art. 7.*, *Valentia tom. 4. diſp. 4. q. 3. punct. 1.*, *Pitigianus in quarto diſt. 4. q. 9. art. 1.*, & alij plures, quos citat, & ſequitur *Bonacina de Baptiſmo diſp. 2. q. 2. punct. 6. nu. 12. verſ. hæc doctrina procedit.*

Ratio ex eo deducitur, quod ratione poteſtatis, quam ratione Baptiſmi ſuſcepti Eccleſia in ipſos infideles, ſeu Apoſtatas à fide acquiſiuit, poteſt ipſos compellere ad ſeruandam fidem, eoſque etiam ad mortem damnare, ſi fuerint pertinaces, ergo eoſdem etiam poterit priuare patria poteſtate, quam habent in filios, eoſdemque filios baptizare. Confirmatur, quia Eccleſia ratione originis, quam habent huiuſmodi infantes à parentibus baptizatis poteſtatem habet in eoſdem filios, ergo licitè poterit eos baptizare. Antecedens probatur, tum quia filij ſunt pars parentum; tum quia filij ſequuntur conditionem parentum in ijs, quæ pertinent ad Religionem, & profeſſionem fidei; nec obſtat, quod parentes ab eadem Religione, & fide ſe ſubtraxerint per apoſtaſiam; Non obſtat, inquam, quia, quamuis de facto ſe ſubſtraxerint, quoad debitum tamen iuſtitiæ remanent adhuc eidem ſubiecti, nec demitur poteſtas, quam inamiſſibilitèr in eos acquiſiuit; filij antem ſequuntur debitum parentum, cum quo tranſeunt.

SECTIO VI.

An filij infidelium, qui ſunt ſerui propriè Dominorum Chriſtianorum, poſſint baptizari parentibus inuitis.

SVMMARIVM.

Duplex conſideratio circa titulum. 1.
Si infantes ſeruorum fuerint ab eiſdem ſeruis ſeparati poſſunt ipſis inuitis baptizari. 2.
Rationes ſuadentes, poſſe Dominos ſeparare filios à ſeruis. 3.
Poſita ſeparatione non ſit iniuria parentibus. 4.
Eluduntur rationes Capreoli contrarium ſentientis. 5.
Quomodo ius, quod habent parentes in filios, dicatur naturale. 6.
Quandiu filij ſeruorum non ſunt ſeparati loco, & conuictu à parentibus, probabilius eſt, quod extra periculum mortis nequeant ipſis inuitis baptizari. 7.
Euincitur ex damnis, quæ inde poſſent oriri. 8.
Soluitur inſtantia oppoſita. 9.
Soluitur argumentum deductum ex noſtris principijs, quæ limitantur. 10.
Rationes ſuadentes baptizantes filios ſeruorum habitantes cum eiſdem non peccare contra iuſtitiam. 11.
Rationes ſuadentes peccare contra iuſtitiã. 12.
Probabilius non peccarent contra iuſtitiã. 13.
Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ. 14.

1 Filij, vel ſunt ſeparati à parentibus ſeruis, vel adhuc viuunt ſub illorũ cura.

SVb duplici conſideratione poteſt hic titulus examinari; primò, quatenus ijdem filij perſeuerent ſub cura ſeruorum, quorum ſunt filij. Secundò, quatenus extracti ſunt à cura parentum ſeruorum. Ex eo quod *D. Thomas tertia part. q. 68. art. 10.* indefinitè dicat, filios infidelium non eſſe baptizandos inuitis eorum parentibus, colligunt nonnulli ſectatores eiuſdem, non poſſe filios ſeruorum infidelium in vtraque hac conſideratione eiſdem ſeruis renitentibus baptizari. Nihilominus ſit

2 Separeti à parẽtibus poſſunt ijſdẽ inuitis baptizari.

Conclusio I. Si infantes filij ſeruorum, qui ſunt ſub poteſtate Dominorum Chriſtianorum ſeparentur auctoritate eorundem Dominorum à parentibus poſſunt iſtis inuitis baptizari. *Durandus in quarto diſt. 4. q. 6.*, *Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 25. ſect. 4. verſ. dico ſecundo*, *Bartholomæus ab Angelo de Baptiſmo §. 28., & 29.*, *Bonacina de Baptiſmo diſp. 2. quæſt. 2. punct. 6. num. 12. verſ. filios vero ſeruorum.*

Antequam procedam ad probationem huius concluſionis, aduerto, eandem procedere de ſeruis propriè acceptis, qui ſunt quaſi ſub dominio, & poteſtate Dominorum, qui propterea de eis diſponere poſſunt ad quemcunque vſum, qui non ſit contrarius alteri legi, aut honeſtati temporali; nam de famulis, qui accepto ſtipendio deſeruiunt Dominis iuxtà conſueta obſequia, diſpar omnino eſt ratio. Filij, qui ex huiuſmodi ſeruis propriè ſumptis naſcuntur, ſunt ſub eodem dominio, & poteſtate Dominorum, ſicuti ſunt ipſi parentes. Ex eo autem, quod ipſi Domini habeant plenum dominium, & poteſtatem in ſeruos, & filios eorundem, ſequitur, quod eoſdem poſſint vendere, donare, & alienare non ſolum coniunctim, ſcilicet omnes ſimul, ſed etiam ſeparatim ſcilicet, vel ſolos Patres, vel ſolos filios, quod communis praxis edocet, & plenè

3 Rationes ſuadẽtes poſſe Dominos ſeparare ſeruos à filijs.

probat

probat *Suarez loc. cit. verſ. primo igitur*; nec aliquam vim facit id, quod aſſerit *Capreolus in quarto diſt. 5. q. 1. art. 3. in reſponſionibus ad argumenta Durandi*, quod ſcilicet non poſſint Domini vti ſeruis ad omnem vſum, adeoque, nec contra naturalem pietatem, cui videtur aduerſari ſeparatio filiorum à parentibus; Non, inquam, vim facit, quia maius eſt ius, quod quiſque habet propriæ libertatis, illo iure, quod habet in filios; ſicuti igitur iure ſeruitutis poteſt propria libertate priuari, ità à fortiori poteſt priuari iure, quod habet in filios; illa etenim priuatio non eſt ita intrinſecè mala, vt poni non poſſit quaſi in pænam iure ſeruitutis. His poſitis

4 Poſita ſeparatione non fit iniuria parétibus.

Probatur iam concluſio. Poſita illa ſeparatione filiorum à parentibus nil eſt, quod impediat, aut reddat illicitam collationem Baptiſmi factam eiſdem filijs; non titulus iuſtitiæ ratione patriæ poteſtatis, quia Pater illa patria poteſtate intelligitur per Dominos priuatus quaſi in pænam iure ſeruitutis, & ex ratione dominij, quod in illos acquiſierunt; non titulus Religionis, quatenus ex illo Baptiſmo poſſit eidem contingere aliqua irreuerentia, & detrimentum ob periculum perverſionis, quia, cum filij intelligantur ſeparati a parentibus, videtur illud periculum ceſſare potiſſimum, cum Domini quodamodo tunc ſuccedentes in iure parentum teneantur filiorum curam habere nõ negligere, quinimmò curare, vt in myſterijs fidei Catholicæ inſtruantur, in bonis moribus educentur, ergo &c.

Neque hic audiendus eſt Capreolus, qui aſſerit, quod, quantumuis filius ſit à Patre conuictu, & loco ſeparatus, ſi tamen commodè poſſit, conſulendus ſit Pater, nec ante eius conſenſum filius, ſi non fuerit capax rationis, baptizandus. Hoc deduci poteſt ex pleriſque incommodis, quæ inde poſſent obuenire, primo ex periculo apoſtaſiæ; nam, cum filij peruenerint ad vſum rationis ſcientes, quod ipſorum Patres aliam ſectam ſectentur, ſeu ſectati fuerint, poterunt naturali quodam propenſione appetere eos ſequi; ſecundò ex periculo, vt filijs à parentibus occidantur, priuſquam ab ipſis eripiantur, & baptizentur; tertiò ex periculo, quod parentes fictè, & ſimulatè recipiant Baptiſmum, ne filij à ſe ipſis ſeparentur.

5 Eluduntur rationes Capreoli contrarium ſentientis.

Non, inquam, audiendus eſt, quia ſuppoſita ſeparatione, quam ex dictis iuſtè poteſt facere Dominus, filij à Patre, non eſt, cur eiuſdem Patris ſit requirendus conſenſus, cum intelligatur quodamodo priuatus iure patriæ poteſtatis vt ſupra; quod, ſi dicatur, quod illud ius, quod habent parentes in filios, vtpotè naturale ſit immutabile, adeoque humana poteſtate non poſſit euelli; ſtatim reſpondebitur, quod illud ius dicatur naturale, quatenus à natura deſcendit, non quatenus obligat de ſtricto, & immutabili iure naturæ, nam etiam libertas eſt de iure naturæ, & tamen poteſt tolli, vel in pænam, vel per propriæ voluntatis actum. Neque obſtant incommoda recenſita, quandoquidem talia non ſunt, quin poſſint euelli, nec illa ſunt moralitèr certa.

6 Quomodo ius, quod habent parentes in filios dicatur naturale.

7 Non ſeparati à parentibus nequeunt ipſis inuitis baptizari.

Concluſio II. Quandiu filij ſeruorum infidelium non ſunt a Parentibus ſeruis ſeparati conuictu, & loco, probabilius eſt, quod licitè extra periculum mortis non poſſint baptizari. In hanc conſentit *Suarez 3. tom. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 25. ſect. 5. per totum*, vbi teſtatur de communi Theologorum conſenſu. Exciperem tamen in caſu, quo immediatè poſt collatum Baptiſmum filius eſſet per Dominum ſeparandus à parentibus ſeruis infidelibus, quia tunc non militarent illa damna Religioni, quæ poſſent emergere, ſi filius non diſiungeretur a Patre conuictu, & loco.

8 Euincitur ex dãnis, quæ inde poſſent oriri

Rationem ex eo deduco, quod probabilitèr, immò moralitèr certè ille Baptiſmus ſic collatus cederet in Religionis detrimentum, & dedecus, quandoquidem ex aſſiduo conſortio cum Patre infideli, cuius veſtigia filij ex naturali inſtinctu ſequuntur propenſius, de facili euerterentur à fide, & ad perfidiam parentum properarent; nec obeſſe poteſt, ſi dicatur hæc ad ſummum verificari, quando filij peruenirent ad vſum rationis, quia ante illum, ſicuti nequeunt elicere actus conuerſionis ad Deum, & ad fidem, ita nequeunt elicere actus proprios diuerſionis ab eodem Deo, & fide, vnde, ſi relinquerentur ſub cura eorundem, donec peruenirent ad illum vſum rationis, & immediatè extraherentur, non poſſet vrgere illud periculum peruerſionis, adeoque non eſſet ex hoc capite, cur filij non poſſent baptizari;

9 Soluitur inſtantia oppoſita.

Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, quamuis daremus ceſſare in ea hypotheſi periculum peruerſionis, non tamen ceſſaret periculum, quin parentes ipſi in ſpretum eiuſdem Baptiſmi ſuperſtitiones adhiberent circa filios ſic baptizatos, eoſque circumciderent, ratione quorum poteſt reddi illicita, & iniurioſa Sacramento illa Baptiſmi collatio; Deindè verum abſolutè non eſt, quod ex illa cohabitatione non vrgeret periculum peruerſionis; ſiquidem, cum filij quodamodo cum lacte hauriant mores parentum ex illorum praua conſuetudine, quamuis perfectè non diſcernant, inhæret tamen illis quædam quantumuis ſolum materialis adhæſio, per quam oc-

cur-

currentia memoriæ facta eorundem parentum, mutarentur propenſius ad eorum ſequelam.

Aduerſus hanc noſtram concluſionem militant ea, quæ dicta fuerunt in præcedentibus de filijs eorum, qui apoſtatarunt à fide, quos diximus abſolutè poſſe licitè baptizari nulla penitus facta diſtinctione, an habitent cum parentibus, vel ab eiſdem ſint ſeparati; ex quibus efficax ſic efformatur argumentum. In huiuſmodi filijs vrget periculum, quòd ex cohabitatione parentum accedant ad illorum perfidiam, & tamen dicuntur licitè poſſe baptizari, ergo, quantumuis ex cohabitatione filiorum ſeruorum infidelium poſſit eſſe periculum ſubuerſionis eorundem filiorum; poterunt tamen licitè adhuc baptizari.

10 Soluitur argumentum deductum ex noſtris principijs.

Faceor hoc argumentum vim non modicam habere. Nihilominus ad illud reſpondeo, prædicta de filijs Apoſtatæ à fide procedere ſolummodò, quando eſt in poteſtate Eccleſiæ actu coercere eundem Apoſtatam, ne filium in falſis dogmatibus inſtruat, neque perducat ad infidelitatem, non quando eſt in poteſtate eiuſdem ſolum habitu, quam non poſſit redocere ad executionem; vel ſolummodò, quando eſt certa moralitèr ſpes, quod puer baptizatus poſſit ſuo tempore in fide Catholica inſtrui; ita vt moralitèr non ſit declinaturus in parentis hæreſim.

Hic diſputant DD., an ſolummodò peccarent contra Religionem, qui filios ſeruorum infidelium non ſeparatos a parentibus baptizarent ſine conſenſu eorundem parentum, an etiam contra iuſtitiam proptèr ius, quod habent parentes in eoſdem filios, quouſque conuictu, & domo cum eiſdem habitant. Ex eo, quod Domini habeant poteſtatem, & quaſi dominium in ijs, quæ non ſunt contra honeſtatem naturalem, non ſolum quoad ſeruos, ſed etiam quoad eorum filios, cum poſſint de illis diſponere citra vſum, qui non ſit de iure naturali prohibitus, videntur non peccare contra iuſtitiam, ſi eoſdem contra voluntatem parentum baptizari curent, cum vtantur iure ſuo, ſecundum quod, ſicuti poſſunt eoſdem filios à parentibus ſeparare, & ſubindè illos baptizare, ita ſpectato eodem iuſtitiæ iure poſſunt immediatè baptizare, nam, quod non poſſint baptizare, niſi ſeparent, non eſt defectu iuris, ſed dumtaxat ne detrimentum ingerant Religioni, contra quam ſolum peccarent. Accedit primò, quod iure captiuitatis, & veræ ſeruitutis ius Patris intelligitur translatum in Dominum, qui iure dominij habet poteſtatem in ſeruum illum regendi in omnibus, quæ ad ipſum pertinent, ergo ratione eiuſdem poterit,

11 Rationes ſuadentes baptizantes filios ſeruorum habitantes cum ipſis non peccare contra iuſtitiam

& filium regere, cum hoc pertineret ad Patrem, ſi non eſſet ſeruus factus. Accedit ſecundò, quod, quamuis daremus, quod ſeruus parens, vtpotè ſemper parens, ſemper haberet ius inſtruendi, & regendi filiū, nihilominus denegari non poſſet, quod in concurſu poteſtatis ipſius cum illo Domini, non deberet iſti cedere vtpotè potentiori, ergo poterit Dominus vtendo potentiori ſuo iure filium regere contra voluntatem Patris, ipſumque baptizare.

Ex aduerſo manente filio ſub cura Patris infidelis ipſum baptizans ex voluntate Domini, & contra voluntatem parentis videtur etiam contra iuſtitiam peccare; atque hanc eſſe communem ſententiam teſtatur *Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 25. ſect. 5. verſ. in contrarium autem*, cuius rationes hæ ſunt. Primò, quia, licet Pater ratione ſeruitutis priuetur cura, & gubernatione filij quoad vsū, non priuatur tamen proprietate, & poteſtate, quæ radicatur in iure paterno potiſſimum; ſi filius non ſit diſiunctus ab ipſo Patre; adeoque, ſi tale ius lædatur, erit peccatum contra iuſtitiam. Secundò, ſi Dominus iure ſeruitutis haberet ſub poteſtate, & quaſi dominio maritum, & vxorem, quamuis poſſet, vel titulo venditionis, vel donationis eos diſiungere, non poſſet tamen iuſtè impedire, quod quouſq; ſimul habitarent, non poſſent actus coniugales inuicem exercere petendo, & reddendo, ergo etiam, quamuis Dominus poſſit filium ſerui infidelis a Patre diſiungere ſimilibus titulis, non poterit tamen quouſque ſimul cohabitant ab eius regimine abdicare; cum non minus connaturales ſint coniugibus cohabitantibus actus coniugales, ac ſit connaturalis Patri, & filio cohabitantibus gubernatio, & reſpectiuè ſubiectio.

12 Rationes ſuadentes peccare contra iuſtitiam.

Arbitror probabilius eſſe in hac hypotheſi, Dominum baptizari curantem filium ſerui infidelis non diſiunctum à Patre non peccare contra iuſtitiam. Rationes pro prima ſententia adductæ hoc videntur ſufficientèr enincere; nec obſtant fundamenta ſecundæ ſententiæ; Non primum, quia amiſſa cura, & gubernatione filij quoad vſum, eaque translata in Dominum, non eſt, cur Dominus non poſſit eadem vti ſine læſione iuſtitiæ, vt per ſe patet. Deindè dato etiam, quod ius remaneat penes patrem, denegari tamen non poteſt, quod hoc cedere debeat iuri Domini vtpotè potentiori, quo proptereà, ſi vtatur Dominus, non peccabit contra iuſtitiam; Non ſecundum, quia Dominus nullum ius habet quoad actus coniugales ſeruorum, vndè quoad eos non poteſt ſe ingerere, nec præcipiendo, nec directè

13 Probabilius non peccare contra iuſtitiam

14 Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ.

im-

Digitized by Google

impediendo, ſi ſimul cohabitent; quoad regimen vero, & curam filiorum, cum hæc ſint abdicabilia à parentibus, & poſſint per alios exereeri, non eſt, cur Dominus non poſſit ſe ingerere vtendo iuribus ſibi ratione dominij de iure gentium conceſſis potiſſimum in ordine ad bonum ſpirituale filiorum ſeruorum infidelium.

SECTIO VII.

An infantes perfectè nati, ſed mortui ante Baptiſmum poſſint poſt mortem baptizari.

SVMMARIVM.

Refertur inſania quædam Marcioniſtarum circa Baptiſmum mortuorum. 1.
Homines non ſunt capaces Sacramentorum, niſi vt ſunt in via. 2.
Refellitur Marcioniſtarum veſania. 3.
Non poteſt viuens pro infideli mortuo baptizari. 4.

TEophilatus in expoſitione *c. 5. ad Corint.* 1. refert fuiſſe morem Marcioniſtarum, qui ſic appellati ſunt ex nomine

1 Refertur inſania Marcioniſtarũ, ſi tamen fuit eorundem.

Marcionis peſſimi hæreſiarchæ eorum magiſtri, quo mortuos baptizabant ritu ſanè ridiculo; cum etenim quis ſine Baptiſmo moreretur, ſubmittebant aliquem viuum ſub feretro, in quo iacebat corpus mortuum; & poſtea petebant a mortuo, an vellet baptizari, cui petitioni reſpondebat viuus ſub feretro exiſtens, quod vellet, & tunc eidem mortuo conferebant Baptiſmum. De hoc errore nullam penitus mentionem faciunt *Iræneus, D. Auguſtinus, & Euſebius*, qui ſcripſerunt de hæreſibus anteactis temporibus, & ſua ætate emanatis; vnde neſcio, ex quonam loco deſumpſerit Teophilatus hunc errorem, & morem, cum ipſe poſt multa tempora à nato, & mortuo Marcione, & à temporibus D. Auguſtini, Irenæi, & Euſebij floruerit. Fortè Teophilatus meminit huius erroris, de quo illi non meminerunt, quia non fuit error Marcionis, ſed ſuccedentium Marcioniſtarum, quorum proprium ſemper fuit impietatem addere impietati ſui magiſtri.

2 Homines non ſunt capaces Sacramẽtorum, niſi vt sũt in via.

Non diu immorandum in confutatione huius erroris, cum antiquitate, & apparente inſania, ritus, quo conferebatur, intelligatur extinctus. Certum igitur eſt homines non eſſe capaces Sacramentorum, niſi quandiu vixerint, cum Sacramenta omnia ſint directa ad viuentes, pro quo tempore poſſunt mereri, & demereri, & prout ſunt in via, non ad mortuos, quando iam ſunt in termino; vnde Eccleſiaſtes c. 9. habet, *Mortui nihil nouerunt amplius, nec habent vltra mercedem.* Rurſus ibidem *Quodcunque facere poteſt manus tua inſtanter operare, quia, nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos*, & Pſalmiſta, *Numquid aliquis narrabit in ſepulcro miſericordiam tuam?* & Ioannis 9. habetur, *Operamini ergo donec dies eſt*, ideſt, dum eſtis in hac vita, quia poſt mortem nihil poteritis agere.

Hæc Marcioniſtarum veſania damnata etiam expreſsè eſt ab Eccleſia, quandoquidem in Concil. Cartaginenſi III. ſub Siſinio Papa celebrato anno ſalutis 397. (quod Concilium poſtea fuit ad vniuerſa Eccleſia receptum in ſexta Sinodo generali in Trullo celebrata) cap. 6. ſuorum decretorum inter cætera ſtatutum eſt, ſacram Euchariſtiam non dandam eſſe defunctis, quia dictum eſt à Domino. *Accipite, & manducate*; cadauera autem, nec accipere, nec manducare poſſunt, & huic decreto addidit Eccleſia cauendum etiam eſſe, ne mortuos baptizare poſſe fructuosè infirmitas credat.

3 Refellitur Marcioniſtarum veſania.

Ex occaſione huius erroris ſuſcitarunt poſtea aliqui controuerſiam, an quis viuens poſſit baptizari pro mortuo infideli, quam controuerſiam reſoluit *D. Thomas lect. 4. ſuper c. 15. ad Corint.* abſolutè negando, & rationem ex eo adducit, quod Baptiſmus non habet virtutem ex intentione noſtra, ſed ex intentione Chriſti; intentio autem Chriſti eſt, vt Baptiſmus illis proficiat, qui in Chriſti fide baptizantur, (ſunt formalia verba eiuſdem D. Thomæ.) Sed contra hæc obijci poteſt. Oratio vnius viuentis prodeſt mortuis, ergo etiam Baptiſmus à viuo receptus pro mortuo poteſt eidem prodeſſe; reſpondendum tamen eſt in primis, orationem viuentis non prodeſſe pro mortuis infidelibus, ergo, nec prodeſſe poteſt Baptiſmus à viuente receptus pro mortuo infideli. Deindè oratio viuentis prodeſt ſolummodò defunctis per modum ſuffragij, quatenus mouet Deum ad eiſdem applicanda merita Chriſti Domini; Sacramenta autem habent per ſe directè cauſare, & ex opere operato ſuos effectus, quæ propterea exigunt immediatè applicari ſubiecto, in quo eoſdem effectus poſſunt producere.

4 Non poteſt viuẽs pro infideli mortuo baptizari.

SEC-

SECTIO VIII.

An Furioſi, & Amentes poſſint baptizari.

SVMMARIVM.

Referuntur varij ſtatus amentium, & furioſorum. 1.

Furioſi, & amentes, qui nunquam gauiſi ſunt vſu rationis, poſſunt, & debent baptizari. 2.

Furioſi, & amentes, qui gauiſi ſunt vſu rationis, poſſunt baptizari, ſi ante furorem, & amentiam Baptiſmum petierint, vel voluntatem recipiendi ſenſibilitèr exhibuerint. 3.

Secus, ſi non petierint, nec voluntatem habendi ſenſibilitèr exhibuerint. 4.

Si non petierit, quia notitiam non habuerit Baptiſmi, probabilius poteſt baptizari. 5.

Refertur caſus conſimilis, & reſoluitur. 6.

Si furioſus, & amens gaudeat lucidis interuallis, in quibus petijt Baptiſmum, poteſt illi conferri Baptiſmus in amentia extante periculo mortis; ſi vera ſit ſpes, quod redeat ad ſanam mentem, differendus eſt Baptiſmus. 7.

Qui ſunt amentes, non tamen tales, vt nequeant de ſua ſalute cogitare volentes poſſunt baptizari, non ſic nolentes. 8.

1 Varij ſtatus amẽtium, & furioſorum. FVrioſi, & Amentes ſecundum varios ſtatus, & conditiones poſſunt conſiderari; primò, quatenus ſunt tales à natiuitate, & in tali ſtatu perſeuerant fine vllo lucido interuallo; ſecundò, quatenus tales effecti ſunt poſt perfectè acquiſitum vſum rationis, in quo pro aliquo tempore perſeuerarunt ante furorem, & amentiam. Tertiò, quatenus licet fuerint amentes, & furioſi à natiuitate, habent tamen aliqua lucida interualla, in quibus ratione vtuntur; Quartò, quatenus per furorem, & amentiam non ita priuantur ratione, vt non poſſint de ſua ſalute cogitare, & percipere Sacramenti virtutem. Secundum hos omnes furioſorum, & amentium ſtatus, quos diſtinguit, & conſiderat *D. Thomas tertia part. q. 68. art. 12. in corpore, & in quarto ſentent. diſt. 6. quæſt. 1. art. 2. quæſtiunc. 3. ad ſecundum, & de veritate q. 28. art. 3. ad ſecundum*, examinandus eſt præſens titulus; pro quo ſit

2 Furioſi, & amentes, quĩ nunquã gauiſi ſũt vſu rationis poſſunt, & debent baptizari. Concluſio I. Furioſi, & amentes à natiuitate, qui nullis gaudent lucidis interuallis baptizari poſſunt, & debent. Expreſsè conſentiunt *D. Thomas loc. cit.*, & præcipuè ex profeſſo *tertia part. q. 68. art. 12. in corpore, Suarez ibi in commentario*, & ita communis eſt hæc concluſio, vt nullum inuenerim diſſentientem.

Ratio eſt, quia, quantumuis ætate iſti ſunt adulti, quoad rationem tamen computantur pro paruulis, & infantibus, & in collatione Sacramentorum potius attendenda eſt ratio, quam ætas, & natura, ſed paruuli, & lactentes non ſolum poſſunt, ſed debent baptizari ex Diuino præcepto ad omnes directo. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto &c.* ergo etiam huiuſmodi furioſi, & amentes, & ſicuti in paruulis, & infantibus non requiritur aliqua intentio per proprium actum voluntatis, cum illum habere non poſsint, ſed ſufficit intentio Eccleſiæ illos offerentis, ita, nec hæc intentio per actum voluntatis propriæ requiritur in huiuſmodi amentibus, ſed ſufficit illa Eccleſiæ.

3 Si gauiſi fuerint vſu rationis poſſunt baptizari, ſi baptiſmum ante furorem petierint. Concluſio II. Furioſi, & amentes, qui ex ſana mente in furorem, & amentiam inciderunt, ſi pro tempore ſanæ mentis Baptiſmum petierint, vel voluntatem expreſſam illum recipiendi ſenſibilitèr exhibuerint, ſunt baptizandi, quantumuis in furore, & amentia contradicant; ſi verò nec petierint, nec voluntatem exhibuerint illum recipiendi, non ſunt baptizandi. Huic ſecundum omnes partes expreſsè adhærent *D. Thomas loc. cit.*, *Henriquez lib. 2. c. 24. n. 3.*, *Graſſius part. 2. lib. 1. c. 4. n. 45.*, *Angles q. 2. art. 6. diffic. 1. concl. 2.*, *Chamerota de Baptiſmo c. 5. dub. 10.*

Ratio primæ partis eſt, quia ad recipiendum validè, & cum effectu Baptiſmum ſufficit in recipiente intentio habitualis per ea, quæ latè docui in præcedenti parte quæſtionum de Sacramentis in genere, & in quæſtionibus de ſacris Ordinibus, ſed, cum quis pro tempore ſanæ mentis Baptiſmum petijt, vel ſenſibilitèr exhibuit voluntatem illum recipiendi, non conſtante de tali retractatione, & poſtea incidit in furorem, & amentiam, præſumitur in priori voluntate perſeuerare, & ſic habere voluntatem ſaltem habitualem illum recipiendi, ergo poterit validè, & cum effectu tunc baptizari; nec obſtat, quod tunc, quando conferendus eſt Baptiſmus in furore, & amentia, contradicat, quandoquidem actus ille contradictionis vtpotè elicitus ſine vſu rationis non eſt actus humanus, nec rationalis, adeoque non reſiſtit priori actui liberè, & voluntariè elicito.

4 Secus, ſi nõ petierint, nec voluntatem exhibuerint. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia in adultis ad recipiendum validè, & cum effectu Sacramentum Baptiſmatis requiritur intentio ſaltem habitualis, vt probauimus in quæſtionibus de Sacramentis in genere, ſed eo ipſo, quo quis diũ poſt acquiſitum vſum rationis fuit ſanæ men-

 tis

tis, intelligitur non ſolum ætate,ſed etiam ratione adultus, ergo ad validè, & cum effectu recipiendum Baptiſmum deber habere, vel actu intentionem illum recipiendi, vel virtute in præcedentibus actibus, quos non intelligitur habuiſſe, quando, dum erat ſanæ mentis, nec petijt, nec voluntatem exhibuit illum recipiendi. Quod, ſi ſupponas, quod pro tempore, quo gauiſus fuit vſu rationis, nullam habuerit notitiam Baptiſmi, & perſeuerante eiuſdem ignorantia inciderit in furorem, & amentiam; tunc non dubitarem, poſſe validè, & cum effectu baptizari in furore, & amentia; verum tamen eſt, quod hic caſus videtur Metaphyſicus, cum vix poſſit concipi in eodem ignorantia. Ratio eſt, quia, ſuppoſito hoc caſu ignorantiæ, pro tempore, quo hæc perſeuerauit, in ordine ad Baptiſmum perindè eſt, ac ſi non habuerit vſum rationis, ergo, ſi ante notitiam ſucceſſerit furor, & amentia, perindè eſt, ac ſi ſemper in ordine ad iſtum effectum caruerit vſu rationis, ergo idem dicendum eſt, quod de infantibus ante vſum rationis, ac de furioſis, & amentibus a natiuitate, & non gaudentibus lucidis interuallis.

5 Si non petierit, quia notitiam nõ habuerit Baptiſmi probabilitèr poteſt baptizari.

Sed hic oritur difficultas, an, ſi quis habitauerit in regione, in qua nulla eſſet notitia de fide Catholica, nec de Baptiſmo, nec ipſe habuerit aliundè talem notitiam, nec vnquam defectu eiuſdem cogitauerit de Baptiſmo, & poſtea inciderit in amentiam, & ſucceſſiuè ad prædicationem feruentis Concionatoris tota illa regio conuerſa fuerit ad fidem, & baptizata, poſſet hic, qui incidit in amentiam baptizari. Non diſſimilis eſt hic caſus a præcedenti mox reſoluto; vnde idem dicendum eſt de iſto, ac de illo; perſeuerante etenim omnimoda ignorantia huius Sacramenti in ordine ad ipſum ignorantia æquiparatur carentiæ vſus rationis; Nec hic audiendus eſt *Ghetius in theſauro animæ verb. Baptiſmus c. 6. de baptizandis n. 12. in explicatione textus D. Thomæ*, dum requirens voluntatem poſitiuam ſaltem virtute in præcedentibus actibus moralitèr perſeuerantem abſolutè aſſerit iſtum in hac hypotheſi non eſſe baptizandum, quia, nec habet, nec habuit voluntatem recipiendi Baptiſmum, quamuis, nec habeat, nec habuerit contradictionem ad illum. Non, inquam, audiendus eſt, quia illa voluntas in actibus præcedentibus, quam ipſe requirit, ſolum requiritur, quando præceſſit notitia eiuſdem Baptiſmi, ſine qua non poteſt, nec potuit eſſe voluntas de eodem; vnde, quando non fuit hæc notitia pro tempore ſanæ mentis, nec potuit eſſe voluntas, ac proindè tunc in ordine ad illum fuit carentia rationis, & cum poſtea ſuperuenerit immediatè amentia ante talem notitiam, ita hic computatur, ac ſi ſemper fuerit infans, ac amens.

6 Si quis moratus fuerit in regione, in qua nulla extitit lux Euangelij, an ibi promulgato Euãgelio eſſet baptizandus, ſi factus fuerit amens.

Concluſio III. Furioſi, & amentes à Natiuitate, qui tamen gaudent lucidis interuallis, ſi in iſtis Baptiſmum petierint, vel voluntatem exhibuerint illum recipiendi, poſſunt baptizari etiam in amentia, & furore, ſi ſit periculum, ne amplius lucida interualla ſuccedant, vel mortis; nullo vero ex his periculis exiſtente expectandum, donec ad ſanam mentem perueniat. In hanc etiam conſentit *D. Thomas loc. cit.*, & ijſdem ferè rationibus innititur, quibus præcedens concluſio; quando etenim gaudet lucidis interuallis, & in illis Baptiſmum petijt, vel voluntatem eiuſdem exhibuit, perindè ſe habet, ac ille, qui poſt ſanam mentem incidit in furorem, & amentiam; & quando in illis illum non petijt, perindè ſe habet, ac ille, qui, dum ſanæ mentis eſſet, non petijt; ac proindè de vtroque pariformitèr Phyloſophandum eſt; Quod deindè diximus, quod, ſi nullum fuerit periculum mortis, vel quod non redeat ad illa lucida interualla, expectandum ſit tempus, in quo ad ſanam mentem redierit; hæc diximus ad eum effectum, vt per proprios actus poſſet ſe diſponere ad vberiorem fructum Sacramenti; & ne in illo furore, & amentia, quamuis inculpabilitèr, vilipendat ipſum.

7 Qui gauiſus eſt lucidis interuallis, & in eiſdẽ petijt Baptiſmum poteſt in amentia baptizari, ſi non ſit ſpes, quod reuerſurus ſit ad ſanam mẽtem.

Concluſio IV. Qui amentes, & furioſi ſunt, non tamen tali amentia, & furore, vt nequeant de ſua ſalute cogitare, & Sacramenti virtutem cognoſcere, volentes poſſunt, & debent baptizari, nolentes non ita. Eſt expreſſa mens *D. Thomas d. q. 68. art. 12.* in fine corporis.

Ratio eſt, quia, dum ſunt in tali ſtatu, vt poſſint de ſua ſalute cogitare, & virtutem Sacramenti percipere quoad hunc effectum perindè ſe habent, ac ſi eſſent ſanæ mentis, ſed adultus ſanæ mentis poteſt, & debet baptizari, ſi voluntatem ſaltem habitualem habeat recipiendi Baptiſmum; non debet, nec poteſt baptizari, ſi illam voluntatem non habeat, quin potius ſit inuitus, ergo, & ille, qui, quamuis ſit amens, non eſt tamen talis, vt nequeat de ſua ſalute cogitare, & virtutem Baptiſmi cognoſcere, erit baptizandus volens, inuitus non erit baptizandus non obſtante illa amentia, quæ, cum non tollat plenam notitiam virtutis Sacramenti, eo neceſſitatem eiuſdem ad ſalutem, in ordine ad hunc effectum perindè eſt, ac ſi non eſſet amentia.

8 Amẽtes, qui non ſint tales, vt nequeant de ſua ſalute cogitare, volentes poſſunt baptizari.

SEC-

SECTIO IX.

An infantes expoſiti ſint baptizandi.

SVMMARIVM.

Expoſiti, vel præferunt ſignum, vel non præferunt. 1.
Si nullum præferant ſignum, ſunt baptizandi. 2.
Conſulendum eſt expoſitis de certiori ſalute. 3.
Probabilius debet conferri ſub conditione. 4.
Si præferant ſignum ſuſcepti Baptiſmi non ſunt baptizandi. 5.
In hoc tamen caſu ſupplendæ ſunt cæremoniæ. 6.

1 **Expoſiti in duplici ſtatu.**

CONſiderandum eſt, an ſic expoſiti nullum præferant ſignum ſuſcepti baptiſmatis, an vero præferant aliquod ſignum, puta ſchedulam pendentem è collo, in qua inſcribatur nomen expoſito impoſitum in Baptiſmo, de quo fiat mentio in eadem ſchedula.

2 **Si nullũ præferãt ſignum ſunt baptizandi.**

Iuxta primam conſiderationem non eſt hæſitandum, quin poſſit, & debeat eiſdem expoſitis conferri Baptiſmus, & in hoc conſentit *D. Thomas opuſc.65. c. 3.*, & cum eo alij communitèr; & expreſsè deducitur *ex c. paruulos, & duobus ſeqq. de conſecrat. diſt.4.*, & ratio ex eo deducitur, quod, cum Baptiſmus ſit neceſſarius ſimplicitèr ad ſalutem, ſine quo non patet aditus ad Regnum Cælnrum, vnicuique conſulendum eſt de certo remedio, nec ſufficit ipſum in ancipiti relinquere, ergo, cum tunc certum non ſit, quod ille expoſitus fuerit baptizatus, nec vlla extent veſtigia Baptiſmi collati, eidem erit conferendus Baptiſmus, vt certior fiat eiuſdem ſalus; Nec obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod valida ſit præſumptio de Baptiſmo collato fundata in eo, quod credendum ſit, vt illi, qui eos genuerunt, curauerint regenerari, & qui illos in lucem hanc perduxerunt, luce ſpirituali illuſtrauerint, vel illuſtrari curauerint;

3 **Conſulẽdum eſt expoſitis de certiori ſalute.**

Non, inquam, obeſſe poteſt; tum quia ad celandum delictum parentum in illa iniqua generatione, dubitari poſſet, quod non aduerterint, dum intenti fini cælationis non cogitarint de Baptiſmo conferendo, cuius dubij ratio ea eſſe poteſt, quia, ſi reuera baptizaſſent, de facili ſignum appoſuiſſent Baptiſmi collati; tum quia potuerunt cogitare conſultius fore expoſito, ſi formitèr per Eccleſiam baptizaretur per conſuetos ritus, quam, ſi baptizaretur priuatim, & ideo abſtinuerint ab illa priuata collatione.

Sed hic oritur difficultas, an in ea hypotheſi eidem expoſito Baptiſmus eſſet conferendus abſolutè, an vero dumtaxat ſub conditione. D. Thomas *d. opuſc.65. c. 3.* abſolutè aſſerit, baptizandum eſſe, nec vllam præſcribit conditionem. Probabilius tamen arbitror, baptizandum eſſe ſub conditione, *Si non es baptizatus, ego te baptizo*. Ratio eſt, quia poteſt eſſe aliqua dubietas de Baptiſmo collato, & per illam conditionem appoſitam non demitur vis Baptiſmi, nam, ſi non eſt baptizatus, validè baptizaretur, & conſequeretur effectum Baptiſmi, &, ſi eſſet baptizatus, non conſequeretur talem effectum, nec iniuria inferretur Sacramento excuſante conditione appoſita. 4 **Probabilius debet conferri ſub conditione.**

5 **Si præferant ſignum ſuſcepti Baptiſmi non ſunt baptizãdi.**

Iuxta ſecundum ſenſum abſolutè crederem non eſſe baptizandum, nec ſub conditione, & in hoc conſentiunt ſatis communitèr, quia ſtante illa cædula teſtificante de Baptiſmo collato ceſſat quodcunque dubium; non enim præſumendum eſt, quod illi, qui appoſuerunt illam ſchedulam, voluerint decipere in re tanti momenti, & ſi, vt habetur per *Gloſam in c. placuit in verb. teſtentur de conſecratione diſt. 4.* ſufficit teſtimonium vnius teſtis de Baptiſmo collato, ne amplius ſit conferendus, non video, cur non ſufficiat illa ſchedula collo appoſita, quæ æquiualet teſtimonio vnius teſtis, cum ſupponatur ab eo facta, qui Baptiſmum contulit, vel à genitoribus baptizati.

6 **In hoc tamen caſu ſupplendæ ſunt cæremoniæ.**

Sed hic etiam oritur difficultas, an in hac hypotheſi infantis inuenti cum illa ſchedula, quamuis amplius non ſit conferendus Baptiſmus, ſint tamen in Eccleſia ſupplendæ cæremoniæ, quæ ſupponuntur omiſſæ in illo priuato Baptiſmo. Abſolutè crederem ſupplendas eſſe, quandoquidem non ſolum eſt vehemens præſumtio, quod illæ Eccleſiaſticæ cæremoniæ nnn fuerint adhibitæ, quinimmò moralis certitudo, cum domi priuatim nequeant adhiberi, & ad illas miniſter ex officio ſit adhibendus, qui ſolus eſt Parochus, vel alius Sacerdos de commiſſione ipſius, vel nrdinarij, nec præſumendum eſt, exponentes voluiſſe ipſum adhibere cum alijs omnibus requiſitis ad ſolemnem Baptiſmum, cum de facili eorum delictum poſſet detegi, & reddi inanis expoſitio, & reddi fruſtraneus effectus eiuſdem; cognitis etenim parentibus eiſdem poſſet reſtitui.

SECTIO X.

An dormientes poſſint baptizari.

SVMMARIVM.

Rationes ſuadentes dormienti non poſſe conferri. 1.
Conſiderabilia pro reſolutione. 2.
Si petierit, vt voluntatem exhibuerit Baptiſmi poteſt eidem dormienti conferri. 3.
Præſumitur in eodem perſeuerantia eiuſdem voluntatis. 4.
Non currit paritas de recipiente, ac de conferente. 5.
Extra periculum mortis Baptiſmus eſt differendus. 6.
Si nulla præceſſit petitio, nec voluntas exhibita, non poteſt Baptiſmus conferri. 7.
Non conſtante de tali petitione, & voluntate expreſsè, exiſtente tamen aliquo ſigno ſenſibili eiuſdem, poteſt conferri ſub conditione. 8.

Dormiens videtur incapax cuiuſcunque actus humani, ſeu vt hominis, 1 Rationes ſuadêtes non poſſe conferri. ſiue in agendo, ſiue in patiendo, & licet adhuc informetur anima rationali, & exerceat operationes vegetatiuæ potentiæ, & fortè etiam ſenſitiuæ, non tamen illas potentiæ rationalis; vndè quoad illas pro illo ſtatu reputatur pro mortuo, ex quibus videtur poſſe inferri, quod pro illo ſtatu non poſſit agere, nec pati, vt homo. Cum igitur in adulto ad validam Baptiſmi ſuſceptionem requiratur intentio humana, hoc eſt modo rationali præſtita, ſeu exhibita, & pro illo ſtatu haberi nequeat, ſequitur, quod pro illo nequeat validè Sacramentum recipere.

Verum in hoc conſiderare poſſumus, 2 Conſiderationes habendæ circa titulum. ſicuti in præcedentibus conſiderabamus in amentibus, & furioſis, qui poſt vſum rationis perfectè acquiſitum inciderunt in amentiam, & furorem, an ante ſomnum petierint Baptiſmum, vel ſenſibilitèr exhibuerint voluntatem illum recipiêdi, quam voluntatem poſtea non retractauerint ante dormitionem, an vero, nec petierint, nec vllam voluntatem ante talem dormitionem exhibuerint.

Et quidem, ſi petierint, & voluntatem illam exhibuerint non retractata, ſentien-3 Si petierit poteſt eidê dormienti conferri. dum erit, poſſe validè, & cum effectu baptizari, prout ſentiunt *Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 24. ſect. 1., Henriquez lib. 2. c. 24. n. 3., Graffius ſecunda part. lib. 1. c. 4. n. 45., Chamerota de Baptiſmo c. 5. dub. 10., & alij ſatis communitèr.* Ratio ea eſt, quia ad validè ſuſcipiendum Baptiſmum in adulto ſufficit intentio habitualis illum recipiendi conſiſtens in actibus præcedentibus non retractatis, ſed hæc voluntas, ſeu intentio habitualis in adulto, adhuc, dum actu dormit, intelligitur perſeuerare, quandoquidem dormitio ipſa non eſt apta demere illam intentionem; ergo non eſt, cur non poſſit validè recipere Baptiſmum. Confirmatur paritate amentium, & furioſorum, qui poſt acquiſitum vſum rationis, quo perſeuerante petierunt Baptiſmum, ſi inciderint in amentiam, & furorem, poſſunt in amentia, & furore validè baptizari, vt dictum eſt ſupra.

Dices primò intentio illa habitualis debet eſſe humano modo exhibita, quando 4 Præſumitur perſeuerâtia in eodem eiuſdem voluntatis. confertur Baptiſmus, ſed quando baptizandus dormit, non poteſt humano modo illam intentionem exhibere, ergo non poteſt tunc validè baptizari. Sed contrà; hoc argumentum ſoluendum eſt etiam ab iis, qui communitèr docent poſſe baptizari amentes, & furioſos, qui Baptiſmum petierunt, antequam inciderent in amentiam, & furorem, cum pro tempore furoris, & amentiæ non poſſint humano modo exhibere illam priorem voluntatem. Quamobrem dicendum eſt, ſufficere, quod illa voluntas præextiterit, & adhuc moralitèr perſeueret, cum non fuerit retractata pro tempore ſanæ mentis, ſeu vigiliarum reſpectiuè loquendo, & quoad hoc plenam certitudinem inducit *D. Auguſtinus lib. 4. confeſſionum*, referens de quodam amico ſuo ſaluum factum fuiſſe per Baptiſmum, quem in Phreneſi abſque vllo ſenſu recepit.

Dices ſecundò, ſi quis antecedentèr voluntatem plenam habuerit aliquem bap- 5 Non currit paritas de recipiente, & de conferente. tizandi ante amentiam, & ſomnum, factus poſtea amens, & dormiens non poteſt validè ipſum baptizare, ergo etiam ſi quis antecedentèr ad dormitionem, vel amentiam habuerit voluntatem recipiendi Baptiſmum, factus poſtea dormiens, & amens non poterit validè illum recipere. Sed contrà, quia plura requiruntur ad agendum, quam ad patiendum; ſic ſignantèr in miniſtro baptizante requiritur intentio virtualis, nec ſufficit habitualis, vbi in recipiente hæc ſola ſufficit; Rurſus in agente requiritur actio libera, & determinata, dum exercetur, in recipiente verò, cum ſola paſſio interueniat, non requiritur pro tunc illa libertas, & deliberatio.

Hic tamen moneo, quod extra pericu- 6 Extra periculum mortis Baptiſmus eſt deferendus. lum mortis dormiens, quantumuis antecedentèr exhibuerit ſenſibilitèr voluntatem ſuſcipiendi Baptiſmum, non ſit baptizandus, ſed differendus, vſquequo fuerit è ſomno excitatus, prout etiam monet *D. Thomas tertia parte q. 68. art. 12. ad tertium*,

tium, & in quarto ſent. diſt.4. q.3. art.1. quæſtiunc. 3. ad tertium, & diſt. 17. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 2. ad tertium, & de malo qu. 25. art. 3. ad 8., & congrua quidem ratione, non ſolum ob vberiorem fructum recipientis, quatenus poteſt per proprios actus ſe perfectius diſponere ad illum recipiendum, cum ex maiori diſpoſitione maior gratia conſequatur, ſed etiam ob maiorem reuerentiam erga ipſum Sacramentum. Sed, an, qui non vrgente neceſſitate Baptiſmum conferret dormienti, grauitèr peccaret. Affirmatiuè reſpondendum arbitror, tum quia non conferret Sacramentum ita certum, cum plerique de eius validitate dubitent; tum quia priuaret ſubiectum maiori, & vberiori fructu, tum quia non ſeruaret decentiam Sacramento debitam, quæ omnia grauitatem indicant.

7

Si nulla præceſſit petitio, nec volūtas non eſt conferendus.

Si vero nullam antecedentèr ad dormitionem exhibuerit intentionem recipiendi Baptiſmum, tunc certè eidem non eſſet conferendus, cum deficeret requiſitum neceſſarium ex parte eiuſdem recipientis, nempè illa intentio ſaltem habitualis, quod videtur apertè inſinuaſse *D. Thomas tertia part. q. 68. art. 12. ad tertium*, dum dixit, conferendum eſſe, ſi prius voluntas apparuit ſuſcipiendi Baptiſmum, ergo è contrario ſenſu, ſi talis voluntas non apparuit, non erit conferendus.

Sed quid erit agendum, ſi nce apparuerit de voluntate recipiendi, nec de non poſitione eiuſdem, ſed dubium vigeat, an poſita fuerit, nec ne. Tunc communior ſententia fert, quod ſit baptizandus ſub conditione. *Si capax es, ego te baptizo;* Verum huic communi opinioni videtur reſiſtere, quod ad rationem huius Sacramenti requiratur intentio in ſuſcipiente, non quomodocunque, ſed quæ aliquo modo facta ſit ſenſibilis, vnde in r. *placuit de conſecratione diſt. 4. dicitur*, quod quis ſit baptizandus, ſi ex certiſſimis teſtibus conſtat, voluntatem ſuſcipiendi habuiſſe, ergo, ſi non conſtet de tali voluntare, non erit baptizandus; cum vero eſt dubium, an talem voluntatem habuerit, an non habuerit, non poteſt dici ſenſibilitèr de tali voluntate conſtare, ideoque non eſt, cur dicit poſſit baptizandus, etiam ſub conditione, cum hæc non ſit adhibenda, quando certò conſtat Baptiſmum non eſſe validum ob deficientiam alicuius conditionis neceſſario requiſitæ; quando verò ſenſibilitas non extat intentionis, deficit conditio neceſſario requiſita, ergo &c. Sed ad hæc dici poteſt, quod communis opinio procedat, quando eſt dubium non ſolum ſuper poſitionem, & non poſitionem illius præcedentis intentionis, ſed etiam ſuper

8

Exiſtente aliqua ſēſibilitate eiuſdem poteſt conferri ſub conditione.

ſenſibilitatē eiuſdem, quatenus extent indicia aliqua, de quibus dubitatur, an ſufficientia ſit ad inducendam talem ſenſibilitatem, quæ inditia, cum ſint ſenſibilia, & ſint indifferentia quoquo modo ad illam inferendam, vel non inferendam, tribuunt fundamentum ſuſpicandi de eadem ſenſibilitate, & per conſequens ponendi etiam Baptiſmum ſub conditione.

ARTICVLVS II.

An, & quænam intentio requiratur in adultis recipiendi Baptiſmum.

SVMMARIVM.

Requiritur in adulto intentio ſaltem habitualis. 1.

Sufficit, quod ſit voluntaria ſimplicitèr, quamuis ſit inuoluntaria ſecundum quid. 2.

Quot modis ſit inuoluntarium ſecundum quid. 3.

Hæc inuoluntarietas compatitur cum intentione ſufficienti ad Baptiſmum. 4.

Qui per metum ab extrinſeco inducitur eligit potius Baptiſmum, quam pati obiectum illius metus. 5.

Non currit paritas de Matrimonio contracto per metum. 6.

Baptiſmus receptus cum inuoluntarietate ſecundum quid confert caractherem, non effectum gratiæ. 7.

Non intelligitur eſſe cum debitis diſpoſitionibus. 8.

Intentio neutralis in adulto non eſt ſufficiens. 9.

Sine actu non poteſt quis recedere à vetere & ingredi nouam vitam. 10.

Reijcitur opinio Caietani. 11.

Euincitur ex praxi Eccleſiæ. 12.

ADultos omnes non baptizatos pollentes rationis lumine capaces eſſe Baptiſmi eſt certo certius, immo potiſſimum in ordine ad ipſos vrgere neceſſitatem illum recipiendi ſub interminatione damnationis æternæ euincitur ex illo Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*, quod, quamuis ex ſuperius dictis dirigatur ad omnes, ſignantèr tamen refertur ad ipſos, qui capaces ſunt doctrinæ cæleſtis, & præcepti Diuini, nullaque ratione, & præceſſu excuſari poſſunt ab illius prætextu obſeruantia. Suppoſito igitur, quod ad illum recipiendum teneantur, remanet inquirendum, quænam conditiones in ipſis requirantur ad validam, & licitam ſuſceptionem, quod latè examinabitur in hoc, & ſequentibus articulis, ſed ſignantèr in hoc erit

ſermo

ſermo de intentione requiſita ad eiuſdem legitimam receptionem.

1 Requiritur in adulto intentio ſaltem habitualis.

Et quidem requiri intentionem ſaltem habitualem in præcedentibus actibus non retractatam, ſatis conſtat ex prædictis, & euincitur ex illo Apoſtoli, ad Roman. 6. *Conſepulti ſumus Chriſto per Baptiſmum in mortem, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ità, & nos in nouitate vitæ ambulemus*, vbi *D. Auguſtinus in lib. de med. pœn. c. 2. non longè à princip. tom. 8.* aſſerit, quod ad hoc, vt quis moriatur veteri vitæ, requiratur in habente vſum rationis voluntas, qua eum pæniteat veteris vitæ, ita requiratur voluntas, qua intendat vitæ nouitatem. Hanc rationem colligo ex *D. Thoma tertia part. q. 68. art. 7. in corpore*. Difficultas igitur reducitur ad hoc, qualis debeat eſſe talis intentio, an debeat eſſe omnino libera, an etiam poſſit eſſe coacta, & qua coactione, an poſita per metum cadentem in conſtantem virum, an ſufficiat intentio neutralis, & alia huiuſmodi.

2 Inuoluntaria ſecundum quid ſufficit.

Dico primò, vt Sacramentum Baptiſmi validum ſit, ſufficit voluntas, ſeu intentio ſimpliciter voluntaria, quamuis ſit inuoluntaria ſecundum quid. In hoc aſſertum conſentiunt *Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 24. ſect. 1. verſ. dico tertio*, *Bonacina de Baptiſmo diſp. 2. qu. 2. punct. 6. n. 22.*, *& alij communitèr*.

3 Quot modis intẽtio poſſit eſſe inuolũtaria ſecũdum quid.

Pro clariori intelligentia huius dicti aduertendum eſt, multiplicitèr contingere poſſe eam intentionem inuoluntariam eſſe ſecundum quid, & voluntariam ſimplicitèr; primò, quando eſt per metum, qui metus poteſt eſſe duplicitèr incuſſus, vel ab intrinſeco, & ſine vlla iniuria, & actione humana; vel ab extrinſeco, & cum aliqua vi, vel per iniuriam illatus; primo modo eſt, quando quis ex timore alicuius ingentis mali ſibi imminentis non per vim extrinſecam, & iniuriam motus ad illud effugiendum, ſuſcipit Baptiſmum; cum intentione verè illum ſuſcipiendi, quam intentionem verè non haberet, ſi illud malum ſibi non immineret; ſecundo modo eſt, quando quis ad euitandam vim ſibi per iniuriam illatam intendit Baptiſmum recipere, quem cæteroqui non eſſet recepturus. Secundò, quando eſt per preces, quantumuis importunas, vel per largitionem munerum ad hunc effectum collatorum. In quibuſcunque caſibus huius metus, vel coactionis, vel precum importunarum intelligitur noſtrum aſſertum, quando meticuloſus, vel coactus eligit potius Baptiſmum ſuſcipere, quam illa pati, quæ ex metu, vel coactione ſibi inferuntur, prout intelligit *D. Thomas in quarto diſt. 6. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 3. in corpore*.

4 Hæc inuoluntarietas cõpatitur cum intentione ſufficienti.

Ratio huius noſtri aſſerti ex eo deducitur, quia illa metus, ſeu coactio, ſiue importunitas, quamuis aliquid minuant de voluntario, non tollunt tamen rationem voluntarij ſimplicitèr, quandoquidem motus illo metu, ſeu coactione potius eligit ſuſcipere Baptiſmum, quam illa mala pati; ſed hæc electio eſt ſimplicitèr voluntaria, & ſufficiens ad valorem huius Sacramenti, & obligatoria, vt videre eſt in pluribus ſimilibus, & quidem quoad metum ab intrinſeco incuſſum, & ſine iniuria in eo, qui metu mortis in periculo eiuſdem pænitentiam eliceret, quæ eſt ſufficiens ad ſalutem, vt communitèr ſuſtinent; item in eo, qui in periculo naufragij votum aliquod emitteret; hic etenim teneretur ad obſeruantiam illius voti, quia eſſet voluntarium ſimplicitèr, licet inuoluntarium ſecundum quid; Quoad metum vero ab extrinſeco colligitur ex eo, quod habet *D. Thomas loc. mox cit.* de illo, qui motus coactione inducente per minas, & flagella potius eligit Baptiſmum ſuſcipere, quam talia pati, vbi aſſerit ſuſcipere Sacramentum, ſed non rem Sacramenti; item ex eo, quod habetur *in c. maiores*, *§. item quæritur de Baptiſmo*, vbi planè hoc dictum explanatur, quod etiam fuit definitum *in Concil. Toletano IV. c. 56.* prout habetur *in c. de Iudæis diſt. 45.* vbi *Gloſa in verb. coacti ſunt*, aſſerit coactionem conditionalem, qualis eſt illa, de qua hic loquimur, non impedire Sacramentum Baptiſmi, nec etiam Sacramentum Ordinis.

5 Qui per metũ ab extrinſecè inducitur eligit Baptiſmum voluntariè.

Quarè *D. Thomas loc. cit.* rectè diſtinguit duplicem coactionem alteram abſolutam, cuius principium ſit ex toto extra, nil conferente vim paſſo, immo penitus reſiſtente, vt cum reclamans immergitur violentèr, & tunc aſſerit, nec Sacramentum ſuſcipi, nec rem Sacramenti; alteram quaſi conditionatam, quam explicat in eo, de quo mox dicebamus, qui inducitur per minas, & flagella, quatenus potius eligit Baptiſmum ſuſcipere, quam talia pati, & tunc aſſerit recipere Sacramentum, non rem Sacramenti.

6 Non currit paritas de Matrimonio contracto per metum.

Neque contra hæc dicta vrget argumentum deductum ex Matrimonio, quod, ſi fuerit contractum ex metu mortis maximè ab extrinſeco incuſſo, non tenet; Non vrget, inquam, quia Matrimonium fundatur in contractu, qui vim habet in conuentione, & voluntate cõtrahentium, quæ, ſi fuerit coacta, vel per vim inducta irritat ipſum contractum, qui exigit plenam libertatem, vt alibi probatum eſt; Baptiſmus autem totam vim habet per virtutem Diuinam, vt tradit *D. Thomas tertia part. q. 68. art. 8. in corpore*, ſuppoſito ſolummodo actu voluntatis habituali

ſuſci-

ſuſcipientis, quando eſt adultus, adeoque non exigit plenam illam voluntarietatem.

7 *Baptiſmus receptus cũ inuoluntarietate ſecũdum quid non confert gratiam.*

Dico ſecundò, quamuis Baptiſmus collatus cum intentione inuoluntaria ſecundum quid iuxta modum explicatum validus ſit, non tamen conſequitur effectum gratiæ, licet imprimat caractherem, quod eſt, quod dicit *D. Thomas in quarto ſent. diſt. 6. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 3. in corpore*, quod ſcilicet conferat Sacramentum, non rem Sacramenti. Ratio ex eo deducitur, quod ad percipiendum fructum huius Sacramenti requiritur diſpoſitio illum recipiendi per fidem, atritionem, & deuotionem, quæ præcipuè quoad atritionem, & deuotionem non intelligitur adeſſe, quando quis coactus per vim extrinſecam recipit Baptiſmum, alias non recepturus; non enim intelligitur plenè ſe diſponere per iſtos actus, quando quodamodo cogitur illum recipere, nec ſpontè recipit.

8 *Non præſumitur eſſe cum debitis diſpoſitionibus.*

9 *Intentio neutralis in adulto non eſt ſufficiens*

Dico tertiò; intentio neutralis non eſt ſufficiens ad recipiendam rem Sacramenti, nec ipſum Sacramentum in adulto *D. Thomas tertia part. q. 68. art. 7. in corpore, Alenſis quarta part. q. 18. memb. 1., D. Bonauentura in quarto diſt. 4. art. 2. q. 1., Riccardus in quarto diſt. 6. art. 2. q. 3., & ibi Paladanus q. 2., Silueſter verb. Baptiſmus 4. quæſt. 14., Adrianus q. 1. de Baptiſmo art. 3., Scotus in quarto diſt. 4. q. 4.*, & alij communitèr contrà *Caietanum*, volentem per ſe non exigi intentionem ex parte baptizandi de neceſſitate Sacramenti, ſed tantum, & ad ſummum per accidens ad remouendam contrariam voluntatem, ſi quæ fuerit; ex quibus deducit, quod, ſi homo fuerit neuter, hoc eſt, nec conſentiens, nec diſſentiens validè reciperet Sacramentum; eſt etiam aliqualitèr contra *Durandum in quarto diſt. 4. q. 7.* volentem ſufficere intentionem interpretatiuam, ſi nomine iſtius intelligat intentionem abſque aliquo actu, vel exiſtente, vel præexiſtente.

10 *Sine actu non poteſt quis ingredi nouam vitam.*

Ratio in vniuerſum ex eo deducitur, quod ad recedendum à veteri vita requirantur voluntas, qua recedentem pœniteat veteris vitæ, & voluntas, qua nouam vitam ingrediatur, ſed quando eſt neutra intentio, nec eſt actus voluntatis, quo quis recedere ſtudeat à veteri vita, nec actus, quo nouam ingrediatur, cum nec ſit conſentiens, nec diſſentiens, ergo, nec eſt diſceſſus à priori veteri, nec acceſſus ad poſteriorem nouam; Neque dicas, ex hac ratione comprobari opinionem Caietani, qui vult requiri tantum intentionem ad excludendam priorem præcedentem voluntatem, qua poſita excluſione immediatè ſubſequitur ſine alio ingreſsus in vitam poſteriorem, & nouam; contrà enim impugnaberis, quia Caietanus ſupponit, quod adultus habuerit præcedentem voluntatem poſitiuam nõ recipiendi Baptiſmum; nos autem hoc non apponimus, ſed ſolum, quod fuerit in vita veteri proptèr peccatum originale contractum ab Adamo, & debeat ingredi ad vitam nouam gratiæ, ad quod dicimus in adulto requiri actum, quo recedat à veteri, & ad nouam accedat, quod non eſt ad retractandum priorem actum contrarium præcisè, ſed ad recedendum ab originali, & accedendum ad ſtatum gratiæ, quæ eſt noua vita, & ſic hi actus requiruntur per ſe, non merè per accidens, vt volebat Caietanus.

11 *Reijcitur opinio Caietani.*

12 *Euincitur ex praxi Eccleſiæ.*

Ratio ſecundò poteſt deduci ex communi ritu Eccleſiæ, ſecundum quem in Baptiſmo adultorum exigit per interrogationes congruas ab eiſdem conſenſum, non ab alijs nomine ipſorum, licet contenta ſit conſenſu per alios exhibito in Baptiſmo paruulorum, ergo ſignum eſt, quod requiratur propria voluntas adulti baptizandi, cum illum poſſit præſtare ad differentiam paruulorum, qui, cum non poſſint illum exhibere defectu vſus rationis, intelliguntur exhibere per alios; vndè *D. Auguſtinus lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas c. 20.* prout refertur *in c. cum pro paruulis de conſecrat. diſt. 4.* hæc habet. *Cum paruuli, nec corde credere valeant, nec ore confiteri alij pro eis reſpondent, vt impleatur erga eos celebratio Sacramenti*; at, ſi pro eo, qui reſpondere poteſt, alius reſpondeat ſcilicet pro adulto non itidem valet; & alibi D. Auguſtinus ſubdit. *Qui fecit te ſine te, non ſaluabit te ſine te*, niſi ſecuias conſentiens, & intendas baptizari, quæ omnia indicant neceſſitatem propriæ intentionis ſaltem habitualis.

ARTICVLVS III.

An in adulto ſuſcepturo Baptiſmum requiratur fides.

SVMMARIVM.

Ad validè ſuſcipiendum Baptiſmum non requiritur fides ſupernaturalis. 1.

Euincitur ex pluribus textibus iuris canonici. 2.

Explicatur textus Marci vlt. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, *vt non obſtans noſtro aſſerto.* 3.

Ad licitam, & fructuoſam perceptionem Baptiſmi in adulto prærequiritur fides ſupernaturalis. 4.

Stante infidelitate, ſeu defectu fidei eſt obex ad gratiam. 5.

Cur ſine fide producatur caracther, non gratia. 6.

Hic

HIc titulus examinari poteſt, vel quoad validam collationem, & ſuſceptionem Baptiſmi, vel quoad licitam, & procedit de recta fide miſteriorum fidei.

1 *Ad validè ſuſcipiendum non requiritur fides ſupernaturalis.*

Dico primò ad validè ſuſcipiendum Baptiſmum non requiritur fides ſupernaturalis. Conſentiunt *D. Thomas tertia part. q. 68. art. 8. in corpore, & in quarto diſt. 3. q. 1. art. 2. ad ſecundum, Pitigianus in quarto diſt. 4. q. 5. art. 2. concl. 1., Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 14. ſect. 2., & diſp. 24. ſect. 2., Bonacina de Baptiſmo diſp. 2. q. 2. punct. 6. n. 24. vbi alios plures allegat.* Hoc deducitur primo ex D. Gregorio, qui ſcribens Quirino Epiſcopo hæc habet. *Ab antiqua PP. inſtitutione didicimus, vt qui apud hæreſim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad Sanctam Eccleſiam redeunt, aut vnctione Chriſmatis, aut impoſitione manus, aut ſola profeſſione fidei ad ſinum Matris Eccleſiæ reuocentur*; indè Sancta Mater Eccleſia nunquam conſueuit Hæreticos baptizatos ab Hæreticis reuertentes ad Eccleſiam rebaptizare, quin potius hoc ſub grauibus pænis interdixit. Secundò *ex c. maiores de Baptiſmo, & c. de Iudæis diſt. 45.*, vbi dicitur, quod coactus per vim ad recipiendum Baptiſmum conſentiat, cogendus ſit ad ſeruandam fidem abſolutè, ergo etiā ſi in infidelitate perſiſtens in eundem Baptiſmum conſenſerit, caractherem recipiet, & verum Sacramentum. Tertiò ratione *D. Thomæ loc. cit. nempè d. q. 68. art. 8. in corpore*. Ad valorem Baptiſmi non requiritur recta fides in baptizante, ergo, nec eadem requiri cenſenda eſt in baptizato. Quartò, quia Sacramenta omnia tribus perficiuntur, vt ſtatuit Concil. Tridentinum, nempè materia, forma proportionatis, & debita intentione miniſtri; hæc autem omnia intelliguntur interuenire in Baptiſmo, quantumuis recta fides deficiat in baptizato.

2 *Euincitur ex pluribus textibus iuris canonici.*

5 *Textus Marci vlt. Qui crediderit, & baptizatus fuerit non obſtat.*

Neque obeſſe poteſt id, quod habetur Marci vlt. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit*, vbi ad Baptiſmum prærequiritur fides, ergo ſine fide non poteſt eſſe Sacramentum Baptiſmatis; nec item, quod Baptiſmus dicatur rectæ fidei Sacramentum, per quod homines incorporantur Chriſto; hoc autem non poteſt eſſe ſine recta fide, vt colligitur ex illo Apoſtoli ad Eph. 3. *Habitare Chriſtum per fidem in cordibus noſtris*. Non, inquam, obeſſe poteſt; Non primum, quia, ſi benè attendas verbis allegatis, dignoſces, Chriſtum Dominum ibi loqui de Baptiſmo formato, prout parere debet ſuum effectum iuſtificationis, ad quem certè debet præcedere fides, ſine qua nemo poteſt iuſtificari, & ſaluus fieri. Quamobrem nota cum *D. Thoma d. q. 68. art. 8. in corpore*, quod Baptiſmus ſecundum ſe duos habet parere effectus in anima ſuſcipientis alterum caractherem, alterum gratiam iuſtificantem, & ſanctificantem, quæ eſt vltimus effectus; ad hunc certè neceſſaria eſt fides ſupernaturalis, cum teſte Apoſtolo ad Roman. 3. *Iuſtitia Dei ſit per fidem Ieſu Chriſti*; ad caractherem autem fides non eſt neceſſaria, cum ſufficiat, quod interueniant materia, & forma cum debita intentione; Non ſecundum, quia, quod dicatur Baptiſmus Sacramentum fidei, eſt, quia inductum, & inſtitutum tanquam ianua, & fundamentum, ex quo oritur obligatio fidei ſeruandæ; ex quo non benè infertur, quod ex neceſſitate Sacramenti fides debeat ad ipſum præcedere.

4 *Ad licitā perceptionem prærequiritur fides.*

Dico ſecundò. Ad percipiendum Sacramentum, & rem Sacramenti neceſſaria eſt fides recta in ſuſcipiente, ſeu quod idem eſt ad licitam, & fructuoſam perceptionem Baptiſmi neceſſaria eſt fides recta. In hanc etiam conſentit *D. Thomas d. tertia part. q. 68. art. 8. in corpore*, Suarez, & alij citati in præcedenti aſſerto. Ratio eſt, quia ſine fide nemo poteſt placere Deo; vnde Apoſtolus ad Romanos 3. dicit: *Iuſtitia Dei eſt per fidem Ieſu Chriſti*. Accedit, quod non poteſt eſſe effectus gratiæ iuſtificantis, vbi eſt obex ad eandem gratiam, ſed ſtante infidelitate, ſeu negatione rectæ fidei adeſt obex ad gratiam, ergo non poteſt eſſe gratia cauſata per Sacramentum Baptiſmatis; Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur, verè non poſſe eſſe effectum vltimum Baptiſmi, nempè gratiam baptiſimalem, quando eſt infidelitas poſitiua cum actibus poſitiuis repugnantibus fidei, ſecus autem, quando eſt dumtaxat infidelitas negatiua, quando ſcilicet, nec ſunt actus poſitiui fidei, nec actus poſitiui reſiſtentes eidem fidei; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ad iuſtitiam Dei requiritur fides poſitiua, vbi eadem fides promulgata eſt, nec ſufficit merè negatiua, quæ non poteſt influere in aliquem effectum, cum conſiſtat in mera negatione.

5 *Stante infidelitate eſt obex ad gratiam*

6 *Cur ſine fide producatur caracther, non gratia.*

Si autem quæratur ratio, proptèr quam ſine fide per Baptiſmum producatur in baptizato caracther, non autem gratia baptiſimalis, dicam eam eſſe, quia gratia habet oppoſitionem cum infidelitate, non ſic caracther, qui cum eadem compatitur, ſicuti cum alio quocunque peccato lethali.

ARTICVLVS IV.

Quomodo ſe gerere debeat Parochus, qui in confeſſione obſtetricis renuentis reuelationi nouit aliquos ſuos Parocheanos baptizatos ſine debita intentione.

SVMMARIVM.

Factum in ſuis terminis expoſitum. 1.
Rationes, & motiua, quæ reddunt caſum difficilem. 2.
Requiritur in miniſtro baptizante intentio baptizandi. 3.
Nec præſumitur Deus, nec Eccleſia ſupplere defectum intentionis miniſtri. 4.

1 Exponitur facti ſeries.

COntigit, quod quædam obſtetrix, quæ diu hoc munere functa eſt in aliquo paruo oppido, in Confeſſione Sacramentali habita cum ſuo Parocho tacta dolore cordis intrinſecus expoſuerit ſe aliquos, quos nominatim expreſſit, baptizaſſe ſine debita, immo cum nulla intentione, timenſque, ne eius delictum detegeretur, Parocho expreſsè inhibuit, ne quid efficeret, aut inſinuaret, ex quo talis peruerſitas poſſet innoteſcere. Quæſitum hic fuit, quomodo in hac hypotheſi ſe gerere debeat Parochus, quiduè agere poſſit, & teneatur.

2 Difficultates, quæ vndequaque emergunt.

Res ſanè inextricabilibus difficultatibus inuoluta. Si tacet. Eſto, quod baptizatis ſine illa intentione ratione Baptiſmi flaminis, ſeu bonæ fidei Baptiſmatis ſuſcepti non imputetur ad culpam non ſuſceptio actualis, ſeu in re eiuſdem Baptiſmi, quinimmò conſequi poſſint gloriam, ſi in gratia cum illa bona fide perſeuerent, vel ſi amittant, recuperent, ſeu recuperare poſſint eandem gratiam per actus contritionis, & dilectionis Dei ſuper omnia, effectus tamen Sacramentorum, quinimmò, nec ipſa Sacramenta non poſſent validè recipere. Quid poſtea, ſi iſti non validè baptizati ſacris ordinibus initiarentur, & potiſſimum Sacerdotio? Oh quot Sacramenta inania conficerentur? Quot idolatriæ ſaltem materiales committerentur? Quot confuſiones orirentur? Si loquitur: ſe exponit periculo manifeſtationis confeſſionis præhabitæ ab obſtetrice, quæ non ſolum vetatur à iure Diuino, & naturali, ſed etiam expreſsè in hoc facto ab ipſa pænitente. Si ſecreto artificioſo quodam ſtudio non baptizatos baptizet illis penitus ignorantibus, non videtur hic ſecundus Baptiſmus ſubſiſtere, cum ad recipiendum in adultis requiratur intentio ſaltem habitualis, quæ non poteſt conſiderari in iſtis non validè baptizatis, cum nullum actum præcedentem ſuſcipiendi habuerint, nec tempore prioris Baptiſmi inualidi, cum tunc temporis vſum rationis non haberent; nec tempore ſubſequenti, nam, cum fuerint in bona fide Baptiſmi validè ſuſcepti, non potuerunt habere intentionem ſuſcipiendi, cum nouerint Baptiſmum eſſe irriterabilem. Si palam baptizet, vel ſaltem ſcientibus ipſis inualidè baptizatis; cum iſti ignorent inualiditatem prioris Baptiſmi, poſſent iuſtè, & rationabilitèr impingere eidem Parocho crimen iterati Sacramenti irriterabilis, ipſumque exponere grauibus pænis a iure comminatis, à quibus in foro externo non poſſet ſe eximere, cum non poſſet propalare defectum intentionis in obſtetrice.

3 Requiritur in miniſtro baptizāte intentio interna baptizādi

Si robur aliquod haberet opinio *Silueſtri verbo Baptiſmus 3. nu. 12., Paludani in quarto diſt. 6. q. 2. art. 3., D. Antonini tertia part. tit. 14. c. 13. §. 10.* aſſerentium, vel in Baptiſmo non requiri intentionem in baptizato, ſed ſufficere, quod applicetur vera forma materiæ, vel in defectu intentionis baptizantis Deum, vel Eccleſiam ſupplere huiuſmodi defectum, eſſet planè ſatisfactum huic quæſtioni, nec requireretur alia excuſſio. Sed in primis moneo, huiuſmodi DD. procedere dumtaxat quando baptizans arbitratur habere ſufficientem intentionem, quam tamen re uera non habet; in quo tamen etiam ſenſu eorum opinio non procedit ſine difficultate, & à nobis fuit reprobata *in qq. de Euchariſtia q. 3. art. 4. n. 38.*, & latiùs *in qq. de Sacrament. in genere, & de Sacramento Baptiſmi*. Deindè in quæſtione, de qua hic agimus, ſupponimus, quod abſolutè obſtetrix nullam, nec realem, nec præſumptam habuerit intentionem, ſed potius contrariam; qua in hypotheſi non poteſt eſſe dubietas de inualiditate Sacramenti; nec præſumendum eſt, quod Deus, vel Eccleſia ſuppleat talem defectum, ſicut non ſupplet defectum materiæ, & formæ; cæteroqui poſſemus etiam dicere Deum ex ineffabili ſuæ prouidentiæ ſuauitate ſupplere etiam defectum in contritione, quando non ſunt omnia requiſita, quod nemo dicit; Sed de hoc in ſubſequentibus.

4 Nec præſumitur Deus, vel Eccleſia ſupplere talem intentionē.

Vt clarius hac in re procedamus, & excludamus, quæ rectè, & iuſtè dici nequeunt, placet adamuſſim, & diſtinctè diſcutere capita, quæ poſſent adduci ad conſulendum ſaluti baptizatorum ſine debita intentione, quod præſtabimus per ſubſequentes paragraphos.

§. I.

An tutò ſtari poſſit opinioni, quod in hac hypotheſi Deus, & Eccleſia ſuppleant defectum intentionis.

SVMMARIVM.

Rationes ſuadentes, non ſufficere ad valorem Sacramenti, quod fiat opus feriò merè externum. 1.
Obiecta deſumpta ex doctrina D. Thomæ. 2.
Oſtenditur D. Thomam non aduerſari noſtro aſſerto. 3.
Rationes ſuadentes, Deum ſupplere defectum intentionis in miniſtro. 4.
Probabilius Deus non ſupplet. 5.
Soluuntur rationes contrariæ ſententiæ. 6.
Nec ſupplet talem defectum in ordine ad effectum Sacramenti. 7.
Etiam ſi ſuppleret in ordine ad effectum, non conſtitueretur capax aliorum Sacramentorum. 8.

1 **Nõ ſufficit, quod fiat opus ſeriò merè externum.**

IAm inſinuauimus DD., qui ad valorem Sacramentorum non neceſſariam aſſerunt intentionem internam conficiendi id, quod intendit Eccleſia, ſed ſufficere, quod fiat opus externum per applicationem exterioris formæ materiæ, & ſerietatem, & grauitatem, quam ſeruat Eccleſia; Sed merito, & ipſos, & eorum opinionem impugnant cæteri Scholaſtici cõmunitèr, adeout aliqui aſſerant Catharinum in opuſc. de intentione miniſtri authorem huius opinionis fuiſſe cenſura notatum, eiuſque opinionem per annos multos abolitam, licet poſtea fuerit malè à *Scribonio diſp. 1. de Sacram. in gen.* excitata; alij, inter quos *Arriaga diſp. 19. ſect. 2. n. 13.* damnant tanquam planè erroneam. Alij, inter quos *Lugus diſp. 8. ſect. 2. num. 15.* vocant non multum ab errore diſtantem, & ferè omnes notant tanquam temerariam. Hanc nos latiſſimè reprobauimus, tam in quæſtionibus de Sacram. in genere, quam in qq. de Sacram. Bapt.

2 **Obiecta deſumpta ex doctrina D. Thomæ.**

Contendunt tamen aliqui vindicare hanc opinionem à nota cuiuslibet cenſuræ, erroris, & temeritatis auctoritate D. Thomæ, quem aſſerunt in eadem opinione fuiſſe, quod euincere intendunt ex duplici textu eiuſdem Sancti Doctoris; primò ex *lib. 4. diſt. 6. q. 1. quæſtiunc. 2. ad ſecundum*, vbi reſpondens ad obiectum aduerſantium de incertitudine valoris Sacramentorum, ſi requireretur interna intentio, aſſerit, quod *in Baptiſmo, & in alijs Sacramentis, quæ habent in forma actum exercitum, non requiritur mentalis intentio, ſed ſufficit expreſſio intentionis per verba ab Eccleſia inſtituta, & ideo, ſi forma ſeruatur, nec aliquid exterius dicitur, quod intentionem contrariam exprimat, baptizatus eſt.* Secundò *in tertia part. q. 64. art. 8. ad ſecundum*, vbi idem expreſsius firmat per hæc verba. *Alij melius dicunt, quod miniſter Sacramenti agit in perſona totius Eccleſiæ, cuius eſt miniſter. In verbis autem, quæ profert, exprimitur intentio Eccleſiæ, quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti, niſi contrarium exterius exprimatur ex parte miniſtri, vel recipientis Sacramentum.*

3 **Oſtenditur D. Thomã non aduerſari noſtræ ſententiæ**

Verum, nec opinio ipſa, nec fulcimentum, quod eidem auctores ipſius atribuunt ex mente D. Thomæ, habent aliquam ſubſiſtentiam: non ipſa opinio, nam latè confutata eſt tum in qq. de Sacram. in genere, tum in qq. de Sacram. Baptiſmi; Non fulcimentum ex D. Thoma locis allegatis; quandoquidem loca allegata manifeſtas patiuntur interpretationes, quæ neceſſario admittendæ ſunt, ne teneamur dicere, D. Thomam ſibi met ipſi extitiſſe contrarium. Extant manifeſti textus, ex quibus clarè elucet eiuſdẽ Sancti Doctoris mens; primò *opuſ. 5. in ſecunda part. ſub tit. de Sacrament. Eccleſiæ*, vbi hæc expreſsè habet. *Requiritur etiam in quolibet Sacramento perſona miniſtri cum intentione conferendi, & faciendi, quod facit Eccleſia; & ſi miniſter Sacramenti non intendit Sacramentum conficere, non perficitur Sacramentum.* Secundò *in tertia part. q. 64. art. 8. ad ſecundum*, qui textus, licet allegetur pro parte aduerſa, contrarium tamen pro noſtra ſententia euincit; ibi enim in poſtremis verbis aſſerit, quod eodem modo requiratur intentio in miniſtro, quo requiritur in ſuſcipiente Sacramentum; & poſtea *q. 68. art. 7. ad ſecundum*, dicit, quod, *ſi in adulto deeſſet intentio ſuſcipiendi Sacramentum, eſſet rebaptizandus.* Quamobrem allegati pro parte aduerſa textus intelligẽdi quoad externam probationem, quatenus poſitis cæteris omnibus, nec indicata negatione intentionis præſumatur validitas Sacramenti; non autem quoad veram, & realem inualiditatem in ipſo Sacramento, & coram Deo.

4 **Rationes ſuadentes Deum ſupplere defectũ intentionis.**

Suppoſito iam, quod deficiente intentione miniſtri ſecundum ſe non ſubſiſtat Sacramentum, oritur hic difficultas, an reddatur ſaltem ſubſiſtens, & validum ex ſupplemento, quod præſtet Deus, vel Eccleſia pro tali defectu? Ex duplici capite videtur validari Sacramentum per ſupplementum intentionis miniſtri a Deo, vel Eccleſia. Primò ex eo, quod habet *D. Thomas tertia part. q. 64. art. 8. ad ſecundum*,

nempè,

nempè, quod miniſter Sacramenti agit in perſona totius Eccleſiæ, cuius eſt miniſter; intentio autem Eccleſiæ ſufficientèr habetur per verba, quæ miniſter nomine eiuſdem profert. Secundò ex ſuaui, & ineffabili Dei prouidentia, quæ non eſt præſumenda perpeti potiſſimum in ordine ad paruulos, quod ex incuria miniſtri, vel ex malitioſa intentionis ſubtractione eiſdem noceatur in neceſſarijs ad ſalutem; nec in ordine ad adultos, qui, quamuis ex Baptiſmo in voto ſaluari poſſint, cum ſibi ſuadeant, illum habere, & per proprios actus contritionis, & dilectionis Dei ſalutem conſequi poſſint, non tamen validè conſequi poſſent alia Sacramenta, & ſic conſequerentur in Chriſtiana Republica innumeræ confuſiones præcipuè, ſi ſic inualidè baptizati ſacris ordinibus initiarentur, quas Deus perpeti velle non eſt præſumendus.

5 Ex vi præſẽtis prouidentiæ probabilius non ſupplet.

Nihilominus abſolutè ſentiendum eſt, quantum eſt ex vi præſentis prouidentiæ, nec Deum, nec Eccleſiam ſupplere defectum debitæ intentionis in miniſtro. In hoc communitèr conſentiunt DD., & nos alibi latè tradidimus. Ratio eſt, quia de tali ſupplemento nullibi ex ſacris paginis colligitur, & ſi quid dicatur de hoc ab aliquibus Doctoribus, gratis hoc dicitur ex proprio marte, non ex aliquo fundamento, quod habeatur, vel ex aliquo ſcripturæ loco, vel ex aliqua Eccleſiæ, ſeu Conciliorum declaratione; quinimmò ex eo, quod Concil. Florent. in decreto vnionis Armenorum, & Trident. *ſeſs. 7. can. 11. de Sacram. in genere*, omnino requirant eadem prorſus forma intentionem miniſtri in conficiendis Sacramentis, qua requirunt materiam, & formam, videtur, quod, ſicuti non ſuppletur defectus eiuſdem materiæ, & formæ, ita, nec ſuppleatur defectus intentionis. Adde, quod, ſicuti ex communi DD. conſenſu Deus non ſupplet defectum eſſentialitèr requiſitorum ad contritionem, ità &c.

6 Soluuntur rationes contrariæ ſẽtentiæ.

Nec obſtant, quæ ex aduerſo dicebantur; Non primum, quia, licet miniſter Sacramenti agat in perſona totius Eccleſiæ, quatenus deputatur ab Eccleſia ad hoc munus, non tollitur tamen, quin agere debeat principalitèr ex perſona propria, cum non ſit merum inſtrumentum inanime, ſed actiuè concurrat verè efficiendo, & cauſando actione propria Phyſica, humana, & etiam morali; Non ſecundum, quia Deus Optimus Maximus alligauit ſuauitatem ſuæ prouidentiæ remedijs vtilitèr, & validè applicatis, quæ ipſe inſtituit, & ex eiſdem ſpecialitèr voluit ſuam bonitatem elucere, quæ non ità pateſceret, ſi extra valorem Sacramentorum eiuſdem effectus conferretur.

7 Nec ſupplet talẽ defectum in ordine ad effectũ Sacramẽti.

Sed, an ſaltem dici poſſit, quod, quamuis Deus non ſuppleat intentionis defectum in ordine ad conſtituendum validum Sacramentum, ſuppleat tamen in ordine ad effectum eiuſdem Sacramenti, adeout ille, cui applicatur feriò materia, & firma, cõſequatur effectum iuſtificationis, quamuis validum non recipiat Sacramentum? Alibi negatiuè concluſum eſt; & nunc quoque negatiuè concluditur; & ità quoque ſentiunt *Siluius in tertiam partem Diui Thomæ q. 64. art. 8. concl. 6.*, *Gonetus diſp. 6. art. 2. §. 5.*, *Madernus quæſt. 5. art. 6. n. 18.*, *Herinez quæſt. 3. num. 21.* Ratio ex eo deducitur, quod etiam in ordine ad hunc effectum nullum in ſacris paginis extat veſtigium talis ſupplementi, quinimmò in ordine ad Baptiſmum expreſsè habetur, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire in Regnum Dei*, nec aliud ſupplementum admittitur, niſi per proprios actus voti eiuſdem Baptiſmi, vel martirij; in ordine verò ad Euchariſtiam dicitur, *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, vel biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, & defectus eiuſdem ſolum ſuppleri poteſt per votum ſaltem implicitum ipſius.

8 Dato etiã, quod ſuppleret quoad effectũ non cõſtitueret ſubiectum aptũ ad alia Sacramẽta.

Quamuis autem daremus, quod Deus ſuppleat hunc defectum intentionis in Sacramento Baptiſmatis in ordine ad effectum eiuſdem conſequendum, non tamen per hoc eſſet ſufficientèr prouiſum indemnitati eius, qui ex defectu intentionis inualidè ſuſcepit Baptiſmum, quandoquidem validè non poſſet alia Sacramenta ſuſcipere, cum Baptiſmus in re ſit ianua ad ipſa, ſine qua ad eadem non peruenitur; vndè, ſi quis ſic inualidè baptizatus ordines ſacros ſuſciperet, innumera inualidè conficerentur Sacramenta, confuſiones plurimæ orientur &c.

Ex his habes ex hoc capite ſupplementi non remanere adhuc prouiſum eidem ſic baptizato; vnde adhuc remanet locus inquirendi, quomodo ſe gerere debeat Parochus conſcius inualiditatis Baptiſmi.

§. II.

An in concurſu neceſſitatis Baptiſmi cum præcepto non violandi ſigillum Sacramentale poſſit ſaltem Parochus modum aliquem adhibere, ex quo poſſit quoquo modo ſigillum violari.

SVMMARIVM.

Duo dubia circa titulum. 1.
Vtrumque præceptum eſt Diuinum, vtrumque naturale. 2.
Non licet directè violare ſigillum etiam ad finem baptizandi inualidè baptizatum. 3.
Præceptum ſeruandi ſigillum Sacramentale eſt negatiuum. 4.
Parochus debet potius ſibi conſulere, quam alteri. 5.
An poſſit ſaltem aliquid agere, ex quo indirectè haberi poſſit aliqua notitia, remiſſiuè. 6.

1 Duo dubia circa titulum.

DVo veniunt potiſſimum ſub hoc titulo examinanda. Primum eſt, an in concurſu neceſſitatis conferendi Baptiſmum ex inualiditate præcedentis cognita cum præcepto ſeruandi ſigillum Sacramenti, ex quo habita eſt notitia inualiditatis, præualere debeat primum, an vero ſecundum. Secundum eſt, dato, quod præualere debeat præceptum ſigilli, an, quamuis non poſſit Parochus illud directè violare ad ſubueniendum inualidè baptizato, poſſit tamen quodamodo indirectè aliquid efficiendo, ex quo poſſit conſurgere aliqualis notitia confeſſionis reuelatæ, ſeu manifeſtatæ.

2 Vtrumq; præceptū ſeruandi ſigillum Sacramētale, & conferēdi Baptiſmū eſt Diuinum.

In ordine ad primum conſiderandum eſt, quodnam præceptum ſit fortius in ſuo genere, cum vtrumque ſit Diuinum, vtrumque naturale; vtrumque obliget ſub graui; ſed primum referatur ad alienam ſalutem; ſecundum ad ſeruandam fidem alteri debitam; primum ad euitandam damnationem æternam alterius, ſi fortè grauitèr peccauerit, nec elicuerit verum contritionis actum; ſecundum ad vitandum damnum proprium, & periculum eiuſdem damnationis æternæ. Circa hoc ſit

3 Nō licet directè frangere ſigillum.

Concluſio. In ordine ad baptizandum inualidè baptizatum ex defectu debitæ intentionis non eſt licitum frangere directè ſigillum Sacramentale, ideoque præceptum iſtius præferendum eſt præcepto illius. In hoc arbitror DD. communitèr conſentire.

4 Præceptū ſigilli eſt negatiuū.

Ratio ex eo deducitur primò, quia præceptum ſeruandi ſigillum Sacramentale, quamuis concipiatur ſub terminis poſitiuis, in re tamen eſt negatiuum; quod obligat ſemper, & ad ſemper; præceptum verò baptizandi inualidè baptizatum eſt affirmatiuum, quod non obligat ad ſemper, ſed interuenientibus dumtaxat debitis circunſtantijs, & conditionibus; in concurſu autem præcepti negatiui cum poſitiuo, quantumuis vtrumque ſit in ordine Diuino, & naturali, negatiuum eſt præferendum, ergo &c.

5 Violando ſigillum directè maximè ſibi obeſſet.

Secundò, quia iuxta ordinem charitatis potius quis in eodem ordine ſpirituali poteſt, & debet ſibi conſulere, quam alijs, nec debet ſibi nocere, vt alteri proſit; ſed frangendo directè ſigillum Sacramentale valdè ſibi obeſſet conſtituendo ſe reum culpæ læthalis contra ius Diuinum, & naturale, & alterum inualidè baptizatum rebaptizando ipſi ſolum prodeſſet, ergo &c. Nec releuat, quod concurſus alterius præcepti videatur ipſum eximere a culpa, quatenus licet ipſa fractio ſit grauiter ſecundum ſe peccaminoſa, prout tamen obtegitur honeſtate finis, ad quem ordinatur, exuat omnem malitiam; Non releuat, inquam, quia præceptum ſeruandi ſigillum Sacramentale, cum obliget ſemper, & ad ſemper, non poteſt non obligare quocunque titulo, & fine ſuperueniente, nec mala ſunt facienda, vt eueniant bona.

In ordine ad ſecundum mouet difficultatem id, quod communitèr circunfertur, nempè eo iure, quo prohibetur fractio ſigilli Sacramentalis, prohibeatur etiam quæcunque actio, ex qua poſſit conſurgere eadem fractio, ſeu haberi notitia eius, quod cadit ſub eodem ſigillo; vndè *Sotus in quarto diſt.* 18. *q.* 4. *art.* 5., *Diana part.* 5. *tract.* 11. *reſol.* 46. §. *ſecundo*, docent, quod fractio ſigilli etiam indirecta ſit per ſe, & intrinſecè mala, nec vlla poſſit neceſſitate iuſtificari; & ipſe Diana ibidem plura refert exempla, ſeu caſus, in quibus abſolutè aſſerit, non poſſe Sacerdotem actionem exercere, ex qua etiam indirectè reſultare poſſit notitia confeſſionis præhabitæ, ſeu eorum, quæ manifeſtata ſunt in confeſſione; ex alia parte, cùm in hoc ſpeciali caſu, de quo agimus, maxima reſultare poſſit vtilitas ſpiritualis in inualidè baptizatis, & non niſi remotiſſimè occaſio dignoſcendi, quod illa actio proueniat à notitia habita in confeſſione, videtur præferenda illa maxima vtilitas.

6 An poſſit indirectè remiſſiuè.

Reſolutio præſentis difficultatis dependet à modo, quo poſſit exerceri actio proficua ſic inualidè baptizatis à Confeſſario, ſeu Parocho conſcio inualiditatis ex con-

confeſſione obſtetricis; ſi etenim ille modus ſit talis, vt quoquo modo poſſit ingerere manifeſtationem criminis commiſſi, & perſonæ, quæ commiſit, ſatis perſpicuum videtur, quod abſtinere debeat ab huiuſmodi actione; ſi verò ille modus ſit talis, vt omnino abſtrahat à ſuſpicione manifeſtationis, tunc videtur, quod modus ille poſſit adhiberi, cum ſit proficuus baptizatis inualidè, & nulli noxius. Si vero quæratur, quinam poſſint eſſe modi primi generis, & quinam ſecundi, dicam vberius infra in quarto paragrapho, vbi plures examinabimus.

---

§. III.

An bona fides, qua quis credit ſe eſſe ritè baptizatum, haberi poſſit pro ſufficienti intentione reſpectu eiuſdem ſine alio, vt poſſit ſecretò baptizari validè.

S V M M A R I V M.

In quo conſiſtat difficultas. 1.
Intentio habitualis non conſiſtit in mera non repugnantia. 2.
An habeatur æquiualentèr in actu complacentia. 3.
Probabile eſt per eandem ſufficientèr haberi. 4.
Bona fides, & complacentia quandoque eſt ſufficiens ad effectum Sacramenti. 5.
In voluntate generali ſeruandi omnia Dei præcepta continetur implicitè etiam voluntas Baptiſmi. 6.
Euincitur paritate infidelis exhibentis voluntatem generalem curandi propriam ſalutem. 7.
Poteſt Parochus ſecreto baptizare. 8.

1 Exponitur ſtatus quæſtionis.

CErtum omnino eſt, quod in adulto ad validè ſuſcipiendum Baptiſmum requiratur intentio ſaltem habitualis conſiſtens in voluntatis actu præcedente illum ſuſcipiendi, qui actus licet formalitèr non perſeueret, perſeuerat tamen moralitèr, quatenus non ſit retractatus. Modo ſupponimus, quod quis ex defectu intentionis in obſtetrice baptizante fuerit inualidè baptizatus, ſit tamen in bona fide Baptiſmi ritè, & validè ſuſcepti, & propterea nunquam habuerit animum ſuſcipiendi, cum ſemper arbitratus fuerit ſuſcepiſſe; & nouerit Baptiſmum eſſe irriterabilem, & quærimus, verum illa bona fides æquiualeat intentioni habituali, ratione cuius, ſi eidem conferatur ſecretò, eodemque ignorante Baptiſmus validè conferatur.

2 Intentio habitualis non conſiſtit in mera non repugnantia.

Qui conſtituunt intentionem habitualem in mera non repugnantia, non inuiti afferent, adeſſe ſufficientem intentionem habitualem in ijs, qui, cum ſibi ſuadeant eſſe validè baptizatos, actu non petunt baptizari, peterent tamen, ſi agnoſcerent non eſſe validè baptizatos, quia, ſi ſibi complacent de Baptiſmo, quem ſupponunt habere, vtique deſiderarent habere, ſi ſcirent validè non habuiſſe, & in ijs eſſet quid amplius, quam mera non repugnantia. Item Caietanus, qui per ſe non agnoſcit neceſſitatem intentionis in ſuſceptoribus Sacramentorum, ſed dumtaxat per accidens, quatenus, ſi habuerint intentionem contrariam, debent eandem retractare, non cenſendus eſt reluctari ſufficientiæ intentionis; nam ex eo, quod Baptiſmum receperint licet inualidè, nec eidem obſtiterint, non videntur habuiſſe voluntatem contrariam non recipiendi.

3 An habeatur æquiualentèr in actu cõplacentiæ.

Difficultas igitur reducitur ſolum ad communem ſententiam, ſecundum quam ad intentionem habitualem requiritur præcedens actus ſuſcipiendi Sacramenta non retractatus, an ſcilicet hic debeat eſſe formalitèr de eiſdem recipiendis, an poſſit eſſe ſufficiens æquiualentèr in actu, quo non deſiderat, cum putet ſe habere, ſed ſibi complacet, & quodamodo congaudet de eiſdem iam habitis, licet re vera non habeat.

4 Probabile eſt per eandem ſufficienter haberi.

Concluſio. Bona fides, & quaſi complacentia, quam quis habet, & in qua perſeuerat de valido Baptiſmo ſuſcepto, qui tamen in ſe non eſt validus, præſumptiuè inducit ſufficientem intentionem ad validè ſuſcipiẽdum Sacramentum, adeout, ſi eidem conferatur, quantumuis non elicienti nouum actum, intelligatur probabilius validè conferri. Hanc quæſtionem apud neminem vidi agitatam, neque diſcuſſam; arbitror tamen hanc concluſionem noſtram circa eandem non inanibus rationibus eſſe ſuffultam.

5 Bona fides, & complacentia, quandoque eſt ſufficiens ad effectũ Sacramẽti.

Ratio ex eo deducitur primò, quia illa bona fides, & complacentia de Baptiſmo validè ſuſcepto eſt ſecundum ſe ſufficiens ad effectum Sacramenti ſuſcipiendum, nam ſi quis perſeueraret in illa bona fide vſque ad mortem, nec peccatum vllum actuale commiſerit, conſequetur gloriam æternam, quinimmò etiam ſi peccata actualia commiſerit, de illis tamen elicuerit actum perfectum contritionis, & hoc non alia ratione, niſi, quia in illa bona fide ſtat Baptiſmus flaminis, ſeu votum Baptiſmi, ergo etiam erit ſecundum ſe ſufficiens ad validè recipiẽdum Sacramentum, ſi eidem conferatur. Hæc conſequentia probatur, quia quid magis requiritur in

ſubiec-

Digitized by Google

ſubiecto ad acquirendum effectum Sacramenti, quam ad conſequendum præcisè ipſum Sacramentum; nam ad effectum plures requiruntur diſpoſitiones, quam ad ipſum Sacramentum, ergo, ſi illa bona fides ſufficit ad effectum conſequendum, ſufficiet etiam adueniente ipſo Sacramento ſecundum omnia alia requiſita ad ipſum validè recipiendum.

Ratio deducitur ſecundò ex eo, quod habetur *ſupra part.* 1. *de Sacram. in genere q.* 4. *art.* 3. *num.* 13. nempè haberi ſufficientem intentionem recipiendi Sacramenta in eo, qui Eccleſiæ leges ſeruanit, præcepta eiuſdem præcipuè in Sacramentorum ſuſceptione iuxta tempora ab eadem præfinita adimpleuit, & poſt ſuſceptum Baptiſmum verum ab ipſo præſumptum, vel voce, vel operibus ſemper profeſſus fuit Chriſtianam Religionem, & velle viuere, & mori iuxta Catholicæ Eccleſiæ leges; in hac etenim profeſſione Chriſtianæ Religionis continetur voluntas generalis ſuſcipiendi pro ſuo tempore Eccleſiæ Sacramenta, quæ ſuſcipere tenetur quilibet eandem profitens Religionem; & ſi in illa profeſſione Chriſtianæ Religionis continetur implicitè voluntas ſufficiens ad recipienda alia Sacramenta, non video, cur non contineatur etiam voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum, ſi non eſſet validè receptus, & hoc eſt, quod aſſerere voluit *Rituale Romanum ſub tit. de Extrema Vnctione*, per illa verba. *Qui ante illud petierunt, vel veriſimilitèr petiiſſent;* Quis autem ambigat, quod ille, qui bona fide ſe putat baptizatum, & ſemper ſeruauit Eccleſiæ leges, & operibus profeſſus eſt Catholicam Religionem, peteret Baptiſmum, ſi ſciret ſe inualidè baptizatum?

6 In voluntate generali ſeruandi omnia Dei præcepta cōtinetur implicitè voluntas Baptiſmi

Ratio tertiò ex ijs deducitur, quæ dicta ſunt *loc. cit. num.* 15. vbi, quod, ſi infidelis voluntatem exhibuerit generalem curandi per omnia media ſalutem, & etiam ingrediendi Catholicam Religionem, quamuis actu, & voluntate expreſſa Baptiſmum non petierit, poſſit ex vi illius voluntatis generalis validè baptizari, ſi aliter voluntatem expreſſam non poſſit exhibere, ergo etiam inualidè baptizatus, qui ſemper voluntatem exhibuit curandi propriam ſalutem in Religione Catholica, quamuis aliam voluntatem expreſſam ſuſcipiendi Baptiſmum non exhibeat, cum arbitretur ſe validè baptizatum, ex vi illius voluntatis generalis curandi propriam ſalutem per media neceſſaria poterit validè baptizari; ſi etenim in illa voluntate generali curandi per omnia media in Religione Catholica ſalutem comprehenditur voluntas ſufficiens ad recipiendum Baptiſmum in infideli, cur non comprehenditur etiam talis voluntas ſufficiens in fideli non validè baptizato in ſimili voluntate generali?

7 Euincitur exēplo infidelis exhibētis voluntatem curandi propriā ſalutem.

Dices primò; in infideli admitti ſolum aſſumptum, quando exhibita illa voluntate generali incidit inopinato fato in morbum, ratione cuius non poſſit exhibere aliam expreſſam, & determinatam voluntatem Baptiſmi; in caſu autem, de quo hic loquimur, poteſt inualidè baptizatus aliam determinatam voluntatem exhibere, & propterea non currit de vtroque paritas. Sed contra; dato ſemel, quod in illa voluntate generali curandi per omnia media ſalutem implicitè inſit voluntas ſufficiens ad validè recipiendum Baptiſmum, quantum ad validitatem eiuſdem non poteſt obeſſe, quod Baptiſmus conferatur, vel quando poteſt exhiberi alia voluntas determinata, vel non poteſt exhiberi, nam poſitis omnibus ſufficientèr requiſitis non poteſt non ſequi validus Baptiſmus; vndè ad ſummum ad licitè ſuſcipiendum poſſet requiri illa alia determinata voluntas, quando poſſet exhiberi; in hac autem hypotheſi non poteſt exhiberi talis voluntas, nec requiri; non exhiberi ob defectum cognitionis inualiditatis præcedentis Baptiſmi; non requiri, ob periculum maniſeſtationis confeſſionis, & fractionis ſigilli Sacramentalis; vndè non exhibitio eiuſdem æquiualet impotentiæ.

Soluitur inſtantia oppoſita.

Dices ſecundò, voluntatem implicitam, & præſumptam infidelis in illa voluntate generali curandi propriam ſalutem per omnia media etiam in Religione Catholica poſſe referri ad ſuſcipiendum Baptiſmum de futuro, non autem voluntatem implicitam, & præſumptam fidelis inualidè baptizati, cum hic ſupponat validè ſuſceptum Baptiſmum, ideoque in illa inuoluatur votum Baptiſmi, ſeu actum ſaltem implicitè præcedentem de illo ſuſcipiendo non retractatum, in quo ſundatur intentio habitualis; non ſic in iſta; cum etenim fidelis inualidè baptizatus ſupponat habere verum, & legitimum Baptiſmum, non poteſt referre ſuam voluntatem ad illum recipiendum, & ſic non poteſt eſſe deſiderium Baptiſmi ſuſcipiendi, in quo ſolummodo poteſt fundari intentio habitualis. Sed contra, quia meta noſtri argumenti eo tendit, vt euincat, quod in generali voluntate curandi propriam ſalutem per omnia media includatur voluntas implicita, & ſufficiens ad recipienda omnia Sacramenta, quæ conferre poſſunt ad ſalutem, & neceſſaria potiſſimum ſunt ad eandem; vndè inferebamus, quod, ſicuti in infideli voluntas illa generalis ſibi curandi ſalutem per omnia media ſufficientèr coniungitur cum intentione ſuſci-

Soluitur item alia inſtantia.

piendi Baptiſmum, quamuis nullus actus formalis de illo ſuſcipiendo præceſſerit, ita in fideli validè non baptizato illa generalis voluntas coniungatur cum ſufficienti intentione illum recipiendi, ſi non fuerit validè receptus, quantumuis non præceſſerit actus formalis. Quod deindè voluntas generalis infidelis ex præſumpta eius mente referatur ad Baptiſmum futurum; illa vero fidelis non validè baptizati ex mente eiuſdem non referatur ad Baptiſmum futurum, cum ſibi ſuadeat illum recepiſſe validè, non euacuat vim argumenti, quod ſolum in illa generali voluntate cognoſcit etiam implicitam intentionem Baptiſmi, vel abſolutè futuri, ſi non fuerit ſuſceptus, nec in re, nec in figura, vel conditionatè, ſi fuerit ſuſceptus non tamen validè in re, licet apparentèr in figura. Vno verbo. Bona fides, qua quis arbitratur ſe validè baptizatum, & de Baptiſmo ſibi complacet, licet ſecundum ſe non conſtituat validum Baptiſmum, conſtituit tamen ſubiectum proximè capax ad illum recipiendum; qui enim ſibi complacet de bono, quod exiſtimat habere, implicitè intelligitur illud appetere, ſi non haberet.

8 Suppoſito, quod illa bona fides ſit ſufficiens, poteſt Parochus ſecreto baptizare.

Ex his omnibus poteſt deduci, quod, cum illi inualidè baptizati ob defectum intentionis in obſtetrice, quæ baptizauit, intelligantur in illa bona fide, & complacentia ſufficientèr diſpoſiti, poſſit Parochus conſcius illius inualiditatis etiam ſecreto illos quantumuis ignorantes baptizare; ad quod confirmandum plurimum conferre poſſunt ea, quæ diximus *ſupra de Sacram. in genere, Baptiſmatis, & Confirmat. part. 2. de Baptiſm. q. 3. art. 1. ſect. 10.* vbi quod amentibus, & furioſis, qui ante amentiam, & furorem ſenſibilitèr exhibuerunt ſigna recipiendi Sacramenta, poſſit validè Baptiſmus conferri, quinimmò etiam dormientibus, qui huiuſmodi ſigna ante dormitionem exhibuerunt, vbi etiam contrarijs omnibus reſpondimus. Neque obeſſe poteſt, quod ibidem dictum fuerit, non poſſe licitè conferri Baptiſmum extra mortis periculum dormienti, licet ante exhibuerit voluntatem eiuſdem, ſed differendum eſſe, vſquequo fuerit à ſomno excitatus; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia in primis ibi dicta procedunt ſolum quoad licitam, & magis fructuoſam collationem, non ad validam; Deindè, cum in hac hypotheſi propallari nequeat inualiditas prioris Baptiſmi ob periculum manifeſtationis confeſſionis, & fractionis ſigilli, quæ ratio militat pro omni tempore, hoc impedimentum habetur pro perpetuo.

§. IV.

An alijs, & quibus remedijs poſſit Parochus conſulere ſic inualidè baptizatis.

SVMMARIVM.

Refertur remedium de rebaptizando ſub conditione, & reijcitur. 1.
Refertur remedium de excitando omnes promiſcuè ad votum Baptiſmi, & poſtea baptizandi ſecreto non baptizatos. 2.
Hoc remedium videtur congruum ſaluti inualidè baptizatorum, & indemnitati ſigilli Sacramentalis. 3.
Declarationes alibi factæ non videntur habere locum in caſu præſenti, & quarè. 4.
Vbi non poteſt aliter ſubueniri, remittendi ſunt Diuinæ prouidentiæ. 5.

RETENTA doctrina præcedētis paragraphi ad vberiorem Parochi, aliorumque in contingentia ſimilium caſuum, inſtructionem, placet alia examinare inueſtigando, an iuſtè poſſint exequi, & an poſſint conferre ad ſalutem ſic inualidè baptizatorum.

1 Refertur remedium ab aliquibus excogitatum, & reijcitur.

Nuperimè loquens de hoc caſu cum viro magna dignitate conſpicuo, ſumma integritate, & pietate pollente, in omni ſcientiarum genere, & ſignantèr in Theologicis, & moralibus facultatibus verſatiſſimo, audiui hoc remedium, ab eodem maximè commendari, vt ſcilicet ipſe Parochus arrepta occaſione colloquēdi cum illis inualidè baptizatis aſſerat, ſe in libro baptizatorum inueniſſe illos a fæmina fuiſſe baptizatos, de cuius peritia in exercendo illo munere poteſt maximè dubitari, & potuiſſe defectum aliquem ſubſtantialem contingere, & propterea forè maximè commendabile, ſi iterum ſub conditione baptizarentur. Semper tanti viri doctrinalia dicta tanquam oracula accepi, ſemperque eius veneratus ſum doctrinam; Sed in hac hypotheſi non poſſum libentèr acquieſcere; tum quia non conſueuit Eccleſia baptizatos ab obſtetricibus in caſu neceſſitatis rebaptizare, niſi vbi quoquo modo conſtiterit de defectu aliquo ſubſtantiali, vel in materia, vel in forma, vel in intentione; cæteroqui ob talem rationem dubij imperitiæ in fæminis omnes ab eiſdem baptizati eſſent rebaptizandi ſaltem ſub conditione, quod non conſueuit Eccleſia præſtare, ſed ſolum ſupplet defectum ſolemnitatum; tum quia,

cum

cum conſtet de fæmina obſtetrice, quæ baptizauit, eſſet ipſa, ſi viueret, interroganda; non enim poteſt reiterari Baptiſmus, niſi præmiſſis diligentijs ad inueſtigandam inualiditatem prioris, & ecce ſuſpicio, quæ oriri poteſt manifeſtationis notitiæ habitæ in confeſſione, tum quia, quamuis ex illa rebaptizatione apparenter facta ſub conditione non eſſet veſtigium manifeſtationis penes ipſos rebaptizatos, eſſet tamen manifeſtū ſignum apud obſtetricem, quod Parochus in illa rebaptizatione vſus ſit notitia habita in confeſſione, quod omnino illicitum eſt potiſſimum attenta prohibitione facta per eandem obſtetricem Parocho, ne defectum illum detegeret, neue actionem aliquam exerceret, ex qua argui poſſet illa detectio.

2 Refertur remediū de excitãdo omnes promiſcuè ad votum Baptiſmi,& poſtea baptizandi ſecreto non baptizatos.

Tutius, & cautius videtur remedium, quod alij in hac facti contingentia excogitarunt, vt ſcilicet ipſe Parochus conſcius talis inualiditatis in aliquo ſpirituali congreſſu, ad quem ſedulo, & cautè conuocare ſtudeat etiam quos nouit non ritè baptizatos, commendans efficaciam, & virtutem Baptiſmi non ſolum in re, ſed etiam in voto, omnium adſtantium animos diſponeret per congruas, & efficaces ſuaſiones ad renouandum votum Baptiſmatis, & ad eliciendum actum internum, quo optarent ſe baptizari, ſi non eſſent legitimè baptizati, vel conſequi vberiorem fructum ex illa voti renouatione, quo voto, ſeu actu interno quoquo modo habito per aliqua ſenſibilia ſigna poſtea illis etiam inualidè baptizatis ignorantibus ſecreto Baptiſmum conferat. Iuxta hunc modum videtur opportunè conſultum, & ſaluti inualidè baptizatorum, & indemnitati ſigilli Sacramentalis; Saluti, inquam, illorum, quia, ſuppoſito illo voto, ſeu renouatione eiuſdem habetur quidquid requiritur ad valorem in illa renouatione Baptiſmi, nempè in ſubiecto capacitas, & intentio habitualis in illo actu non retractato fundata; in miniſtro congrua intentio cum applicatione debitæ materiæ, & formæ; nec arbitrandum eſt vitiari ex eo, quod, quando Baptiſmus confertur, ipſi, qui baptizantur non aduertant; quandoquidem licet illa aduertentia plurimum prodeſſet, ſi adeſſet, ad vberiorem fructum, non eſt tamen neceſſaria ad valorem ſuppoſitis omnibus alijs requiſitis, vtſupra probauimus.

3 Hoc remediū videtur cõgruum ſaluti inualidè baptizatorum,

Et etiam indemnitati ſigilli Sacramentalis.

Indemnitati ſigilli Sacramentalis, quandoquidem in vniuerſa illa actione nullum apparere poteſt veſtigium; ex quo poſſit conijci violatio illius; non in illa conuocatione ad ſpiritualem congreſſum; cum hoc ſit proprium officij, & curæ paſtoralis, nec ſpecialitèr ſint conuocati illi ſolum inualidè baptizati, ſed alij promiſcuè; non in illa commendatione renouationis voti, quia, quamuis ex mente eiuſdem Parochi ſit ordinata ſpecialitèr ad excitandos animos inualidè baptizatorum ad illud votum eliciendum, ex quo tamen eſt extrinſecus directa ad omnes adſtantes, & quidem ſub figura, & ſpecie certiorem reddendi propriam ſalutem, & acquirendi vberiorem fructum, non videtur poſſe ingerere aliquam ſuſpicionem de violato ſecreto confeſſionis; non ex illo Baptiſmo iterato, quia de illo, nec apparet illis, qui baptizantur validè, nec eidem obſtetrici, quæ inualiditatem manifeſtauit in confeſſione, ergo cum nihil obſtet non erit, cur ſic non poſſit validè, & licitè conferri.

4 Quæ ſueruntalias declarata non videtur habere locum in præſẽti caſu.

Dum hæc ſcribo, audio in conſimilibus caſibus, in quibus ex peruerſitate miniſtrorum, qui potius Dæmonis, quam Eccleſiæ, ſeu Chriſti Domini dicendi ſunt adminiſtratores, ſeu inſtrumenta, inualidè fuerunt Sacramenta, & ſignantèr illud Baptiſmi collata pluribus, per Eccleſiæ Prælatos dictum fuiſſe nil eſſe innouandum, ne in Eccleſia Dei orirentur confuſiones inextricabiles, conſcientiæ anxietatibus torquerentur, ſed rem remittendam eſſe Diuinæ prouidentiæ, fortè arbitrantes Deum optimum maximum ex ineffabili ſuæ bonitatis ſuauitate in caſibus tantæ neceſſitatis ſuppleuiſſe defectum huiuſmodi intentionis. Sed arbitror, Eccleſiæ Prælatos proceſſiſſe in caſibus, in quibus cum fuerint promiſcuè, & indefinitè collata Sacramenta, non poterat eſſe determinata notitia perſonarum, quibus inualidè fuerint ila Sacramenta collata; ac proindè, ne iterarentur Sacramenta irriterabilia in ijs, qui legitimè ea ſuſceperint, & ne orirentur prænarratæ confuſiones in Eccleſia Dei, ſtatuiſſe, vt relinquerentur ſub diſpoſitione ineffabilis Dei prouidentiæ. In caſibus autem, de quibus hic loquimur, cum notitia determinata habeatur perſonarum, quæ fuerunt inualidè baptizatæ, videtur eiſdem tutiori aliquo remedio conſulendum; quamobrem ad aliquod ex allegatis eſt recurrendum. Quod, ſi ſupponatur, quod nullum poſſit adhiberi ex aliqua ratione, quam ego nequeo attingere; tunc certè remittendi ſunt Diuinæ prouidentiæ potius, quam reuelanda confeſſio, nec tunc valdè diffidendum eſt de ſuaui Diuinæ clementiæ diſpoſitione, quæ non præſumenda eſt deſtitutos relinquere extraordinarijs auxilijs, quibus conſueta ſine vlla prorſus eorum culpa nequeunt ſuffragari; ſed hoc piè credendum eſt, non vt certum ſtabiliendum.

5 Vbi aliter ſubueniri nõ poſſet remittendi ſunt Diuinæ prouidẽtiæ.

§. V.

§. V.

An Parochus ex vi proprij muneris in data hypotheſi teneatur per remedia aliqua curare ſalutem inualidè baptizatorum, an vero poſſit tuta conſcientia remittere ſine alio Diuinæ prouidentiæ.

SVMMARIVM.

Parochus tenetur in ſpiritualibus ſubuenire indigentiæ ſuarum ouium. 1.

Capita, ex quibus oritur præſens difficultas. 2.

Non eximitur Parochus ab eo onere ex eo, quod modus baptizandi ſit extraordinarius. 3.

Nec ex motiuo habitæ notitiæ ſolum in confeſſione, & ex confeſſione. 4.

Referuntur aliqui caſus, in quibus ſeruato modo licitum eſt vti notitia confeſſionis ad bonum, & honeſtum finem. 5.

Vtendo aliquo ex remedijs ſupra commendatis nullum oritur præiudicium. 6.

TEneri Parochum ex vi proprij muneris paſcere oues ſuas, eaſdemque, quantum poteſt, arcere à lupis rapacibus, miſterijs fidei imbuere, Sacramentis munire, errantes corrigere, deuiantes in viam ſalutis reducere, eſt certo certius, cum ideo recipiat decimas, alioſque prouentus, & intelligatur quodamodo ad hæc munera conductus. Sed, an in data hypotheſi notitiæ habitæ inualiditatis Baptiſmi collati ſuis ouibus teneatur modis omnibus eiſdem conſulere, vt reducantur in ouile per verum, realem, & validum Baptiſmum, eſt id, quod inquiritur ſub præſenti titulo.

1 **Ad quæ teneatur Parochus erga ſuas oues.**

Difficultas ex duplici capite oriri poteſt; primò ex eo, quod licet Parochus teneatur ad ordinaria, & conſueta munera, non videtur tamen teneri ad inſueta, & extraordinaria, & licet teneatur Sacramenta potiſſimum neceſſaria ad ſalutem ouibus conferre, non videtur tamen teneri ad requirenda extraordinaria, & inſueta media, quibus poſſit ille conferre; Quod ſi eadem requirat, videtur actus vberioris charitatis, & ſuperogationis, non neceſſitatis, & debiti. Secundò ex eo, quod quodamodo impediatur ex onere eidem per obſtetricem impoſito non exercendi actionem, ex qua quoquo modo oriri poſſet manifeſtatio, ſeu periculum manifeſtandi ſecretum confeſſionis; ſemper autem timere poſſet ex iteratione Baptiſmi oriri poſſe periculum aliquale eiuſdem manifeſtationis; nec ipſe tenetur indagare inſolita media, quibus obuiari poſſit tali periculo. Adde, quod Confeſſarius vti nequeat notitia habita in confeſſione ad euertenda damna proximi; & ſicuti, vt plures affirmant, ſi Confeſſarius ingreſſurus ſiluam nouerit ex confeſſione tunc habita à comite itineris, ſibi in eadem paratas eſſe inſidias ad mortem, non poteſt declinare ab eodem ingreſſu, ne ingerat ſuſpicionem notitiæ habitæ in confeſſione, & ſic inter cæteros docet *Diana part. 5. tract. 11. reſol. 46. §. ex quibus*, & hoc non alia ratione, niſi quia onus non detegendi confeſſionem, ſiue directè, ſiue indirectè præponderat omni bono, ſiuè priuato, ſiue publico, nec licet eandem detegere, nec ad propriam vitam tuendam, nec ad bonum, ſiue temporale, ſiue ſpirituale totius mundi *Turrianus de pænit. diſp. 33. dubio 5., Diana part. 5. tract. 11. reſol. 1. in fin., & part. 11. tract. 8. reſol. 50.* ita Parochus, qui ex confeſſione nouit aliquos periclitari in vita ſpirituali ob defectum validi Baptiſmi, non poteſt etiam in bonum ſpirituale ipſorum actionem aliquam exercere, ex qua oriri poſſit periculum manifeſtationis ſecreti Sacramentalis. Nihilominus his non obſtantibus

2 **Capita, ex quibus conſurgit difficultas.**

Dicendum eſt, ſi adinueniri poſſet modus conſulendi ſaluti inualidè baptizatorum, ex quo oriri non poſset periculum manifeſtationis notitiæ habitæ in confeſſione, ex neutro allegato capite impediri Parochum, quominus teneatur per illum modum, quamuis inſuetum conſulere eorundem ſaluti; Non ex primo capite, quia Parochus tenetur quantum poteſt modis omnibus conſulere quoad neceſſaria potiſsimum ſuis ouibus, ne pereant, & licet dicatur non teneri, niſi quoad media ordinaria, & conſueta; medium tamen Baptiſmi quoad eos, qui validè baptizati non ſunt, eſt ordinarium, & conſuetum quoad ſubſtantiam, & ſolum extraordinarium quoad modum illum ſecreto conferendi, qui modus, cum facilis ſit, cum non eximit ab onere; Nec dici poteſt non teneri inueſtigare illum modum, cum quilibet præter ordinarium ſubeſſe poſsit ſuſpicioni, vel periculo inualiditatis; Non, inquam, dici poteſt, quia, cum modi à nobis in præcedentibus aſſignati faciles ſint, nec obnoxij ſuſpicioni, ſunt ſine vlla ſindereſi adhibendi, ideoque etiam quoad illos obligatur, cum teneatur omnibus modis facilibus per Sacramentorum maximè neceſſariorum adminiſtrationem ſuis ouibus conſulere.

3 **Non eximitur Parochus ab eo onere ex eo, quod modus baptizandi ſit extraordinarius.**

Non ex ſecundo capite, quia communi-

tèr conueniunt DD. Confeſſarium poſſe vti notitia confeſſionis ad aliquem iuſtum, & rationabilem finem, quando vtitur modo, quo non poſſit ingeri rationabilis ſuſpicio habitæ talis notitiæ ex confeſſione, neç vllo modo pænitenti, ex quo habita eſt illa notitia, inferatur præiudicium, nec illius honor, aut perſona lædatur, aut rubore ſuffundatur. *Sanchez de Matrimon. tom. 1. lib. 2. diſp. 16. num. 2., Diana part. 5. tract. 11. reſol. 3. §. notandum.* Hinc tradit idem *Diana loc. cit.*, quod, ſi Confeſſarius nouerit ex confeſſione Caium, qui communitèr reputatur Sacerdos, & Confeſſarius, cum talem ſe fingat, non eſſe Sacerdotem verum, ſed fictum, poſſit quæſito aliquo iuſto titulo, non amplius eidem confiteri non obſtante, quod antecedentèr ad talem notitiam habitam in confeſſione eidem confiteretur. Hinc etiam ipſemet *Diana loc. cit.* cum nonnullis alijs tradit, quod, ſi Confeſſarius nouerit ſibi parare inſidias ad mortem poſſit vtens tali notitiam ſibi præcauere non exeundo domo, & cautè ſe cuſtodiendo; Neque aſſerunt, obſtare ea, quæ dicta ſunt in ratione dubitandi, quod ſcilicet ingreſſurus ſiluam cognoſcens ex confeſſione vnius tunc habita ſibi in tali ſilua paratas inſidias ad mortem non poſſit ſe ſubtrahere ab ingreſſu in illam, quia ſupponunt in hoc caſu de ingreſſu in ſiluam, quod ex illa ſubtractione poſſit ſubeſſe periculum grauis damni illi pænitenti, qui in confeſſione manifeſtauit tales inſidias. Ex quibus infero, quod, ſi ex eo, quod in allegatis caſibus nullum præiudicium oriri poſſit pænitenti, poſſit Confeſſarius vti notitia confeſſionis ad aliquem bonum, & rationabilem finem, a fortiori poſſit vti notitia ex confeſſione habita ad effectum baptizandi inualidè baptizatos modis in præcedentibus allegatis, cum ex illis, nec præiudicium, nec læſio pænitentis, nec ſuſpicio, nec vmbra ſuſpicionis de manifeſtatione confeſſionis poſſit reſultare; ex ſuppoſitione etenim, quod illa bona fides, & complacentia de Baptiſmo validè ſuſcepto æquiualeat intentioni habituali in inualidè baptizatis, & ſufficiẽtes ſint in eiſdem ad validè ipſum recipiendum; Quodnam præiudicium, quæuè læſio oriri poteſt obſtetrici, quæ inualidè baptizauit? Vbi nam deſumi poteſt ſuſpicio, ſeu vmbra ſuſpicionis, ſi Baptiſmus ſecreto etiam ipſis recipientibus ignorantibus conferatur? Rurſus, ſi promiſcuè ſic inualidè baptizati cum alijs baptizatis per congruas exhortationes diſponantur ad elieiendum votum Baptiſmi abſolutè ad recipiendum vberiorem fructum gratiæ, vel conditionatè ad ipſum ſpiritualitèr recipiendum, ſi fortè non receperint; quodnam incommodum poteſt oriri, ſi poſtea habito, ſeu ſenſibilitèr elicito tali voto Parochus ſecreto conferat illis ſic inualidè baptizatis Baptiſmum? Certè nulla ſuſpicio confeſſionis præhabitæ, & manifeſtatæ apud aliquem poteſt ingeri; non penes ipſos baptizatos, qui non norunt ſibi conferri, ſeu eſſe collatum Baptiſmum, nec ex illa exhortatione poſſunt quid arguere de confeſſione obſtetricis, cum illa exhortatio facta fuerit omnibus promiſcuè, & indifferentèr etiam baptizatis; non penes ipſam obſtetricem, quæ inualidè ex defectu intentionis baptizauit; cum non ſit conſcia, nec Baptiſmi de nouo collati, nec illius exhortationis habitæ à Parocho ad excitandum ad nouum votum Baptiſmi; & quamuis notitiam haberet, ſeu habere poſſet de illa exhortatione non poſſet arguere illam factam eſſe in ordine præciſè ad illos inualidè baptizatos, cum fuerit promiſcuè ordinata ad alios etiam baptizatos.

4 Nec ex motiuo habitæ notitiæ ſolum in confeſſione.

5 Referuntur aliqui caſus in quibus ſeruato modo licitum eſt vti notitia confeſſionis.

6 Vtendo aliquo ex remedijs allegatis nullum oritur præiudicium.

ARTICVLVS V.

An in adultis ad ſuſcipiendum Baptiſmum requiratur dolor de peccatis commiſſis.

SVMMARIVM.

De neceſſitate Sacramenti non prærequiritur dolor. 1.
Conſiderabilia circa titulum. 2.
Sententia indefinitè aſſerens non prærequiri dolorem. 3.
Sententia aſſerens infectum originali, & ſimul actualibus accedentem ſine dolore conſequi remiſſionem originalis non actualium. 4.
In eo, qui ſibi conſcius eſt originalis, & actualium prærequiritur dolor. 5.
Euincitur ex ſacris paginis, Concilijs, & SS. PP. 6.
Ex eiſdem confutatur ſententia Scoti, ſi tamen eſt eiuſdem Scoti. 7.
Item illa Caietani. 8.
Non poteſt remitti peccatum originale ſine actualibus. 9.
Exiſtentibus cum originali ſolis venialibus, & recepto Baptiſmo ſine retractatione venialium remittitur originale, non venialia. 10.
Si ſolum adſit in adulto originale non eſt neceſſaria pænitentia. 11.
Sententia docens in adulto habente cum originali lethalia actualia prærequiri perfectam contritionem. 12.
Sententia docens prærequiri contritionem exiſtimatam. 13.

Sen-

Sententia docens, ſufficere diſplicentiam pure naturalem. 14.

Atritio ſupernaturalis eſt ſufficiens, & neceſſaria. 15.

Oſtenditur non eſſe neceſſariam contritionem perfectam. 16.

Nec etiam eandem, vt exiſtimatam. 17.

Euincitur, quod non ſufficiat diſplicentia merè naturalis. 18.

Euincitur atritionem ſupernaturalem ſufficere, & neceſſariam eſſe. 19.

1 De neceſſitate Sacramenti non præ-requiritur dolor

DOlorem non eſſe neceſſarium neceſſitate Sacramenti certum omnino videtur, ſicuti eadem neceſſitate non eſt neceſſaria fides recta, vt diximus in præcedenti articulo, quandoquidem ex inſtitutione eiuſdem ſolum requiritur applicatio debitæ materiæ, & proportionatæ formæ cum intentione tam miniſtri conferentis, quam ſubiecti recipientis, ſi hoc fuerit capax intentionis; ſolum igitur difficultas verſatur, an ſit neceſſarius ad conſequendum effectum vltimum eiuſdem Sacramenti, hoc eſt gratiam baptiſimalem. Pro quo

2 Conſiderabilia circa titulum.

Aduerte, an baptizandus adultus intelligatur præciſè habere maculam originalem in eodem ttansfuſam ab Adamo, an vero ſimul intelligatur, poſtquam peruenerit ad vſum rationis, contraxiſſe peccata aliqua actualia; oriri etenim poteſt difficultas, an in vtroque caſu requiratur in ſuſceptione baptiſmatis dolor, an vero ſolummodo in ſecundo caſu. Porro in caſu, quo dicatur requiri huiuſmodi dolor, conſiderandum erit, an hic debeat eſſe cum perfecta contritione informata charitate, an ſufficiat, quod ſit cum atritione ex metu gehennæ, & ex horrore, & turpitudine peccati.

3 Sentētia indefinitè aſſerēs non præ-requiri dolorem.

In ordine ad primam conſiderationem non defuerunt aliqui, qui aſſeruerunt ad vtilem, & fructuoſam ſuſceptionem baptiſmatis non requiri aliquam diſpoſitionem ex parte voluntatis præter illam recipiendi Baptiſmum, & ex parte intellectus fidem rectam ſolummodo, quam opinionem nonnulli attribuunt *Scoto in quarto diſt. 14. q. 4. art. 3.* vbi dicit non requiri, niſi voluntariam ſuſceptionem Baptiſmi ſine fictione, hoc eſt ſine actu, & voluntate peccati mortalis, &, quamuis ipſe Scotus paulo infra videatur, requirere motum aliquem diſplicentiæ, & atritionis, ibi non loquitur de Sacramento Baptiſmatis, ſed de illo pænitentiæ. Alij eandem tribuunt *Caietano tertia part. q. 86. art. 2. dub. vlt. in ſolut. ad primum*, vbi aſſerit, in ſuſceptione Baptiſmi non requiri propoſitum emendæ, cum ipſa Baptiſmi ſuſceptio ſit virtualis pænitentia, & ad hoc confirmandum adducit auctoritatem *D. Ambroſij ad Rom. 11. Gratia Dei in Baptiſmo, omnia condonat, nullumque luctum requirit*, quod clarius videtur explicare *lib. 3. de Sacrament. c. vlt. Qui venit ad Baptiſmum etiam ſi non confiteatur peccatum, in hoc ipſo implet confeſſionem omnium peccatorum, quod baptizari petit, vt iuſtificetur*

4 Sentētia aſſerens ſine dolore remitti originale nō actuale.

Alij ſtatuunt, accedentem ad Sacramentum Baptiſmatis, quando ſimul cum originali habet peccata actualia ſine pænitentia, quinimmò cum complacentia eorundem peccatorum actualium, vel alicuius ex illis conſequi remiſſionem originalis, non verò peccatorum actualium; atque hæc opinio tribuitur *Gabrielli in ſecundo ſentent. diſt. 32. q. 1.*, quæ tamen opinio, quanti habenda ſit, conſtabit ex infra dicendis. Hinc

5 In eo, qui ſibi conſcius eſt originalis, & læthalium prærequiritur dolor.

Dico primò in eo, qui cum peccato originali habet conſcientiam peccatorum actualium læthalium ad conſequendum effectum vltimum gratiæ iuſtificantis præter intentionem ſuſcipiendi Baptiſmum requiritur aliqua diſpoſitio voluntatis per deteſtationem eorundem. In hoc conſentiunt communitèr Theologi, ſignantèr *D. Thomas tertia part. q. 68. art. 6. in corp., & lect. 4. ſuper art. 11. ad Romanos, Suarez tom. 3. in tertiam part. D. Thomæ diſp. 28. ſect. 1. verſ. vnde dico primo*, vbi dicit, hoc eſſe de fide, & communitèr acceptatum à Theologis. Ratio deducitur ex eo, quod habet *D. Auguſtinus in lib. de pænit.*, quod non poſſit quiſquam incohare nouam vitam, niſi pæniteat eum veteris, & *lib. de vera, & falſa pænit. c. 18. Baptiſmus ſine pænitentia nunquam profuit ei, qui peccauit ſpontaneè.*

6 Euincitur ex ſcripturis ſacris Cōcilijs, & SS. PP.

Confirmatur primò ex illo Diui Petri Act. 2. *Pænitemini, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum*, & ex illo Lucæ 13. *Niſi pænitentiam egeritis omnes ſimul peribitis.* Confirmatur ſecundò *ex Concil. Trident. ſeſſ. 6. c. 6., & 7.*, vbi in adulto aſſerit, eſſe neceſſariam diſpoſitionem ex parte eius per deteſtationem peccatorum, & conuerſionem in Deum.

7 Confutatur opinio Scoti

Hinc ruit opinio, quæ tribuitur Scoto, ſi tamen talis eſt eius mens, & ſenſus, cum *Suarez loc. cit.* conetur eum eximere à ſenſu expoſito, & reducere ad ſenſum ſanum noſtræ concluſionis; ruit, inquam, quia, cum huiuſmodi ſcripturæ loca, & SS. PP. auctoritates requirant abſolutè pænitentiam de anteactis peccatis actualibus, non videtur ſufficere illa voluntaria ſuſceptio Baptiſmi ſine fictione, hoc eſt cum intentione ſuſcipiendi, quod confert Eccleſia, & ſine actu, & voluntate peccati læthalis Hæc etenim ſecundum ſe non inuoluunt actualem pænitentiam, & deteſtationem peccatorum præexiſtentium.

Digitized by Google

8 Item illa Caietani.

Ruit etiam opinio Caietani volentis in ipſa voluntaria ſuſceptione Baptiſmi in remiſſionem peccatorum contineri virtualem pænitentiam ſufficientem ad eandem remiſſionem; Ruit, inquam, quia ad remiſſionem peccatorum requiritur formalis deteſtatio eorundem, quæ non poteſt conſiſtere in ſola voluntate recipiendi Baptiſmum in remiſſionem peccatorum, cum requiratur actus proprius relatus ad eadem peccata deteſtanda, &, ſicuti non ſufficit, quod quis accedat ad Sacramentum Pænitentiæ ad obtinendam remiſſionem peccatorum, niſi ſimul ponat actum proprium, quo deteſtetur eadem peccata, ità &c. Caietanum à nota huius opinionis eximere conatur *Suarez. loc. cit. verſ. ex his ſatisfactum*, dum aſſerit, ipſum, quando dicit non requiri propoſitum emendæ non excludere actum pænitentiæ, ſed ſolum propoſitum reſarciendi iniuriam Deo factam per opera ſatisfactoria, cum per ipſum Sacramentum Baptiſmatis ſine alia ſatisfactione deleantur omnia peccata, & quoad reatum culpæ, & quoad reatum cuiuſcunque pænæ temporalis pro ipſis debitæ,

Hic etiam confutanda remanet alia ſententia Gabriellis, quæ, quamuis in eo, quo aſſerit ſine pænitentia non conſecuturum accedentem ad Baptiſmum remiſſionem peccatorum actualium læthalium, quorum conſcientiam habet, verum habeat; verum tamen non habet in eo, quo aſſerit, conſecuturum remiſſionem peccati originalis.

9 Non poteſt remitti peccatum originale ſine actualibus,

Ratio eſt, quia etiam peccatum originale non poteſt remitti, niſi per gratiam habitualem iuſtificantem, & remiſſiuam; vbi autem eſt gratia remiſſiua iuſtificans, non poteſt eſſe peccatum mortale, quia eadem gratia æquè pugnat cum peccato originali, ac cum peccatis actualibus læthalibus, ergo, vel cum originali remitti intelligenda ſunt omnia actualia læthalia, vel, ſi hæc non remittuntur, nec cenſendum eſt remitti peccatum originale. Quarè abſolutè tenendum eſt, in defectu veræ pænitentiæ, nec originale, nec actualia verè remitti. Quod ſi dicas, Sacramentum Baptiſmi in eâ hypotheſi deficientiæ doloris, ſeu pænitentiæ verè ſubſiſtere, adeoque debere aliquem effectum cauſare, qui alius eſſe non poteſt, niſi remiſſio originalis, tunc dicam, cauſare effectum caractheris, qui non pugnat, nec cum originali, nec cum actualibus peccatis, non autem remiſſionem originalis, non quia Sacramentum ſecundum ſe non ſit aptum illud remittere, ſed quia non eſt remiſſibile, niſi per gratiam, quæ ratione obicis peccatorum actualium non poteſt in ea hypotheſi produci in eo ſubiecto infecto eiſdem læthalibus.

10 Exiſtentibus ſolũ venialibus cum originalia, & nõ poſito dolore de iſtis remittitur ſolũ originale

Oritur hie iam difficultas, an ſi quis cum originali peccato contraxerit non læthalia, ſed venialia dumtaxat peccata, & accedat ad Baptiſmum ſine pænitentia, ſeu dolore eorundem venialium, conſequatur cum originalis remiſſione etiam illam venialium. Ex vna parte videtur dicendum, fieri remiſſionem huiuſmodi venialium, cum etenim Sacramentum non inueniat obicem ad ſuos effectus producendos caractheris, & gratiæ, videtur cum tota ſua virtute, & efficacia operari, & propterea producere remiſſionem cuiuſcunque culpæ, & pænæ non ſolum æternæ, ſed etiam temporalis. Ex alia, cum peccata per proprios voluntatis actus cõmiſſa non videantur remitti, niſi per retractationem propriam, ſeu receſſum ab eiſdem per actum proprium, non videntur ſine eodem, ſeu eadem remitti. D. Thomas *tertia part. q. 86. art. 2.* expreſsè aſſerit, quod, ſi quis recipiat Baptiſmum cum complacentia ad venialia, ſeu ad aliquod veniale non conſequatur remiſſionem illorum, ſeu illius, nam hæc complacentia, ſeu praua diſpoſitio actualis eorum, ſeu eius remiſſioni reſiſtit. Quamobrem ego crederem, quod non exiſtente retractatione venialium per debitum dolorem eadem venialia non remitterentur, quia ex vna parte effectus gratiæ remiſſiuæ originalis non pugnat cum eiſdem venialibus, ex alia, cum non ſit cauſa retractatiua eorundem venialium, non eſt, cur debeant remitti; Nec obſtare poteſt id, quod ſupra dicebatur, quod ſcilicet quando Baptiſmus non inuenit in ſubiecto obicem ad gratiam debeat in tota ſua latitudine producere ſuos effectus, hoc eſt remiſſionem cuiuſcunque culpæ, & cuiuſcunque pænæ. Non, inquam, obſtare poteſt, quia, licet non inueniat in hac hypotheſi obicem ad gratiam, non inuenit tamen diſpoſitionem ad remiſſionem culpæ venialis, quæ non repugnat cum eadem gratia, adeoque non eſt, cur illam debeat remittere. Eſt itaque Baptiſmus ſecundum ſe, & ex genere ſuo remedium aptum ad remittendam quamcunque culpam, & pænam, ſi inueniat debitas diſpoſitiones in ſubiecto, ſecus, ſi illas non inueniat, & hoc non ex ſui defectu, ſed defectu ſubiecti.

11 Si adeſſet ſolũ originale in adulto non eſſet neceſſarius prævius dolor.

Dico ſecundò. Si dari poteſt caſus, quo adultus habeat ſolum peccatum originale, & nulla actualia læthalia non eſt neceſſaria aliqua pænitentia, ſed ſufficit voluntaria ſuſceptio Baptiſmi cum propoſito profitendi, & ſeruandi legem Chriſti *D. Thomas in addit. ad tertiam partem quæſt. 2. art. 2., Nugnus de Sacrament. in genere q. 62. art. 1. difficult. 3. concl. 3. ad fin., Henriquez*

lib. 2.

Digitized by Google

lib. 2. cap. 24. n. 3., & c. 26. n. 1., Suarez tom. 3. in tertiam part. D. Thomæ diſp. 68. ſect. 1., Filliutius tract. 2. c. 5. q. 7. Ratio huius dicti ex eo deſumitur, quia peccatum originale, pro quo principalitèr inſtitutum eſt Sacramentum Baptiſmi, contractu non eſt per actus voluntatis propriæ, ergo ad ſui remiſſionem non indiget actum voluntatis propriæ retractantis, cum retractare quis nequeat id, quod non fecit. Confirmatur, quia pœnitentia propriè ſumpta eſt de peccatis à pænitente commiſſis, cum ſit retractatio prioris voluntatis, ſed peccatum originale non eſt commiſſum per actus voluntatis propriæ, ſed transfuſum ab Adamo, qui illud commiſit, ergo pænitentia de illo propriè haberi non poteſt.

12 Sentẽtia docens prærequiri cõtritionẽ perfectã.

In ordine ad ſecundam conſiderationem in principio huius tituli propoſitam, qualis ſcilicet dolor de peccatis actualibus requiratur, vt Baptiſmus eorum remiſſionem, & originalis conferat, tres, vel quatuor inuenio opiniones apud DD. Prima docet, requiri perfectam contritionem; atque hanc ſententiam amplectuntur *Gabriel in quarto diſt. 4. q. 2., Marſilius in quarto q. 2. in principio*, & plerique illam tribuunt *D. Thomæ tertia part. q. 68. art. 6. ad tertium*.

13 Sentẽtia docens ſufficere contritionem putatam.

Secunda ex genere ſuo requirit contritionem, ex accidenti tamen proptèr ignorantiam inuincibilem admittit ſufficere poſſe contritionem æſtimatam, quãuis in re ſit ſolum atritio, & huic conſentire videtur *Nauarrus in ſumma c. 1. n. 39.* & alij.

14 Sentẽtia docens ſufficere diſplicẽtiam merè naturalem.

Tertia docet, ſufficere quamcunque diſplicentiam de peccatis, quantumuis ſit ſolum naturalis, & nata ex naturalibus motiuis. Atque hæc tribuitur *Soto lib. 2. de natura, & gratia c. 15.* Quarta docet, requiri atritionem veram, ex accidenti tamen ſufficere, ſi ſit æſtimata atque hæc tribuitur *Cano relect. de pænit. parte tertia*.

15 Atritio ſupernaturalis eſt ſufficiens, & neceſſaria.

Dico tertiò. Contritio perfecta eſt optima ad hunc effectum remiſſionis, ſed non neceſſaria; nec item contritio, vt æſtimata eſt neceſſaria; diſplicentia merè naturalis non eſt ſufficiens; atritio vero ſupernaturalis eſt ſufficiens, & neceſſaria. Conſentiunt in vniuerſum *Henriquez lib. 2. c. 26. n. 3., Magiſter in quarto diſt. 4., Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 28. ſect. 2. per totum, Medina prima ſecundæ q. 109. art. 2. ad finem, D. Thomas in quarto diſt. 6. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 1., Scotus in quarto diſt. 14. q. 4. art. 3.*

16 Oſtenditur non eſſe neceſſariam contritionem perfectã.

Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quod maioris efficaciæ videtur Baptiſmus ad remiſſionem peccatorum, quam ſit Sacramentum Pænitentiæ, cum eidem hanc maiorem vim tribuat Concilium Tridentinum; ſed ad remiſſionem peccatorum in Sacramento Pænitentiæ non eſt neceſſaria contritio perfecta, vt declarat idem *Concilium Trident. ſeſſ. 14. c. 4.*, ergo, nec erit neceſſaria ad remiſſionem eorundem in Sacramento Baptiſmatis. Confirmatur; hoc Sacramentum principalitèr inſtitutum eſt pro remiſſione peccati originalis, & actualium commiſſorum ante ſuſceptionem eiuſdem, ergo ad conſequendam eandem remiſſionem non indiget, vt ad ipſum præcedat perfecta contritio, cæteroqui ſupponeret remiſſum ipſum peccatum, ſeu peccata per eandem contritionem, non eadem remitteret; Neque obſtat, ſi dicatur contritionem non habere vim, niſi prout continet votum ſaltem implicitum Baptiſmi, quod ſatis eſt, vt dicatur tota efficacia totuſque effectus haberi à Baptiſmo; Non obſtat, inquam, quia hoc dato Baptiſmus in re nunquam conferret primam gratiam ex opere operato; cum etenim iuxta hanc ſantentiam ſupponeret contritionem perfectam cum voto eiuſdem Baptiſmi, iam ſupponeret ſemper hunc effectum cauſatum per ipſam contritionem, qui eſſet ex opere operantis, & ipſe Baptiſmus in re nunquam illum cauſaret ex opere operato.

Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quod vbi neceſſaria non eſt contritio ad effectum iuſtificationis, nec neceſſarium videtur, quod actus, per quem acquiritur eadem iuſtificatio, reputetur actus contritionis, ſed ſufficit, quod ille actus in ſe habeat efficaciam cum Baptiſmo ad eandem iuſtificationem cauſandam, ſed ex dictis in præcedenti aſſerto contritio perfecta non eſt neceſſaria in Baptiſmo ad cauſandum effectum eiuſdem iuſtificationis, ergo, nec eſt neceſſe, quod ille actus, per quem cum Baptiſmo inducitur eadem iuſtificatio, exiſtimetur contritio. Maior probatur, quia illa exiſtimatio non confert vim actui, quam non habet in ſe ipſe actus; ſic quia actus purè naturalis, qui non habet in ſe vim cauſandi gratiam in Sacramento Pænitentiæ, non acquirit illam vim ex eo, quod pænitens arbitretur, illum actum eſſe ſupernaturalem, vt vidimus in quæſtionibus de Pænitentiæ Sacramento, vbi quod non detur Sacramentum validum, ſed informe. Confirmatur ex *D. Thoma tertia part. q. 79. art. 3. ad ſecundum*, vbi habet non eſſe inconueniens, quod quis accedat ad Sacramentum Baptiſmi habens conſcientiam peccati læthalis, per quod non intelligit D. Thomas, quod accedens cognoſcat ſe aliquando peccaſſe, ſed cognoſcat ſibi adhuc peccatum non fuiſſe remiſſum; qui autem habet hanc conſcientiam, neceſſe eſt, vt exiſtimet ſe non eſſe contritum, ergo ex mente

17 Nec etiã eandem, vt putatatum.

D. Tho-

D. Thomæ non eſt neceſſaria contritio exiſtimata.

Ratio tertiæ partis ex eo deducitur, quod diſpoſitio ad formam ſupernaturalem debet eſſe in eo ordine, in quo eſt eadem forma, ſed iuſtificatio, ſeu gratia iuſtificans, quæ cauſatur à Sacramento Baptiſmatis, eſt forma ſupernaturalis; vt eſt in confeſſo apud omnes, ergo ea diſplicentia de peccatis, quæ tanquam diſpoſitio requiritur, debet eſſe ſupernaturalis. Confirmatur ex *Concil. Trident. ſeſs. 6. à c. 3. vſque ad 6.* vbi requirit ad iuſtificationem, quæ fit per Baptiſmum, vel in re, vel in voto ſupernaturalem diſpoſitionem.

18 Euincitur, quod non ſufficiat diſplicentia merè naturalis.

Ratio quartæ partis deducitur primò ex confutatione omnium præcedentium ſententiarum; cum etenim certum ſit, in adultis requiri aliquam diſplicentiam de peccatis commiſſis iuxta illud ſupra allegatum *D. Auguſtini de vera, & falſa pœnitentia c. 18. Baptiſmus ſine pænitentia nunquam profuit ei, qui peccauit ſpontaneè*; hæc autem diſplicentia non eſt neceſſario connexa, nec neceſſario importat contritionem, nec actum, qui reputetur contritio; vt probatum eſt in prima, & ſecunda parte noſtri aſſerti, nec eſt ſufficiens, ſi fit ſolummodo per actum naturalem, vt probatum eſt in tertia, ergo erit ſufficiens, & neceſſaria, ſi erit cum actu, ſeu attritione ſupernaturali. Secundò, quia attritio ſupernaturalis eſt ſufficiens, & neceſſaria ad effectum iuſtificationis conſequendum in Sacramento Pænitentiæ, ergo erit etiã ſufficiens, & neceſſaria ad eundem effectum in Sacramento Baptiſmatis. Conſequentia euincitur ex ijs, quæ ſupra dicebamus efficaciorem eſſe Baptiſmum ad cauſandam gratiam, quam Pænitentia.

19 Euincitur attritionem ſupernaturalem ſufficere, & neceſſariam eſſe,

ARTICVLVS VI.

Quomodo remittantur originale, & actualia peccata commiſſa ante Baptiſmum, quando in eodem non fuerunt remiſſa defectu debitæ diſpoſitionis.

SVMMARIVM.

Exponitur in quo conſiſtat ratio difficultatis propoſitæ. 1.

Quomodo poſſit quis accedere ad Baptiſmum ſine debitis diſpoſitionibus. 2.

Articuli examinandi circa hunc titulum. 3.

Si acceſſerit cum indiſpoſitione inculpabili puta ſine attritione, & fide ſufficit, quod attritionem, & fidem ponat, & tunc conſequitur effectum. 4.

Per attritionem ſolum remouetur obex. 5.

Non currit paritas de attritione poſita poſt Sacramentum pænitentiæ. 6.

Licet Baptiſmus poſt ipſius collationem actu amplius non ſit, remanet in virtute effectiuè. 7.

Conſcius ſibi de ſeptem peccatis lethalibus commiſſis ante Baptiſmum, & accedens cum dolore ad ſex, & non ad ſeptimum ſecundum Scotum ſufficit, quod poſtea de illo dolorem concipiat. 8.

Secundum veritatem tamen non ſufficit. 9.

Nec prior dolor de ſex ſit efficax per ſubſequentem de ſeptimo. 10.

Illud peccatum, de quo non fuit habitus dolor in ſuſceptione Baptiſmi, non eſt obiectum Sacramenti Pænitentiæ. 11.

Si illa omiſſio doloris de vno peccato fuerit inculpabilis non eſt nouum peccatum. 12.

Si fuerit culpabilis ipſa eſt ſubycienda confeſſioni, non peccatum, circa quod illa fuit. 13.

Accedens ad Baptiſmum culpabiliter indiſpoſitus debet elicere contritionem, vel attritionem cum confeſſione. 14.

An illa omiſſio culpabilis poſſit dici præcedens, an concomitans, an ſubſequens Baptiſmum. 15.

Statuitur tanquam ſubſequens, nec deletur vi Baptiſmatis. 16.

Si illud peccatum deleatur per contritionem adhuc clauibus eſt ſubijciendum. 17.

Commiſſa peccata poſt Baptiſmum, ſed ante attritionem, quando ſuſceptus eſt cum indiſpoſitione inculpabili ſunt ſubijcienda clauibus. 18.

Cum eiſdem commiſſis poſt Baptiſmum, vel in ſuſceptione eiuſdem non ſunt confitenda antecedenter commiſſa. 19.

Peccata commiſſa ante Baptiſmum non remittuntur per Sacramentum Pænitentiæ, ſed per Baptiſmum ſuppoſita attritione vniuerſali poſita in Sacramento Pænitentiæ. 20.

Accedenti ad Sacramentum Pænitentiæ pro peccatis commiſſis poſt Baptiſmum cum attritione intenſa, vt quatuor relata ad omnia etiam præcedentia virtute Baptiſmatis non confertur tanta gratia, quanta collata fuiſſet in ſuſceptione Baptiſmatis, ſi ad iſtum acceſſiſſet cum illa attritione. 21.

Rationes pro hoc aſſerto. 22.

CVm ex præcedenter dictis ad fructuoſam perceptionem Sacramenti Baptiſmatis requiratur in ſuſcipiente fides ſupernaturalis, & attritio item ſupernaturalis, & ſine ipſis non conſequatur effectus iuſtificationis, licet producatur caracther, hic oritur difficultas, an, ſi huiuſmodi effectus defectu illorum actuum non fuerit in eodem recipiente cauſatus; quomodo

1 In quo conſiſtat ratio dubij.

cau-

cauſari poſsit poſt ſuſceptum ipſum Baptiſmum; nnn enim cauſari poſſe videtur per Sacramentum Pænitentiæ, cum peccatum nriginale, & actualia antecedentèr ad Baptiſmum commiſſa non ſint materia Sacramenti Pænitentiæ; nec item cauſari poſſe videtur per atritionem ſubſequentem, nam licet hæc ſimul cum eodem Sacramento Baptiſmatis ſufficiens ſit ad eandem iuſtificationem, nnn videtur ſufficiens poſt ipſum collatum per ſe ſolam, ſicuti, licet ſit ſufficiens cum Sacramento Pænitentiæ quoad peccata commiſſa poſt Baptiſmum, nnn eſt tamen ſufficiens per ſe ſolam ſine eodem Sacramentn Pænitentiæ.

Pro clariori elucidatinne huius difficultatis aduertendum hic eſt, poſſe quem accedere ad Sacramentum Baptiſmatis ſine debitis diſpoſitionibus, & propterea non

2 Quot modis poſſit quis accedere indiſpoſitus ad Baptiſmum.

conſequi effectum iuſtificationis, quod eſt id, quod communitèr dicunt, accedere cum fictione; primò, quatenus accedit ſine nouo actu peccaminoſo contingente in ipſa ſuſceptinne Baptiſmatis, vt ſi accedat exiſtimans ſe habere eaſdem diſpoſitiones per fidem, & atritionem, quas tamen in re non habet, vel inculpabilitèr exiſtimas ad ſuſceptionem eiuſdem non eſſe neceſſariam, niſi intentinnem ſuſcipiendi ipſum; ſecundò, quatenus accedit, ſeu acceſſit culpabilitèr cum nouo peccato commiſſo in ipſa ſuſceptione, vt ſi recipiat, vel receperit culpabilitèr omittens illas diſpoſitiones, praua conſcientia ſciens illas requiri, vel culpabilitèr ignorans, vel fortè etiam ad prauum aliquem finem, licet re vera intendat Sacramentum recipere; ex quibus ſic diſtinctis plures inſurgunt tituli dubitandi; Primus eſt, an ſi quis acceſſerit ad Baptiſmum ſine debitis diſpoſitionibus in-

3 Articuli examinandi circa hunc titulum.

culpabilitèr, vel quatenus arbitretur illas habere, vel non eſſe neceſſarias, in quo caſu diximus, tunc, cum recipit Baptiſmum, non conſequi effectum gratiæ iuſtificantis, licet conſequatur caracterem, cnnſequatur poſtea eundem effectum, ſi ponat illas diſpoſitiones in illn gradu, & qualitate, quæ requirebantur in ſuſceptione eiuſdem Baptiſmi, nempè atritionem, & fidem, ſi iſta tunc defecerint. Secundus eſt, an ſi acceſſerit cum indiſpoſitione culpabili inducente nouum peccatum ſacrilegij, licet tunc non conſequatur effectum iuſtificationis, conſequatur poſtea præcisè ex eo, quod ponat diſpoſitinnes requiſitas, & an tunc ſufficiat atritin, an verò requiratur contritio, vel atritio cum confeſſione Sacramentali, & ſi ſufficiat cnntritio, hæc debeat eſſe cum voto implicito confeſſionis, & an tunc, licet illa peccata remittatur per contritionem, ſint pnſtea ex neceſſitate ſubijcienda confeſſioni; eo modo quo ſubijcienda ſunt alia peccata non confeſſa, ſed remiſſa per contritionem. Tertius in ſuppoſitione, quod in ſuſceptione Baptiſmi, quis non fuerit conſecutus iuſtificationem ob defectum, ſiue culpabilem, ſiue inculpabilem diſpoſitionum requiſitarum, & antequam, vel per atritionem, ſi defectus fuerit inculpabilis, vel per contritionem, ſeu atritionem cum confeſſione Sacramentali, ſi fuerit culpabilis, conſequeretur gratiam, noua peccata læthalia commiſerit, hæc ſint ex neceſſitate confeſſioni ſubijcienda, an verò remittantur virtute Sacramenti Baptiſmatis, ſicuti remittuntur commiſſa antecedentèr ad Baptiſmum, vel in ipſa ſuſceptione Baptiſmi. Singulos expendo.

Ad primum dicendum eſt, ſufficere, ſi ponatur diſpoſitin, quæ defecit in ipſa Baptiſmi ſuſceptione, nempè atritio, & fides, nec tunc ex neceſſitate requiritur contritio *D. Thomas tertia part. q. 69. art. 10. Suarez tom. 3. in tertiam part. D. Thomæ diſp. 28. ſect. 5. verſ. dico ergo primo, Vaſquez tertia part. q. 69. art. 10. diſp. 160. c. 2.* Antequam ad probationem huius aſſerti procedam, aduertn maximè decuiſſe Diuinæ clementiæ, quæ omnibus cnnſulit affluentèr, vt vim conferret Sacramento Baptiſmi validè collato, & recepto delendi nedum originale, ſed etiam omnia actualia peccata ante eiuſdem ſuſceptionem commiſſa, vbicunque in ſubiecto fuerit diſpoſitio ſufficiens ad illorum remiſſionem obtinendam, & hoc non ſolum, quando confertur, & recipitur, ſi tunc ſit debita diſpoſitio, & nullus obex, ſed etiam, quando collatum eſt cum obice in eo ſigno, quo hic aufertur; cum etenim originale, & actualia antecedentèr ad ipſius ſuſceptionem non ſint materia Sacramenti Pænitentiæ, & ex alin capite Baptiſmus ſit irriterabilis nullum remaneret excepta contritione pro illorum remiſſione remedium, niſi Sacramento Baptiſmatis illa vis conceſſa eſſet remittendi illa peccata ceſſante obice, ſeu indiſpoſitione negatiua. Quibus ſuppoſitis

4 Si acceſſit cum indiſpoſitione inculpabili ſufficit, vt ponat id, in quo defecit.

Probatur aſſertum. Tota ratio, ob quam in ſuſceptione Baptiſmatis non collata eſt gratia baptiſimalis, & remiſſio peccatorum, in eo conſiſtit, quod tunc non aderat in ſubiectn diſpoſitio ad illam recipiendam ratione obicis præexiſtentis, ergo remoto illo obice per debitã diſpoſitionem, hoc eſt per illam, quæ fuiſſet neceſſaria in ſuſceptione eiuſdem, non erit, cur virtute eiuſdem Sacramenti iam validè ſuſcepti nnn ſit conferenda eadem gratia baptiſimalis, & remiſſio peccatorum; Neque obſtat id, quod antecedentèr innuebatur,

5 Per atritionem ſolum remouetur obex.

atri-

Digitized by Google

atritionem ſubſequentem ad Baptiſmum iam poſitum non aptam eſſe ſecundum ſe ad cauſandam illam peccatorum remiſſionem; Non obſtat, inquam, quia nos non dicimus, quod illa atritio ſecundum ſe deleat peccatum originale, & alia actualia antecedentèr ad Baptiſmum commiſſa, ſed ſolummodo, quod tollat indiſpoſitionem, quæ aderat in ipſa ſuſceptione Baptiſmatis, qua ſublata ipſum Sacramentum ex virtute eidem à Deo indita confert gratiam, & delet peccata; Nec in hoc currit paritas de atritione ex interuallo poſita poſt ſuſceptum Sacramentum pænitentiæ, quæ non videtur ſufficiens, vt ipſum Sacramentum antea collatum conferat gratiam, & remittat peccatum; Non currit, inquam, quia, cum iuxta noſtra principia non poſſit dari Sacramentum Pænitentiæ validum, & informe, ſi eſt informe defectu debitæ diſpoſitionis, quæ eſt materia proxima, erit etiam inualidum, & propterea non poterit præſtare aliquem effectum; quod dici non poteſt de Sacramento Baptiſmatis, quod validè collatum ſupponitur.

6 Non currit paritas de atritione poſita poſt Sacramentum Pænitentiæ.

Quod, ſi inſtes, quod, cum Sacramentum Baptiſmatis conſiſtat in vſu, ſeu in actione tranſeunte, ceſſante eadem actione non amplius exiſtat, ergo non poterit aliquid operari, & propterea neque poterit producere gratiam ſanctificantem, quando ponitur diſpoſitio, cum tunc amplius non ſit; contra enim impugnabis; quia licet actu, & in ſe non amplius maneat, manet tamen in virtute effectus quem produxit, nempè in caractere, & in acceptatione Diuina; vndè merito *D. Thomas tertia parte q. 69. art. 10. in corpore*, loquens de hoc Baptiſmi Sacramento dicit, eſſe quandam generationem; cum autem aliquid generatur cum forma recipit effectum formæ, niſi ſit aliquid impediens, quo ſublato forma perficit ſuum effectum; poſtea hoc applicans eidem Baptiſmo ſubdit. Similitèr cum aliquis baptizatur accipit caractherem quaſi formam impeditur autem quandoque per fictionem, ſed remota ea per pænitentiam Baptiſmus ſtatim conſequitur ſuum effectum. Hæc omnia ferè ad verbum colligo ex eod. Sancto Thoma.

7 Licet Baptiſmus poſt collationem non ſit actu, remanet tamen virtute.

Hic mouet difficultatem *Scotus in quarto diſt. 4. q. 5.* ſupponens antecedentèr ad Baptiſmum aliquem commiſiſſe ſeptem peccata læthalia, & acceſſiſſe ad Baptiſmum cum atritione relata ad ſex ex illis, & non ad ſeptimum, immo cum complacentia iſtius, & tunc quærit, an poſt ſuſceptum Baptiſmum in ordine ad acquirendam gratiam baptiſmalem, & remiſſionem peccatorum ſufficiat, quod doleat de illo peccato, cuius atritionem non habuit in ipſa ſuſceptione Baptiſmatis, an vero requiratur dolor de omnibus; Cui quæſito reſpondet, ſufficere diſplicentiam de illo, cuius dolorem antea non concepit, quam diſplicentiam dicit debere eſſe cum confeſſione, & ſatisfactione. Suarez vero *diſp. 28. ſect. 5. verſ. circa concluſionem*, circa hunc caſum a Scoto propoſitum adhæret quidem eidem in ea parte; qua aſſerit, ſufficere quidem diſplicentiam de illo peccato, cuius antea dolorem non habuit; diſſentit vero in ea parte, qua aſſerit ad remotionem illius requiri pænitentiam cum confeſſione, & ſatisfactione. Ego verò in neutra parte adhærere poſſum Scoto, nec in prima Suareſio; non vtrique quoad primam partem, quia dolor, vt ſit ſufficiens ad iuſtificationem in Sacramento Baptiſmatis exiſtentibus in ſubiecto actualibus læthalibus, debet eſſe ſupernaturalis, vt fatetur ipſe *Suarez diſp. 28. ſect. 2. verſ. dico tertio*, ſed non videtur eſſe poſſe actus ſupernaturalis retractatiuus peccatorum præcedentium, quando eſt coniunctus cum complacentia ad aliquod peccatum læthale, quia ille actus retractatiuus debet eſſe efficax, & abſolutus, & relatus ad omnia, quæ fuerunt ante Baptiſmum commiſſa, cum non poſſit eſſe remiſſio quoad vnum, & non quoad alia, ergo &c.

8 Infectus ſeptem peccatis læthalibus, & accedens cum dolore de ſex tantũ ſufficit ſecundũ Scotum, quod poſtea doleat de ſeptimo.

9 Secundũ veritaté non ſufficit.

Dices, tunc quidem illum actum non eſſe efficacem, & abſolutum, quando ſuſcipitur Sacramentum Baptiſmatis, & eſt cum complacentia illius peccati læthalis, reddi tamen efficacem, & abſolutum, quando poſtea per nouum actum doloris terminatum ad illud, quod antea erat placitum, fit illius retractatio, quia tunc poteſt dici retractatio omnium. Sed contra, quia, cum ille actus præcedens fuerit omnino inefficax, cum eſſet coniunctus cum complacentia ad peccatum pro illo tempore, pro quo poſitus eſt, perindè eſt, ac ſi non fuerit poſitus, cum nullum penitus poſt ſe reliquerit effectum (ad differentiam eiuſdem Sacramenti Baptiſmatis, quod cum fuerit validum reliquit poſt ſe effectum caractheris) ac proindè vtpotè inualidus non poteſt poſtea ponere aliquem effectum; quod enim in origine inualidum eſt, non poteſt tractu temporis conualeſcere. Quarè, vt poſtea effectus iuſtificationis ponatur, requiritur nouus dolor ad omnia relatus.

10 Nec prior dolor de ſex fit efficax per ſubſequẽtem.

Nec item poſſum adhærere Scoto in ſecunda parte, in qua dicit diſplicentiam de illo peccato, cuius ante Baptiſmum non habita fuit atritio, debere eſſe cum pænitentia, confeſſione, & ſatisfactione. Non, inquam, poſſum adhærere, quia peccata commiſſa ante Baptiſmum non ſunt materia

11 Illud peccatum, de quo non fuit dolor, non eſt materia pænitentiæ.

teria

teria Sacramenti Pænitentiæ, nec poſſunt ſubiici confeſſioni Sacramentali, prout definiuit *Concil. Trident. ſeſs. 14. c. 1.*, quod idem repetit *c. 2., & ſeqq.* Cum igitur peccatum illud, de quo non fuit habita atritio, intelligatur commiſſum ante Baptiſmum, non videtur poſſe cadere ſub clauibus, hoc eſt ſub confeſſione.

Neque dicas, conſiderari in illo peccato non deteſtato in ſuſceptione Baptiſmatis duplicem rationem, alterum eiuſdem quoad ſuum eſſe, ſeu quoad ſui ſubſtantiam, alteram omiſſionis deteſtationis eiuſdem in ſuſceptione Sacramenti; quamuis autem ſecundum primam rationem non poſſit eſſe materia Sacramenti Pænitentiæ, poteſt tamen fieri materia eiuſdem, prout eſt affectum illa omiſſione, quæ reddit ſacrilegam eandem ſuſceptionem; Cõtra enim impugnaberis, quia retenta illa duplici ratione, de qua in inſtantia, dico in primis, quod, ſi illa omiſſio deteſtationis fuerit inculpabilis (quod vix credi poteſt) non habeat locum hæc inſtantia, cum in iſto caſu non ſit nouum peccatum in ipſa ſuſceptione, vnde illud peccatum remanet ſub puris terminis peccati in illo genere, in quo eſt ſecundum ſuam ſubſtantiam, quod, cum fuerit commiſſum ante Baptiſmum, non poteſt eſſe materia Sacramenti Pænitentiæ; Deindè, ſi illa omiſſio fuerit culpabilis, prout ſignantèr erit, ſi cum complacentia illius peccati, per quam redditur ſacrilega ſuſceptio ipſius Sacramenti, tunc dicendum erit, quod illud peccatum remittatur per ſolam atritionem de illo, & de alijs omnibus peccatis ante Baptiſmum commiſſis, & ſolum ſit onus ſubijciendi clauibus ſacrilegam illam ſuſceptionem ſine expreſſione peccati, ob quod illa commiſſa eſt, prout dicetur infra; & in hoc caſu non remittentur omnia alia peccata commiſſa ante Baptiſmum, niſi poſita fuerit abſolutio Sacramentalis illius ſacrilegæ ſuſceptionis Baptiſmi, non quia illa remittantur per hanc abſolutionem, ſed quia per hanc tollitur obex eiuſdem ſacrilegæ ſumptionis, qui erat repugnans collationi gratiæ, quo obice ſublato virtute Sacramenti Baptiſmatis cum atritione producitur gratia remiſſiua omnium.

12 Si illa omiſſio doloris fuerit inculpabilis non eſt nouũ peccatũ.

13 Si fuerit culpabilis ipſa eſt ſubijcienda confeſſioni, non peccatũ de quo fuit.

14 Accedẽs culpabiliter indiſpoſitus indiget contritione vel atritione cũ confeſſione.

Ad ſecundum dubium propoſitum in principio articuli, quando ſcilicet adultus acceſſit ad Baptiſmum ſine debitis conditionibus culpabilitèr, ex quarum defectu reddatur ſacrilega ſuſceptio eiuſdem Baptiſmi, an tunc ſufficiat atritio, vel requiratur ad iuſtificationem contritio perfecta, vel atritio cum confeſſione Sacramentali, dicendum eſt, non ſufficere ſolam atritionem, ſed requiri, vel contritionem, vel atritionem cum confeſſione Sacramentali. In hoc conſentiunt *D. Thomas tertia part. q. 69. art. 10. ad ſecundum*, vbi dicit fictionem non tolli per ipſum Baptiſmum *Vaſquez in tertiam partem D. Thomæ diſp. 120. c. 2.*, *Suarez diſp. 28. ſect. 5. verſ. dico tertio, Bonacina de Baptiſmo diſp. 2. q. 2. punct. 7. n. 14. verſ. qui vero*. Tota ratio dubitandi, & reſoluendi circa hoc dubium pendet ab eo, an peccatum illius ſacrilegæ ſuſceptionis præcedat, vel comitetur, vel ſubſequatur ipſam Baptiſmi ſuſceptionem; ſi enim præcedat non videtur requirere aliam diſpoſitionem, quam requirant alia peccata ante Baptiſmum commiſſa, cum ſit eadem ratio de omnibus; ſi concomitetur, videtur eſſe maius dubium, quia nec poteſt dici præcedere, vel ſubſequi, & ſic eſt ſpecialis ratio dubitandi; ſi vero ſubſequatur non videtur hæſitandum, quin ad remiſſionem exigat contritionem, vel Sacramentum Pænitentiæ cum atritione. Primum dici non poſſe videtur, quia cum agatur de peccato, quod committitur in ipſa ſuſceptione Baptiſmatis non poteſt dici ipſam præcedere. Quod, ſi dicatur ipſam præcedere, quia peccatum conſummatur in actu voluntatis; voluntas autem ſic ſuſcipiendi Baptiſmum præcedit ſuſceptionem, tunc ſic dictum impugnabitur, quia, ſi ſupponatur conſummari peccatum in actu voluntatis duratione temporis præcedente ipſam ſuſceptionem Baptiſmi, non dubitarem concedere poſſe per ſolam atritionem ex vi Baptiſmi validè ſuſcepti remitti, ſicuti per eandem remittuntur cætera peccata antecedentèr ad ipſum Baptiſmum commiſſa, cum non videatur ratio diuerſa. Procedit noſtrum aſſertum de peccato, quod committitur in ipſa Baptiſmi ſuſceptione, quod in aliquorum ſententia eſt concomitans, in aliorum ſubſequens, vt præcipuè contendunt *Bonacina de Baptiſmo diſp. 2. q. 2. punct. 7. n. 14. verſ. qui verò recepit, Cacheranus Theol. aſſert. tract. 8. de Sacram. in genere c. 4. n. 143.* volentes, quod, cum hoc ſit peccatum ex iniqua Sacramenti perceptione reſultans ſaltem natura ſubſequatur ad idem Sacramentum, & ad impreſſionem caractheris; & quidem, ſi re vera fuerit ſubſequens, non videtur hæſitandum, quin ſit ſubijciendum clauibus, & vbi, hoc non poſſit, ſit delendum per actum contritionis, quia iam illud eſſet peccatum hominis Chriſtiani, & ſubiecti poteſtati Eccleſiæ; ſi vero fuerit concomitans adhuc non poteſt per ipſum Baptiſmum deleri, quia, vt benè notat *Cacheranus loco citato*, hoc peccatum, ſeu obex concomitans ſupponitur continuari in illo inſtanti, & breui temporis ſpacio, quo perficitur, & conſummatur

15 Examinatur, an illud peccatum omiſſionis poſſit dici præcedens, an concomitãs, an ſubſequẽs Baptiſmum.

16 Statuitur tanquam ſubſequẽs

Ff Sacra-

Sacramentum, in ipſa autem perfectione, ac conſummatione Sacramenti, cum tunc producatur caracther, iam intelligitur ſubditus Eccleſiæ, ideoque illud peccatum eſt ſubijciendum clauibus Eccleſiæ, vel contritione delendum. Adde, quod, cum oriatur illud peccatum ſimul cum ipſo Baptiſmo non poſſit per iſtum perimi.

Sed hic immediatè ſuboritur dubium retenta hac ſententia, quod obex concomitans, & ſubſequens non deleatur virtute Baptiſmatis per ſolam atritionem, ſicuti delentur peccata antecedentia Baptiſmum, an ſi huiuſmodi obex deleatur per contritionem perfectam charitate informatam ſit poſtea confeſſioni Sacramentali ſubijciendus, ſicuti ſunt ſubijcienda cætera peccata læthalia commiſſa poſt ipſum Baptiſmum; Pro quo recolę ea, quę diximus in quæſtionibus de Sacramento Pænitentiæ, vbi de contritione, quod ſcilicet contritio, vt ſit perfecta, & efficax, debeat eſſe cum voto implicito confeſſionis Sacramentalis, cum primum hæc haberi poterit, & peccata præcedentia eſſe clauibus ſubijcienda, quantumuis intelligantur remiſſa, &, ſi non ſubijciantur,

17 Si illud peccatū deleatur per contritionē eſt clauibus ſubijciendum.

inducatur noxa læthalis præcepti neglecti, ſeu non adimpleti; Quibus ſuppoſitis dicendum eſt, quod, ſi illud peccatum concomitans, ſeu ſubſequens deleatur per contritionem, adhuc ſit clauibus ſubijciendum. Ratio ex eo deducitur, quia, ex quo illud peccatum non eſt remiſsibile per ipſum Baptiſmum, iam intelligitur eſſe materia Sacramenti Pænitentiæ delebile per iſtud cum atritione, vel per contritionem ſicut cætera peccata actualia commiſſa poſt Baptiſmum, ſed cætera peccata actualia læthalia commiſſa poſt eundem, quando remittuntur per contritionem adhuc ſunt clauibus ſubijcienda, ergo etiam hoc peccatum quantumuis fuerit remiſſum per contritionem, erit ſubijciendum.

Ad tertium dubium in principio tituli

18 Peccata cōmiſſa poſt Baptiſmum, ſed ante remotionem obicis ſunt clauibus ſubijcienda.

propoſitum, an ſcilicet peccata commiſſa poſt Baptiſmum, ſed antecedentèr ad atritionem, quando hic ſuſceptus cum indiſpoſitione inculpabili, vel per contritionem, ſeu atritionem cum Sacramento Pænitentiæ, quando ſuſceptus eſt cum indiſpoſitione culpabili, ſint ſubijcienda confeſſioni, an vero remittantur virtute Baptiſmi. Iam ex mox dictis patet eſſe confeſſioni ſubijcienda. Sed tunc duplex oritur difficultas; prima eſt, an ſimul cum peccatis commiſſis poſt Baptiſmum, quando hæc remittuntur per confeſſionem ſimul cum atritione, ſint ſubijcienda alia ante Baptiſmum commiſſa, quando hæc non potuerint remitti per ſolam atritionem, eo quia fuerint coniuncta cum indiſpoſitione culpabili in ſuſceptione Baptiſmi, quæ ex dictis non eſt remiſſibilis, niſi per contritionem, vel per atritionem ſimul cum confeſſione Sacramentali. Secunda, an ſiue peccata commiſſa ante Baptiſmum ſint ſubijcienda ſimul cum commiſſis poſt illum, ſiue non ſint ſubijcienda, remittantur per Sacramentum Pænitentiæ, an vero per Sacramentum Baptiſmatis, & quomodo.

Reſpondeo primo ad primum, peccata

19 Cū peccatis cōmiſſis poſt Baptiſmum non ſunt ſubijciēda clauibus commiſſa ante illum.

commiſſa ante Baptiſmum non eſſe ſubijcienda cōfeſſioni Sacramentali ſimul cum commiſſis poſt illum, ſi excipias peccatum culpabilis indiſpoſitionis concomitans, vel ſubſequens ipſam ſuſceptionem, quæ tamen exponenda eſt ſolummodo in puris terminis indiſpoſitionis culpabilis dicēdo, ſuſcepi Baptiſmum culpabilitèr ſine diſpoſitione iuxta ſuperius dicta. Ratio ex eo deducitur, quia peccata antecedentèr ad Baptiſmum commiſſa vtpotè prouenientia ab homine non baptizato, nec ſubiecto Eccleſiæ non ſunt materia Sacramenti Pænitentiæ, nec efficiuntur materia eiuſdem ex eo, quod poſtea coniungantur cum peccatis poſt ipſum commiſſis, ergo non ſunt clauibus ſubijcienda. Antecedens quoad primam partem patet; quoad ſecundam ſic euincitur, quia per talem coniunctionem non mutant ſuam originem, non enim peccata ſubſequentia efficiunt, quod præcedentia nouum ſtatum, & conditionem induant, ſicuti, ſi peccatum vnius generis coniungatur cum peccato alterius generis non mutat per talem coniunctionem ſuum genus. Conſequentia tenet, quia peccata ante Baptiſmum commiſſa prout talia non cadunt ſub Sacramento Pænitentiæ.

Reſpondeo ſecundò ad ſecundum, pec-

20 Peccata cōmiſſa ante Baptiſmum non remittuntur per Sacramentum Pænitentię, quando confitentur cōmiſſa poſt ipſum.

cata commiſſa ante Baptiſmum non remittuntur per Sacramentum Pænitentiæ, ſed per Sacramentum Baptiſmatis ſuppoſita atritione, quæ ponitur in Sacramento Pænitentiæ in confeſſione peccatorum, quæ fuerunt commiſſa poſt Baptiſmum ſuſceptum ſuppoſito, quod illa atritio ſit vniuerſalis, quæ propterea refertur etiam ad peccata antecedentèr commiſſa; vnde in hac hypotheſi commiſſa poſt Baptiſmum remittuntur per Sacramentum Pænitentiæ ſimul cum atritione, commiſſa ante illum, per Sacramentum Baptiſmatis ſuppoſita illa atritione vniuerſali poſita in Sacramento Pænitentiæ. In hanc conſentiunt *D. Thomas tertia part. quæſt. 69. art. 10. ad vlt., Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 28. ſect. 5.* Ratio ex eo deducitur primò, quia illa peccata commiſſa ante Baptiſmum non ſunt materia Sacramenti Pænitentię iuxta ſuperius dicta,

ta, nec remittuntur per ſolam atritionem poſitam ante Sacramentum Pænitentiæ, quia, cum nequeat vnum peccatum læthale ſine alio remitti propter incompoſſibilitatem gratiæ ſanctificantis cum aliquo peccato, & in hac hypotheſi perſeuerent peccata læthalia commiſſa poſt Baptiſmum, ad quæ delenda non ſufficit ſola atritio extra Sacramentum Pænitentiæ, ſequitur, quod tunc deleantur, quando cum atritione ponitur idem Pænitentiæ Sacramentum, & quidem commiſſa poſt Baptiſmum per Sacramentum Pænitentiæ, commiſſa ante per Sacramentum Baptiſmatis, quia tunc ſunt omnia requiſita ad vtrumque, & in ordine ad vtrumque nullus adeſt obex.

Sed hic alia ſuboritur ratio dubitandi, an huic homini atrito, qui poſt commiſſa peccata actualia poſt Baptiſmum accedit ad Sacramentum Pænitentiæ, cui diximus remitti peccata actualia commiſſa ante Baptiſmum virtute eiuſdem Baptiſmi, & actualia poſt ipſum virtute pænitentiæ exiſtente atritione eadem relata ad omnia, an, inquam, huic conferatur tanta gratia, quanta fuiſſet collata, ſi pro tempore collationis Baptiſmi fuiſſet poſita atritio in ordine ad peccata præterita, & pro tempore perceptionis Sacramenti Pænitentiæ fuiſſet poſita alia atritio relata ad

21 In reuiuiſcentia non confertur tãta gratia quanta fuiſſet collata in ipſa ſuſceptione Sacraměti.

peccata præſentia, quæ ſubijcit eidem Sacramento. Huic reſpondeo iuxta ea, quæ tradidi in præcedentibus *de Sacram. in genere q. 4. art. 6. in aſſertione*, nempè in hypotheſi difficultatis propoſitæ non cauſari per illum actum atritionis tantam gratiam, quanta cauſaretur, ſeu fuiſſet cauſata, ſi in ſuſceptione Baptiſmatis fuiſſet appoſita, v. g. atritio intenſa, vt quatuor, & in receptione pænitentiæ alia atritio, vt quatuor. Conſentit in hoc *Suarez dicta diſp. 28. ſect. 5. verſ. tertio de Sacrament.*, & tenentur illi omnes conſentire, qui docent Sacramenta, dum reuiuiſcunt, non reuiuiſcere ſecundum gratiam maiorem, vel minorem correſpondentem maiori, vel minori diſpoſitioni, ſed ſecundum gratiam minimam, quæ conferretur, ſi in prima poſitione eiuſdem Sacramenti nulla interueniret diſpoſitio, ſecundum quem ſenſum procedunt *Coninchus in tertiam part. D. Thomæ q. 62. art. 1. dub. 6.*, *Arriaga diſp. 15. ſect. 1. ſubſect. 3.*, Ioannes à *Sancto Thoma diſp. 24. art. 1. dub. 6. §. in alia vero ſententia Madernus q. 3. art. 13.*, & nos etiam proceſſimus in *quæſt. de Sacram. in genere q. 4. art. 6. in aſſert., & per totum*. Ratio autem eorum, quæ hic dicuntur, deſumenda eſt ex ijs, quæ dicta ſunt loco citato, quæ propterea ſunt ibi recolenda. Pro nunc, quantum attinet ad propoſitam difficultatem, hæc ratio ſufficiat. Illa diſpoſitio, nempè atritio intenſa, v. g., vt quatuor, quæ ſe habet, vt pars materialis Sacramenti Pænitentiæ, & ſimul cum illo influit in gratiam iuſtificantem, non eſt cauſa influens, nec poſitiuè coadiuuans 22 Rationes pro hoc aſſerto.
Sacramentum Baptiſmatis ad conferendum maiorem gratiam illa, quam conferret ſecundum ſe, ſi eſſet ſine omni diſpoſitione inculpabili; quandoquidem ad illud eſt dumtaxat remouens prohibens, ergo per illam atritionem, vt quatuor poſitam in Sacramento Pænitentiæ non tanta producitur gratia, quanta poneretur, ſi Baptiſmus applicaretur in ſua productione cum atritione, vt quatuor, & quanta ponitur in Sacramento Pænitentiæ per atritionem, vt quatuor. Antecedens probatur, quia, quando Sacramentum eſt in re poſitum, non remanet adhuc niſi ſecundum virtutem, quam reliquit, tunc quando poſitum eſt; ſed quando poſitum eſt nulla aderat diſpoſitio, & ſi tunc cauſaſſet gratiam non cauſaſſet, niſi ſecundum minimam quantitatem, ergo, nec poſtea poteſt cauſare ſecundum maiorem quantitatem per actus ſubſequentes recipientis; non enim poteſt augeri virtus Sacramenti, quando amplius non eſt; & hinc patet, cur quando primo ponitur Sacramẽtum cum maiori diſpoſitione maior ponatur effectus, non vero quando iam poſitum eſt, nec amplius in ſuo eſſe perſeuerat, per maiorem diſpoſitionem vberiorem cauſet effectum, quia ſcilicet cauſa exiſtens poteſt coadiuuari, non ſic cauſa non exiſtens.

Plura hac de re, quæ poſſunt conferre ad præſentem materiam actitata ſunt in quæſtionibus de Sacramentis in genere, quæ non vacat hic repetere, ſed ibi ſunt recolenda, vbi etiam alia plura reſoluuntur, quæ hic poſſent deſiderari.

ARTICVLVS VII.

An, & quibus peccatoribus conferendus ſit Baptiſmus, & quibus non.

SVMMARIVM.

Peccatores in duplici differentia, & quali. 1.
Peccatoribus, ut talibus ex præcedenter commiſſis interuenientibus debitis diſpoſitionibus conferendus eſt Baptiſmus. 2.
Peccatoribus, qui tales ſunt ex affectu, & voluntate peccandi denegandus eſt donec reſcipuerint. 3.
Referuntur rationes D. Thomæ. 4.
Intellige, ſi habeant complacentiam ad læthalia. 5.
Quid ſi habeant affectum ad venialia. 6.

1 Duplex genus peccatorum,

PEccatores iuxta *D. Thomam tertia parte q. 68. art. 4. in corpore*, ſunt in duplici differentia; alij qui dicuntur tales proptèr reatum culpæ, quem antecedentèr, vel ex commiſſione, vel ex omiſſione contraxerunt; alij, qui tales dicuntur ex affectu, & voluntate peccandi, & hoc etiam dupliciter, vel voluntate relata ad peccatum, ſeu peccata læthalia, vel ad venialia tantum. Peccatores primi generis poſſe licitè baptizari interuenientibus debitis conditionibus eſt certo certius, quinimmò hoc Sacramentum ad hunc finem inſtitutum eſt, vt homines mortui peccato per lauacrum regenerationis naſcantur ſpiritualitèr Deo, vnde *Apoſtolus ad Epheſios* 5. expreſſe aſſerit

2 Peccatoribus primi generis interuenientibus debitis diſpoſitionibus conferendus eſt Baptiſmus,

Mundans eam ſcilicet Eccleſiam *lauacro aquæ in verbo vitæ*. Dixi *interuenientibus debitis diſpoſitionibus*, nam, ſi conſtaret illas deeſſe; illis Baptiſmus non eſſet conferendus, quia conferretur indignè, & ſine principali effectu, ad quem ipſe Baptiſmus inſtitutus eſt, & in hac hypotheſi non diceretur ſolum peccator denominatione deſumpta à præcedentibus peccatis, ſed etiam voluntate relata ad præſens peccatum, ſi illa omiſſio requiſitarum diſpoſitionum eſſet culpabilis; & quamuis, ſi illa omiſſio eſſet inculpabilis, & per receptionem Baptiſmatis nouum peccatum non contraheretur, ſi tamen conſtaret miniſtro de tali inculpabili indiſpoſitione, teneretur eidem non conferre Baptiſmum, donec inſtructo baptizando remoueret ipſum ab illo obice negatiuo.

Peccatores ſecundi generis, ſi tales ſint in ordine ad peccata læthalia, nullo modo ſunt baptizandi, niſi remota illa praua voluntate peccandi, ſeu complacentia ad

3 Peccatoribus ſecundi generis non eſt conferendus,

peccatum; Hoc probat *D. Thomas loc. cit.* tribus argumentis, primò, quia per Baptiſmum homines incorporantur Chriſto iuxta illud ad Galatas 3. *Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*; Quomodo autem poteſt, quis dici Chriſtum induiſſe, qui voluntatem omnino Chriſto repugnantem ob affectum peccati habet? Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? & quæ communicatio lucis ad tenebras, Chriſti ad Belial? Secundò ex *Concil. Trident. ſeſſ. 6. c. 6.* vbi præſcribi-

4 Referuntur rationes D. Thomæ,

tur modus iuſtificationis. Ibi *Et dum peccatores ſe eſſe intelligunt à Diuina iuſtitiæ timore, quo vtilitèr concutiuntur ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe conuertendo in ſpem eriguntur, fidentes, Deum ſibi fore proptèr Chriſtum propitium, illumque tanquam omnis iuſtitiæ fontem diligere incipiunt, & proptereà mouentur aduerſus peccata per odium aliquod, & deteſtationem hoc eſt per eam pænitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet, denique, dum proponunt ſuſcipere Baptiſmum incohare nouam vitam, & ſeruare Diuina mandata*. Quomodo antem dici poſſunt incipere diligere Deum, & deteſtari peccata; ſi affectum, & complacentiam ad ea conſeruant? Quomodo dici poſſunt velle incohare nouam vitam, & ſeruare Diuina præcepta, ſi eos veteris vitæ non pæniteat, & dum intendunt Baptiſmum ſuſcipere, à Diuinis mandatis declinant? Tertiò, quia Chriſtus Dominus, & Eccleſia ſua opera ordinant ad finem, nec licitè ſunt conferenda, quando finem nequeunt conſequi, ſed nemo poteſt conſequi finem iuſtificationis per Baptiſmum, quando habet voluntatem peccandi, nec illam deponit ante eius ſuſceptionem, ergo illi Baptiſmus non eſt conferendus.

Hæc, quæ dicta ſunt, procedunt, quando quis complacentiam habet ad peccata læthalia, & in voluntate eorundem perſiſtit. 5 Intellige, ſi habeat affectum ad læthalia.

Sed quid erit ſentiendum, ſi non ad læthalia, ſed tantum ad venialia complacentiam habeat, & affectum? *Caietanus tertia part. q. 68. art. 4.* cui adhæret *Dominicus Sotus in quarto diſt. vnica q. 5. art. 4.* aſſerit primo monendos eſſe huiuſmodi, vt reſcipiſcant ab eiſdem venialibus, eorumque affectu ſub interminatione non negandæ iuſtificationis, ſeu gratiæ iuſtificantis, ſed minuendæ. 6 Quid ſi habeant affectum ad venialia?

Quod, ſi non reſcipuerint, poterit eiſdem Baptiſmus conferri, cum peccata venialia non pugnent cum gratia iuſtificante, nec reſiſtant eius natiuitati.

ARTICVLVS VIII.

In qua parte corporis Baptiſmus ſit conferendus.

SVMMARIVM.

Sententia docens, ſufficere poſſe Baptiſmum conferri in qualibet, quantumuis minima parte corporis. 1.

Sententia docens totum corpus eſſe abluendum. 2.

Neutra ſententia eſt ampleſtenda. 3.

Caput eſt infallibile ſubiectum huius Sacramenti. 4.

Euincitur ex D. Thoma, ex Rituali Romano, & vniuerſali praxi. 5.

Ratio, ob quam non ſit potius conferendus in membris genitalibus. 6.

Etiam pectus, & ſcapulæ ſunt ſubiectum certum Baptiſmi. 7.

Non tamen extra neceſſitatem eſt ibi conferendus. 8.

Ablutio debet immediatè ex neceſſitate attingere corpus. 9.

An ſi indutus tenui veſte abluatur, teneat Baptiſmum remiſſiuè. 10.

Incer-

Incertum eſt, an minima pars corporis ſit ſubiectum ſufficiens. 11.
In eadem, vbi neceſſitas vrget, conferendus eſt Baptiſmus ſub conditione. 12.
Nec ſufficit, quod anima ſit tota in qualibet parte corporis. 13.
Extra neceſſitatem non eſt baptizandus in pede, vel in manu. 14.
Multominus in digito. 15.
Sed, an ſaltem in digito poſſit fieri ſub conditione, affirmandum eſt. 16.
An in ſolis capillis validè fieri poſſit Baptiſmus variæ opiniones. 17.
Si aqua non pertigerit carnem, probabilius eſt, quod Baptiſmus non ſit validus. 18.
Per ablutionem capillorum homo non eſt ablutus. 19.
Si ſit dubium de contactu carnis poteſt Baptiſmus reiterari ſub conditione. 20.

1 Sentētia aſſerens poſſe cōferri in qualibet etiam minima parte.

NOn defuerunt, qui aſſererent, in qualibet quantumuis minima parte corporis poſſe validè, & fortè etiam licitè conferri Baptiſmum ea moti ratione, qua anima, quæ in ſe recipit effectus eiuſdem, ſit tota in toto, & tota in qualibet parte corporis, vnde facta ablutione in quacunque minima parte, cum in illa tota anima contineatur, virtus Baptiſmi in illa parte collati transfunditur in ipſam animam.

2 Sentētia docens totum corpus eſſe abluēdum.

Non defuerunt alij, qui nimis rigidè, & materialitèr procedentes arbitrabantur, totum corpus, vel eſſe in aqua immergendum, vel totum aſpergendum; vnde aliqui conſueuerunt totum corpus baptizandi aquis cooperire, & deinde diſcooperire, & extrahere, de qua opinione mentionem facit *Riccardus in quarto diſt. 4. art. 4. caſ. 2.* Fundamentum iſtorum ex eo deſumebatur, quod ad rationem Baptiſmi requiritur, & neceſſaria eſt ablutio corporis, quæ verba ſunt in ſtricta ſignificatione accipienda, præcipuè cum totum corpus ſit ex ſemine Adæ, per quod peccatum originale transfunditur.

3 Neutra ſententia eſt amplectenda.

Prima ſententia ſaltem quoad licitum eſſe, nimis ampla eſt, & nullo modo extra neceſſitatem amplectenda. Secunda nimis rigida, & ferè nullibi his temporibus in praxi ſeruata. Quamobrem, & primæ latitudo temperanda eſt, & rigor ſecundæ minuendus. Vt autem clarius, & diſtinctius hac in re procedamus, debemus ſecernere certa ab incertis, per ſingulas partes corporis, ſiue principales, ſiue minus principales diſcurrendo.

4 Caput eſt infallibile ſubiectū huius Sacramenti.

Certum igitur eſt primo, caput eſſe infallibile ſubiectum huius Sacramenti, adeo vt ſi iſtud immergatur, vel infundatur, nedum validus ſit, ſed etiam licitus Baptiſmus collatus, & plenarium conſequatur effectum, & in hoc communitèr conſentiunt, ſignantèr *D. Thomas tertia part. q. 66. art. 7. ad tertium, & in quarto diſt. 3. q. 1. art. 4. ad ſecundum, & tertium*, qui probat ex eo, quod caput eſt præcipua pars corporis inter exteriora membra, cum in eo vigeant ſenſus omnes, tam interiores, quam exteriores. Dixit ſignantèr, *inter exteriora membra*, ad excludendum cor, quod licet computetur inter principaliora membra, quia tamen non eſt exterius, ſed per alia membra contectum, non eſt aptum ablui, & propterea in eo non poteſt Baptiſmus miniſtrari. Certitudo etiam huius noſtri, & communis aſſerti euincitur ex eo, quod vniuerſalis Eccleſia obſeruat, & præſcribitur in Rituali Romano, quod, ſi ſcilicet infans ab vtero matris fuerit egreſſus ſolummodo ſecundum caput, & periculum ſit, ne totus viuus egrediatur, ſit in eodem capite baptizandus, & ſi poſtea integer viuus fuerit egreſſus, non ſit rebaptizandus; & proptèr has rationes Eccleſia fere vbique recepit, vt in conſuetis Baptiſmis potius caput, quam alia membra abluatur.

5 Euincitur ex cōmuni praxi, & Rituali Romano.

Nec obeſſe poteſt id, quod ſibi objicit *D. Thomas loc. cit.*, quod potius videantur membra genitalia abluenda, quam caput eo, quia per eadem, vtpotè generationi deſeruientia peccatum originale in prolem traducatur; item ex eo, quod Baptiſmus in lege noua ſucceſſerit circuncisioni in lege veteri; remedium autem circuncisionis contra originale peccatum institutum erat in membro generationis. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, vt notat idem *D. Thomas loc. cit.* Baptiſmus non eſt inſtitutus, vt perimat transmiſſionem originalis in prolem per actum generationis, ſed vt ipſum originale poſtquam transfuſum eſt in animam ab eadem anima auferatur, & ideo potius in illa parte perficiendus ſit, in qua principaliores operationes eiuſdem animæ eluceſcunt; Nec item obeſſe poteſt id, quod objcebatur de lege circuncisionis, quia licet Baptiſmus principalitèr inſtitutus ſit in lege gratiæ ad delendum originale, ſicuti ad illud delendum in lege ſcripta erat inſtituta circuncisio, non propterea ſequitur, quod in illa parte in qua miniſtrabatur circuncisio, ſit miniſtrandus Baptiſmus, tum quia lex circuncisionis erat dumtaxat directa ad maſculos, & propterea potuit in illo membro genitali, quod commune non erat fæminæ, ſtatui, nunc autem lex Baptiſmi eſt directa ad omnes, ſiue maſculos, ſiue fæminas, & propterea æquum fuit, vt exerceri poſſet, & principalius deberet in membro principaliori omnibus communi, nec reſtringeretur ad illud; tum quia, vt notat *D. Thomas d. tertia*

6 Euincitur, quod non ſit conferēdus in membris genitalibus.

part.

part. q.66. art. 7. ad tertium, remedium originalis in lege veteri erat ſpecialitèr inſtitutum in membro generationis, quia Chriſtus Dominus, per quem originale erat amouendum, erat naſciturus ex ſemine Abrahæ, cuius fidem circuncifio ſignificabat; poſtquam autem Chriſtus natus eſt, cum ceſſet ratio talis ſignificationis non videtur neceſſe, vt Baptiſmus fiat in illo membro.

7 Etiam pectus, & ſcapulæ ſunt certum ſubiectum Baptiſmi

Certum eſt ſecundò, quod ſi ablutio fiat in toto pectore, vel ſcapulis vtique ſit validum Sacramentum, quia cum ſint partes ex principalibus per ablutionem ipſarum dici poteſt homo ablutus, & in hoc communitèr conſentiunt; ſed, an licita ſit talis ablutio, negandum eſt, prout negat *Sotus in quarto diſt. 3. q. vnica art. 7.* hocque videtur etiam innuere *D. Thomas d. q. 66. art. 7.* vbi aſſerit *oportet caput perfundere*; vnde nota illam particulam *oportet*, quæ importat neceſſitatem. Ratio autem ea eſt, quia ille modus ablutionis eſt contra ritum communem Eccleſiæ. Excipiendus tamen eſt ab hac regula caſus neceſſitatis, vel alicuius legitimæ cauſæ, qualis eſt, ſi eſſet euidens periculum nocumenti, ſi ablueretur in capite.

8 Non tamen extra neceſsitatē eſt ibi cōferendus.

9 Ablutio ex neceſſitate debet immediatè attingere corpus.

Certum eſt tertiò, quod, ſi ablutio talitèr fiat, vt non pertingat corpus baptizandi, nihil conferat ad effectum eiuſdem; talis eſſet ablutio, quæ attingeret dumtaxat pileum, aut veſtes, aut tegumentum quo baptizandus eſſet coopertus; requiritur etenim, vt corpus dicatur ablui, & validè baptizari, aqua eius corpus immediatè attingat, & in hoc omnes conſentiunt. Sed quid erit dicendum, ſi corpus baptizandi ſit tenui veſte contectum, vt aqua ex eadem veſte penetret ad corpus baptizandi? Tunc *Silueſter verb. Baptiſmus quarto q. 2., Bartholomaeus ab Angelo de Baptiſmo §. 102., Viualdus de Baptiſmo c. 2. n. 6.* aſſerunt huiuſmodi ablutionem conſecuturam eſſe effectum veri Baptiſmi; verè etenim aqua ſucceſſiuè contingeret corpus, prout requiritur ad validam Baptiſmi collationem. Neque obeſſe poteſt aduerſus principale aſſertum, quod ſcilicet non ſit validus Baptiſmus, ſi aqua attingeret dumtaxat veſtes, id, quod refertur *Actorum 2., & 4.*, nempè tot millia hominum ab Apoſtolis vno die fuiſſe baptizata, in quo caſu certè præſumitur Baptiſmus factus per aſperſionem, cum impoſſibile moralitèr videatur, quod tot millia potuerint breui illo tempore baptizari per immerſionem; per aſperſionem autem vix credi poſſe videtur, quod aqua omnium corpora attigerit. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, vt notat *Dominicus Sotus in quarto diſt. 3. q. vnica art. 3.* non eſt hæſitandum, quod illa baptizatio tot mille hominum facta fuerit per aquam attingentem ſingulorum corpora; quandoquidem tunc erant ibi plures baptizantes, & baptizandi non ſimul baptizabantur, ſed bini, & bini, terni, & terni, qui ſucceſſiuè pertranſibant, nec præſumendum, quod diſcipuli Domini, qui nimis erant ſolliciti de ſalute omnium, non omnem diligentiam adhibuerint, vt omnium corpora aqua pertingeret.

10 Tenui veſte indutus, ſi abluatur, an teneat Baptiſmus.

Incertum vero eſt primo, an in quacunque minima parte corporis poſſit validè Baptiſmus conferri, quandoquidem, vt in principio huius tituli innuebam, aliqui ſenſerunt in qualibet quantumuis minima parte poſſe conferri, eo quia in qualibet eſt tota anima; Ex aduerſo tamen hoc certum non arbitratur Eccleſia, quæ ſtatuit, quod, ſi aliqua pars infantis extra caput egreſſa fuerit ab vtero materno, & periculum ſit, ne totus viuus egrediatur, baptizetur quidem in illa parte egreſſa, ita tamen, vt ſi viuus integer egrediatur, ſit rebaptizandus ſub conditione tamen per quod indicat dubitare, an Baptiſmus primus in illa parte minus præcipua ſit validus, nec ne, ſi enim certo ſentiret, validum eſſe, non præciperet rebaptizationem ſub conditione. Sentiendum eſt extra caſum neceſſitatis non eſſe licitum puerum baptizare in aliqua parte minus præcipua, cum dubium ſit de eius validitate; in neceſſitate vero poſſe licitè conferri, ſed ſub conditione.

11 Incertum eſt, an minima pars corporis ſit ſufficiens ſubiectū.

12 In eadem conferēdus eſt Baptiſmus ſub conditione.

Nec obſtant ea, quæ pro parte aduerſa dicebantur, nempè animam totam eſſe in qualibet etiam minima parte corporis. Non obſtat, inquam, quia exiſtentia totius animæ in qualibet parte, quamuis minima corporis, non eſt ſufficiens fundamentum aſſerendi in qualibet ex his partibus poſſe fieri Baptiſmum, ſiquidem, vt benè notat *Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 20. ſect. 2. verſ. ex his verò*, licet effectus Baptiſmi infundatur in animam, ablutio tamen formalitèr debet fieri in corpore; vnde debet eſſe in ea parte, ſecundum quam poſſit homo dici ablutus, ad quod non videtur ſufficere pars minus principalis.

13 Nec obſtat, quod anima ſit tota in qualibet parte.

Hinc inferri poteſt extra neceſſitatem non poſſe licitè baptizari manum, vel pedem non ſolum, quia hoc eſſet contra ritum Eccleſiæ, ſed quia eſt dubium de eiuſdem valore; in neceſſitate tamen poteſt in his partibus fieri ad ſubueniendum, quantum poteſt ſaluti baptizandi, reſpectu cuius melius eſt baptizari ſub dubio, quam non baptizari; hoc tamen præſtandum eſt ſub conditione, ne fortè, ſi foret inualidum, irreuerentia fieret Sacramento.

14 Extra neceſſitatē non eſt conferēdus, vel in manu, vel in pede.

Sed,

Digitized by Google

15 Multo minus in digito.

Sed, an etiam ſub conditione poſſit Baptiſmus fieri per immerſionem digiti, vel manus, vel pedis in aqua? Procedit dubium de valore, nam de honeſtate conſtat, non licere, niſi fortè ſolus digitus eſſet egreſſus ab vtero matris, nec eſſet ſpes, quod ſecundum alias partes eſſet viuus egreſſurus, in quo caſu eadem eſt ratio dubitandi de valore. Iuxta ſententiam *Durandi in quarto diſt. 16. q. 1. n. 16.*, aſſerentis proptèr inexiſtentiam totius animæ in qualibet parte, & ſi minima corporis poſſe conferri Baptiſmum, vtique aſſerendum eſſet poſſe digitum ſaltem ſub conditione baptizari, ſed hoc remanet confutatum ex ſupra dictis. Secundum ſententiam vero *Suarez d. diſp. 20. ſect. 2. verſ. deinde etiam ſatis non eſt*, aſſerentis digitum non eſſe talem hominis partem, vt per ipſam poſſit dici homo ablutus, videtur aſſerendum, nec ſub conditione in illo digito poſſe fieri ablutionem quantum ad effectum valoris Baptiſmi, & opinioni Suarez videtur opitulari hæc ratio, quia digitus eſt pars partis, nempè manus, vel pedis non pars hominis. Mitius agendo ego crederem in caſu neceſſitatis, quando alia pars baptizari non poſſet, poſſe ſub conditione in illo digito Baptiſmum conferri, cum verè ille digitus ſit pars hominis integralis cum ſine illo diceretur mancus, quamuis ſit pars minus præcipua, & hoc ad ſubueniendum in extremo illo periculo quantum fieri poteſt ſaluti æternæ ipſius baptizandi.

16 An in digito poſſit fieri ſub conditione affirmandum eſt.

Incertum eſt ſecundò, an validus eſſet Baptiſmus, ſi aqua ſolummodo capitis capilli tangerentur. Quamuis capilli, ſi daremus dici poſſe partem hominis, ſint pars minus præcipua eiuſdem, ac ſit digitus manus, cum hic nemine diſcrepante ſit animatus, & informatus anima hominis, & incertum ſit & maximè ſub controuerſia, an capilli animentur, ideoque ex hac parte videatur potius concludendum non ſubſiſtere Baptiſmum, quando capilli ſolummodo fuerint aqua tincti, ita vt eadem aqua, nec ad cutem, nec ad carnem peruenerit; nihilominus ex alia parte videtur eſſe ſpecialis ratio dubitandi de eiſdem capillis, quatenus per ablutionem ipſorum dici poſſit caput ablui. Quarè *Dominicus Sotus in quarto diſt. 3. q. vnica art. 8.* ſuſtinet fore validum huiuſmodi Baptiſmum, licet hoc aſſerat hæſitantèr, dum ſubdit, quod ipſe non condemnaret miniſtrum, ſi ſic baptizatum in capillis rebaptizaret, ex quo ſequitur, quod ſaltem ipſe teneat poſſe ſub conditione quem baptizari in ſolis capillis. Ratio autem, proptèr quam aſſerit fore validum huiuſmodi Baptiſmum ea eſt, quia, dum capilli ſunt abluti, vulgaritèr caput homines dicitur ablutus, & licet capilli dicantur partes excrementitiæ, aſſerit tamen viuere vita vegetatiua. Sotum videntur ſequi *Bartholomæus ab Angelo de Sacramento Baptiſmi Dialogo 2. §. 101.*, *Toletus lib. 2. c. 18. n. 10.*, *Vaſquez diſp. 145. n. 31.*, *Valentia tom. 4. diſp. 4. q. 5.*, *Coninchus q. 66. art. 7. dub. 2. n. 78.* Ex aduerſo alij plures ſtatuunt per ſimplicem capillorum ablutionem, non intelligi hominem validè baptizatum eo, quia capilli non ſint partes hominis, ſed quædam ſuperfluitas, & excrementum carens anima rationali.

17 An in ſolis capitis capillis poſſit fieri Baptiſmus variæ opiniones.

18 Si aqua non pertigerit carnem probabilius eſt, quod nō ſit validus.

Quid iam in hoc ſentiendum. Arbitrarer, ſi certum eſſet, quod aqua non pertingeret carnem, vel cutem, Baptiſmum non fore validum, ſi autem dubium eſſet, an pertigerit, an vero non pertigerit, aſſererem, rebaptizandum eſſe ſic baptizatum ſub conditione, non quia dubium ſit, an Baptiſmus in ſolis capillis collatus ſit validus, nec ne, cum arbitrer abſolutè non eſſe validum, ſed quia eſt dubium, an aqua carnem contigerit, nec ne; nam, ſi contigit, certum eſt validum eſſe Baptiſmum, ſi non contigit, inualidum. Ratio primæ partis eſt, quia re vera capilli non ſunt pars integrans hominis, cum ſine illis non dicatur mancus, ſed partes excrementitiæ, & probabilius non viuunt; nec in hoc poſſum adhærere Soto aſſerenti viuere vita vegetatiua, quandoquidem, ſi viuerent vita vegetatiua, viuerent etiam anima rationali, quamuis ibi operationes rationales non exercerent; quod ſic probo, quia in homine non dantur plures animæ, ſed vna rationalis, quæ eminentèr continet vegetatiuam, & ſenſitiuam, quæque per ſe id præſtat, quod præſtarent vegetatiua, & ſenſitiua, ſi adeſſet; ſi igitur vna in homine eſt dumtaxat anima rationalis, eadem debet eſſe in omnibus partibus, in quibus exercentur operationes vitales, & ſic in capillis, in quibus per eundem exercentur operationes vegetatiuæ. Quod ſi dicatur, capillos ſignanter viuere anima vegetatiua diſtincta; tunc neſcio, quomodo illa pars ſit capax Baptiſmi, & poſſit in animam rationalem diſtinctam, & exiſtentem in alijs partibus ab illis capillorum tranſmittere effectum Baptiſmi.

Capilli non ſunt pars hominis.

Neque obſtant, quæ pro contraria ſententia Durandi afferebantur; Non primum deductum ex eo, quod per ablutionem capillorum vulgaritèr dicatur caput ablutum, quia hoc, quod vulgaritèr dicitur, procedit, quia regularitèr non abluuntur capilli, niſi pars capitis ſimul ſit abluta. Deindè dato, quod ablutis capillis vulgaritèr dicatur caput ablutum, quamuis nulla pars capitis eſſet abluta; hoc ad ſummum intelligendum eſt per quandam

19 Nec per illā ablutionem præciſam capillorū poteſt dici homo ablutus.

extrin-

extrinſecam denominationem, non autem ſecundum rei veritatem; Sacramenta autem non fundantur in extrinſeca denominatione, ſed in rei veritate; Non ſecundum, quia iam conſtat, capillos non viuere.

20 *Si ſit dubium de contactu carnis poteſt reiterari ſub conditione.*

Ratio ſecundæ partis eſt, quia in dubio de valore Sacramenti conſulendum eſt, quantum fieri poteſt, ſaluti æternæ baptizati, vt ſcilicet certior fiat eiuſdem ſalus, ne fortè, ſi fuerit inualidum, periclitetur, potiſſimum, ſi dubium ſit rationabile, ergo, ſi ſit dubium rationabile, quod aqua attigerit, vel non attigerit carnem, poterit iuſtè, & licitè Baptiſmus iterari.

QVÆSTIO IV.

De cauſa formali Sacramenti Baptiſmi.

CVm omnia Sacramenta nouæ legis conſtent rebus, & verbis, rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma aſſerente D. Auguſtino, ***Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum***, quæ verba licet ſecundum communem acceptionem referantur ad omnia acceptis rebus pro elementis, & verbis pro forma, ſumpta tamen eadem verba ad literam, & prout ſonant ſpecialitèr referuntur ad Baptiſmum, in quo propriè interuenit elementum aquæ, & cum nos in præcedentibus egerimus de elemento tanquam materia, remanet, vt modo agamus de forma conſiſtente in verbis, & conſtituente per modum principij determinantis ipſum Sacramentum. Pro quo ſit.

ARTICVLVS I.

Quænam ſit conueniens forma huius Sacramenti.

SVMMARIVM.

Referuntur varij Hæreticorum errores circa formam Baptiſmatis. 1.

Reijcitur error, quo Baptiſmus conferebatur in nomine Patris ignoti, & veritate omnium Matre. 2.

Reijcitur error, quo prærequiritur tanquam de forma concio præcedens. 3.

Excluditur item error, quo excludebatur expreſſio actionis miniſtri. 4.

Ratio, ob quam debet exprimi actio miniſtri. 5.

Per hoc non damnatur forma Græcorum. 6.

Forma ſufficiens, & neceſſaria conſiſtit in illis verbis, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. 7.

Expenduntur omnes eiuſdem particulæ. 8.

MIrum eſt, in quot errores inciderint Hæretici circa formam Sacramenti Baptiſmatis. Alij abſolutè declinantes a verbis Chriſti Domini Matthæi vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, ſub inuocatione omnino ſomniata ſine vllo fundamento Sacræ Scripturæ baptizabant in nomine Patris ignoti omnium, & in veritate omnium Matre. Alij in parte retinentes verba Chriſti Domini aſſeruerunt, conſueta verba, quibus vtitur Eccleſia, non eſſe ſufficientem formam pro hoc Sacramento, cum vlterius requiratur doctrina præcedens, qua baptizandi inſtruantur de myſterijs fidei, hocque colligunt ex illis verbis Matthæi vlt. *Euntes docete omnes gentes baptizantes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, vbi præmittit doctrinam ablutioni, & inuocationi Sanctiſſimæ Trinitatis. Alij excludebant verba indicantia actionem miniſtri baptizantis ea moti ratione, quod per illius expreſſionem cauſa principalis non explicatur, ſed ſolummodo inſtrumentalis; & per conſequens Baptiſmus videtur per illam expreſſionem attribui miniſtro tanquam auctori. Quamobrem illam expreſſionem actionis miniſtri expungendam abſolutè aſſerunt, ne detur fundamentum ſuſcitandi antiquum errorem, quo Baptiſmus miniſtris baptizantibus tribuebatur, dum aliqui dicebant, Ego ſum Pauli, alij, Ego ſum Cæphæ. Propter hanc rationem Græci induxerunt, vt in Baptiſmo non dicatur, Ego te baptizo &c., ſed ſimplicitèr Baptizetur ſeruus Chriſti in Nomine Patris &c.

1 *Referuntur varij Hæreticorum errores circa hanc formam.*

Verum hi errores facilè confutantur, & quidem primus, quo hoc Sacramentum miniſtrabatur ſub inuocatione Patris ignoti omnium, & veritatis omnium Matris, ex eo eliditur primò, quod nullum hæc forma habet fundamentum in ſacris Scripturis, nec vlla traditione legitima roboratur, vnde vim non habet, niſi in erronea opinione auctorum. Secundò, quia hoc Sacramentum inſtitutum eſt tanquã Sacramentum fidei, cuius fundamentum eſt Sanctiſſima Trinitas, quæ propterea tanquam origo cuiuſcunque veritatis in Sacramento, quod eſt origo cęterorum, debet exprimi, & quodamodo imprimi in anima baptizatorum; Quomodo autem hæc poteſt exprimi per Inuocationem

2 *Reijcitur error, quo ſit Baptiſmus in nomine Patris ignoti, & in veritate omniũ Matre.*

ignoti

ignoti Dei, ſeu Patris omnium? Potius per hoc fides confunditur, cum referatur in Deum non cognitum, ſed ignotum.

3 Reijcitur error, quo de forma ſtatuebatur contio præcedens.

Secundus, quo dicitur, non ſufficere ad valorem huius Sacramenti ablutionem aquæ cum inuocatione Sãctiſſimæ Trinitatis, ſed eſſentialitèr prærequiri doctrinam de myſterijs fidei, etiam facilè eliditur primò, quia, ſi hæc præcedens doctrina, & inſtructio fidei eſſet eſſentialitèr requiſita ad valorem Baptiſmatis, inutilitèr baptizarentur infantes ante vſum rationis, quia pro illo ſtatu ſunt incapaces doctrinæ, & inſtructionis in myſterijs fidei, quod eſt contra ſenſum, & praxim vniuerſalis Eccleſiæ. Secundò, quia, vt diximus in quæſtionibus de Sacramentis in genere, dum de eorum forma, verba conſecratoria ſunt de eſſentia Sacramentorum, non merè concionatoria. Tertiò ex communi ſenſu, & acceptione Eccleſiæ, quæ non ſumit illa verba, *Docete omnes gentes*, tanquam neceſſaria ad conſtitutionem, ſeu adminiſtrationem Sacramenti, ſed ſolum tanquam requiſita ad congruam diſpoſitionem in ordine ad adultos.

4 Reijcitur error, quo excludebatur actionis miniſtri expreſſio.

Tertius, quo dicebatur expungendam eſſe à forma Baptiſmatis actionem miniſtri, ex eo eliditur, quod Chriſtus Dominus talis actionis expreſſionem præcipit Matthæi vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris*, per quæ verba Chriſtus baptizandi actum miniſtris atribuit; vnde *Concil. Florent. in decreto Eugenij*, ait. *Si exprimitur actus, qui per ipſum exercetur miniſtrum, cum Sancta Trinitatis inuocatione perficitur Sacramentum*, ergo, ſi non exprimatur actus miniſtri, non perficietur, argumento a contrario ſenſu deducto, quod clarius expreſſie Innocentius III. relatus *in c. 1. extra de Baptiſmo*. Ibi; *Si quis puerum in aqua immerſerit, In nomine Patris, & Filij, & Spiritur Sancti, & non dixerit, Ego te baptizo; non eſt puer baptizatus*; Neque obſtant ea, quæ ex aduerſo afferebantur, quod ſcilicet per expreſſionem actionis miniſtri tribuatur fundamentum antiqui erroris, quo Baptiſmus atribuebatur baptizantibus, dum quis dicebat, Ego ſum Pauli, alter vero Cęphæ, non Chriſti Domini, qui eſt principalis agens; Non, obſtant, inquam, quia, vt notat *D. Thomas tertia part. q. 66. art. 5. in corpore*, ex hac expreſſione actionis miniſtri non poteſt iuſtè ſumi fundamentum erroris, quia per hanc non excluditur actio principalis agentis; licet etenim actio atribuatur inſtrumento tanquam immediatè agenti, tribuitur tamen etiam principali, in cuius virtute inſtrumentum agit; & ſic in forma Baptiſmi explicatur actio miniſtri per ly, *Ego te baptizo*; & item actio principalis agentis per ly *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, cum tota Trinitas operetur ad producendum effectum gratiæ.

5 Ratio ob quam eſt exprimenda actio miniſtri.

Si autem quæratur ratio, propter quam ex neceſſitate ſit exprimenda actio tam cauſæ inſtrumentalis, quam principalis, cum in formis aliorum Sacramentorum non ſemper vtraque exprimatur, vt in Sacramento Pænitentiæ, in quo non eſt neceſſe neceſſitate Sacramenti, vt exprimatur Trinitas, & in Sacramento Extremæ Vnctionis, in quo non exprimitur actio miniſtri; tunc reſpondebo, rationem deſumi ex inſtitutione Chriſti Domini, qui in hoc Sacramento Baptiſmatis vtriuſque expreſſionem voluit, vt colligitur ex verbis Matthæi vlt. quam expreſſionem non præſcripſit in alijs. Si autem vlterius quæratur ratio talis inſtitutionis; dicam, quod, cum hoc Sacramentum ſit origo, & ianua cæterorum omnium, & fundamentum primum noſtræ fidei, debuit in ipſo exprimi origo totius ſanctificationis, & principium noſtræ fidei, quod eſt Trinitas; actio autem miniſtri neceſſario etiam explicanda eſt, quia eſt materia proxima neceſſaria non ſolum ad effectum principalem cauſandum, ſed etiam ſignificandum.

6 Per hoc nõ damnatur forma Græcorum.

Ex eo autem, quod dixerim, expreſſionem actionis miniſtri eſſe neceſſariam in forma Baptiſmi, nolim intelligas, me damnare erroris formam Græcorum baptizantium ſub his terminis *Baptizetur ſeruus Chriſti in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; nam in actu exercito, vt notat *D. Thomas loc. cit.*, talis actio exprimitur: Sed de hoc erit infra ſermo vberior. Damnarem tamen erroris, ſi formam, quæ ſeruatur ab Eccleſia Latina, ipſi damnarent.

7 Exponitur forma neceſſaria.

Reiectis his erroribus iam me confero ad veritatem Catholicam. Dico igitur, formam Sacramenti Baptiſmatis conſiſtentem in his verbis, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, ſufficientem eſſe, & neceſſariam quoad ſignificationem ſubſtantialem, nec in eadem eſſe aliam particulam extra neceſſitatem præter illam, *Ego*. Conſentiunt communitèr *D. Thomas tertia part. q. 66. art. 5. in corp., Suarez tertia part. diſp. 21. ſect. 1. concl. 1., & ſecunda, Valentia tom. 4. diſp. 4. q. 1. punct. 3. in princip., Bellarminus lib. 2. de Baptiſmo c. 3., & 6., & alij communitèr*. Colligitur primò ex verbis Chriſti Domini *Matthæi vlt., ex Concil. Florent. in inſtruct. Armenorum, & ex Alexandro tertio c. 1. de Baptiſmo*. Et quidem, quod ſit ſufficiens ex eo colligitur, quod in ea exprimuntur omnia, quæ ſunt neceſſaria ad expreſſam ſignificationem eorum, quæ pertinent

tinent ad eius ſubſtantiam, nempè actio agentis conſiſtens in ablutione, ex qua etiam deducitur interna mundities, quæ cauſatur in anima, quæ actio importatur per ly *Ego te baptizo*; item actio agentis principalis cauſans Sacramentum ſecundum validum ipſius eſſe, & quoad effectum principalem importata per ly *In nomine Patris; & Filij, & Spiritus Sancti*, cum hic cauſetur concurrente tota Sanctiſſima Trinitate, cum ſit opus ad extra. Quod etiam ſit neceſſaria, non ſolum deducitur ex ipſa inſtitutione, in qua omnia hæc ſunt expreſſa, ſed etiam ex natura, & fine eiuſdem ſuppoſita inſtitutione, cum etenim ſit ordinatum ad abſtergendas maculas tanquam lauacrum regenerationis, debet exprimi per modum ablutionis, per quam maculæ regularitèr mundantur, &, cum hæc mundatio ſpiritualis explicata, ſeu ſignificata per exteriorem ablutionem nequeat fieri, niſi concurrente Trinitate, quæ in operationibus ad extra concurrit, eius operatio indicatur per ly *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*.

8 Explicatur per ſingulas partes.

Dixi, *quoad ſubſtantialem ſignificationem*, quia non renuo, quod ſaltem quoad validum eſſe, ſi illa forma accidentalitèr variaretur in ſignificatione ſcilicet accidentali, valida foret, & validum conſtitueret Sacramentum, prout infra latius dicemus. Dixi, nec in eadem eſſe aliam particulam extra neceſſitatem præter illam, *Ego*, quia hæc ſufficientèr habetur in illo verbo concepto in perſona prima *Baptizo*.

ARTICVLVS II.

Quomodo ſibi cohæreant in ſubſtantia forma Græcorum, & illa Latinorum, vt valor Sacramenti in vtraque ſubſiſtat.

SVMMARIVM.

Diſcrimina, quæ intercedunt inter formam Græcorum, & illam Latinorum. 1.

Difficultates circa talia diſcrimina examinanda. 2.

Forma, quo vtuntur Græci, eſt ſufficiens ad valorem Sacramenti. 3.

Oſtenditur primum diſcrimen non officere ſubſtantiæ Sacramenti. 4.

Oſtenditur, nec obſtare, quod in forma Græcorum concipiatur ſubiectum in perſona tertia. 5.

Nec quod concipiatur modo optatiuo. 6.

Significatio actiua, & paſſiua non differunt, niſi in modo. 7.

Forma Latinorum eſt aptior, & congruentior. 8.

Si Latinus adhiberet formam Græcorum validè conferret. 9.

Non tamen licitè. 10.

D. Thomas *in quarto diſt. 3. q. 1. art. 2. quæſtiunc. ſecunda ad primum*, conſiderans vtriuſque formæ conditiones dicit, quod ſecundum formam Græcorum de neceſſitate eiuſdem formæ ſit actus baptizantis quantum ad ſignificatum, ſed non quantum ad conſignificatum, cum miniſter baptizans non ſit de neceſſitate eiuſdem, quia ex eo baptizans efficaciam non habet, ſed perſona baptizata ſit de neceſſitate, quia actus ad ſuſcipientem terminatur. Hinc tria agnoſcit diſcrimina inter formam Græcorum, & illam Latinorum. Primum eſt, quod in forma Græcorum non exprimitur perſona baptizantis, vbi in illa Latinorum exprimitur, & ideo Græci non exprimunt, quia Baptiſmus non habet efficaciam a perſona baptizante. Secundum eſt, quia Græci ſignificant actum baptizandi ſub tertia perſona, & ſub modo ſubiunctiuo, vel optatiuo, quaſi indicantes, quod actus interior expectetur ab extra, vbi Latini exprimunt in perſona prima, & modo indicatiuo. Tertiò Græci perſonam, quæ baptizatur, ponunt in caſu nominatiuo, & in tertia perſona addita etiam perſona, quia baptizatus aliquando non habet intellectum, vt ad ipſum poſsit ſermo dirigi, vbi Latini baptizatum ponunt in caſu obliquo, nempè accuſatiuo.

1 Diſcrimina inter formã Græcorũ, & Latinorum.

Suppoſitis iam his diſcriminibus duo potiſsimum controuertuntur, quinimmò tria ſub hoc titulo. Primum eſt, an ſtante tali diuerſitate Baptiſmus Græcorum in valore ſubſiſtat. Secundum, an data eius ſubſiſtentia congruentior ſit forma Græcorum illa Latinorum, an è conuerſo. Tertium, an licitum ſit Latinis vti forma Græcorum, & Græcis illa Latinorum.

2 Articuli circa ipſa examinandi.

Concluſio I. Forma, qua vtuntur Græci, eſt ſufficiens ad valorem Sacramenti, non obſtantibus diſcriminibus aſsignatis. *D. Thomas tertia part. q. 66. art. 5. ad primum, & q. 67. art. 6. in corpore, & in quarto ſent. diſt. 3. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 2. ad primum, Suarez in tertiam part. D. Thomæ tom. 3. diſp. 21. ſect. 2. concl. 1. verſ. Rurſus inquiri poteſt, Bonacina de Baptiſ. diſp. 2. q. 2. punct. 4. n. 10.*

Ratio ex eo deducitur, quod omnia allegata diſcrimina non conſtituunt diuerſitatem eſſentialem, ſeu ſubſtantialem inter vtramque formam, ergo forma applicata ſub alterutris cuiuſque terminis erit valida, & validum conſtituet Sacramentum. Antecedens probatur diſcurrendo per ſingulas ex allatis differentijs.

3 Forma Græcorũ eſt ſufficiens ad valorem Sacramẽti.

Pri-

Prima de non expreſſione perſonæ baptizantis in forma Græcorum ex eo euincitur, quod talis miniſtri expreſſio non eſt neceſſaria, licet ſit neceſſaria expreſſio actionis, quæ re vera ſit in forma Græcorum per ly, *baptizetur*. Quod autem non ſit neceſſaria expreſſio miniſtri baptizan-

4 Oſtenditur primum diſcrimen non officere ſubſtantiæ ſignificationis.

tis ex eo euincitur, quod nec in forma Latinorum perſona baptizantis eſt neceſſario exprimenda, nam, ſi quis omitteret illam particulam, *Ego*, validè baptizaret; nec obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod in forma Latinorum ſufficientèr exprimatur perſona baptizantis etiam omiſſo illo pronomine, *Ego*, per ly *baptizo*, quæ particula non poteſt alteri à proferente applicari; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia hic eſt ſermo de expreſſione perſonæ, non de implicita continentia; ſecus etiam in forma Græcorum poteſt conſiderari hæc implicita comprehenſio; nam in actu exercito ſatis denotatur perſona baptizantis; per illam enim immerſionem, quam ipſe præſtat dicens, Baptizetur ſeruus Dei, vtique indicatur, quod Baptiſmus fiat ab ipſo. Deindè, cum miniſter ſit tantum cauſa inſtrumentalis, non videtur vrgere aliqua neceſſitas ipſum exprimendi, ſicuti eſt neceſſitas exprimendi perſonam baptizatam, vt communitèr ſentiunt DD., & à nobis infra erudetur.

5 Oſtenditur non obſtare, quod ſubiectum concipiatur in perſona tertia.

Quod conceptio formæ in perſona tertia, & modo coniunctiuo, ſeu optatiuo non variet ipſam ſubſtantialitèr ex eo euincitur, quod quocunque modo ſumatur, ſeu exprimatur ablutus, ſiue in perſona ſecunda, & modo indicatiuo ſecundum formam Latinorum, ſiue in tertia perſona, & modo optatiuo, ſeu coniunctiuo ſecundum formam Græcorum, ſemper ſignificatur actus exercitus ablutionis circa perſonam baptizati ad effectum regenerationis ſpiritualis, & in hoc conſentiunt communitèr, & ſignantèr *Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 21. ſect. 2. verſ. rurſus inquiri poteſt*.

Solum aliquid negotij videtùr faceſcere forma concepta modo optatiuo ob rationem adductam, vt ſcilicet ſignetur, quod actus interior expectetur ab extra; nomine autem actus interioris venit gratia animam ſanctificans; nam per hunc modum dicendi videtur quodamodo excludi actio cauſatiua miniſtri, quaſi; quod ipſe nihil operetur; vnde, ſicuti agentes de Sacramento Pænitentiæ diximus non ſufficere formam conceptam ſub his terminis *Ab-*

6 Nec quod cōcipiatur modo optatiuo.

ſoluat te Deus, quia per hanc non exprimitur actio abſoluentis, ita videtur in præſenti dicendum, nō ſufficere formam Baptiſmi optatiuo modo conceptam, quia per hanc videtur tota cauſalitas refundi in Deum, à quo expectetur actus interior. Nihilominus alij ſentiunt, quod validus eſſet ille Baptiſmus, cum per illum modum optatiuum, licet expectetur ab extra actus interior, non excluditur tamen actio exterior miniſtri, per quam ipſe quoque inſtrumentalitèr concurrit; nec valere dicunt paritatem de forma pænitentiæ expreſſa ſub his terminis *Abſoluat te Deus*, ſeu *abſoluaris à Deo*, quia Sacramentum Pænitentiæ miniſtratur per modum iudicij, in quo Confeſſarius, vt Iudex per ſe ipſum debet ferre ſententiam, vel abſolutoriam, vel condemnatoriam, non referre in alium, & ideo in eadem ſententia requiritur expreſsio concurſus ipſius ad ſoluendnm, vel ligandum pænitentem, quæ expreſsio non ita clarè requiritur in forma Baptiſmi, licet importetur in actu exercito, cum non fiat per modum iudicij. Sed ſiſtendum eſt in prima ſententia, quia neceſſaria eſt expreſsio actionis miniſtri baptizantis.

Quod tandem baptizatus in forma Græcorum exprimatur in caſu nominatiuo, & in perſona tertia, vbi in illa Latinorum baptizatus importatur in caſu accuſatiuo, & in perſona ſecunda, per hoc non inducatur mutatio ſubſtantialis, ex eo euincitur, quia ex vna parte eſt damtaxat mutatio ſecundum ſignificationem actiuam, & paſsiuam, quæ in ſe non differunt, ſed tantum in modo; ex alia parte ſiue ſubiectum exprimatur in perſona tertia, ſiue in ſecunda, ſemper idem importatur, & per actionem in ipſam relatam determinatur perſona, ſuper quam cadit ablutio, ergo penſatis omnibus inter vtrãque formam non eſt differentia ſubſtantialis adeoque non eſt, cur in vtraque non debeat ſubſiſtere Baptiſmus.

7 Significatio actiua, & paſſiua non differunt, niſi accidentalitèr.

Concluſio II. Quamuis vtraque forma Latinorum ſcilicet, & Græcorum ſit valida, & apta ad producendum effectum, forma tamen Latinorum eſt aptior, & congruentior. *D. Thomas in quarto diſt. 3. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 2. ad primum*; & cum eo *Ghetius in theſaur. animæ verb. Baptiſmus c. 3. n. 4. in expoſitione lit. D. Thomæ*, & alij communitèr.

8 Forma Latinorū eſt aptior, & congruentior.

Probatur, tum quia eſt conformior Inſtitutioni, & textui Euangelico Matthæi vlt. Ibi *Baptizantes eos in nomine Patris &c.* vbi perſona miniſtri ponitur in nominatiuo, & in ſignificatione actiua, & perſona baptizati in caſn obliquo, & accuſatiuo; tum quia clarius, & expreſſius importat actionem miniſtri, & ſic non ſolum ſignificatum, ſed etiam conſignificatum, vt loquitur D. Thomas; tum quia hæc ſeruatur ab vniuerſa Eccleſia Latina, quæ eſt Mater, & ſuperior ad quamcun-

que aliam Eccleſiam, quæ nunquam à vera fide legitur declinaſſe hanc formam ab Apoſtolis retinens.

9 *Si Latinus adhiberet formá Græcorum validè cóferret.*

Concluſio III. Si Latinus vteretur forma Græcorum in collatione Baptiſmi, validè quidem baptizaret, ſed illicitè. Hæc concluſio eſt communis, licet quoad primam partem ſit contra nonnullos, quos ſupreſſo nomine refert *D. Thomas loc. cit.* volentes formam illam Græcorum à Latinis adhibitam eſſe inualidam, de qua etiam opinione loquitur *Adrianus qu. 1. de Baptiſmo art. 3. dub. 2.* vbi citat *Innocentium in c. 1. de Baptiſmo.*

Probatur iam quoad primam. Baptiſmus collatus à Græco ſecundum ſuam formam per ſuperius probata validus eſt, nec Eccleſia Latina ipſum damnat inualiditatis, ergo etiam erit validus, ſi ſub tali forma conferatur à Latino. Conſequentia probatur, quia eſſentia Baptiſmi non variatur ex eo, quod ab vno miniſtro vnius Eccleſiæ miniſtretur, vel ab altero alterius Eccleſiæ, cum diuerſitas miniſtrorum, qui ſecundum ſe apti ſunt ad illud miniſterium, non inducat diuerſitatem ſubſtantialem, quando interueniunt alia eſſentialia, cum eſſentialia ſint eadem in omnibus; vnde eſſentialia, quæ ſufficiant in vna parte, ſeu regione, ſufficiunt in quacunque regione. Confirmatur ex ijs, quæ communitèr traduntur ab omnibus iuxta deciſiones Conciliorum, quæ ſtatuerunt validam eſſe conſecrationem, ſiue fiat in fermentato, vt fit à Græcis, ſiue in Azimo, vt fit a Latinis, quamuis præſcribatur, vt ab vnaquaque Eccleſia ſeruetur legitimus mos in eadem receptus etiam ſub graui, & tamen, ſi Latinus conſecraret in fermentato, & Græcus in Azimo, nullus eſt, qui damnaret huiuſmodi conſecrationes tanquam inualidas, ergo etiam &c.

10 *Non tamen licitè.*

Probatur ſecunda pars, quia non licet variare ritus propriæ Eccleſiæ, & hoc ſub onere grauis culpæ, vt notat *D. Thomas in quarto diſt. 3. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 2. ad primum*, non ſolum, quia conſuetudines legitimè receptæ ſunt ſeruandæ, ſed etiam quia ita etiam præceptum eſt per iura poſitiua ſcripta, prout colligitur ex pluribus Concilijs.

ARTICVLVS III.

An neceſſaria ſit ad valorem Baptiſmi expreſſio Sanctiſſimæ Trinitatis, & quomodo.

SVMMARIVM.

Referuntur plures Hæreticorum errores circa formam. 1.
Sententia docens, non eſſe neceſſariam expreſſam inuocationem Sanctiſſimæ Trinitatis. 2.
Sententia docens, eſſe quidem neceſſariam, non tamen ſub proprijs nominibus, ſed ſub nominibus proprietatum perſonalium. 3.
Referuntur aliæ ſententiæ. 4.
Baptiſmus collatus præcisè in nomine Chriſti non eſt validus. 5.
Euincitur auctoritatibus Pontificum, & SS. PP. 6.
Et ex inſtitutione Chriſti Domini. 7.
Satisfit rationibus contrarijs. 8.
Quomodo intelligendum ſit, quod Apoſtoli baptizabant in nomine Ieſu. 9.
In eo non excluditur inuocatio Sanctiſſimæ Trinitatis, ſed ſolum fit mentio de Baptiſmo, vt rememoratiuo mortis, & ſepulturæ Chriſti. 10.
Forma concepta ſic, Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati, vel non valida, vel ſaltem valdè dubia. 11.
Ratio Diui Thomæ, & exceptiones ad ipſam. 12.
Ratio D. Bonauenturæ cum ſuis exceptionibus. 13.
Auctor innititur communi conſenſui, & auctoritati SS. PP. 14.
Forma concepta in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis in communi, vel in nomine trium Diuinarum Perſonarum non expreſſis nominibus, non eſt valida. 15.
Explicatur dictum Nicolai Pontificis. 16.
Forma concepta non in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ſed in virtute Patris &c. eſt valdè dubia, nec adhibenda. 17.
Concepta in nominibus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti eſt inualida. 18.
Siue ly in nominibus *referatur ad perſonas, ſiue ad eſſentiam ſemper forma eſſet inualida.* 19.
Forma repetito nomine ad ſingulas perſonas eſſet inualida. 20.
In illa non importaretur vnitas eſſentiæ. 21.
Ratio nominis præſcindit ab abſoluto, & relatiuo, non ſic ratio Dei. 22.
Ad valorem Sacramenti Baptiſmi requiritur expreſſio vnitatis eſſentiæ, & diſtinctionis perſonarum. 23.

Plu

1 Errores Hæreticorum circa formam.

PLures circa formam Baptiſmi emanarunt anteactis temporibus Hæreticorum errores. Alij, vt ſupra innuebam, baptizabant in nomine ignoti Patris omnium, & in veritate Matre omnium, & in nomine deſcendentis Ieſu ad vnitionem, & redemptionem, & communionem omnium virtutum, & huiuſmodi erant Gnoſtici, de quibus ſcribit *Iræneus lib. 1. c. 18.* Alij tempore Apoſtolorum baptizabant in tribus Patribus, ſeu in nomine trium ſine principio, ſeu trium Filiorum, ſeu trium Paraclitorum, de quibus fit mentio in can. 48., ſeu 49. Apoſtolorum, vbi etiam ex canone 50. expreſsè damnantur. Alij baptizabant in Domini morte, quem errorem ſecuti ſunt Cataphrygæ teſte Socrate lib. 5. hiſtor. c. 23. Alij aliter. Sed non eſt, cur immoremur in confutatione huiuſmodi errorum, cum iam ſint ipſa antiquitate deleti, nec vllum habeant in ſacris paginis fundamentum, & in pluribus Concilijs damnati.

2 Sentẽtia docens non eſſe neceſſariam inuocationem expreſſam Sanctiſſimæ Trinitatis.

Quamobrem ijs omiſſis me confero ad controuerſias cum Catholicis, quorum alij dixerunt, ad valorem formæ non eſſe neceſſariam inuocationem expreſſam Sanctiſſimæ Trinitatis, ſed ſufficere, ſi Baptiſmus conferatur in nomine Chriſti Domini, & fundamentum deſumebant ex eo, quod habetur Actorum 8., vbi quod *in nomine Chriſti baptizabantur viri, & mulieres*; nec arbitrandum eſt, quod hoc præſtarent Apoſtoli ex ſpeciali Chriſti reuelatione, & diſpenſatione, non ex ipſa inſtitutione, vt nomen Chriſti, quod tunc erat odioſum Iudæis, & Gentilibus honorabile redderetur, vt videtur innuere *Sanctus Thomas q. 66. art. 6. ad primum*, cum *D. Ambroſius tom. 3. lib. 1. c. 3. ante medium*, apertè agnoſcat in nomine Chriſti totam vim ineſſe, dum dicit, ſi Chriſtum dicas, & Patrem a quo vnctus eſt, & ipſum, qui vnctus eſt, & Spiritum Sanctum, quo vnctus eſt, deſignaſti, & Nicolaus Papa ad conſulta Bulgarorum, prout refertur *in c. à quodam Iudæo de conſecrat. diſt. 4.* aſſerit, quod, qui baptizati ſunt in nomine Trinitatis, vel tantum in nomine Chriſti, rebaptizari non debeant.

3 Sentẽtia docens eſſe neceſſariam non tamẽ ſub proprijs nominibus.

Alij, quamuis agnoſcant neceſſitatem inuocationis expreſſæ Sanctiſſimæ Trinitatis, aſſerunt tamen non eſſe neceſſariam expreſſionem ſub proprijs nominibus, ſed poſſe fieri validè Baptiſmum per expreſſionem proprietatum ſingularum perſonarum, vt ſi dicatur, Ego te baptizo in nomine Genitoris, & Geniti, & Spirati, vel etiam in nomine innaſcibilis, Verbi, & amoris procedentis. Alij aſſerunt eſſe neceſſariam expreſſionem inuocationis Trinitatis, ſed non ſub expreſſo nomine cuiuſcunque perſonæ, ſed ſub nomine communi Trinitatis nulla facta expreſſione ſingularum perſonarum. Alij non ſub formali nomine perſonarum, ſed in virtute earundem, expreſſis tamen ſingulis. Alij ſub vno nomine perſonarum in particulari; alij ſub nomine earum in plurali; alij repetendo nomen in ſingulis perſonis dicendo in nomine Patris, in nomine Filij, in nomine Spiritus Sancti; alij non niſi ſemel nomen exprimendo.

4 Referuntur aliæ ſententiæ

5 Collatus præcisè in nomine Chriſti non eſt validus.

Dico primo. Baptiſmus collatus præcisè in nomine Chriſti non eſt validus *D. Thomas tertia part. q. 66. art. 6. in corpore, Suarez tom. 3. in tertiam part. D. Thomæ diſp. 21. ſect. 3., Henriquez lib. 2. c. 8. n. 1., & c. 11. n. 1., Victoria de Baptiſmo concl. 16., Toletus lib. 2. c. 19., Vaſquez diſp. 143. c. 3.* Expreſsè conuincitur SS. PP., & Pontificum auctoritatibus primo Pelagij Papæ relati in *c. ſi re vera diſt. 4. de conſecrat.*, qui ſcribens ad Gaudentium Epiſcopum ſic loquitur. *Si hi, qui in locis dilectionis tuæ vicinis commorari dicuntur ſe ſolummodo in nomine Domini baptizatos fuiſſe confitentur, ſine cuiuſcunque dubitationis ambiguo eos ad fidem Catholicam venientes in Sanctiſſimæ Trinitatis nomine baptizabis.* Secundo, *Clementis Papæ lib. 3. conſtit. c. 16.* vbi ſic habet. *Nominans inuocationem Patris, & Filij, & Spiritus Sancti baptizabis eos.* Tertio, *Gelaſij Papæ in c. ſi re vera de conſecrat. diſt. 4.*, vbi aſſerit Baptiſmum datum in nomine Domini eſſe nullum. Quarto, *Beda in lib. var. qq. q. 14. Notandum, ſi quis baptizans dicat Baptizo te in Chriſto Ieſu, & non dicat in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ſicut Dominus inſtituit, non eſt verus Baptiſmus.* Ratio autem horum omnium eſt, quia Chriſtus Dominus inſtituit hoc Sacramentum non ſub præciſa inuocatione Chriſti Domini, ſed ſub inuocatione expreſſa Sanctiſſimæ Trinitatis cum expreſſione omnium, & ſingularum perſonarum iuxta illud Matthæi vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; nec ſine myſterio hanc expreſſionem præcepit, vt dicemus infra in vltimo aſſerto.

6 Euincitur auctoritatibus Pontificum, & SS. PP.

7 Et ex inſtitutione Chriſti Domini.

8 Satisfit rationibus contrarijs.

Neque obeſſe poſſunt ea, quæ ex aduerſo afferuntur, primò, id quod habetur Actorum 8. *In nomine Chriſti baptizabantur viri, & mulieres*, quod repetitur in alijs locis eorundem Actorum. Secundò, illud Nicolai Papæ ſupra recenſitum, vbi quod baptizati nomine Chriſti non debeant rebaptizari. Tertiò, illud D. Ambroſij etiam ſupra allegatum; Non, inquam, obeſſe poſſunt. Non primum, quia, quamuis in allegato textu, & alijs conſimilibus fiat tantum expreſſa mentio Chriſti Domini, non propterea intelligi debent pro eo tempore omiſſæ aliæ perſonæ Diuinæ in colla-

latio-

Digitized by Google

latione Baptiſmi, ſed ideo facta fuit ſolummodo mentio de ipſo ad indicandam eius Diuinitatem, quæ fortè tunc controuertebatur, vel quia ſpecialitèr ab eo fuerit hoc Sacramentum inſtitutum, & iuxta hunc ſenſum videtur procedere *D. Auguſtinus lib. 3. contra Maximinum c. 17.*, qui etiam paritate adducta ſic argumentatur ex alio ſcripturæ loco ad rem præſentem. Ioannis primo habetur. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*, & tamen per hoc non tollitur, quin Pater, & Spiritus Sanctus ad omnia eius opera vtpotè, quæ fuerunt ad extra, concurrerint; ergo ex eo, quod dicatur Actorum 8. *In nomine Chriſti baptizabantur viri, & mulieres*, non tollitur, quin fuerint baptizati in nomine etiam Patris, & Filij &c. Hoc etiam clarè indicauit *Origenes lib. 5. in Epiſtolam ad Romanos*, vbi circa illa verba *Apoſtoli c. 6. Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu &c.* ſic loquitur, *Requiras hoc, quod dixit Dominus ad diſcipulos, vt baptizarent in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, cur Apoſtolus ſolius Chriſti in Baptiſmo nomen aſſumpſit dicens. Quicunque baptizati ſumus, cum non habeatur legitimum Baptiſma, niſi ſub nomine Trinitatis*, & poſtea ſubdit *Apoſtolum ibi non mentionem facere de forma huius Sacramenti, ſed de Baptiſmo, quatenus eſt rapræſentatiuum mortis, & ſepulturæ Chriſti, in quo, quia conformamur Chriſto, non Patri, & Spiritui Sancto ideo ſolum mentionem facit de Chriſto.*

9 Quomodo intelligendū ſit, quod Apoſtoli baptizabant in nomine Ieſu.

Hæc ſolutio, quam adhibemus ad textum Actorum 8., & alios conſimiles magis arridet, quam illa quam adhibent communitèr Theologi, qui ſtantes præciſis verbis illorum textuum, in quibus fit ſolum mentio de Chriſto, aſſerunt verè Apoſtolos ſolum in nomine Chriſti baptizaſſe, non quia hoc eſſet per ſe ſufficiens iuxta Chriſti inſtitutionem, ſed ex ſpeciali Dei diſpenſatione ad exaltandum Chriſti nomen, quod pro illo tempore erat obbrobrium Iudæis, & Gentibus ſcandalum; magis, inquam, arridet, quia ad allegatum finem exaltationis nominis Chriſti Domini non erat neceſſaria reticentia aliarum duarum perſonarum, cum ex coniunctione expreſſionis eiuſdem cum illis æquè reſultaret eius Diuinitas, & poteſtas maximè, ſi fuiſſet dictum. *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij eius Ieſu Chriſti, & Spiritus Sancti.* Ad ſecundum, quod dicebatur ex Nicolao Papa, & D. Ambroſio dicendum eſt cum *D. Thoma d. q. 66. art. 6. ad vltimum*, ipſos inniti allegatis textibus Sacræ Scripturæ, & ideo excluſione eorundem textuum iuxta mox poſitas expoſitiones, deſumenda eſt etiam eorundem ſolutio.

10 Ibi non excluditur inuocatio Sāctiſſimæ Trinitatis, & quarè.

Dico ſecundò. Forma concepta ſub his terminis. Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati probabilius non eſt valida, vel ſaltem valdè dubia. In hoc conſentiunt *D. Thomas tertia part. qu. 66. art. 5. ad ſeptimum, & in quarto diſt. 3. art. 2. quæſtiunc. 2. ad quintum, & ibi D. Bonauentura art. 2. q. 3., Scotus q. 2. art. 3., Riccardus art. 2. q. 3., Alexander Alenſis quarta part. q. 13. membro tertio art. 3. §. 5., Altiſiodorenſis lib. 3. ſummæ c. art. 3. c. 4. q. 4.* qui omnes ſtatuunt ſimplicitèr eſſe inualidam; Sotus vero, & alij recentiores apud *Suarez diſp. 21. ſect. 4. verſ. ſecundo quando mutatio*, ſentiunt eſſe valdè dubiam. Idem quod dicitur de forma ſic concepta dicendum eſt de hac alia. Ego te baptizo in nomine Innaſcibilis, & verbi, & procedentis ab vtroque.

11 Hæc forma, Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati, vel non eſt valida, vel dubia.

Ratio D. Thomæ hæc eſt, quia, ſicuti pro materia præſcribitur aqua, quia eius vſus eſt communior ad abluendum, ita ad ſignificandas tres perſonas Diuinas aſſumuntur illa nomina, quibus communius conſueuerunt nominari perſonæ Diuinæ in illa lingua. Sed hæc ratio non videtur conueniens, quandoquidem, ſi aqua, quantumuis ad illum vſum communior, mutetur, accidentalitèr tamen tantum, Baptiſmus in illa collatus eſt validus, vt non inficiatur idem *D. Thomas hic art. 4.*, ergo etiam quantumuis communius adhibeatur nomina Patris, & Filij, & Spiritus Sancti ad ſignificandas tres Perſonas Diuinas, ſi tamen mutentur accidentalitèr, hoc eſt in ſignificatione accidentalitèr tantum diuerſa (mutatio etenim in forma ſolum ſumitur penes ſignificationem) Baptiſmus erit validus.

12 Ratio D. Thomæ, & exceptiones ad ipſam.

Ratio D. Bonauentura, & Scoti illa eſt, quia mutantur nomina principalia in non principalia, quia, vt notat *Scotus loc. cit.* nomina Patris, & Filij, & Spiritus Sancti ſignificant proprias perſonarum proprietates, & propterea perſonas ipſas, vbi nomina Genitoris, Geniti, & Spirati ſignificant actus notionales, non ipſas perſonas; Sed nec hæc probatio videtur aliquid ad rem præſentem euincere, quia vix concipi poteſt, quod nomen Patris ſit magis principale, quam nomen Genitoris, & nomen Filij magis, quā Geniti; Deindè dato etiam, quod nomina Patris, & Filij, & Spiritus Sancti ſint magis principalia; ex hoc ad ſummum euinci poteſt, quod ſint magis apta, non autem, quod ſint ſimplicitèr neceſſaria, cum nomina etiam Genitoris, Geniti, & Spirati ſint apta ad ſignificandum id, quod intenditur in tali forma, & fortè minus differant hæc nomina à præcedentibus, ac differant inter ſe nomina adhibita à Latinis, & nomina adhi-

13 Ratio D. Bonauēturæ cum ſuis exceptionibus.

a dhibita à Græcis; Nec releuant ea, quæ conſiderantur à Scoto, quod ſcilicet nomina Patris, & Filij, & Spiritus Sancti importent proprias perſonarum proprietates, vbi nomina Genitoris, Geniti, & Spirati important ſolum actus notionales; Non releuant, inquam, quia dato etiam, quod ſecunda nomina importent primario actus notionales, & connotatiuè perſonas, poſſumus etiam dicere de perſona Patris, quod importet de formali paternitatem, & de connotato perſonam, quod idem dicendum eſt de Filio, & Spiritu Sancto, vnde, ſicuti iſta apta ſunt ad valorem huius Sacramenti, ita, & illa apta ſunt reputanda, cum habeant idem ſignificare.

Fateor, me conuincentem rationem non habere ad probationem præſentis aſſerti; ab illo tamen non recedendum exiſtimo

14 Auctor innititur cōmuni conſenſu, & auctoritati SS. PP.

ob communem SS. PP., & Theologorum auctoritatem in hoc conſentientium, cui etiam adſtipulatur ipſa Inſtitutio facta à Chriſto Domino in illis nominibus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; vnde *D. Athanaſius ſerm. 2. contra Arianos* ſcriptum reliquit. *Non iuſſit nos baptizare in nomine Genitoris, aut Ingeniti, ſed in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & D. Epiphanius hæreſi 73.* adducit congruentiam, cur Baptiſmus ſit cōferendus in nomine Patris &c. Non in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati, quia ſcilicet nomine Genitoris, ſeu Ingeniti non facit nos venire in cognitionem Patris, ſicuti nec nomen Geniti in cognitionem Filij, cum latius pateat nomen Genitoris, & Geniti, quam nomen Patris, & Filij, quamuis enim omnis Filius ſit Genitus, non tamen è conuerſo omne Genitum eſt Filius; Nomina autem ad effectum, qui intenditur, debent eſſe magis propria, non pluribus communia.

Dico tertiò. Forma concepta ſub inuocatione Trinitatis in communi, hoc eſt,

15 Baptiſmus collatus in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis in cōmuni non eſt validus.

Ego te baptizo in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, nullam exprimendo perſonam non eſt valida, quinimmò, nec valida erit, quantumuis ſub communi nomine perſonarum fieret expreſſio, non ſub ſpeciali nomine earundem, vt ſi diceretur, *Ego te baptizo in nomine trium Diuinarum Perſonarum. D. Thomas in quarto diſt. 3. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 2. ad quartum, & tertia part. q. 66. art. 6. ad tertium. Vega in Trident. c. 4., Sotus in quarto diſt. 3. q. vnica art. 6., & ibi Marſilius q. 3. art. 4.* In fortioribus terminis hoc aſſertum deducitur ex præcedenti; ſi etenim inualidus eſt Baptiſmus collatus ſub hac forma. *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati*, quia in ea non exprimuntur nomina magis propria, & vſitata Diuinarum Perſonarum; multominus erit validus Baptiſmus collatus ſub nomine communi Sanctiſſimæ Trinitatis nulla facta expreſſione perſonarum in particulari. Ratio ex eo deſumitur, quia hoc Sacramentum inſtitutum eſt tanquam primum, & principale inſtrumentum fidei, per quod propterea explicari debet principale myſterium eiuſdem fidei per vnitatem eſſentiæ, & Trinitatem Perſonarum, quæ vtiq; debet eſſe expreſſa iuxta eiuſdem inſtitutionem, dum dicitur *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

Huic aſſerto videtur obſtare id, quod refertur *in c. à quodam Iudæo de conſecrat.* 16 Explicatur dictū Nicolai Pontificis.

diſt. 4. de quo mentionem fecimus in præcedentibus; vbi interrogatus Nicolaus Pontifex à Iudæo quid agendum eſſet de baptizatis a Paganis reſpondit, non eſſe rebaptizandos, ſi fuerint baptizati in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, vel in nomine Chriſti. Sed huic obiecto iam in prædictis ſatisfecimus, ſecundum quæ dicere poſſumus, Nicolaum debere intelligi locutum de baptizatis in nomine Trinitatis expreſſæ prout intelligunt *Marſilius in quarto diſt. 3. q. 3. art. 4., & Sotus ibid. q. vnica art. 6.*, qui etiam aſſerit ita intelligendos eſſe alios SS. PP., & Pontifices, ſi fortè dixerint tenere Baptiſmum collatum in nomine Trinitatis. Quod, ſi quis pertinacitèr velit, quod Nicolaus Pontifex intellexerit de inuocatione Sanctiſſimæ Trinitatis in communi nulla facta expreſſione perſonarum; tunc *Vega in Trident. c. 4.* aſſerit, Pontificem tanquam priuatum Doctorem in hoc deceptum fuiſſe.

Ex his etiam facilè erit deducere id, quod aſſerebamus in ſecunda parte aſſerti,

Etiam Baptiſmus collatus in nomine trium perſonarum eſſet inualidus

nempè etiam non validum forè Baptiſmum collatum in nomine trium Diuinarum Perſonarum ſine expreſſione nominum ſingularum; nihil enim magis videtur importari per hoc, quod dicatur in nomine trium Diuinarum Perſonarum, ac ſi dicatur in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis. Deindè etiam in hoc caſu non exprimuntur proprietates eorundem, nec ordo originis, quem inter ſe ſeruant.

Dico quartò. Forma concepta cum expreſſione omnium, & ſingularum perſonarum non tamen in nomine, ſed in virtute earundem, vt ſi dicatur. *Ego te baptizo in virtute Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, dubius eſſet Baptiſmi ſic collati valor, & certè non immunis eſſet à graui culpa, qui ſub illa forma baptizaret. In hoc videtur conſentire *Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 21. ſect. 3. verſ. ex qua concluſione infertur*, & rationem dubij in eo conſtituit, quod ex vna parte in hac forma vnitas in natura trium Diuinarum Perſonarum expreſſe nominatarum

17 Concepta in virtute Patris, & Filij, & Spiritus Sancti eſt valdè dubia, & quarè.

rum

Digitized by Google

rum ſignificatur, ſub qua ratione videtur valida; ex alia parte quid amplius videtur importari per ly *in nomine*, quam per ly *in virtute*, nam licet in vtraque importetur vnitas in natura; in ly tamen *in nomine*, importatur vlterius inuocatio, & profeſſio fidei Vnius Dei, & Trini, ſub qua ratione ingeritur dubium. Quamobrem in hoc caſu non damnarem, qui ſic baptizatum rebaptizaret ſub conditione; Non eſſet tamen à graui culpa excuſandus, qui ſub illa forma baptizaret non ſolum, quia Baptiſmum dubium conſtitueret, ſed etiam quia declinaret a conſueta forma Eccleſiæ.

18 Cõcepta in nominibus Patris, & Filij &c. eſt inualida.

Dico quintò. Forma concepta ſub his terminis. *Ego te baptizo in nominibus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, eſt omnino inualida *D. Thomas tertia part. q. 66. art. 5. ad ſextum, & in quarto ſentent. diſt. 3. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 1. ad nonum, Suarez tom. 3. in tertiam part. D. Thomæ diſp. 21. ſect. 3. verſ. ex qua concluſione infertur.* Antequam procedam ad probationem huius aſſerti aduerto ly *in nominibus*, ſi referatur ad nomina relatiua, ſeu ad proprietates trium Diuinarum Perſonarum, nullum contineret errorem in fide, quia, ſicuti tres ſunt perſonæ diſtinctæ, ita non repugnat, quod tribus diſtinctis nominibus exprimantur; ſi verò referatur ad eſſentiam, ſeu ad perfectionem abſolutam, vtique inuolueret errorem in fide, quia importaret plures ſubſtantias, ſeu abſolutas perfectiones. Retento iam, quod ly *in nominibus*, referatur ad tres diſtinctas perſonas, adhuc dicimus, quod forma ſub his terminis prolata eſſet inualida, quod ratione D. Thomæ ſic

19 Siue ly *in nominibus*, referatur ad perſonas, ſiue ad eſſentiam ſemper forma eſſet inualida.

Probatur, quia in forma huius Sacramenti exprimenda eſt virtus, quæ in ipſo operatur; ſed hæc virtus pertinet ad eſſentiam, quæ eſt vna, ergo hæc debet in forma exprimi, ſed per ly *in nominibus*, non exprimitur, nam refertur ad tria nomina perſonalia trium perſonarum, non ad eſſentiam, ſecus contineret errorem in fide, ergo, cum illa forma non eſſet expreſſiua huius virtutis non eſſe valida. Confirmatur ex *D. Hieronymo in illud Matthæi 28. Baptizantes eos in nomine Patris &c.* vbi ſic loquitur. *Baptizantur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vt quorum vna eſt Diuinitas, vna ſit largitio, nomenque Trinitatis vnus Deus*; quod clarius expreſſit *D. Auguſtinus 3. contra Maximinum*, vbi *In nomine*, inquit, *non in nominibus, quia hi tres vnum ſunt, & hi tres vnus eſt Deus.* Confirmatur ſecundò, quia hoc Sacramentum inſtitutum eſt, vt Sacramentum fidei, vt ſæpius repetiuimus, ergo congruum fuit, vt in eius collatione myſterium principale fidei, quod eſt origo cæterorum, exprimeretur; non fieret autem talis expreſſio, ſi in forma diceretur *in nominibus*, quia licet fieret expreſſio trium Diuinarum Perſonarum, non fieret expreſſio vnitatis naturæ, cum nullum eſſet verbum, quod illam expreſsè ſignificaret.

Dico ſextò. Forma concepta repetito nomine ad ſingulas perſonas, vt cum dicitur, *Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filij, & in nomine Spiritus Sancti*, probabilius non eſt valida. Non moueor ſolum ea ratione, vt plerique mouentur, & non incongruè, quod illa repetitio nominis ad ſingulas perſonas æquiualeat nomini concepto in plurali, hoc eſt nominibus, ſed ea ratione, qua, cum illud nomen applicetur ſingulis perſonis, videtur ad eaſdem perſonas referri, & proindè eſſe perſonale, nec referri ad eſſe abſolutum, & per conſequens per illud repetitum non indicari vnitatem eſſentiæ, ergo, ſicuti, quando dicitur in nominibus non eſt validus Baptiſmus, quia per illam formam non exprimitur vnitas in natura, nec erit validus, quando dicitur, *In nomine Patris, in nomine Filij, & in nomine Spiritus Sancti*, quia, nec etiam per hanc formam exprimitur in eadem natura, cum illud nomen applicatum ſingulis perſonis ſit perſonale, adeoque intelligatur diuerſum in ſingulis, ſicuti ſingulæ ſunt diuerſæ.

20 Forma repetito nomine ad ſingulas perſonas eſset inualida.

21 In illa nõ importaretur vnitas eſſentiæ.

Dices per repetitionem nominis non tollitur, quando eſt in numero ſingulari, quod importet vnitatem naturæ, ſeu ſaltem, quod non importet pluralitatem, ergo, quamuis repetatur vtpotè importans vnitatem non vitiabit illam formam. Antecedens probatur ex eo, quod repetatur nomen Deitatis, vt cum dicitur Pater eſt Deus Filius eſt Deus, Spiritus Sanctus eſt Deus non multiplicatur ſignificatio Deitatis, ergo etiam ex eo, quod repetatur nomen in ſingulis perſonis, non tollitur, quin importet vnitatem &c. Sed contrà, quia nomen ſecundum ſe eſt indifferens, vt applicetur perſonis, & eſſentiæ, cum poſſit eſſe & abſolutum, & perſonale; nomen autem Dei ſemper eſt abſolutum, & pertinens ad eſſentiam, adeoque quantumuis repetatur ſemper remanet abſolutum, ideoque, cum ratio nominis repetatur ad ſingulas perſonas, ad multiplicationem earundem multiplicatur, quod non poteſt verificari de repetitione nominis Dei, quod, cum ſit abſolutum, ad multiplicationem perſonarum non multiplicatur. Deindè dato etiam, quod ly *in nomine*, quantumuis repetatur in ſingulis perſonis poſſit retinere, & exprimere rationem vnitatis eſſentiæ, denegari tamen non poteſt, quod poſſit referri etiam ad proprietates perſonalis, & cum illis multiplicari, ergo non

22 Ratio nominis eſt indifferens, vt applicetur eſſentiæ, vel perſonis cũm poſſit eſſe abſoluta, & relatiuè, ratio autẽ Dei eſt abſoluta.

eſt aptum determinatè ad ſignificandam vnitatem eſſentiæ; ſignificatio autem formæ debet eſſe determinata, cum hæc debeat eſſe diſtinctiua.

23 In forma eſt exprimenda vnitas eſſentiæ, & diſtinctio perſonarũ.

Dico ſeptimò. Ad valorem Sacramenti Baptiſmatis neceſſario requiritur, vt in eius forma fiat expreſſio, & diſtinctio indiuiduæ Trinitatis, adeout non ſolum in eadem importetur vnitas eſſentiæ, ſed etiam diſtinctio perſonarum per ſua expreſſa nomina, quæ verè continentur, & exprimuntur per illa verba, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Colligitur ex confutatione omnium aliarum ſententiarum, & ex inſtitutione Chriſti Domini, Matthæi vlt. Si autem quæratur ratio, cur potius in hoc Sacramento Baptiſmatis requiratur expreſſa, & indiuidua inuocatio Sanctiſſimæ Trinitatis, quam in alijs, repetam, quæ ſparſim dixi in præcedentibus, nempè hoc eſſe primum fundamentum noſtræ fidei, in quo propterea debet fieri expreſſio principalioris myſterij, quale eſt illud Sanctiſſimæ Trinitatis.

ARTICVLVS IV.

Quænam mutationes in forma Baptiſmi poſſint eandem irritare, & quænam non.

SVMMARIVM.

Quot modis poſſit ſequi mutatio in forma Baptiſmi. 1.
Interruptio magna inualidat, non ſic modica. 2.
Eſſet magna interruptio, ſi incæpta forma aliundè diuerteret, & poſtea rediret ad eam perficiendam. 3.
Item, ſi incæpta forma eandem interrumperet per longam locutionem. 4.
Item, ſi eadem incæpta retractaret intentionem, & poſtea proſequeretur. 5.
Modica interruptio quandonam contingat. 6.
Quandonam ſubtractio verborum inualidet, ſeu non inualidet. 7.
Si ſubtrahatur verbum eſſentiale, inualidatur Sacramentum. 8.
Per ſubtractionem particulæ, Ego, *non inualidatur*. 9.
Illa tamen ſubtractio eſſet peccaminoſa. 10.
Et probabilius lethalitèr. 11.
Per ſubtractionem particulæ, Et, *non irritatur, benè per ſubtractionem particulæ*, In. 12.
Particula, Et, *repetita non eſt ſufficiens ad diſtinguendas perſonas*. 13.
Ly, In, *ſupra exiſtentiam importat inuocationem, & concurſum*. 14.
Quandonam per tranſportationem irritetur, ſeu non irritetur forma. 15.
Quando ſubſtantialitèr mutat ſignificationem irritat. 16.
Referuntur plures tranſportationes, per quas non mutatur ſignificatio. 17.
Forma concepta ſub his terminis, Ego te baptizo in nomine Filij, Patris, & Spiritus Sancti, *eſſet enormitèr peccaminoſa, ſed an eſſet inualida, remiſſiuè*. 18.
Circa corruptionem varia conſiderationes, & concluſiones D. Thomæ. 19.
Si corruptio contingat in principio dictionis, vt ſi dicatur mutato P. *in* M., *&* F. *in* M. *In nomine Matris, & Milij erit inualida forma*. 20.
Item, ſi dicatur pro ly, Te, Re. 21.
Si pro ly, Baptizo, *dicatur*, Paptizo *erit valida*. 22.
Si corruptio contingat in fine dictionis, vt ſi dicatur, In nomine Patris, & Filius, & Spiritus Sanctus, *ſecundum D. Thomam eſt valida forma*. 23.
Item, ſi dicatur ex ignorantia in nomine Patria, & Filia, & Spiritua Sancta. 24.
Cur valida ſit forma facta corruptione in fine dictionis, non facta in principio. 25.
Quid ſentiendum, quando corruptio inducta eſt ex induſtria. 26.
Mutatio per diuerſitatem idiomatum præcisè non irritat. 27.
Vnuſquiſque tamen tenetur ſeruare idioma propriæ Eccleſiæ. 28.
Ex cauſa licet vti idiomate proprio. 29.
Quænam mutatio verborum irritet, & quænam non irritet, deciditur ſecundum varios caſus. 30.
Mutatio per additionem duplex eſt altera corruptiua veritatis, altera non corruptiua. 31.
Additio corruptiua veritatis irritat. 32.
Additio non corruptiua non irritat. 33.
Si inuocationi Sanctiſſimæ Trinitatis addatur nomen Deiparæ Virginis per modum deprecationis, valida eſt collatio Baptiſmatis. 34.
Si nomen Deiparæ ſub eadem forma ponatur cum Diuinis Perſonis ſecundum D. Thomam valor Baptiſmi dependet ab intentione baptizantis, & quomodo. 35.
Arbitror tamen inualidum eſſe. 36.

PRæter recenſitas mutationes in præcedentibus titulis plures aliæ poſſunt contingere circa hanc formam, de quibus in præſenti agemus. Pro quo aduerte, multiplicitèr has poſſe contingere; primò per interruptionem verborum, vt cum prolato vno verbo formæ interponitur mora ad prolationem aliorum, quæ poteſt eſſe magna, vel modica. Secundò per ſubtractionem verborum, quatenus omittitur aliquod verbum ex conſueta forma.

1 Quot modis poſſit fieri mutatio in forma Baptiſmi

Tertiò per interpoſitionem, vel tranſportationem verborum, vt, ſi quæ præferuntur in conſueta forma, poſtponantur, vel poſtpoſita anteponantur. Quartò per corruptionem, quatenus verba proferantur corruptè, quod poteſt contingere, vel ex induſtria, vel ex errore, vel lapſu linguæ; vel per diuerſitatem idiomatum, quatenus, quæ ſecundum conſuetum profertur Latino idiomatè, proferatur vernacula lingua, vel alio idiomatè. Per has omnes mutationes ex quocunque capite prouenerint, diſcurremus, & quæ irritet, & quæ non irritet, explicabimus, ſicuti etiam agemus de mutationibus, quæ contingere poſſunt per verborum omiſſionem, vel etiam per eorundem additionem.

2 Interruptio magna inualidat non ſic modica.

Si mutatio contingat per interruptionem verborum, tunc dicendum eſt cum *D. Thoma in quarto ſent. diſt. 3. art. 2. quæſtiunc. 4. ad primum*, quod, ſi interruptio fuerit tanta, vt intercipiat intentionem baptizantis, inualidet ipſam formam; ſi vero non fuerit tanta, vt talem miniſtri intentionem non intercipiat, tunc ipſum Baptiſmum non irritet. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod illa magna interruptio non compatitur cum vnitate formæ, quæ debet eſſe per modum continuatæ orationis ſaltem moralitèr; quando autem eſt diuturna mora, vel longa locutio inter vnam partem formæ, & aliam, non poteſt dici vna continuata oratio, ergo, nec vna forma, adeoque &c. Ratio ſecundæ partis eſt, quia modica pauſa non pugnat cum oratione moralitèr continuata.

3 Eſſet longa, ſi incepta forma aliundè diuerteret.

Ratione primæ interruptionis erit inualida forma, ſi miniſter eadem incæpta aliundè diuertat, & poſtea regrediatur ad eam perficiendam, vel inter vnum verbum eſſentiale formæ, & aliud item eſſentiale interponat longam locutionem, qui eſt caſus, per quem D. Thomas exemplificat primum ſuum dictum. Hoc idem poteſt interuenire, etiam ſi longa mora non interueniat, per retractationem à miniſtro factam prioris voluntatis inter vnũ, & alterum verbum, vt ſi ipſe miniſter cum debita intentione prolatis primis verbis, *Ego te baptizo*, retractaret priorem voluntatem baptizandi, & diceret, *Nolo baptizare*, & tamen non retractata hac voluntate retractatiua prioris voluntatis proſequeretur formam vſque ad vltimam ſillabam incluſiuè; tunc etenim eſſet inualidus Baptiſmus ob defectum debitæ intentionis. Hoc idem contingeret in caſu, quo miniſter incæpta forma Baptiſmatis præoccuparetur aliquo inopinato morbo, ità vt tunc non poſſet perficere, ſed poſtea poſt aliquod temporis reſtitutus ad ſalutẽ formam incæptam perficeret, tunc etenim etiam Baptiſmus non ſubſiſteret, quia non eſſet vnitas formæ, vnde ad ipſius valorem teneretur incipere, & vno contextu perficere.

4 Item, ſi inter vnũ verbum eſſentiale, & aliud longam locutionẽ interponeret.

5 Item, ſi incæpta forma intentionem retractaret.

Ratione ſecundæ interruptionis non inualidaretur Baptiſmus, ſi miniſter prolatis illis verbis, *Ego te baptizo in nomine Patris*, verbum aliquod interponeret, vt ſi diceret alteri, exhibe mihi librum ibi extantem, vel quid ſimile; & poſtea formam proſequeretur; item, ſi inter vnum verbum, & alterum tuſſi præmeretur, vt non poſſet per modicum tempus formam continuare, tunc etenim non intelligeretur forma moralitèr diſcontinuata. Ad normam relatorum caſuum, tam in hoc, quam in præcedenti paragrapho, tu ipſe efforma, & iuxta diſtinctionem allatam reſolue, vel pro ſubſiſtentia, vel pro inſubſiſtentia.

6 Explicatur in caſibus particularibus, quãdo ſit modica interruptio

Si mutatio contingat per ſubtractionem verborum, conſidera, an verba ſubtracta ſint de eſſentia formæ, vel non; ſi etenim fuerint de eſſentia, indubitatum eſt, quod forma cum tali ſubtractione poſita non conſtitueret validum Sacramentum, ſi vero non fuerint de eſſentia, non infirmabit; ſed, quia in præcedentibus diximus, eſſe de eſſentia huius formæ expreſſionem actionis miniſtri, ſubiecti, in quo eſt recipiendus Baptiſmus, & inuocationem expreſſam Sanctiſſimæ, & indiuiduæ Trinitatis per nomina propria perſonarum, ideo locus ſolum dubitandi relinquitur quoad illas particulas, *Ego*, *In*, *Et Amen*; & quidem, ſi omittatur particula, *Ego*, non eſt hæſitandum, quod validum fiat Sacramentum, & communitèr in hoc conſentiunt, & hoc eſt conforme ijs, quæ nos ſupra diximus, nempè non eſſe neceſſariam expreſſionem miniſtri baptizantis, & hoc etiam in terminis iſtius particulæ, *Ego*, docuit *D. Thomas tertia parte q. 66. art. 5. ad primum*. Sed, an talis omiſſio eſſet peccaminoſa, & quali peccato? Conueniunt omnes, eſſe peccaminoſam, quia eſt contra communem, & receptam praxim Eccleſiæ, à qua non licet recedere; ſed non conueniunt in qualitate peccati. *Sotus in quarto diſt. 3. q. vnica art. 3.* non agnoſcit in illa omiſſione, niſi culpam venialem, ſi præſcindatur à ſcandalo, quod inde poſſit obuenire, potiſſimum cum illa particula, *Ego*, comprehendatur in verbo *baptizo* in perſona prima. Soto adhærent *Vaſquez diſp. 242. n. 30.*, *Coninchus q. 66. art. 6. dub. 1.*, *Bonacina de Baptiſmo diſp. 2. q. 2. punct. 4. n. 16.*; Ex aduerſo grauem culpam in illa omiſſione agnoſcunt *Ghetius in theſauro animæ verbo Baptiſmus c. 3. de forma Baptiſmi n. 6. in expoſitione literæ*

7 Subtractio verborum, quando inualidet.

8 Subtractio verbi eſſentialis inualidat.

9 Per ſubtractioné particulæ, Ego non inualidatur

10 Illa tamẽ ſubtractio eſſet peccaminoſa.

11 Et probabilius lætalitèr.

D. Tho-

D. Thomæ, & Graſſius ſecunda part. lib. 1. c. 3. n. 24., quibus libentius adhæreo; licet enim ſecundum ſe non ſit omiſſio grauis, nec grauitèr alteret ſignificationem formæ Baptiſmatis, quia tamen verſatur circa formam Sacramenti, in qua omnia adamuſſim ſunt adimplenda ſecundum communem praxim, & acceptionem Eccleſiæ, ideo ex grauitate materiæ, circa quam verſatur, ſit grauis, & hoc exemplificari poteſt in forma Sacramenti Euchariſtiæ, in qua omiſsio illius particulæ, *Enim*, ſecundum ſe non eſt grauis, quia tamen verſatur circa materiam grauem, eſt ſecundum communem opinionem grauitèr peccaminoſa.

12 Per ſubtractionē particulæ, *Et* nō irritatur benè per ſubtractionem particulæ *In*.

Quoad alias particulas, nempè *In*, *Et*, *Amen*, DD. non conueniunt. *Vaſquez diſp. 142. n. 30.*, *Conincbus q. 46. art. 6. dub. 1. n. 45.*, *Viualdus de Baptiſmo c. 2. n. 5.* abſolutè aſſerunt, per illarum omiſſionem non irritari Sacramentum. *Toletus lib. 2. c. 19. n. 5.* aſſerit irritari, ſi omittatur particula, *In*, non verò, ſi omittatur particula, *Et*. *Graſſius part. 2. lib. 2. c. 3. n. 24.* ſentit per omiſſionem illarum duarum particularum, *In*, & *Et*, non perfici Sacramentum, ſed non explicat, an hoc intelligat copulatiuè, quatenus vtriuſque omiſſionem requirat, vt Baptiſmus dicatur inualidus, an diſiunctiuè, ita vt per omiſſionem vnius dumtaxat inualidetur. Ego, cum Toleto arbitror, non irritari per omiſſionem particulæ, *Et*, benè per omiſſionem particulæ *In*. Ratio primæ partis eſt, quia particula, *Et*, habet ſolum coniungere extrema in ordine ad effectum, qui intenditur; ſuppoſita autem nominatione omnium, & ſingularum perſonarum ſimul, æquè habetur expreſſio coniunctionis omnium ad effectum Baptiſmi. Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur illam particulam neceſſariam eſſe ad indicandam diſtinctionem perſonarum inter ſe ad eludendum illorum errorem, qui aſſeruerunt in Trinitate non eſſe tres perſonas diſtinctas, ſed vnam eſſentiam per tria nomina relatiuè ad tres operationes; hæc autem diſtinctio non videtur ſufficientèr haberi per nominationem præcisè Patris, Filij, Spiritus Sancti; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia illa coniunctio per particulam, *Et*, non eſt ſufficiens ad inducendam perſonarum diſtinctionem, vnde ad hunc effectum non poteſt eſſe appoſita; poteſt enim illa particula coniungere ea etiam, quæ ſolo nomine in ordine ad diuerſas operationes diſtinguuntur; poſſumus etenim dicere, quod in homine operetur, & anima vegetatiua, & ſenſitiua, & rationalis, quamuis huiuſmodi animæ inter ſe realitèr non diſtinguantur; Aliundè igitur colligitur in Diuinis diſtinctio Perſonarum, nec poteſt colligi ex illa particula coniunctiua, *Et*, & propterea non videtur ad hunc effectum neceſſaria; nec ad hunc appoſita.

13 Particula *Et* non ponitur ad diſtinguendas perſonas.

14 Ly *in* quid aliud importat ſupra exiſtentiam.

Ratio ſecundæ partis eſt, quia illa particula, *In*, coniuncta cum ly, *Nomine*, quid amplius importat, quam ly, *Nomine* præcisè; importat enim inuocationem, & concurſum in ratione cauſæ principalis, & Sanctiſſimæ Trinitatis, ſeu omnium trium Perſonarum; quæ non denotantur præcisè per ly, *Nomine*, cum hoc poſſit præcisè importare exiſtentiam Perſonarum, & fidem earundem, non inuocationem, nec concurſum &c.

15 Quandonam per tranſportationem irritetur.

Si mutatio contingat per interpoſitionem, ſeu tranſportationem verborum; tunc quoad tranſportationē (nam quoad interpoſitionem idem dicendum eſt, quod dictum eſt ſupra de interruptione; hæc etenim duo coincidunt) ſentiendum eſt, quod, ſi per illam varietur ſenſus, & ſignificatio eiuſdem formæ, non fiat validum Sacramentum; ſecus, ſi varietur ſolum ordo retenta integra ſignificatione. In hoc conſentit *D. Thomas in quarto diſt. 3. art. 2. quæſtiunc. 4. in corpore*, *Toletus in ſumma lib. 2. c. 19. n. 8.* Ratio eſt, quia ex ſupradictis mutatio ſubſtantialis in verbis deſumitur per ordinem ad mutationem ſignificationis, ergo, vbi erit integra ſignificatio, quantumuis varietur ordo, erit valida forma, & per conſequens validum Sacramentum.

16 Irritae quando ſubſtantialitèr mutat ſignificationem.

Difficultas potiſſimum circa præſentem controuerſiam conſiſtet in explicando, quandonam variatio ordinis tollat integram ſignificationem, & quando non; pro quo per varias ordinis variationes debemus tranſcurrere; & primò, ſi dicatur, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ego te baptizo*, certè non inducitur ſubſtantialis variatio ſignificationis, & propterea non irritatur Sacramentum; per hunc etenim modum dicendi exprimitur actio miniſtri, ſubiectum, in quo recipitur Baptiſmus, & effectus eiuſdem, & cauſa principalis; Secundò, ſi dicatur, *Te ego baptizo in nomine &c.* tunc etiam non variatur ſignificatio, vt ex ſe patet; quod idem dicēdum eſt, ſi dicatur. *Te in nomine Patris &c. baptizo*; Tertiò, ſi dicatur. *Ego te baptizo in nomine Filij, Patris, & Spiritus Sancti, vel in nomine Spiritus Sancti, & Filij, & Patris*; tunc videtur maior ratio dubitandi, quandoquidem hæc ordinis variatio videtur inducere fundamentum erroris, & conſtituere Filium principium Patris, & Spiritum Sanctum principium Patris, & Filij, quæ omnia non congruunt fidei Catholicæ, cuius fundamentum, & principale myſterium eſt illud Trinitatis; nec

17 Referuntur plures tranſportationes non mutantes ſignificationem.

videtur ſubſiſtere ſubterfugium, quo aliqui in hac mutatione vtuntur, & præcipuè *Ghetius in thæſauro animæ verb. Baptiſmus c. 3. de forma Baptiſmi n. 16. in expoſitione literæ D. Thomæ*, dicentes, quod, ſi miniſter vtatur tali variatione intendens inducere errorem, non validum conſtituat Sacramentum, ſecus, ſi non intendat errorem inducere; Non, inquam, videtur ſubſiſtere; quia, vel talis varjatio in ſe irritat propter mutatum ordinem originis, vel non irritat; ſi irritat, æquè erit irritum Sacramentum, ſiue miniſter intendat iuducere illum errorem, ſiue hoc non intendat, cum irritetur ex ipſa variatione ſecundum ſe; ſi non irritat; nec intentio miniſtri poteſt irritare; ſuppoſito enim, quod intendat facere Sacramentum, ſeu id, quod intendit facere Eccleſia in tali actione, & ſint omnia requiſita ad illud, intentio peruerſa miniſtri inducendi errorem non confert ad inualiditatem Sacramenti. Hac in controuerſia *Scotus in quarto diſt. 1. q. 2.* ſentit huiuſmodi variationem non irritare, quod idem, non tamen ita explicitè videtur indicare *D. Thomas loc. cit.*, dum dicit, quod, ſi mutetur ordo, vel aliquid circa verba, quod non tollat, nec ſignificationem, nec integritatem verborum, ſit validus Baptiſmus; hic autem ſolum videtur ordo variari, nec tolli ſignificatio, nec verborum integritas. Quod, ſi dicas in hoc caſu variari ſignificationem; cum peruertatur eadem Trinitas, & Filius quodamodo conſtituatur primum principium, & quodamodo prior origine ipſo Patre; ſtatim impugnaberis; quia hæc peruerſio ſic excogitata tollitur per ipſa nomina Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, quamuis inuerſo ordine nominentur; ipſo etenim lumine naturæ conſtat, Patrem præcedere Filium &c. Quambrem ſentiendum eſt, enormitèr peccare, qui forma vteretur cum illa ordinis variatione. Sed, an eſſet inualidus Baptiſmus, valdè dubito.

18 Forma concepta ſub his terminis in nomine Filij, & Patris, & Spiritus Sancti eſt grauitèr peccaminoſa, ſed an inualida dubium eſt.

Si mutatio contingat per corruptionem verborum; tunc conſiderat *D. Thomas tertia part. q. 60. art. 7. ad tertium, & in quarto diſt. 3. art. 2. quæſtiunc. 2. ad ſextum*, an talis corruptio ſit inducta ex induſtria proferentis, vel ex errore, vel ex lapſu linguæ; Rurſus, ſi fuerit ex errore, & lapſu linguæ conſiderat, an corruptio fuerit in principio dictionis, an in fine eiuſdem, & ſi fuerit in fine eiuſdem, an magna, an parua, & ſubindè tres ponit concluſiones. Prima eſt, quod, ſi corruptio fuerit inducta ex induſtria, irritet Sacramentum, quia ſic corrumpens non intendit id facere, quod facit Eccleſia. Secunda eſt, quod, ſi fuerit inducta ex errore, & ſit talis, vt auferat ſenſum locutionis, irritet, & hoc aſſerit potiſſimum contingere, quando eſt in principio dictionis, vt ſi dicatur, Ego te baptizo in nomine Matris, & Milij, & Spiritus Sancti, vbi eſt mutatio ſolummodo P. in M., & F. in M. Tertia eſt, quando corruptio contingit in fine dictionis, & non eſt tanta, vt ſenſum verborum mutet, non irritet Baptiſmum, ſecus, ſi ſit talis, vt verborum ſignificationem variet.

19 Circa corruptionem conſiderationes, & concluſiones D. Thomæ.

Retentis his omnibus, quæ aſſerit D. Thomas, quando corruptio contingit ex errore, vel lapſu, vel linguæ balbutie, ſolum remanet explicandum, quandonam in particulari corruptio, ſiue in principio, ſiue in fine poſita ſit talis, vt tollat ſignificationem, & quandonam non tollat, quod præſtabimus diſcurrendo per varios caſus, & quidem loquendo de corruptione, quæ contingere poteſt in principio dictionis certum eſt, quod in exemplo allato à Diuo Thoma de eo, qui baptizaret dicens in nomine Matris, & Milij, irritum eſſet Sacramentum, eo quia tollitur omnimoda ſignificatio formæ inſtitutę à Chriſto Domino. Hoc idem ſentiendum eſt in caſu, quo quis diceret, *Ego re baptizo*, ponendo pro ly, *Te*, illud verbum *Re*, & ratio deſumitur ex ijs, quę ſupra dicebamus, eſſe de eſſentia huius formę, vt exprimatur ſubiectū in quo recipi debet, & Sacramentum, & effectus Sacramenti; quod ſubiectum non exprimitur per ly, *Re*. In caſu vero, quo quis pro ly, *Baptizo*, diceret, *Paptizo*, non crederem irritari Sacramentum, quia illa variatio B. in P. ſecundum communem conceptum non variaret ſignificationem ſubſtantialitèr.

20 Si corruptio contingat in principio dictionis, & loco Patris dicatur Matris irrita eſt forma.

21 Item, ſi pro *Te* dicatur *Re*.

22 Si pro ly *Baptizo* dicatur *paptizo* erit valida.

Loquendo verò de corruptione, quæ contingeret in fine locutionis, ſeu dictionis, ſi quis diceret, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filius, & Spiritus Sanctus*, tunc *D. Thomas loc. cit.* aſſerit, validum eſſe Baptiſmum, eo quia licet illa verba corrupta, quamuis ex vi inſtitutionis nihil ſignificent, ſumuntur tamen tanquam ſignificantia ex accomodatione vſus, & ſolum differunt in declinatione nominis, non in ſignificatione, à quo non recedendum exiſtimo. Si quis vero ex ignorantia in collatione Baptiſmatis diceret, *Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia &c.* tunc *Zacharias Papa relatus in c. retulerunt de conſecr. diſt. 4.* declarauit, in ſimilis caſus contingentia validum eſſe Baptiſmum. Sed quomodo hæc cohæreant cum ijs, quæ dicta ſunt in præcedenti verſiculo de eo, qui etiam ex errore baptizaret in nomine Matris, & Milij, cum æquè videantur differre hæc nomina Patria, Filia à nominibus Patris, & Filij, ac nomina Matris, & Milij; ſi quidem, ſi nomina Matris, &

23 Si corruptio cōtingat in fine dictionis, & dicatur *in nomine Patris, & Filius, & Spiritus Sanctus* eſt ſecundum D. Thomā valida forma.

24 Item, ſi dicatur ex ignorantia *In nomine Patria, & Filia &c.*

Milij

Milij important diuerſitatem ſexus, & naturæ, quæ non poteſt eſſe in Diuinis, etiam Patria, & Filia important diuerſitatem ſubſtantialem à Patre, & Filio in Diuinis, cum Patria importet locum natiuitatis, & Filia qualitatem fæmineam: Tunc cõmunitèr reſpondent cum *D. Thoma*

25 Soluitur obiectum oppoſitum.

ma loc. cit., quod licet iſta ſecundum ſe habeant ſignificationem ſubſtantialitèr diuerſam, prout tamen diuerſimodè ſubſtituuntur ſecundum modum accommodationis, non ſemper inducant ſignificationem ſubſtantialitèr diuerſam; ſic quando corruptio eſt in principio dictionis, vt cum dicitur in nomine Matris, & Milij variat ſubſtantialitèr, & in re, & in accommodatione, quia corruptio in principio ſecundum ſe aliam ſignificationem diuerſam importat, nec habet à quo determinetur ad ſignificationem Sacramentalem; quando vero corruptio eſt in fine dictionis, vt in allato exemplo Baptiſmi collati per illa verba, in nomine Patria, & Filia &c. eſt ſolum variatio in declinatione, quæ non eſt ſubſtantialis, & per accommodationem vſus determinatur ad propriam ſignificationem Sacramentalem. Hæc omnia colligo ex doctrina *D. Thomæ loc. cit.*, & ex *Zacharia Papa relato in c. retulerunt de conſecrat. diſt.* 4. quibus plurimum defero.

Difficultas ſolummodo aliqua verſari poteſt in eo, quod loco citato ſcriptum reliquit D. Thomas dicens, quod, ſi corrup-

26 Quid ſentiendum eſt, quando corruptio inducta eſt ex induſtria.

tio inducta fuerit ex induſtria, non perficiatur Sacramentum, quia corrumpens non videtur intendere facere, quod facit Eccleſia; quod, quamuis verum ſit, ſi reuera non intendat facere, quod facit Eccleſia; quia tamen poteſt contingere, quod verè intendat facere, quod facit Eccleſia, & tamen ex induſtria inducat illam corruptionem ad alium finem, ideo inquirendum remanet, an Baptiſmus cum tali corruptione inductus teneat: Pro quo perſiſtendum eſt in conſideratione, an illa corruptio ſit ſubſtantialis, & mutans ſignificationem, an accidentalis, eandemque non mutans, & quidem, ſi fuerit ſubſtantialis, irritus erit Baptiſmus, ſi vero accidentalis, non item, nihil referente illa induſtria, quæ, quamuis grauitèr peccaminoſa, vim non habet irritandi, quod in ſe validum eſt exiſtentibus omnibus eſſentialitèr requiſitis.

Si mutatio contingat per diuerſitatem

27 Mutatio per diuerſitatē idiomatum non irritat.

idiomatum, certum eſt, quod Baptiſmus teneat, vt ſi forma proferatur vulgari ſermone, vel Græco, vel Hiſpano, vel Gallico &c., dummodo in vnoquoque ſermone ſeruetur verus ſenſus formæ à Chriſto Domino inſtitutæ. Conſentiunt *D. Thomas tertia part. q. 60. art. 6. ad primum, & ibi Caietanus, Sotus in quarto diſt. 1. q. 1. art. 6., Victoria de Sacramentis q. 18., Bartholomæus ab Angelo de Baptiſmo §. 107., Reginaldus lib. 27. c. 4. n. 31., Toletus lib. 2. c. 19. n. 7.* Ratio ex eo deducitur, quod Sacramenta operantur per verba, non prout dicuntur, hoc eſt ſecundum ſonum, ſed ſecundum quod creduntur, prout loquitur *D. Auguſtinus ſuper Ioannem tract.* 80. hoc eſt ſecundum ſenſum verborum; ſed ſenſus verborum idem eſt in quocunque idiomate proferatur, ergo &c.

Quamuis autem in quocunque idioma- 28

Vnuſquiſque tamen tenetur ſeruare idioma propriæ Eccleſiæ.

te proferatur forma, Baptiſmus teneat, non licet tamen in quocunque idiomate illam proferre, ſed vnuſquiſque ſub graui, niſi aliud neceſſitas, vel iuſta cauſa ſuadeat, tenetur idioma in propria Eccleſia, vel per præceptum inductum, vel legitima conſuetudine receptum ſeruare; & aliter faciens conſtituitur reus fracti præcepti, ſeu legis conſuetudinariæ.

Dixi, *niſi neceſſitas, vel iuſta cauſa aliud ſuadeat*, nam quandoq; non ſolum licitum 29

Ex cauſa licet vti idiomate propriæ linguæ.

eſt, ſed etiam conſultum, & expediens, vt fiat diuerſo à conſueto in propria Eccleſia; ſic expediens, & conſultius eſt, vt ignari linguæ latinæ, cuiuſmodi ſunt fæminæ, & ruſtici vtantur forma in vernacula lingua, & hoc, ne in lingua, ſeu ſermone, quam, ſeu quem ignorant, varient ſignificationem, ſiue ſubſtantialitèr, ſiue accidentalitèr, & congruentius eſt, quod forma proferatur potius vernacula lingua, quam quod corrumpatur eadem forma, vel alteretur, quamuis non irritetur.

Si mutatio contingat per mutationem verborum; tunc conſiderandum eſt, an talis mutatio variet ſignificationem, vel non variet; Si etenim variet, certum eſt, quod irritet Sacramentum, ſi vero non variet; certum eſt etiam, quod non irritet. Diſcurramus iam per aliquas mutationes, quæ in hoc contingere poſſunt. Si quis iactando propriam excellentiam diceret nos te baptizamus, vel ſignificando con- 30

Quænam mutatio verborũ irritet, & quæ non irritet per varios caſus deciditur.

ditionem baptizandi diceret, Ego baptizo excellentiam tuam, non inualidè conferret Sacramentum, quia non variatur ſubſtantia formæ; per ipſam enim ſignificatur actio miniſtri, ſubiectum, in quo recipitur Sacramentum, & cauſa principalis in inuocatione expreſſa Sanctiſſimæ Trinitatis, & parum refert, quod miniſter, & ſubiectum vno, vel altero nomine ſignificetur, dummodo de corpore conſtet. Si vero quis diceret, Ego te abluo, te immergo, te aſpergo, etiam non irritaret Sacramentum, quia huiuſmodi verba habent eandem ſignificationem, ac ly, *baptizo*; hæc tamen mutatio ſine neceſſitate, quæ

vix

vix excogitari poteſt, non eſt adhibenda, quia ſunt ſeruandæ leges, & ritus cuiuſcunque Eccleſiæ non ſolum quoad ſubſtantiam ſignificationis, ſed etiam quoad ſonum verborum, & hoc ſub graui, quia ſecus oriri poſſent in eadem Eccleſia confuſiones, & occaſiones errorum.

31 Duplex additio altera corruptiua, altera non corruptiua.

Si tandem mutatio contingeret per additionem verborum, tunc etiam conſiderandum eſt, an talis additio ſit corruptiua veritatis in debita forma, vel non ſit corruptiua eiuſdem, quin potius magis declaratiua. Primi generis eſt, ſi quis more Arrianorum diceret, Ego te baptizo in nomine Patris maioris, & Filij minoris. Secundi generis eſt, ſi quis diceret, Ego te baptizo in nomine Patris Ingeniti, & Filij Vnigeniti, & Spiritus Sancti Paracliti. Deindè dubium eſt, ſi contineatur ſub primo genere, an vero ſub ſecundo Baptiſmus ſub hac forma collatus, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & Deiparæ Virginis. Si fiat additio corruptiua iuxta primum modum; certum eſt, quod forma illa ſit inualida, & Baptiſmus per ipſam collatus, irritus, & in hoc valet ratio D. Thomæ, quia ſcilicet illa forma eſt corruptiua veri, & debiti ſenſus; vnde in *Concil. Arelatenſi relato in c. de Arrianis de conſecr. diſt. 5., & à Gregorio Papa relato in c. ab antiqua ead. diſt.* ſtatutum eſt, quod, ſi aliquis ex ſecta Arrianorum conuertatur ad fidem ſit prius interrogandus, ſub qua forma fuerit baptizatus, & ſi reſponderit eſſe, ſeu fuiſſe baptizatum ſub conſueta forma Eccleſiæ non ſit iterum baptizandus, ſi verò dixerit ſe fuiſſe baptizatum ſub forma Arrianorum ſit abſolutè rebaptizandus, quod manifeſtè indicat formam cum additione corruptiua irritare Sacramentum.

32 Additio corruptiua veritatis irritat.

33 Additio non corruptiua non irritat.

Si fiat additio non corruptiua iuxta ſecundum ſenſum mox explicatum non irritatur Sacramentum, quia per talem additionem non tollitur proprius ſenſus formæ à Chriſto inſtitutæ, nec demitur expreſſio actionis miniſtri, nec ſubiecti, nec cauſæ principalis, quamuis eidem addantur nomina ſignificantia perſonarum proprietates.

34 Si inuocationi expreſſæ Sanctiſſimæ Trinitatis addatur nomen Deiparæ per modum deprecationis non irritat.

Difficultas ſolum reducitur ad additionem tertij generis, quando ſcilicet inuocationi expreſſæ Sanctiſſimæ Trinitatis additur etiam illa Deiparæ Virginis, quæ difficultas eo maior euadit, ſi ſub eadem forma orationis hæc addatur, vt ſi dicatur, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & Deiparæ Virginis*, quia tunc, ſeu per talem expreſſionem videtur inaui, quod eodem modo concurrat Deipara Virgo ad Baptiſmum, quo concurrit Trinitas, quod continet manifeſtum errorem aſſerente Apoſtolo *prima ad Corint. 3. Numquid Paulus pro vobis Crucifixus eſt, aut in nomine Pauli baptizati eſtis;* nam, ſi addatur nomen Virginis per modum deprecationis hoc pacto, *& Deipara Virgo adiuuet te*, non eſt dubium, quod Baptiſmus ſic collatus validus ſit, cum illa deprecatio non addatur per modum formæ, ſed dumtaxat per modum ſimplicis deprecationis diſtinctæ ab eadem forma, quæ non obſtat, nec vllam iniuriam affert Sacramento, & ſicuti ad formam regularitèr præmittuntur nonnullæ deprecationes, ita non eſt, cur eædem, & ſimiles non poſsint poſtponi. Loquendo igitur de additione coniungendo ſub eadem forma nomen Deiparæ nominibus Diuinarum Perſonarum *D. Thomas loc. cit.* attenta intentione baptizantis ſub illa forma aſſerit, quod, ſi talis intentio referatur ad eum ſenſum, vt intelligatur Deipara Virgo concurrere ad Baptiſmum eo modo, quo concurrit Trinitas, irritum reddatur Sacramentum; ſi verò referatur ad eum ſenſum, vt Deipara Virgo per interceſſionem concurrat, vt concedatur gratia baptizato ſeruandi gratiam baptiſimalem, non ſit irritum, quia tunc additio Deiparæ non ſe habet per modum formæ, ſed ſimplicis deprecationis. Veneror doctrinam D. Thomæ vtpotè maximè conſonam recto ſenſui, & non diſſonam veritati, ſed non poſſum approbare modum illum coniungendi ſub eadem forma nomen Virginis nominibus Diuinarum Perſonarum, quia ille modus ſecundum ſe indicat eandem cauſalitatem, quod diſſonum eſt veritati, & quoquo modo quoad illum modum exprimendi deſtruitur Trinitas, nec in hoc videtur prodeſſe poſſe intentio baptizantis, quia verba ſumenda ſunt prout ſonant, nec intentio miniſtri poteſt variare eorum ſignificationem; Quamobrem non admitterem, vt aptum illum modum baptizandi, niſi aliqua particula adderetur per quam diſiungeretur inuocatio Virginis ab illa Diuinarum Perſonarum. Adde, quod, ſicuti in præcedentibus diximus, quod illa particula, *In*, importat inuocationem, & efficientiam Perſonarum in ipſum Baptiſmum, ita illa eadem particula addita eodem modo, & ſub eadem forma Deiparæ nominatæ videatur eandem efficientiam præſtare, quod dici nequit.

35 Si nomen Virginis ſub eadē forma ponatur cum nominibus perſonarum valor ſecundum D. Thomā dependet ab intentione miniſtri.

36 Arbitror tamen inualidū eſſe.

AR-

ARTICVLVS V.

An forma Baptiſmi cum expreſſione ſenſibili vnius dumtaxat perſonæ ſit ſufficiens ad valorem Baptiſmi.

SVMMARIVM.

Refertur dictum D. Ambroſij, ex quo oritur hæc difficultas. 1.
Expreſſio vnius tantum perſonæ in forma Baptiſmi non eſt ſufficiens ad illius valorem. 2.
Dictum D. Ambroſij non poteſt referri ad Baptiſmum, qui dicitur viguiſſe tempore Apoſtolorum in nomine Chriſti. 3.
Nec intelligit nomine Baptiſmi ſolam fidem. 4.
Nec intelligit, quando prolata vna perſona, vel miniſter, vel puer moritur. 5.
D. Ambroſius ſolum loquitur recitatiuè, & relatiuè ad aliquorum ſententiam. 6.

1 *A quo habeat originem hæc difficultas.*

OCcaſionem excitauit huius dubij D. Ambroſius, dum dixit. *Si fides totius Trinitatis corde teneatur, & vna tantum perſona ſit nominata, fit baptiſma verum*; ex quo dicto nonnulli ſumpſerunt fundamentum dicendi, quod ſufficiat, quantum ad inuocationem Sanctiſſimæ Trinitatis, vt nihil minuatur de forma intelligibili, quamuis minuatur de ſenſibili, quod aſſerunt contingere, quando in forma Baptiſmi vna ſolummodo perſona nominatur, quia licet iſta ſenſibilitèr vnam dumtaxat exprimat, puta perſonam Patris, intelligibilitèr tamen inducit in omnium cognitionem, cum in vna perſona omnes intelligantur. Nihilominus ſit

2 *Expreſſio vnius tantum perſonæ non eſt ſufficiens ad valorem.*

Concluſio. Expreſſio vnius tantum perſonæ in forma Baptiſmi non eſt ſufficiens ad validum Sacramentum. Conſentiunt *D. Thomas in quarto diſt. 3. art. 2. quæſtiunc. 3. ad quartum, & alij communitèr.*

Rationes pro hoc aſſerto.

Euincitur primò ex forma determinatè præſcripta a Chriſto Domino, Matthæi vltimo, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; verba autem formæ ſunt adamuſſim ſeruanda. Secundò ex ijs, quæ diximus in præcedentibus, quod ſcilicet non teneat forma, nec in nomine Trinitatis, nec trium Diuinarum Perſonarum, nec in nomine Chriſti prolata, ergo, nec tenebit, quando concepta eſt ſub vnius dumtaxat nominatione; nec obſtat, quod per nominationem vnius intelligibilitèr deducamur in cognitionem aliarum perſonarum; non obſtat, inquam, quia ad valorem Sacramenti non ſufficit forma intelligibilis in baptizante, ſed requiritur forma ſenſibilis in ſe ipſa, cæterum ſubſiſteret etiam, quando concepta eſſet ſub communi nomine Trinitatis, vel particulari Chriſti Domini, cum etiam ex hac forma poſſimus induci in intelligibilem formam trium Diuinarum Perſonarum, quod, nec aſſerit Diuus Ambroſius.

Totus igitur ſcopus præſentis quæſtionis reducitur ad explicandam mentem D. Ambroſij in dicto mox recenſito. Plerique aſſerunt, D. Ambroſium locutum fuiſſe relatiuè ad Baptiſmum, qui conferebatur ab Apoſtolis in nomine Chriſti Domini, quem arbitrabantur fieri per ſpecialem diſpenſationem pro eo tempore, quo vrgebat contemptus nominis Chriſti Domini, quæ diſpenſatio modo non viget, & propterea non poteſt modo validè illa forma adhiberi. Sed hæc explicatio non conſonat cum ijs, quæ ſupra nos docuimus, nempè Apoſtolos non fuiſſe in hoc diſpenſatos, ſed adhibuiſſe formam à Chriſto Domino præſcriptam, Matthæi vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, quarè in hac non poſſumus ſiſtere. 3 *D. Ambroſius non ſe refert ad Baptiſmum, qui dicebatur conferri in nomine Chriſti.*

Alij dixerunt, D. Ambroſium nomine veri Baptiſmatis intellexiſſe fidem, quam quis poteſt habere plenam, qui vnam confitetur perſonam, ſi alias corde teneat. Sed hæc explicatio non benè conſonat verbis D. Ambroſij, quinimmo, nec menti eiuſdem; conſtat enim, quod ibi loquitur de Sacramento Baptiſmatis, cum dicat, *Fit Baptiſma verum.* 4 *Nec intelligit nomine Baptiſmi ſolam fidem.*

Alij dixerunt, quod dictum D. Ambroſij procedat tantum, quando in collatione Baptiſmi prolata vna dumtaxat perſona, vel miniſter, vel puer moritur, quia tunc inuiſibilis Sacerdos ſupplet defectum. Sed etiam hæc explicatio non conſonat inprimis cum verbis, & mente eiuſdem Diui Ambroſij, qui valorem Sacramenti non refundit in ſupplementum inuiſibilis Sacerdotis, ſed in fidem intelligibilem miniſtri baptizantis ſuppoſita ſenſibili forma dimminuta per expreſſionem vnius dumtaxat perſonæ. Deindè gratis omnino dicitur, quod inuiſibilis Sacerdos ſuppleat defectum, quando forma deficit in ſubſtantia; non enim habemus in Sacris Scripturis, vel legitimis traditionibus indicium aliquod talis ſupplementi. Deindè hæc explicatio coincidit cum ſententia Caietani ſupra relata, & exploſa, qua aſſerebat, quod, quando puer morte præuentus non potuit in valida forma baptizari, Deus ſuppleat eiuſdem defectum ex certa lege, qui Caietanus communitèr eſt reprobatus ab omnibus, vt ſupra; idem enim 5 *Nec intelligit, quando prolata vna perſona puer moritur.*

eſt,

eſt, quod in eo caſu non fuerit collatus Baptiſmus illi puero, qui ſic deceſſit, ac fuerit collatus, ſed inualidè. Tandem dato, quod inuiſibilis Sacerdos suppleret illum defectum, hic non eſſet, quia validum conſtitueret Sacramentum, quod erat inualidum, ſed quia conferret illam gratiam, quam contuliſſet, ſi Baptiſmus fuiſſet validus, quæ gratia dicenda eſſet potius collata ex Diuina benignitate, quam ex vi Sacramenti, cum hoc eſſet inualidum.

6 *D. Ambroſius loquitur ſolum recitatiuè, & relatiuè.*

Quamobrem ad auctoritatem D. Ambroſij dicendum eſt, ipſum in illa locutione ſe retuliſſe ad illorum opinionem, qui aſſerebant ſufficere implicitam Trinitatis inuocationem, in qua, nec Eccleſia, nec SS. Patres conſentiunt; Non Eccleſia, cum hæc in *c. In Synodo de conſecrat. diſt.* 4. abſolutè aſſerat. *Hoc quoque obſeruari in Sancta Synodo Sacerdotes voluerunt, vt qui, vel vnam de Trinitate Perſonam in Baptiſmo non nominaret, illud Baptiſma eſſe verum non poſſet, quod pro certo verum eſt, quia, qui vnum ex Sancta Trinitate confeſſus non fuerit nomen, perfectus Christianus eſſe non poteſt*, quod idem habetur *in cap. ſi re vera ead. diſt.* Idem habetur *in can.* 50. *Apoſtolorum*, vbi reprobatur Baptiſmus datus in Chriſti morte addita etiam ibidem ratione. *Quia non dixit Chriſtus in morte mea baptizate, ſed baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; Non Sancti PP. *D. Leo Epiſt.* 4. *c.* 3., *D. Damaſcenus lib.* 4. *de fide c.* 10., *D. Athanaſius* 3. *contra Arrianos paulo poſt medium, & Diuus Criſoſtomus hom.* 16. *in Epiſt. ad Romanos*, qui omnes aſſerunt, eſſe de neceſſitate huius Sacramenti inuocationem expreſſam omnium, & ſingularum Diuinarum Perſonarum, nec ſubſiſtere Baptiſmum collatum ſine illa.

QVÆSTIO V.

De cauſa efficienti, & miniſteriali Baptiſmatis.

NOn eſt hic immorandum in inquirenda cauſa principali, ſiue Phyſica, ſiue Morali, tam quoad inſtitutionem, quam quoad collationem huius Sacramenti, cum certum omnino ſit, Deum eſſe cauſam principalem Phyſicam, Chriſtum Dominum cauſam principalem Moralem, vt latè indicauimus in quæſtionibus de Sacramentis in genere, vbi omnium Sacramentorum auctores ipſos agnouimus. Nunc ſignantèr agendum eſt de cauſa efficienti quidem, ſed miniſteriali, quæ multiplex in hoc genere eſſe poteſt; alia requiſita ad Baptiſmum ſolemnem, alia ad priuatum, alia quodamodo in hoc genere miniſterij principalis, quæque verè baptizat, altera minus principalis, quæ formalitèr non baptizat, ſed deſeruit Baptiſmo. De his omnibus erit tractatio in præſenti quæſtione.

ARTICVLVS I.

Quiſnam ſit miniſter huius Sacramenti ex officio.

SVMMARIVM.

Aliud eſt habere poteſtatem, aliud habere ius baptizandi. 1.
Quid importet ius baptizandi ſupra poteſtatem. 2.
Iuriſdictio non requiritur ad validum, ſed ad licitum eſſe. 3.
Cur iuriſdictio requiratur ad validum eſſe in Sacramento Pænitentiæ, non in illo Baptiſmatis. 4.
Conſiderato iure in ordine ad perſonas miniſter eſt Epiſcopus, vel proprius Parochus. 5.
In ordine ad ipſum Sacramentum eſt Sacerdos, vel Epiſcopus ex officio. 6.
Signantèr euincitur de Epiſcopo. 7.
Soluitur inſtantia oppoſita congruentèr ad noſtra principia. 8.
Diaconus ex vi ſuæ ordinationis non conſtituitur propriè miniſter Baptiſmi, ſed ſolum aptus, vt poſſit delegari. 9.

Quo-

Quomodo intelligenda ſit facultas, quæ datur Diaconis in ordinatione. 10.

Specialitèr cuincitur, quod reddatur aptus, vt delegetur. 11.

Qualis ſit facultas, quæ datur Diacono ex vi ordinationis prædicandi. 12.

Clericis inferioribus Diacono non competit munus baptizandi, nec aptitudo, vt delegentur. 13.

Aptitudo, quæ competit Diaconis, & non alijs inferioribus, an ſit de iure Diuino duplex ſententia. 14.

Monaci, & Religioſi Sacerdotes poſſunt ex commiſſione Epiſcopi, ſeu Parochi licitè baptizare. 15.

1 **Aliud eſt poteſtas, aliud ius Baptizandi.**

ADuertendum eſt, aliud eſſe poteſtatem habere miniſtrandi hoc Sacramentum; aliud habere ius illud conferendi; Primum appellat ſolum aptitudinem quandam, ſecundum quam, ſi Baptiſmus conferatur, validè conferatur, ſiue hoc præſtetur ſine culpa in neceſſitate, ſiue cum culpa extra neceſſitatem, & de hac latiſſimè infrà agetur in ſequentibus articulis. Secundum vltra poteſtatem importat quandam prælationem, ratione cuius habens tale ius ſit alijs non habentibus illud præferendus. Hoc autem ius fundatur in quadam deputatione fundata in ordine, ſiue ſit Sacerdotalis, ſiue Diaconalis, vt infra. Quamuis autem tale ius fundetur in ordine, exigit tamen quoad licitam collationem etiam iuriſdictionem in conferente, vnde in eodem concurrere debet duplex quodamodo poteſtas, altera ordinis, altera iuriſdictionis, & hæc non ad validum eſſe, ſicuti requiritur in Sacramento Pænitentiæ, ſed ad licitum eſſe. Si autem quæratur ratio, ob quam iuriſdictio requiratur ad validum eſſe in Sacramento Pænitentiæ, non vero in Sacramento Baptiſmatis, dicam hoc prouenire ex duplici capite. Primò, quia Pænitentiæ Sacramentum miniſtratur per modum iudicij, quod fieri nequit ſine iuriſdictione quoad eum, qui iudicatur; Baptiſmus autem non per modum iudicij, ſed ad modum ſimplicis collationis. Secundò, quia poteſtas baptizandi collata eſt omnibus gaudentibus vſu rationis indefinitè, & ſolum reſtricta, non abſolutè, ſed quoad licitum eſſe extra caſum neceſſitatis, vbi Sacramentum Pænitentiæ reſtrictum eſt ad ſolos Sacerdotes, ità tamen, vt illa poteſtas exerceri abſolutè nequeat ſine iuriſdictione, vel ordinaria, vel delegata.

2 **Quid importet ius ſupra poteſtatem.**

3 **Iuriſdictio requiritur ad licitũ eſſe, & nõ ad validũ**

Ratio huius reſtrictionis quoad Sacerdotes in Sacramento Pænitentiæ, vt nequeant ſine iuriſdictione illud validè miniſtrare, non autem quoad Sacramentum Baptiſmatis, cum poſſint validè, licet non licitè miniſtrare ſine eadem iuriſdictione, deſumitur ex ineffabili Dei clementia, ſecundum quam omnibus ampliori remedio voluit conſulere in hoc Sacramento maximæ neceſſitatis, quod eſt primordium noſtræ ſalutis, potiſſimum, cum in hoc non omnes poſſint conſulere ſibi per proprios actus, vt videre eſt in pueris, & carentibus vſu rationis, vbi in Sacramento Pænitentiæ peccatores poſſent ſibi conſulere per proprios pænitentiæ actus, & contritionis.

4 **Iuriſdictio requiritur ad validum eſſe in Sacramento Pænitentiæ, non in illo Baptiſmi.**

Aduertendum ſecundò, hoc ius, prout importat prælationem ſupra ſimplicem poteſtatem, poſſe adhuc duplicitèr conſiderari, vel in ordine ad ipſum Sacramentum, vel in ordine ad perſonas, quibus debet miniſtrari, & quidem, ſi loquamur in ordine ad iſtas non videtur hæſitandum, quod miniſter ſit Epiſcopus, vel proprius Parochus, quibus ſicuti competit onus miniſtrandi ouibus Sacramenta, ità à fortiori competit onus, & officium miniſtrandi eiſdem illud Baptiſmatis, quod eſt ianua omnium Sacramentorum, & regeneratio ſpiritualis; quinimmò ratione iuriſdictionis, qua gaudent, poſſunt alijs extra neceſſitatem inhibere, ne illud ſuis ouibus conferant. Conſiderandum ergo eſt ſolummodo hoc ius in ordine ad ipſum Sacramentum, vnde quæritur apud quoſnam hoc reſideat.

5 **In ordine ad perſonas miniſter eſt proprius Parochus vel Epiſcopus.**

Conclusio I. Miniſter huius Sacramenti ex officio eſt Sacerdos, & à fortiori Epiſcopus. *D. Thomas tertia part. qu. 67. art. 1., & 2., D. Antoninus tertia part. tit. 14. c. 13. n. 4., Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 23. ſect. 2. verſ. ſecundo eſt certum, Reginaldus lib. 27. c. 6. num. 37., Toletus lib. 2. c. 20. n. 1.*, & alij communitèr.

6 **In ordine ad Sacramentum miniſter ex officio eſt Sacerdos.**

Hoc expreſsè euincitur *ex Concil. Florent. in inſtructione Armenorum, & ex c. conſtat de conſecrat. diſt.* 4. Ratio concluſionis, & huiuſmodi iurium rectè adducitur à *D. Thoma loc. cit. art. 2. in corpore*, quia ſcilicet Sacerdos conſecratur in ordine ad conficiendum Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini, quod eſt Sacramentum vnitatis, quia per ipſum ita coniungimur, & incorporamur cum Chriſto, vt Chriſtus in nobis, & nos in Chriſto inueniamur, ergo etiam intelligitur conſecratus in ordine ad conficiendum, & miniſtrandum Sacramentum Baptiſmatis, per quod incipimus incorporari cum Chriſto, & fieri membra eius. Confirmatur. Ad eum ſpectat diſponere media, ad quem ſpectat finem conſtituere, ſed ad Sacerdotem ſpectat conficere Euchariſtiam, quæ eſt finis, ergo, & ad eundem ſpectare debet ſubiectum diſponere ad eandem con-

ſequendam, quod fit per Sacramentum Baptiſmatis, quod eſt medium neceſſarium ad illam licitè, & fructuosè conſequendam.

7 Signantèr hoc euincitur de Epiſcopo.

Ex hac eadem ratione euincitur, & quidem à fortiori, quod hoc munus baptizandi ex officio pertineat ad Epiſcopum, non ſolum, quia ipſe eſt Sacerdos magnus, ſed etiam, quia ipſe, vt notat *D. Thomas d. qu. 67. art. 2. in ſecundo argumento*, connumeratur inter Principes Eccleſiæ, cum Epiſcopi ſucceſſerint in locum Apoſtolorum de quibus dicitur. Pſalm. 44. *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram;* Ad Principes autem pertinet annumerare aliquos ſuo Populo, ergo, & ad Epiſcopum baptizare, cum per Baptiſmum baptizati aggregentur populo Chriſti.

8 Soluitur inſtantia oppoſita.

Sed aduerſus ea, quæ dicuntur de Sacerdote, quod ſcilicet ſit miniſter ex officio huius Sacramenti, videtur militare id, quod aſſerit *D. Hieronymus contra Luciferianos, & Tertulianus lib. de Baptiſmo*, Presbyterum non poſſe baptizare ſine facultate ſibi ab Epiſcopo attributa, ergo nequit baptizare ex proprio iure. Si aduertas ad ea, quæ diximus in ſecundo notabili, clarè conijcies, hoc argumentum nos non premere, quandoquidem loquimur de iure, quod competit in ordine ad ipſum Sacramentum, non in ordine ad perſonas, quibus miniſtrandum eſt; ex eo autem, quod iſtis, vel illis perſonis nequeat miniſtrare ſine Epiſcopi facultate, non ſequitur, quod non habeat poteſtatem Sacramenti, ſed quod non habeat materiam, cui applicare poſſit licitè. Cæterum, quod Presbytero competat hoc ius quoad rationem Sacramenti ex eo euincitur, quod Epiſcopus alij à Presbytero nequeat facultatem concedere.

Concluſio II. Diaconus ex vi ſuæ conſecrationis non eſt, nec conſtituitur miniſter huius Sacramenti, conſtituitur tamen aptus, vt poſſit delegari ad illud miniſtrandum. Sub his præcisè terminis procedit *Suarez in tertiam partem D. Thomæ diſp. 23. ſect. 2. verſ. tertio dicendum*, à quo non diſſentit *D. Thomas tertia part. q. 67. art. 1.*

9 Diaconus non eſt miniſter ex officio.

Probatur quoad primam partem, quia Diaconus ex ipſa nominis ſignificatione importat qualitatem, & conditionem miniſtri, quatenus ex ſuo munere debet miniſtrare Sacerdoti celebranti, ergo ex proprio munere non habet conficere Sacramenta, ſed in illis dumtaxat quaſi in adiutorium Sacerdotis miniſtrare, vnde meritò *Clemens Romanus lib. 3. conſtit. c. 11.* expreſsè tradidit. *Sed neque reliquos Clericos baptizare permittimus, ſed ſolos Epiſcopos, & Presbyteros miniſtrantibus illis Diaconis.* Confirmatur alia ratione deſumpta à *Diuo Thoma loc. cit. art. 2. in corpore*, quia poteſtas in corpus myſticum Eccleſiæ emanat à poteſtate in corpus reale Chriſti Domini; ſed poteſtas in corpus reale Chriſti Domini reſidet ſolummodo penes Epiſcopos, & Sacerdotes, ergo etiam in eiſdem dumtaxat debet reſidere poteſtas ordinaria in corpus miſticum in ordine ad adminiſtrationem, & confectionem aliorum Sacramentorum.

10 Quomodo intelligenda ſint verba ordinationis.

Dices, in ordinatione Diaconorum confertur eiſdem poteſtas prædicandi, & baptizandi, & quidem ſub eadem verborum forma, ergo hæc munera eiſdem competunt ex proprio munere, ſiquidem competunt ex vi propriæ ordinationis. Deindè, cum hæc poteſtas in ordinatione eiſdem conferatur ſub eodem ſermone, æqualitèr eiſdem debet competere poteſtas baptizandi, & prædicandi, ſed poteſtas prædicandi ipſis competit ex proprio munere, ergo, & poteſtas baptizandi. Sed contrà; ex hac ratione infertur ſolummodo, quod eiſdem conferatur poteſtas, ſeu aptitudo, vt poſſint deputari ab Epiſcopis, & Sacerdotibus, vt poſſint Baptiſmum miniſtrare, non autem per ſe, & propria auctoritate, quaſi ex officio conficere. Hinc

11 Specialitèr euincitur, quod reddatur aptus.

Probatur ſecunda pars concluſionis primo ex *Gelaſio Papa in Epiſt. ad Epiſcopos per Lucaniam c. 9.* vbi præcipit, ne Diaconus abſque Epiſcopo, vel Presbytero audeat baptizare, ergo auctoritate ab Epiſcopo, vel Presbytero ſibi communicata poterit baptizare arg. à contrario ſenſu deducto; ex quo decreto duo colliguntur; primum, quod Diaconus ſit aptus deputari ad hoc miniſterium; ſi etenim aptus non eſſet, fruſtra diceretur, quod nequeat ſine Epiſcopo, vel Presbytero baptizare; nam, ſi aptus non eſſet, neque cum Epiſcopi, & Presbyteri auctoritate, & commiſſione poſſet baptizare (intelligitur ſemper extra neceſſitatem); Secundum eſt, quod ad hoc munus indigeat commiſſione, ſin qua non poteſt licitè miniſtrare. Secundò ex *c. conſtat Baptiſma de conſecrat. diſt. 4.*, vbi eadem facultas conceditur Diaconis ex commiſſione Epiſcopi, vel Presbyteri; neque obſtat, quod ibidem hæc facultas concedatur etiam Laicis; Non obſtat, inquam, quia ibidem duo præſcribuntur, alterum extra neceſſitatem, & hoc ſolum Diaconis, approbante ſcilicet Epiſcopo, vel Presbytero, ſeu eodem Epiſcopo, & Presbytero abſente; alterum in caſu neceſſitatis, ſiue Diacono, ſiue Laico ſeruato tamen ordine, de quo infrà.

12 Qualis ſit facultas, quæ datur Diacono prędicandi.

Quod, ſi vlterius vrgeas, contra prædicta in prima parte huius concluſionis, quod ſcilicet in ordinatione Diaconi æquè eidem tribuatur facultas baptizandi, & docendi, vt etiam ſupra innuebam, & quod

facul-

facultas docendi, & prædicandi eidem competat abſolutè ex officio, adeoque ex eodem eidem competat facultas baptizandi; tunc dicam cum *D. Thoma loc. cit. art.* 1. *ad primum*, nomine docendi, ſeu prædicandi venire dumtaxat munus recitandi Euangelium in Eccleſia, & inſtruendi per modum Cathechiſmi, non autem exponendi Euangelium, cum hoc pertineat ad Epiſcopum, cuius eſt perficere; perficere autem idem eſt, ac docere. Quod autem pertineat ad Diaconum Cathechizare, ſeu mundare conſtat ex *Diuo Dionyſio c. 3. de Eccleſiaſtica Hierarchia*, vbi dicitur, quod officium Diaconi ſit ſuper immundos, inter quos computantur Cathecumeni.

13 Clericis inferioribus Diacono, nec competit aptitudo, vt delegentur.

Concluſio III. Clericis inferioribus Diacono, nec competit baptizare ex proprio munere, nec aptitudo, vt deputari poſſint ad hoc munus *D. Thomas loc. cit. art.* 1., *&* 2., *Suarez item loc. cit. diſp.* 23. *ſect.* 2. *verſ. quarto igitur dicendum eſt*, *Bonacina de Baptiſmo diſp.* 2. *quæſt.* 2. *punct.* 5. *nu.* 3., *& alij communitèr*, & in hoc conſentit *D. Auguſtinus lib. 2. contra Armenianum c.* 13.

Probatur primò, quia maius ius competit in ordine ad hoc munus Diaconis, quam alijs inferioribus, ſi quidem aliqua poteſtas confertur illis in ordinatione, quibus dicitur. Accipite poteſtatem prædicandi, & baptizandi, quæ non confertur alijs inferioribus; ſed Diaconis ex ſupra probatis non confertur poteſtas baptizandi ſimplicitèr, ſed ſolummodo aptitudo, vt poſſint ad hoc munus deputari, ergo alijs inferioribus, nec aptitudo confertur, cæteroqui non eſſet, cur Diacono talis poteſtas expreſſa in ordinatione exprimeretur, cum æquè alijs inferioribus competeret. Secundò ex communi acceptione Eccleſiæ, quæ fundatur in maiori præeminentia Diaconi, & in munere proximius accedente ad Presbyteratum, cum eidem proximius accedit.

14 Aptitudo, quæ competit Diaconis, & nō alijs inferioribus, an ſit de iure Diuino duplex ſentētia.

Sed hic inſurgit dubium, an hæc aptitudo quoad Diaconum, vt poſſit deputari ad miniſtrandum Baptiſmum, & non quoad Clericos inferiores ſit ſolummodo de iure Eccleſiaſtico, an vero etiam de iure Diuino. Ex eo, quod in ipſa ordinatione conferatur hæc poteſtas baptizandi Diacono, non verò Clericis inferioribus videtur hæc aptitudo in Diacono, & ineptitudo in inferioribus eſſe de iure Diuino; cum ea, quæ pendent ab ordinatione videantur ab ipſo Deo ordinata; Nihilominus *Suarez loc. cit. verſ. reſpondetur duplicem eſſe differentiam*, quamuis aſſerat, hoc eſſe valdè conſentaneum iuri Diuino, & ab eodem aliquod fundamentum habere, ſtatuit tamen, abſolutè eſſe iuris Eccleſiaſtici, quod abſolutè non damno, & per conſequens aſſerit, poſſe Pontificem diſpenſare, vt Subdiaconus etiam poſſit baptizare, & rationem ex eo deducit, quod in muneribus Sacerdotalibus, quando non eſt neceſſarius caracther Sacerdotalis, ex auctoritate eiuſdem Pontificis poſſit alius ad hoc munus aſſumi; quod autem in hoc non ſit neceſſarius caracther Sacerdotalis ex eo euincitur, quod hoc munus etiam à Diacono poſſit exerceri.

15 Monaci, & Religioſi ex cōmiſſione Epiſcopi, ſeu Parochi poſſunt licitè baptizare.

Hic diſputant DD., an Monachus, & Religioſus, qui ſit Sacerdos, poſſit Sacramentum Baptiſmi conferre. Poſſe validè conferre, indubitatum eſt, & conſtat ex dictis. Solum igitur dubitari poteſt, an aliquo ſpeciali iure hoc illi ſit interdictum. Videtur hoc expreſsè ei interdici *in c. placuit communi noſtro Concilio* 16. *qu.* 1. Ex aduerſo *Gloſa in c. peruenit* 18. *qu.* 2., hoc eidem permittit, & ad hoc allegat textum *in c. doctos* 16. *q.* 1. Non dubitarem, poſſe accedente Epiſcopi, vel Presbyteri commiſſione, vel conſenſu iuxta ea, quæ dicta ſunt ſupra de cæteris Sacerdotibus, qui non ſunt paſtores animarum, nam, & ipſi habent ius quoad Sacramentum, licet non habeant ius quoad ſubiectionem animarum. Videtur tamen quædam ſpecialis ratio quoad Monachos propter ſolitariam vitam, quam ipſi ſeruare tenentur, quod eſt ratio ponderata à Pontifice in illo *c. placuit* 16. *q.* 1., ne per illud exercitium diſtrahantur a Diuinis contemplationibus, & ab exercitio illius ſtatus. Verum in hoc ego arbitror diſpoſitionem textus *in dicto c. placuit*, eſſe potius de conſilio, quam de præcepto. Quamobrem non damnarem alicuius culpæ Monacum, ſeu Religioſum, ſi ex facultate Epiſcopi, ſeu Presbyteri baptizaret.

ARTICVLVS II.

Quiſnam poſſit validè baptizare.

SVMMARIVM.

In quo ſenſu procedat titulus. 1.
Miniſter neceſſitatis eſt omnis homo habens vſum rationis, & potens proferre verba, & applicare materiam. 2.
Iura, & rationes pro aſſertò. 3.
Non ſolum maſculi, ſed etiam fœminæ poſſunt hoc Sacramentum conferre. 4.
Non ſolum Eccleſiaſtici, ſed etiam Laici. 5.
Etiam non baptizatus puta Paganus, & Hebræus. 6.
Soluitur inſtantia quoad Paganos, & Hebræos. 7.

Etiam excommunicatus, execratus, & præciſus ab Eccleſia. 8.

Non tamen anima ſeparata, nec Angelus. 9.

1 Senſus tituli explanatur.

PRocedit titulus tam in caſu, quo quis in neceſſitate baptizaret, in quo nedum valida, ſed etiam licita eſſet Baptiſmi collatio, quam in caſu extra neceſſitatem, in quo Baptiſmus collatus, licet eſſet illicitus, eſſet tamen validus, eo quia ob neceſſitatem tanti Sacramenti indefinitè poteſtas ipſum conferendi collata eſt omnibus, licet non omnibus collatum ſit ius, nec quoad ipſum Sacramẽtum, nec quoad ſubiectionem baptizandorum; Qui autem habet poteſtatem baptizandi non quoad ius, quod habeat in Sacramentum iuxta explicata in præcedenti articulo, dicitur miniſter neceſſitatis, non quia præcisè poſſit validè in neceſſitate baptizare, ſed quia hoc licitè præſtare nequit extra neceſſitatem, ſi tamen præſtat, validè præſtat.

2 Miniſter neceſſitatis eſt omnis homo habens vſum rationis, & potens proferre verba, & applicare materiã.

Concluſio. Miniſter neceſſitatis huius Sacramenti iuxta ſenſum expoſitum eſt omnis homo habens vſum rationis, & organa, & membra, quibus verba formæ poſſit proferre, & actionem illam exercere, *D. Thomas tertia part. q. 67. art. 5. in corpore, & ſecunda ſecundæ q. 39. art. 4. ad primum, Victoria de Sacram. q. 28., Bartholomæus ab Angelo de Baptiſmo §. 139., Dominicus Sotus in quarto diſt. 4. q. unica art. 3., Toletus lib. 2. c. 20. n. 5., Rodriquez in ſumma c. 25. de Baptiſmo concl. 2. n. 1., Graſſius ſecunda part. lib. 1. c. 1. n. 29., & alij communitèr.*

3 Iura, & rationes pro aſſerto.

Ratio eſt, quam adducit *D. Thomas loc. cit.*, quia ſcilicet, ſicuti hoc Sacramentum inſtitutum eſt in elemento omnibus communiſſimo, & apud omnes vſitatiſſimo, ita æquum fuit, vt inſtitueretur cum ordine ad miniſtrum omnibus communem. Ratio autem rationis eſt; quia cum hoc Sacramentum ſit omnibus neceſſarium, cuiuſcunque ſtatus, & conditionis ſint, ita fuit neceſſarium, vt nedum in materia, quæ præſto ſit omnibus inſtitueretur, ſed etiam quoad miniſtrum cuiuſcumque conditionis, & ſtatus ſit, ne ob defectum materiæ, vel miniſtri quis deſtitueretur remedio tantæ neceſſitatis. Dixi, *habens vſum rationis*, quia ad validam collationem requiritur intentio ſaltem virtualis faciendi id, quod intendit Eccleſia, quam intentionem habere nequit carens vſu rationis. Dixi, *& organa, & membra, quibus poſſit formam proferre, & exercere actionem ad illud munus requiſitam*; quia de eſſentia huius Sacramenti ſunt formalia verba formæ, nec ſufficit æquiualens, & actio formalis miniſtri per ipſum exercita, quæ nequit proferre mutus, & quam nequit exercere carens membris neceſſarijs; non enim vnus habens loquelam poteſt proferre verba, & alter non habens loquelam, ſed bracchia immergere, vt infra videbimus.

Ex his infertur primò, quod nedum maſculus, ſed etiam fæmina poſſit validè conferre Baptiſmum, ſi ſeruetur debita forma, & habeatur legitima intentio. 4 Non ſolũ maſculi, ſed etiam fæminæ poſſunt hoc Sacramentũ conferre.

Hanc illationem expreſsè approbat *D. Thomas tertia part. quæſt. 67. art. 3. in corpore*, quoad maſculos, & quoad fæminas *d. q. 67. art. 4.*, pro quibus etiam præter rationem ſupra adductam pro maſculis, quæ etiam communis eſt fæminis, hanc aliam adducit, quia Chriſtus eſt principalis cauſa Baptiſmi non ſolum quoad inſtitutionem, ſed etiam quoad collationem eiuſdem; vnde alij, qui baptizant, baptizant, vt inſtrumenta Chriſti; æquè autem poſſunt eſſe inſtrumenta Chriſti in hoc Sacramento omnibus communi fæminæ, ac maſculi. Vtrum vero fæminæ præſentibus maſculis poſſint licitè hoc Sacramentum conferre, videbimus infra, dum de ordine ſeruando in hoc miniſterio.

5 Non ſolũ Eccleſiaſtici, ſed etiã Laici

Infertur ſecundò. Nedum Eccleſiaſticos non Sacerdotes, & Diaconos poſſe baptizare, ſed etiam Laicos. Deducitur ex eiſdem rationibus quibus innititur concluſio, & præcedens illatio. Procedit quoad validam collationem, ſiue exiſtente neceſſitate, ſiue non exiſtente, nam quoad licitam, ſeu illicitam erit ſermo infra, dum de ordine ſeruando in huiuſmodi collatione.

6 Etiam nõ baptizatus, ſi adhibeat debitam materiã, & formã, & intentionem.

Infertur tertiò non baptizatum, puta Paganum, aut Hæbrum poſſe validè baptizare, ſi adhibeat debitam materiam, & rectam formam, & habeat intentionem faciendi, quod facit Eccleſia. Circa hanc illationem anceps fuit *D. Auguſtinus lib. 2. contra Epiſtolam Parmeniani c. 13.*, & ita ſcriptum reliquit. *Hæc quidem alia quæſtio eſt, vtrum, & ab his, qui nunquam fuerunt Chriſtiani, poſſit Baptiſmus dari, nec aliquid temerè indè affirmandum eſt ſine auctoritate tanti Concilij, quantum tantæ rei ſufficit.* Sed poſt D. Auguſtinum per Eccleſiam definitum eſt, poſſe validè conferri. Hinc *Nicolaus Papa relatus in c. 3. de conſecrat. diſt. 4.* reſpondens ad conſulta Bulgarorum ſic reſoluit. *Neſcitis vtrum Chriſtiano, an Iudæo, an Pagano multos in veſtra patria aſſeritis baptizatos, & quid agendum ſit conſulitis; Hi profectò, ſi in nomine Trinitatis baptizati ſunt, rebaptizari non debent, ſi autem forma Eccleſiæ non fuerit obſeruata Sacramentum Baptiſmi non confertur*, vbi videtis, quod Pontifex non refundat inualiditatem in miniſtrum Paganum, & Iudæum,

dæum,

dæum, ſed in defectum formæ, ſi hæc non fuerit ſeruata, quinimmo, ſi hæc fuerit ſeruata, declaratur validum Sacramentum. Hoc idem fuit definitum in *Concil. Florent. in decreto Eugenij, & in c. Romanus de conſecr. diſt. 4.*

Solum aliquid negotij videtur faceſcere, quod conferens hoc Sacramentum confert, vt miniſter Eccleſiæ; Paganus

7 Soluitur inſtantia quoad infideles.

autem, ſeu Iudæus, cum ſint extra Eccleſiam, non poſſunt eſſe miniſtri eiuſdem. Sed duplici reſponſione poteſt hoc obiectum elidi; primò, quod dato etiam quod non eſſent in hoc miniſtri Eccleſiæ, poſſunt tamen eſſe miniſtri Chriſti Domini, qui in ordine ad omnes eſt Dominus proprietatis, & iuriſdictionis; ſecundo cum *D. Thoma d. q. 67. art. 5. ad ſecundum*, quod licet Iudæus, & Paganus non pertineant ad Eccleſiam re, & Sacramento, pertineant tamen intentione, & ſimilitudine actus, in quantum habent intentionem faciendi id, quod facit Eccleſia.

8 Etiã excommunicatus, execratus, & præciſus ab Eccleſia.

Infertur quartò, etiam excommunicatum, execratum, & præciſum ab Eccleſia, Sciſmaticum, & Hæreticum poſſe validè baptizare, & in hoc etiam conſentit *D. Thomas tertia part. q. 64. art. 6. ad ſecundum*, vbi ſolum aſſerit, quod, ſi quis ſcientèr recipiat Baptiſmum ab excommunicato tolerato peccat communicando cum ipſo in Diuinis, non tamen inualidè recipiat, quod idem firmauit *in quarto ſentent. diſt. 5. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 5. in corpore, & diſt. 24. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 5. ad tertium, & ſecunda ſecundæ q. 39. art. 4. ad primum.*

9 Non tamen anima ſeparata, nec Angelus.

Ex aduerſo infertur, quod nequeat hoc Sacramentum conferre anima ſeparata à corpore, non ſolum, quia non eſt homo, ſed etiam, quia non habet organa, quibus vitali modo poſſit formam proferre; iuxta autem dicta in concluſione miniſter huius Sacramenti debet eſſe homo, quia hoc, ſicuti cætera Sacramenta non niſi ad ſolos homines diriguntur. Eadem, ſeu eiſdem rationibus Angelus, ſiue bonus, ſiue malus non poteſt eſſe miniſter eiuſdem Sacramenti. Vtrum verò homo extra ſtatum viatoris, ſiue fuerit Beatus, ſiue damnatus poſsit Baptiſmum conferre. Negatiuè reſpondendum exiſtimo, quia, ſicuti Sacramenta nouæ legis ſunt inſtituta ſolummodo proptèr homines viatores, ita non niſi à viatoribus videntur poſſe conferri.

ARTICVLVS III.

An aliquis poſsit ſe ipſum baptizare.

SVMMARIVM.

Rationes ſuadentes in caſu neceſſitatis poſſe ſe ipſum baptizare. 1.

Nemo poteſt ſe ipſum validè baptizare. 2.

Rationes pro hac concluſione. 3.

Soluuntur rationes contrariæ deductæ ex neceſſitate. 4.

Suppoſito, quod ſit quis in neceſſitate conferendi ſibi Baptiſmum, & hoc poſſit, poteſt ſibi conſulere de remedio contritionis. 5.

Comparatio regenerationis ſpiritualis ad generationem corporalem. 6.

Hæc comparatio non eſt ſumenda in toto rigore ſcholaſtico. 7.

Innocentius III. non cognouit valorem in illo Baptiſmo ſibi ipſi collato à Iudæo, ſed ſalutem eiuſdem per votum Baptiſmi. 8.

Duo poſſunt ſe ipſos inuicem baptizare. 9.

EX eo, quod proptèr ſummam neceſſitatem huius Sacramenti omnibus indefinitè concedatur facultas baptizandi,

1 Rationes ſuadẽtes in caſu neceſſitatis poſſe quemque ſe ipſum baptizare.

vt, quantum fieri poteſt, nullus in quocunque caſu deſtituatur hoc remedio cum diſcrimine æternæ ſalutis, non videtur deneganda hæc facultas exercendi hoc munus erga ſe ipſum, cum poſſit in caſu conſtitui, quo nequeat per alios ſubueniri. Hinc tradit *D. Thomas in quarto diſt. 5. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 3. ad ſecundum*, Innocentium tertium in quadam decretali dixiſſe Iudæum, qui ſe ipſum in aquam immerſit dicens, *Ego me baptizo in nomine Patris &c.* ſi deceſſiſſet, conſecuturum æternam gloriam.

Nihilominus abſolutè ſentiendum eſt, neminem poſſe ſe ipſum baptizare. *D. Thomas loc. cit., & tertia part. q. 66. art. 5. ad quartum, Toletus lib. 2. c. 20. n. 1., Victoria de Baptiſm. concl. 18.*, & alij magis communitèr.

2 Verius eſt, quod nemo poſſit erga ſe ipſũ hoc munus exercere.

Rationes plures huius aſſerti deduco primo ex varijs coniecturis a Sacra Scriptura deductis; primò ex facto Chriſti Domini in Baptiſmo à Ioanne recepto, qui, quamuis non fuerit Sacramentum, fuit tamen norma Sacramenti per ipſum inſtituendi; ipſe autem Chriſtus non à ſe ipſo, ſed à Ioanne baptizare voluit; Secundò ex præcepto, quod ipſe Chriſtus dedit Apoſtolis conferendi hoc Sacramentum, Matthæi vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris &c.* vbi nota, quod non dixit *Baptizantes vos, ſed eos.* Tertiò ex norma aliorum Sacramentorum, quæ, ſi excipias Euchariſtiam, non à ſe ipſis, ſed ab alijs

3 Rationes pro hoc aſſerto.

ſunt

ſunt recipienda, ergo ab hac communi norma non eſt excipiendus Baptiſmus, cum nulla ſit aſſignabilis ratio, per quam ſit in hoc ab alijs ſecernendus; Neque dicas, rationem ſecernendi ipſum ab alijs eſſe ſummam neceſſitatem huius Sacramenti ſupra alia, reſpectu cuius neceſſitatis, ſicuti ſecernitur ab alijs in ordine ad miniſtrum, cum cætera habeant miniſtrum determinatum, ipſe vero quemcunque hominem pro miniſtro neceſſitatis, ita non eſt, cur non debeat in hoc quoque ſecerni, vt ipſe poſſit eſſe miniſter huius Sacramenti erga ſe ipſum; contra enim impugnaberis; quia Chriſtus Dominus in inſtitutione huius Sacramenti, ſicuti voluit ob eius neceſſitatem prouidere de materia, quæ præſto ſit omnibus, voluit etiam conſulere de miniſtro, qui præſto poſſet eſſe omnibus in quacunque neceſſitate, non tamen extendit hoc miniſterium ad baptizandum erga ſe ipſum, quinimmò ex eo, quod fecerit hoc miniſterium commune omnibus, intelligitur implicitè voluiſſe illud excludere in ordine ad ipſum baptizandum, nam, ſi hic poſſet ex inſtitutione Chriſti Domini ſe ipſum baptizare, non eſſet neceſſarium miniſterium aliorum, cum nemo magis ſit præſto ipſi baptizando, quam ipſe ſibi met ipſi; Nec poſſet dici, quod, quandoque poſſet conſtitui in caſu, quo deſtitueretur omni remedio, quod contingeret, quando conſtitueretur in manifeſto vitæ periculo nullo alio præſente, quod non videtur congruere ſummæ Dei clementiæ, qui ſicuti vult omnes homines, quantum eſt ex ſe, ſaluos facere, ita nullum relinquit in quocunque ſtatu reperiatur, quo non poſſit habere remedium, quo poſſit ſaluus fieri; Non, inquam, dici poteſt, quia, cum ſupponatur eſſe in ſtatu, quo poſſet ſibi conferre Baptiſmum, ſi hæc poteſtas ſibi eſſet conceſſa, ſupponitur etiam eſſe in ſtatu, quo ſibi poſſet conſulere per proprios actus deteſtationis peccatorum cum voto Baptiſmi, & dilectionis Dei ſuper omnia, vnde non poſſet dici in eo caſu deſtitutus quocunque remedio.

4 Soluuntur rationes contrariè deductæ ex neceſſitate.

5 Si poteſt ſibi conſulere de Baptiſmo poteſt etiã ſibi conſulere per contritionẽ.

Præter rationes deductas ex varijs coniecturis ſacrarum paginarum noſtrum aſſertum deducitur etiam ex quadam conſideratione habita à D. Auguſtino, qui comparat generationi naturali, ſeu corporali regenerationem ſpiritualem, quæ habetur per Baptiſmum; ex qua deindè infertur, ergo, ſicuti in generatione naturali nemo ſe ipſum gignit, vt ſit, ita in regeneratione ſpirituali nemo poteſt ſe ipſum regenerare, vt conformetur ordo gratiæ ordini naturæ.

6 Comparatio regenerationis ad generationem

Neque dicas argumentum hoc à naturali generatione deductum nihil euincere, quia in generatione naturali nihil geniti præexiſtit, quod poſſit eſſe principium ſui ipſius; in regeneratione autem ſpirituali præexiſtit eſſe naturale eiuſdem regenerandi, quod poteſt eſſe principium eiuſdem regenerationis; non enim requiritur, vt ad hanc regenerationem ſpiritualem præexiſtat aliquod ſpirituale pro principio, cum principium actiuum poſſit eſſe merè naturale, nam etiam Hæreticus, Paganus, & Iudæus iuxta ſuperiùs dicta poſſunt eſſe miniſtri huius Sacramenti; ex hac igitur comparatione regenerationis ſpiritualis ad naturalem generationem nihil ad rem præſentem euincitur; Contra enim impugnaberis, quia comparatio à D. Auguſtino deſumpta non eſt ſumenda in toto rigore Phyloſophico, ſed in quadam congruentia fundata in eo, quod, ſicuti in generatione naturali nullus ſibi eſt exiſtendi cauſa, nullus ſuæ generationis eſt auctor, ita nullus in ſupernaturali regeneratione ſe ipſum in Chriſto renouare poteſt, ſic exigente regenerationis conditione nihilò obſtante, quod in hac regeneratione præcedat eſſe naturale, non aliquid ſui præexiſtat in generatione naturali, quia hæc ſpectant ad conſiderationes rigoroſè, & merè Phyſicas.

7 Comparatio hæc non eſt ſumenda in toto rigore ſcholaſtico.

Supereſt hic ſolum, vt reſpondeamus ad id, quod ſupra afferebatur ex Innocentio III. de Iudæo, qui ſe immerſit in aquas dicens, *Ego me baptizo*, quem Pontifex dixit fuiſse ſaluandum, ſi deceſſiſset. Dicendum namque eſset, quod Pontifex dixerit fore ſaluandum, non quia arbitratus fuerit illum Baptiſmum fuiſse validum, ſed quia cognouit in illo Iudæo fuiſse verum votum ſumendi Baptiſmum, & ſimul deteſtationem ſuorum peccatorum vera charitate informatam; prout notauit *D. Thomas loc. cit., nempè in quarto diſt. 5. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 3. ad ſecundum, & opuſc. 63. c. 3.*

8 Innocentius III. cognouit ſalutem Hæbrei, qui ſe ipſum baptizauit in voto non in ipſo Baptiſmo.

Quamuis autem nemo poſſit ſe ipſum baptizare, non repugnat tamen, quod duo poſſint ſe inuicem baptizare, vt ſentit *D. Thomas tertia part. q. 67. art. 5. in fine corporis*, quia in hoc non poteſt conſiderari aliquis defectus ſubſtantialis; non enim repugnat, quod non baptizatus baptizet, vt ſupra probauimus, & ſi non repugnat, quod non baptizatus baptizet, nec eſt repugnantia, quod hic baptizatus à non baptizato baptizet ipſum, a quo recepit Baptiſmum, non baptizatum.

9 Duo poſſunt ſe inuicem baptizare.

AR-

ARTICVLVS IV.

An duo, vel plures poſſint vnum baptizare, & an plures poſſint ab vno baptizari.

SVMMARIVM.

Conſiderationes circa primam partem tituli. 1.

Difficultates, quæ emanant circa ſecundam. 2.

Si duo ſimul immergant, & ſimul proferant formam cum debita intentione totalitèr baptizandi validè baptizant. 3.

Si tamen vnus perficeret formam ante alium ipſe ſolus conferret Baptiſmum. 4.

An ſit validus Baptiſmus, ſi duo, vel plures concurrant ad eundem ſub hac forma, Nos te baptizamus &c. 5.

Duplex ſenſus illius formæ. 6.

Si vterque intelligat per ſe baptizare, & ſolum adhibeat illam formam ad iactantiam vterque validè baptizat. 7.

Si vterque concurrat, vt faciant quid vnum inualidè conferunt. 8.

Ratio D. Thomæ. 9.

Soluitur inſtantia oppoſita. 10.

Si duo, vel plures concurrant ad eundem Baptiſmum conferendum, ſed intentione partiali nihil efficiunt. 11.

Rationes pro hoc aſſerto. 12.

Si duo concurrant ad eundem Baptiſmum alter proferendo verba, alter applicando materiam non efficerent validum Sacramentum. 13.

Si vnus partem formæ eſſentialis proferret, alter alteram, non validè conferrent. 14.

An quando plures validè conferunt, dicenda ſint plura Sacramenta, an vnum, vtrumque ſecundum diuerſum reſpectum poteſt conciliari. 15.

Extra caſum neceſſitatis non ſunt plures ſimul baptizandi. 16.

Nec vbi plures in neceſſitate ſimul baptizarentur, neceſſe eſt, vt ſingulorum in particulari fiat expreſſio. 17.

Soluuntur rationes contrariæ ſententiæ. 18.

Extra caſus neceſſitatis baptizare plures ſub illa forma, Ego vos baptizo, *eſt mortalitèr peccaminoſum.* 19.

Si plures baptizarentur ſub illa forma, conſtituerentur plura Baptiſmata formalitèr. 20.

1 Articuli examinādi circa primam partem tituli.

PRima pars tituli poteſt ſub multiplici conſideratione accipi; primò, quatenus duo, vel plures ſimul effundant aquam, & formam proferant ſuper baptizatum, & iuxta hunc ſenſum conſiderari etiam poteſt; an vnuſquiſque ex illis intendat conferre totalitèr Baptiſmum, an dumtaxat partialitèr. Secundò, quatenus duo proferant ſimul formam, ſed vnus tantum immergat; Tertiò, quatenus vnus immergat, alter formam proferat. Quartò, quatenus vnus partem proferat formæ, & incipiat immergere, alter reliquum formæ proſequatur, & perficiat ablutionem.

2 Difficultates emanātes circa ſecundam.

Secunda pars etiam continet nonnullas difficultates, & primò, an liceat etiam extra neceſſitatem plures ſimul baptizare. Secundò, an forma ex ſuppoſitione, quod poſſint plures baptizari, debeat diſtinctè exprimere perſonas baptizandas dicendo, *Baptizo te, & te*, an ſufficiat omnes in communi exprimere dicendo, *Ego vos baptizo*. Tertiò, an baptizare ſimul plures extra caſum neceſſitatis ſit graue peccatum. Quartò, an, ſi plures baptizarentur ſimul, dicenda eſſe plura Baptiſmata, an vnum dumtaxat.

3 Duo ſimul immergentes, & proferentes formam cum intentione totalitèr baptizādi validè baptizāt.

Incipiendo iam à conſiderationibus pro prima parte factis. Dico primò, quod, ſi duo ſimul aquam effundant ſuper eundem, vel eundem ſimul immergant, & vterque ſimul dicat, *Ego te baptizo in nomine Patris &c.* intendens vterque totalitèr baptizare, validus ſit Baptiſmus ab vtroque collatus. Conſentiunt *D. Thomas q. 67. art. 6. in corpore, Contenſonius lib. 11. part. 1. diſſert. 3. c. 1. verb. Miniſter Baptiſmi; Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 23. ſect. 3. verſ. nihilominus communis ſententia.* Ratio eſt, quia nil aliud in hac hypotheſi poteſt obſiſtere validitati Baptiſmi, niſi concurſus duplicis cauſæ totalis ad productionem effectus Sacramenti; ſed hic non poteſt efficacitèr, & in effectu obſiſtere, ergò &c. Maior probatur, quia hic concurrunt debita, & propria materia, præſcripta, & determinata forma cum debita intentione miniſtrorum, & ſubiectum capax non ſolum recipiendi Sacramentum, ſed etiam rem Sacramenti. Minor probatur concurſus plurium cauſarum ad eundem effectum non tollit, quin vnaquæque, ſi ſit debitè applicata, influat ſecundum totam virtutem, quam in ſe habet ad illum effectum; vnde etiam in Phyſicis docuimus, quod, ſi duplex cauſa adæquata debitè applicetur eidem ſubiecto, eundem effectum producat, adeout hic vtrique adæquatè correſpondeat; non enim vna cauſa impedit influxum alterius, cum eidem non contrarietur. Adde, quod in communiori ſententia plures Sacerdotes concurrentes ſimul ad eandem hoſtiam conſecrandam eandem validè conſecrent, vt videre eſt in ordinatione Sacerdotum, in qua omnes conſecrati ſimul cum Epiſcopo ordinante, & conſecrante conſecrant.

Hic tamen aduertendum, quod, ſi vnus

ex

4 Si tamen vnus perficeret formam ante aliũ ipſe ſolus conferret

ex duobus miniſtris concurrentibus ad eundem Baptiſmum perficiat formam, antequam alter perficiat, ipſe ſolus conferet Baptiſmum, altero nihil conferente. Ratio eſt, quia tunc, quando primus perficit formam, iam ſunt omnia requiſita ad effectum, & valorem Sacramenti, ergo non eſt, cur tunc immediatè, hoc eſt in vltimo inſtanti terminatiuo illius formæ non debeat eſſe Sacramentum, & effectus eiuſdem, quia cauſæ neceſſariæ poſitis requiſitis non poſſunt non exire in actum; quando autem iam poſitum eſt Sacramentum, & effectus eiuſdem, cauſa ſubſequens in ordine ad illum nihil poteſt operari. Plura aduerſus hoc aſſertum poſſunt obijci, & præcipuè, quod in hac hypotheſi plura eſſent Baptiſmata, & Sacramenta, cum plures concurrerent materiæ, plures formæ, plura agentia, & plures intentiones; ſed ijs omnibus ſatisfiet infra.

5 An ſit validus Baptiſmus concurrentibus duobus ſub hac forma, *Nos te baptizamus*.

Dico ſecundò. Si duo, vel plures ſimul concurrant ad eundem baptizandum ſub hac forma, *Nos te baptizamus in nomine Patris &c.* quamuis vnuſquiſque intentionem haberet baptizandi totalitèr, neuter validè baptizat. Conſentiunt *D. Thomas tertia part. q. 67. art. 6.*, *Contenſonius loc. cit.*, *Toletus lib. 2. c. 20. n.* 10. Antequam procedam ad probationem huius aſſerti debeo aduertere, quod ly, *nos te baptizamus*, poſſit dupliciter intelligi primò, quatenus ly, *nos*, exprimatur ſolum ad explicandam excellentiam proferentis, non conſortium aliorum, quo ſenſu æquiualet ſingulari. Secundò, quatenus importet complexum aliorum, quatenus omnes ſimul concurrunt; Si accipiatur iuxta primum ſenſum, non dubitarem aſſerere, quod, ſi duo, vel tres applicando debitam materiam cum requiſita intentione dicerent, *Nos te baptizamus*, validè conferrent Baptiſma, quia vnuſquiſque illorum per ſe concurreret independentèr ab alio, ac perindè eſſet, ac ſi vnuſquiſque illorum diceret, *Ego te baptizo*, & propterea iuxta dicta in præcedenti aſſerto eſſet validus Baptiſmus, nam ſolum importaretur quædam ſpecies iactantiæ in illo modo exprimendi; Si verò accipiatur iuxta ſecundum ſenſum, ſecundum quem procedit noſtrum aſſertum, tunc inualidum eſt Sacramentum; quod ſic probatur. Per illum modum exprimendi vtriuſque concurſum, multiplicantur in eadem actione miniſtri, non per ſe ſeparatim agentes, ſed quaſi ab inuicem dependentes; ſed hoc eſt contra rationem miniſterij, vt notat *D. Thomas in quarto diſt. 6. q. 2. art. 1.*, & hoc repetit *q. 67. art. 6. in corpore*, quandoquidem per talem modum ſignificatur, quod plures conueniant ad vnum Baptiſmum conferendum, non quidem abſolutè, ſed tanquam concauſæ adinuicem dependentes, & connexæ, per quod non rapræſentatur vna cauſa totalis, & principalis, quæ eſt Chriſtus Dominus; miniſter autem ita debet eſſe vnus, ſicuti cauſa principalis eſt vna; proptèr quod Apoſtolus ad Ephæſios 4. ait, *vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptiſma*; neque in hoc currit paritas de duobus per ſe ſeparatim agentibus ſub ſua forma, *Ego te baptizo*, ab vnoquoque prolata; quia in hoc caſu vnuſquiſque rapræſentat Chriſtum, cuius eſt inſtrumentum, & vnus vnum; in alio autem caſu concipiuntur duo inſtrumenta ſimul cooperantia, quæ non poſſunt exprimere, & ſignificare vnitatem cauſæ principalis.

6 Duplex ſenſus illius formæ.

7 Si vterq; intendat per ſe baptizare validè baptizat.

8 Si vterq; cõcurrat, vt faciat, quid vnũ nihil efficiunt.

9 Ratio D. Thomæ.

Dices, nullam eſſe repugnantiam, quod cauſa principalis libera aſſumat vnum, vel plura inſtrumenta ad cauſandum effectum, ergo ex eo capite, quod plures concurrant miniſtri ſimul ad effectum Baptiſmi cum expreſſione formæ in plurali numero dicentes, *Nos baptizamus*, non redditur Baptiſmus inualidus. Sed contra ego non nego, quod Chriſtus potuerit aſſumere vnum, vel plura inſtrumenta ad conferendum Baptiſmum ſub quacunque expreſſione, ſed ſolum dico, quod ex vi præſentis inſtitutionis ita ordinauerit ad indicandam vnitatem Deitatis, Fidei, & Baptiſmi, vt ſicuti eſt vna principalis cauſa Baptiſmi, ita nonniſi vnum ſit inſtrumentum, quod per ſe valeat rapræſentare eandem cauſam principalem, nec ad hoc indigeat alterius conſortio. Hinc

10 Soluitur inſtantia oppoſita.

Dico tertiò. Si duo, vel plures concurrerent ad eundem Baptiſmum conferendum, ſed intentione partiali, quatenus vnuſquiſque illorum intenderet ſolam partem Baptiſmi conficere, ſeu concurrere ad eundem ſolum in parte, & pro parte, non conficerent validum Baptiſmum. Conſentiunt *Diuus Thomas loc. cit.*, *Contenſonius item loc. cit.*, *Ghetius in theſaura animæ verb. Baptiſmus c. 5. de miniſtro Baptiſmi n. 12. in expoſitione lit. D. Thomæ*, *Suarez, diſp. 23. ſect. 3.*, & iuxta ſenſum huius aſſerti habet potiſſimum locum ratio D. Thomæ in præcedenti aſſerto adducta, quod ſcilicet vtpotè duo miniſtri non poſſint rapræſentare vnitatem cauſæ principalis; vterque etenim non per ſe, ſed complexim ambo intenderent baptizare, ſicque intentio vnius per ſe dependeret ab intentione alterius, & non niſi ſimul conſtituerent vnam intentionem adæquatam, & ſufficientem ad valorem Sacramenti, quod negat poſſe eſſe D. Thomas ob eam rationem, ob quam eſſet duo miniſtri partiales, qui propterea

11 Si plures concurrant, ſed intentione partiali nihil efficiunt.

non

Digitized by Google

non poſſent rapræſentare vnitatem ſuæ cauſæ principalis. Ad hoc corroborandum plurimum confert conſideratio, quod duo, vel plures concurrentes cum intentione dumtaxat partiali non conficerent diuiſim, niſi partialitèr Sacramentum, & ſic non verificaretur forma Sacramenti reſpectu vtriuſque; nam forma debet efficere id, quod ſignificat; reſpectu autem neutrius id efficeret, quod ſignificat, cum neuter totum Sacramentum conficeret; & ſi duo concurrerent diuidendo inter ſe materiam, & formam vnus proferendo formam, alter applicando materiam, non conficerent Sacramentum, vt videbimus in ſequenti aſſerto, ita, ſi duo concurrerent diuiſa intentione, ita vt vnus partialem applicet, alter alteram partialem non videntur, poſſe validum Sacramentum conſtituere, cum non minus ad validum Sacramentum requiratur applicatio materiæ, & formæ, ac applicatio intentionis, vnde pari paſſu videtur procedendum, quando eſt diuiſa materia à forma, ac quando eſt diuiſa intentio. Deindè, vel vterque vult applicare totam materiam, & formam, & quæcunque ſunt neceſſaria ad illud miniſterium, & ſolum ponere dimidiatam intentionem, & ſic habet intentionem veritati formæ contrariam, & per conſequens nihil poteſt efficere, vel vterque vult adhibere totum miniſterium ad conficiendum Sacramentum, & ſic vterque non eſſet miniſter partialis, ſed totalis, cum miniſter nihil aliud habeat præſtare quoad ſubſtantiam Sacramenti, quam debitè applicare materiam, & formam.

12 Rationes pro hoc aſſerto.

Dico quartò. Si duo concurrant ad idem Sacramentum Baptiſmatis eidem perſonæ conferendum, ita vt vnus proferat verba, alter applicet materiam, non validum conficiunt Sacramentum. Conſentiunt omnes citati in præcedentibus aſſertis; & vlterius *Nugnus in tertia part. q. 67. art. 6. difficult. 3.*, & ibi etiam *Coninchus, Pitigianus in quarto diſt. 6. q. 2. art. 1. & 3., Valentia tom. 4. diſp. 4. q. 2. punct. 2., Toletus lib. 2. c. 20. n.* 10. Ratio ex eo deducitur, quia in hac hypotheſi non ſaluaretur veritas formæ, nec eiuſdem ſignificatio, nam qui diceret, *Ego te abluo*, altero immergente verum non diceret, quia ipſe re vera non ablueret; Quod, ſi dicas, quod cum hoc munus abluendi præſtet per aliū videatur per ſe ipſum præſtare; ſtatim impugnaberis, quia hoc miniſterium præſtandum eſt formalitèr, & propriè per ipſum miniſtrum proferentem verba, cum forma Sacramentorum ſit intelligenda in ſenſu reali, & vero in ſe, non vero in ſenſu præcisè morali, & fictione iuris. Adde, quod Chriſtus Dominus, *Matthæi vlt.* eiſdem, quibus præſcripſit formam ſeruandam in collatione huius Sacramenti, præcepit ablutionem. Ibi *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, vbi ly, *baptizantes*, vt pluries ſupra innuimus, idem ſonat, ac abluentes.

13 Si vnus proferret formam, alter applicaret materiã nihil efficerent.

Dico quintò. Si duo concurrerent ad eundem Baptiſmum vnus partem formæ eſſentialis proferendo, alter alteram partem nihil conficerent. In hoc conueniunt omnes præcitati; & eiſdem ferè rationibus innititur, quibus præcedens aſſertum, & alia; neutèr etenim poſſet dici complere Sacramentum; non primus, quia non complet verba eſſentialia formæ ſubſequentia; non ſecundus, quia non profert verba præcedentia, quæ etiam ſunt eſſentialia, & ſic reſpectu neutrius eſt vera ſignificatio, & completa eiuſdem formæ. Ob hanc eandem rationem communitèr ſtatuunt, quod, ſi Epiſcopus incæpta forma ordinationis deficeret non poſſet alter Epiſcopus ipſam complere, ſed teneretur incipere, & perficere; item, quod, ſi Sacerdos incæpta forma conſecrationis moreretur, non poſſet alius Sacerdos ipſam validè abſoluere.

14 Si vnus partem formæ proferret, alter alteram neutèr validè proferret.

Hic pro complemento eorum, quæ pertinent ad primam partem huius tituli, remanet inquirendum, an in caſibus, in quibus plures concurrentes ad aliquem baptizandum validè ipſum baptizant, dicenda ſint plura Baptiſmata, an vnum dumtaxat; Ex eo, quod concurrant plures miniſtri non diuiſa intentione, ſed adæquata, & omnes adhibeant debitam materiam, & formam diſtinctam, videntur conſtituere diſtincta Sacramenta numero, cum Sacramenta conſtituantur eſſentialitèr ex materia, & forma tanquam partibus intrinſecè conſtituentibus, & ex intentione miniſtri, tanquam eſſentialitèr requiſita; & ſic vbi eſt diuerſa numero forma, & diuerſa numero materia, & intentio miniſtri, non poſſunt eſſe, niſi diſtincta numero Sacramenta. Ex alia parte ex eo, quod hæc omnia ordinentur ad vnam, & eandem perſonam emundandam, & ſanctificandam, cum ſint in ordine ad vnum, & eundem effectum, non videntur, niſi vnicum Sacramentum conſtituere. Propter rationes primo loco adductas *Gabriel in quarto diſt. 6. q. 1. art. 3. dub. 4.*, *Caietanus in tertiam partem D. Thomæ q. 67. art. 6.* quibus fauere videtur *D. Thomas q. 66. art. 5. ad quartum*, dum dixit, *actus multiplicari ſecundum multiplicationem agentium, ſi perfectè ab vnoquoque agentur*, ſentiunt eſſe plura Baptiſmata, & Sacramenta. Hæ ſententiæ, quæ videntur inter ſe contrariæ, poſſunt ſic conciliari, vt prima

15 An quãdo plures validè conferũt dicenda ſint plura Sacramenta, duæ opiniones, quæ conciliantur.

aſſerens, eſſe plura Baptiſmata intelligatur materialitèr, quod indicant rationes pro ea adductæ; ſecunda verò formalitèr, & moralitèr, quatenus in eodem ſubiecto fiunt ſimul, & in ordine ad eundem effectum efficiendum, & ſignificandum, quatenus omnia ſimul, nec plus efficiant, nec plus ſignificent, quam, ſi eſſent ex vnica forma, & vnica materia compoſita.

Deueniendo iam ad conſiderationes pro ſecunda parte tituli appoſitas dico primo, quod dato, quod poſſint plures ſimul validè baptizari ſub eadem forma, hoc tamen extra caſum neceſſitatis non ſit præſtandum. Conſentiunt *D. Thomas tertia part. q. 67. art. 6. ad ſecundum, & q. 66. art. 5. ad quartum, & in quarto diſt. 3. art. 2. q. 2. ad ſecundum, Scotus in quarto diſt. 6. q. 2., Sotus in quarto diſt. 4. q. vnica art. 4.* quamuis hic diſcrepet à Scoto quoad grauitatem, & leuitatem culpæ in tali vſu, de quo infra nos agemus. Ratio eſt, quia hoc eſt contra receptam conſuetudinem Eccleſiæ, quæ nunquam conſueuit extra neceſſitatem plures ſimul ſub eadem forma baptizare; eſt item quoquo modo contra formam à Chriſto Domino præſcriptam. Si autem quæratur, quandonam intelligatur caſus neceſſitatis in quo licitum ſit plures ſimul baptizare; dico tunc intelligi hunc caſum, quando plures ſunt baptizandi, & periculum eſt in mora, vt ſi eſſent in periculo naufragij, & ſi omnes eſſet ſeparatim baptizandi, periculum eſſet, ne aliqui imbaptizati decederent, vel quando meſſis eſſet copioſa, & operarij pauci, ita vt iſti non poſſent omnibus conſulere, niſi cum diuturnitate temporis. Hoc factum apparet *ex Actu 2.*, vbi tria millia hominum eadem die Baptiſmum receperunt, quod fieri vix potuiſſet, niſi plures ſimul baptizati fuiſſent.

16 Extra caſum neceſſitatis non ſunt plures ſimul baptizandi.

Dico ſecundò. Non eſſe neceſſe, quando plures ſimul baptizantur, quod fiat expreſſio in forma cuiuſcunque in particulari dicendo, *Te, & te*, ſed ſufficere, quod fiat in communi dicendo, *Ego vos baptizo. D. Thomas tertia part. q. 67. art. 6. ad ſecundum, Henriquez lib. 1. c. 7. n. 5., & lib. 2. c. 12. n. 1., & tertio, Vaſquez diſp. 148. c. 7. n. 50., Sotus in quarto diſt. 4. q. vnica art. 4., D. Antoninus tertia part. tit. 14. c. 13. n. 8.* Ratio eſt, quia per illam expreſſionem ſubiectorum in numero plurali non variatur ſignificatio formæ, quia, vt notat D. Thomas loco primo loco citato, plurale non eſt, niſi ſingulare geminatum, & idem eſt dicere, *Ego baptizo vos*, ac *Ego baptizo te, & te*, ergo forma in numero plurali prolata erit ſufficiens, & valida ad Sacramentum, & rem Sacramenti.

17 Vbi plures ſimul baptizantur non eſt neceſſe, vt ſinguli exprimantur.

Dices ex ſuperius dictis, magis eſt neceſſaria expreſſio ſubiecti, quam ſit illa miniſtri, ergo expreſſius ſunt ſubiecta baptizanda nominanda, quam miniſtri; ſed etiam ex ſuperius dictis non ſubſiſtit Baptiſmus, quando plures miniſtri dicunt, *Nos te baptizamus*, ergo, nec ſubſiſtet, quando plures ſunt baptizandi, & dicitur in forma, *Ego vos baptizo*; & ſi dicatur, quod in hoc ſecundo caſu plurale reſoluatur in ſingulare geminatum, *Te, & Te*, poterit etiam dici quoad miniſtros baptizates, quod ly, *nos*, reſoluatur, *in Ego, & Ego*. Sed contrà, quia, licet ſubiectum ſit exprimendum in collatione Baptiſmatis, & non ſit neceſſitas, vt exprimatur miniſter, vt videre eſt in forma Græcorum *Baptizetur ſeruus Dei in nomine Patris &c.* non tamen ſequitur, quod, ſi quando plures miniſtri concurrunt, non ſit valida forma Baptiſmi concepta ſub his terminis, *Nos te baptizamus*, ſit etiam eadem inualida, quandò ſimul concurrunt plures baptizandi, ſi concipiatur forma ſub his terminis, *Ego vos baptizo*. Ratio diuerſitatis eſt primò, quia miniſtri per collationem Baptiſmatis non efficiuntur vnum cum Chriſto, cum iuxtà ſuperius dicta baptizantes poſſint eſſe Pagani, Hebræi, qui, ex quo conferunt Baptiſmum non incorporantur Chriſto, recipientes autem Baptiſma efficiuntur vnum cum Chriſto, adeoque non eſt, cur non poſſint exprimi per modum vnius. Hæc eſt ratio, cui innititur *D. Thomas loc. cit.* Secundò, quia miniſtri ſunt inſtrumenta Chriſti Domini, qui, ſicuti vnus eſt, videtur exigere ad ſui rapreſentationem vnum inſtrumentum; ſubiecta autem non ſunt propriè inſtrumenta, ſed id, circa quod verſantur inſtrumenta, quod propterea poteſt eſſe, & in ſignificatione multiplex cum non officiat vnitati cauſæ principalis.

18 Soluuntur rationes contrariæ ſententiæ.

Dico tertiò. Extra caſum neceſſitatis baptizare plures ſub illa forma, *Ego vos baptizo*, eſt mortalitèr peccaminoſum, *Scotus in quarto diſt. 6. q. 2., Coninchus tertia part. q. 67. art. 6. dub. 2., Ghetius in theſauro anima verb. Baptiſmus c. 5. de miniſtro Baptiſmi n. 13. in expoſit. lit. D. Thomæ, & alij plures*, quidquid ex aduerſo dixerint *Sotus in quarto diſt. 4. q. vnica, Viualdus de Baptiſmo c. 2. n. 13., Reginaldus c. 30. n. 46., & alij.* Ratio ex eo deducitur, quod hoc eſt contra conſuetum ritum Eccleſiæ, & cum alteratione conſuetæ formæ, & cum periculo, ne ſimul fiat applicatio materiæ, & formæ reſpectu omnium baptizandorum.

19 Baptizare plures ſine neceſſitate ſub illa forma, *Ego vos baptizo* eſt graue peccatū.

Dico quartò. Si plures ſimul baptizarentur ſub ea forma, *Ego vos baptizo*, conſtituerentur plura Baptiſmata formalitèr, & quoad effectum diſtinctum *Vaſquez tertia part. q. 67. art. 6. diſp. 148. c. 7. n. 52.*

nu. 52.; *Coninchus tertia part. qu. 67. art. 6. dub. 2. num. 53., Ghetius in theſauro animæ tom. 1. verb. Baptiſmus c. 5. de miniſtro Baptiſmi n. 13. in expoſit. lit. D. Thomæ.* Ratio ex eo deduci poteſt, quod plures ſunt baptizati, & ita vnuſquiſque, ac ſi eſſet ſpeciali diſtincta actione baptizatus, ergo ſicuti, ſi ſinguli eſſet diſtincta actione baptizati, eorum Baptiſmus adinuicem comparatus eſſet in ſingulis diſtinctus, ita etiam &c. Confirmatur primò ex ijs, quæ dicta ſunt ſupra ſcilicet, ſi vnus actione adæquata eſſet à pluribus baptizatus vnum eſſet Baptiſma formalitèr, ergo è contrario ſenſu, ſi plures eſſent ab eodem baptizati ſimul, eorum Baptiſmus eſſet in ſingulis numero diuerſus. Confirmatur ſecundò, quia actiones, vt plurimum deſumunt vnitatem, & ſpecificationem a termino ad quem tendunt, ergo, ſi terminus ad quem tendunt erit diuerſus, etiam actio erit diuerſa eo modo, quo terminus eſt diuerſus; ſed in noſtra hypotheſi terminus eſt in baptizatis numero diuerſus, cum Baptiſmus vnius non ſit ille alterius, ergo, & vniuſcuiuſque Baptiſmus erit numero diuerſus.

20 Si plures baptizarentur ſub illa forma, eſſet plura Baptiſmata formalitèr.

ARTICVLVS V.

De peccatis, & pænis eorum, qui non habent ius baptizandi, & baptizant extra neceſſitatem.

SVMMARIVM.

In ordine ad quas perſonas procedat titulus. 1.
Habentes ius baptizandi, non tamen iuriſdictionem baptizantes extra neceſſitatem ſine licentia Epiſcopi, vel Parochi grauitèr peccant. 2.
Non tamen contrahunt aliquam cenſuram. 3.
Parochus etiam alienæ Parochiæ baptizans ſine licentia Epiſcopi, ſeu Parochi alienum ſubditum grauitèr peccat. 4.
Quid, ſi puer natus ſit in aliena Parochia. 5.
Grauius peccarent Diaconi, qui baptizarent pueros ſine deputatione, & licentia. 6.
Sacerdotes abſente Epiſcopo, & Parocho poſſunt ſolemnitèr baptizare. 7.
Non tamen Diaconus. 8.
Si Diaconus baptizaret ſolemnitèr ſine deputatione contraheret irregularitatem. 9.
Subdiaconus ſolemnitèr baptizans etiam in neceſſitate contrahit irregularitatem, etiam ſi hoc præſtaret cum facultate Epiſcopi. 10.
Clerici inferiores, & Laici extra neceſſitatem baptizantes etiam priuatim grauitèr peccant. 11.
Non tamen contraherent irregularitatem. 12.
An Laicus, & Clericus inferior baptizans ſolemnitèr contrahant irregularitatem. 13.
Sententia negatiua cum ſuis rationibus. 14.
Sententia affirmatiua præfertur. 15.
Soluuntur argumenta oppoſita. 16.
Non baptizati baptizantes in neceſſitate non peccant. 17.
Extra neceſſitatem baptizantes peccarent, non tamen contràherent irregularitatem. 18.
Præciſi ab Eccleſia baptizantes extra neceſſitatem grauitèr peccarent. 19.

1 In ordine ad quas perſonas procedat titulus.

Diſcurrendum eſt de omnibus, qui quãuis habent ius baptizandi, non habent tamen iuriſdictionem ad hoc munus exercendum, cuiuſmodi ſunt Sacerdotes non habentes curam animarum, & qui quamuis non habeant ius, habent tamen aptitudinem, vt poſſint ad hoc munus deputari, cuiuſmodi ſunt Diaconi; item de ijs, qui, nec habent ius, nec aptitudinem, ſed ſolummodo poteſtatem, cuiuſmodi ſunt Laici, ſiue maſculi, ſiue fæminæ; item de ijs, qui, quamuis habeant poteſtatem, illam tamen habent quoquo modo impeditam, vel ratione cenſuræ, vel ratione infidelitatis, vel præciſionis ab Eccleſia, & de alijs in quocunque genere ſint.

2 Sacerdotes baptizantes ſine facultate Epiſcopi, vel Parochi grauitèr peccant.

Et quidem, ſi habentes ius baptizandi, non tamen iuriſdictionem in ordine ad animas baptizent extra neceſſitatem ſine facultate Epiſcopi, vel proprij Parochi, grauitèr peccare indubitatum eſt, quandoquidem ponunt falcem in meſſem alienam, & conturbant alienam iuriſdictionem, & hoc, ſiue baptizent priuatim, ſiue ſolemnitèr, quamuis grauius, ſi hoc præſtent ſolemnitèr. Sed, an iſti contrahant aliquam cenſuram, & irregularitatem negant *Suarez tom. 3. in tertiam part. D. Thomæ diſp. 31. ſect. 4. verſ. ſed quæres, Armilla verb. Baptiſmus n. 39., Valentia diſp. 4. q. 2. punct. 1. verſus finem, Bonacina de Baptiſmo diſp. 2. q. 2. punct. 5. n. 10. verſ. veruntamen.* Ratio eſt, quia nullibi reperitur impoſita hæc pæna cenſurarum, vel irregularitatis. Excuſaretur etiam à quacunque culpa, ſi etiam ſolemnitèr baptizaret abſente Epiſcopo, & Parocho.

3 Non tamen contrahunt aliquam cenſurã.

4 Etiam Parochus alienus baptizãs ſibi non ſubditam ſine facultate grauitèr peccat.

Ea, quæ diximus de Sacerdote non habente curam animarum baptizante extra neceſſitatem ſine facultate Epiſcopi, & Parochi, intelligenda ſunt etiam de Parocho alienæ Pareciæ baptizante ſubditum vnius Pareciæ ſine commiſſione Epiſcopi, vel Parochi eiuſdem baptizandi; quia, quod ſit Parochus alienæ Pareciæ non confert illi ius aliquod in ordine ad ſubditos iſtius, vnde in ordine ad iſtos computatur, ac ſi eſſet ſimplex Sacerdos. Sed quid erit dicendum, ſi infans alienæ Diœ-

ceſis, ſeu Parochiæ naſcatur in propria illius Parochi, dum parentes illic fuerunt in tranſitu. Tunc aſſerendum eſt, quod, ſi Parecia in qua natus eſt ſit valdè diſſita à propria, poſſit Parochus illius Pareciæ ipſum etiam ſolemnitèr baptizare annuentibus eius parentibus; ſi verò non fuerit diſſita, ſed intra eandem vrbem, vel in ſuburbijs eiuſdem ſit deferendus ad propriam Pareciam, & ibi à proprio Parocho baptizandus. Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quod diſtantia loci quodammodo infert neceſſitatem, ſeu tribuit iuſtam cauſam, vt ibi puer baptizetur, ne fortè, dum defertur, ſubſit alicui periculo interitus, nec diù poteſt diferri Baptiſmus; quod, ſi dicas, quod ſaluti ſpirituali pueri poſſit conſuli ipſum priuatim baptizando, & poſtea ad Eccleſiam propriæ Pareciæ deferendo, vt ibi per proprium Parochum ſuppleantur conſueti ritus, & cæremoniæ; Reſpondebitur, quod quantum fieri poteſt, non eſt ſeparanda ſubſtantia Baptiſmi à cæremonijs eiuſdem, nec hoc præſtandum extra neceſſitatem, nec in hoc caſu talis neceſſitas conſideratur, quæ compellat ad huiuſmodi ſeparationem; præualere etenim debet decus, & honeſtas Sacramenti conſiſtens in comitatu illorum rituum, & cæremoniarum priuato inti, & commodo proprij Parochi. Ratio ſecundæ partis eſt, quia proprius Parochus non eſt iure ſuo priuandus ob modicam incommoditatem deferendi puerum ab vno in alium locum eiuſdem ciuitatis; cum pluribus in ciuitatibus ſtatutum ſit per iura municipalia, vt pueri omnes illarum ciuitatum deferantur ad Eccleſiam Cathedralem pro Baptiſmo, à qua quandoque multum diſtant domus, in quibus infantes nati ſunt.

5
Quid ſi puer natus ſit in aliena Parochia

A fortiori grauitèr peccarent Diaconi, qui baptizarent pueros ſine deputatione, vel Epiſcopi, vel Parochi, quia non ſolum læderent ius proprij Parochi; ſed etiam, quia ſibi arrogarent ius, quod ipſis non competit; licet enim habeant aptitudinem, vt poſſint ad hoc munus deputari, non habent tamen ius ex proprio officio baptizandi. Hic tamen aduerte, vt ſupra innuebamus, quod, ſi Epiſcopus, & Parochus æſſent abſentes excuſarentur Diaconi à culpa, ſi baptizarent. Sed, an in hoc caſu abſentiæ Parochi, & Epiſcopi poſſint ſimplicitèr Sacerdotes, & Diaconi ſolum priuatim baptizare, an vero etiam ſolemnitèr. Quoad ſimplices Sacerdotes non habentes curam animarum in ea hypotheſi abſentiæ Epiſcopi, & Parochi *Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 31. ſect. 4. verſ. vltimo dicendum eſt*, aſſerit poſſe ſolemnitèr baptizare, quia ex vi ſuæ ordinationis habiles proximè, & ex ſe redduntur ad hoc munus, & ſolum eis deficit iuriſdictio, quæ eiſdem a iure conceditur abſentibus, qui habent illam iuriſdictionem. In ordine vero ad Diaconos negat in ea hypotheſi, poſſe ſolemnitèr baptizare addita etiam ratione, quia hoc munus baptizandi ſolemnitèr eis competere non poteſt, niſi ex ſpeciali diſpenſatione, cum ius baptizandi eiſdem non competat ex officio, ſed dumtaxat ex commiſſione, quæ debet eſſe ſpecialis; nec ex neceſſitate pueri, vt baptizetur, confertur ipſis hoc ius ſolemnitèr baptizandi, quia tali neceſſitati prouideri poteſt per Baptiſmum priuatum.

6
Grauius peccarēt Diaconi, qui ſine deputatione, & licentia baptizarent.

7
Sacerdotes abſēte Epiſcopo, & Parocho poſſunt etiam ſolemnitèr baptizare.

8
Non tamen Diaconus.

Sed, an Diaconus, ſi in eo, vel alio caſu ſine ſpeciali deputatione ſolemnitèr baptizaret, contraheret irregularitatem. Affirmatiuè reſpondendum eſt, & in hoc conſentiunt *Sotus in quarto diſt. 4. q. vnica art. 3., Nauarrus in man. c. 22. n. 7., & c. 27. n. 242., Suarez tom. 3. in tertiam part. Diui Thomæ diſp. 31. ſect. 4. verſ. atque hinc fit*; atque hoc colligitur ex textu *in c. 1. de Cler. non ord. miniſtrante*, quem textum intelligunt de miniſtrante ſolemnitèr etiam in caſu neceſſitatis *Gloſa in d. c. 1. de Cler. non ordin. miniſtrante, Nauarrus loc. cit., D. Antoninus tertia part. tit. 28. c. 1., & alij.* Ratio eſt, quia hæc facultas ſolemnitèr baptizandi non conceditur, niſi ijs, quibus ex vi propriæ ordinationis confertur ius baptizandi, ſed hæc ex vi ordinationis non conceditur, niſi Presbytero, cui propterea dicitur competere ex officio, & non alijs eidem inferioribus, ergo, ſi alij inferiores hoc munus ſolemnitèr exerceant ſine commiſſione, contrahent pænam irregularitatis *in d. c. 1.* impoſitam, adeoque etiam Diaconi; Nec excuſare poteſt aliqua neceſſitas, quia nulla eſt neceſſitas, quæ cogat ad ſolemnem Baptiſmum conferendum, cum egenti prouideri poſſit per Baptiſmum ſine ſolemnitate.

9
Diaconus Baptizans ſolemnitèr ſine commiſſione cōtrahit irregularitatem.

Ex his deduci poteſt, quod à fortiori contraheret hanc irregularitatem Subdiaconus, qui etiam extante neceſſitate ſolemnitèr baptizaret, & quidem fortiori iure, quandoquidem ipſe, nec habet aptitudinem, vt poſſit deputari ad hoc munus, cum hæc aptitudo ſolum reſultet in Diacono ex vi ſuæ ordinationis priuatiuè quoad alios omnes inferiores; vnde ipſe etiam eandem irregularitatem contraheret ſolemnitèr baptizando, quantumuis hoc præſtaret ex commiſſione Epiſcopi, vel Parochi, quia non eſt aptus recipere illam commiſſionem. Quod, ſi ſupponas Subdiaconum habita illa commiſſione bona fide Baptiſmum ſolemnitèr contuliſſe, & inquiras, an ratione bonæ fidei excu-

10
A fortiori eandē cōtrahit Subdiaconus.

ſetur

ſetur ab incurſu irregularitatis; Reſpondeo vix poſſe ſopponi bonam fidem in Subdiacono, qui tenetur ſcire ea, quæ ſui muneris ſunt; Dato tamen, quod re vera illam bonam fidem habuerit, ab hac pæna illum eximerem, quia non poteſt eſſe hæc grauis pæna ſine culpa, &, quamuis quandoque irregularitas contrahatur ſine culpa, hoc tamen ſolum conceditur, vel ex defectu lenitatis, vel ex arte ignominioſa, non quando inducta eſt ex actione, quæ inducit delictum, quæ, ſi euacuetur a culpa, non poteſt pænam inducere.

11 **Clerici inferiores, & Laici extra neceſſitatē baptizātes grauitèr peccant.**

Loquendo iam de alijs Clericis inferioribus, & de Laicis, ſiue maſculis, ſiue fæminis, certum eſt eoſdem grauitèr peccare, ſi Baptiſmum conferant extra neceſsitatem etiam priuatim, quia hæc facultas non eſt eiſdem conceſſa, niſi vrgente neceſſitate, ne defectu miniſtri quis imbaptizatus decedat. Sed, an in hoc caſu contraherent irregularitatem. In partem affirmatiuam inclinant *Paludanus in quarto diſt. 5. q. 2.*, *Silueſter verb. Baptiſmus tertio in princip.*, *Angelus verb. Baptiſmus quinto n. 1.*, *Gabriel in quarto diſt. 6. q. 1. art. 2. concl. 2.*, dum intelligunt ſimplicitèr ſine vlla diſtinctione Baptiſmi ſolemnis, vel priuati textum *in d. c. 1. de Cler. non ord. baptiz.*, quando confertur vltra caſum neceſſitatis. Sed verius videtur illum textum intelligendum eſſe ſolummodo de Baptiſmo ſolemnitèr collato, prout ipſum intelligunt *Gloſa in d. c. 1. de Cler. non ord. Bapt.*, *Nauarrus c. 22. n. 7.*, *& c. 27. n. 242.*, *D. Antoninus tertia part. tit. 28. c. primo*, *Ledeſma in quarto prima part. qu. 8. art. 4.*, & hoc melius ſe explicant ab eo, quod ſe explicuerint *Silueſter in verbo Baptiſmus tertio*, *& Paludanus loc. cit.*, dum dixerunt ibi indefinitè ſine vlla penitus diſtinctione Clericum non ordinatum baptizantem, & per conſequens etiam Laicum contrahere irregularitatem ex vi illius *c. 1. de Cler. non ord. baptiz.*, aſſerunt *Silueſter in verb. irregularitas q. 12.*, *& 27.*, *& Paludanus loc. cit.*, *ſed paulo poſt*, hoc eſſe intelligendum de collatione Baptiſmi cum ſolemnitate. Ratio ex eo deducitur, quia, vt conſtat ex ipſo titulo per textum *in d. c. 1.* imponitur illa pæna irregularitatis aduerſus eum, qui exercet actum ordinis, quem non habet; ille autem, qui baptizat priuatim ſine conſuetis ritibus, & cæremonijs in rigore non exercet actum ordinis, cum Baptiſmus priuatus poſſit etiam conferri à fæmina, ergo in eum non intelligitur illata illa pæna irregularitatis; Ex quibus etiam deduco, quod dato etiam, quod Presbyter baptizans ſolemnitèr extra neceſſitatem, & ſine commiſſione, vel Epiſcopi, vel Parochi contraheret irregularitatem, illam non contraheret, ſi baptizaret priuatim, quia hoc non præſtaret ex vi, & virtute ordinis, ſed tanquam priuatus, eo modo, quo præſtat Laicus, vt notat *Suarez loc. cit. verſ. ſed quares propè medium*.

12 **Non tamen contraherēt irregularitatem.**

13 **An Clericus, & Laicus baptizās ſolemnitèr contrahant irregularitatem.**

Sed, an Laicus, & Clericus inferior Diacono contraheret hanc irregularitatem, ſi ſolemnitèr baptizarent diſſidium eſt magnum inter DD., & præcipuè in ordine ad Laicum, nam *Angelus in ſumma verb. Irregularitas §. 38.*, *Armilla verb. Irregularitas tertio n. 65.* illum Laicum ſic baptizantem eximunt ab hac pæna adducta etiam ratione, quia textus *in d. c. 1. de Cler. non ord. baptiz.* ex quo ſolummodo oritur illa pæna irregularitatis, non loquitur, niſi de Clericis non ordinatis baptizantibus, vt colligitur ex ipſo titulo, ergo non eſt extendenda ad Laicos, quia in pænalibus non eſt facienda extenſio vltra id, quod verba legis imponentia pænam ſonant, quinimmo, nec ex ſimilitudine, & paritate rationis facienda eſt huiuſmodi extenſio, vt ſunt vulgatiſſima iura; & *Coaruuias* inclinans in hanc ſententiam in *Clement. Si furioſus §. 1. n. 2.* ex hoc textu probat Laicum hanc irregularitatem non incurrere. Contrarium tamen tradunt, nempè Laicum etiam hanc irregularitatem incurrere *Paludanus in quarto diſt. 5. q. 2.*, *Maior in quarto diſt. 5. q. vnica ad arg. contra ſecundam concluſ.*, *D. Antoninus tertia part. tit. 28. c. 1.*, *Sotus in quarto diſt. 25. q. 1. art. 3.*, *& alij magis communitèr*, quibus adhærendum exiſtimo deducto etiam fundamento ex illo textu *in c. 1. de Cleric. non ordin. baptizante*, quem aſſumunt contrariæ ſententiæ aſſertores ad ſuam probationem, conſideratis verbis, per quæ hæc pæna imponitur; non enim ibi dicitur. *Si quis ordinatus baptizauerit*, ſed *ſi quis baptizauerit non ordinatus*, æquè autem non eſt ordinatus Laicus, ac Clericus, qui non eſt Sacerdotio initiatus; nec obeſſe poteſt titulus, ſub quo hic textus continetur, qui eſt *de Clerico non ordinato baptizante*, cui propterea titulo textus videtur conformandus; Non, inquam, obeſſe poteſt, tum quia plerique magni nominis DD. dicunt titulum illum fuiſſe alteratum, cum antiquitus legeretur de non ordinato baptizante, cui poſtea adiectum fuit (neſcitur qua cauſa, ſeu occaſione) de Clerico; & quoad hoc teſtatur *Suarez d. diſp. 31. ſect. 4. verſ. ſed quares*, ſe vidiſſe in Codicibus Gregorianis in ſeptem manuſcriptis inſcriptum præcisè *de non ordinato baptizante*; tum quia dato etiam, quod titulus ſonaret in illa verba, *de Cleric. non ordin. baptiz.* potius attendendus eſt textus, qui diſponit, quam titulus, ſub quo continetur,

14 **Sentētia negatiua cum ſuis rationibus.**

15 **Sentētia affirmatiua præfertur.**

cum

cum ille ſit diſpoſitiuus; nec mirandum eſt, quod ſub aliquo titulo contineatur aliqua diſpoſitio, quæ non videatur directè ſub illo titulo contineri, cum tamen habeat cum illo aliquam ſymboleitatem, & ſimilitudinem.

Minus officere poſſunt, quæ dicebantur de illa extenſione, quandoquidem, vt

16 Soluuntur rationes contrariæ ſententiæ

conijcitur ex lectura illius textus, non fit extenſio eiuſdem, ſed manifeſta comprehenſio, cum in illo dicatur; *ſi quis baptizauerit non ordinatus*; Laicus autem apertè non eſt ordinatus; Nec etiam releuare poteſt id, quod aſſerit *Couaruuias loc. cit.*, quandoquidem ipſe ibi non loquitur ex vi huius textus; ſed de irregularitate, quæ conſurgit in Clericis miniſtrantibus in ordinibus, a quorum exercitio ſunt ſuſpenſi, quod certè non poteſt conferre ad Laicos baptizantes.

Loquendo poſtea de ijs, qui ſunt extra Eccleſiam, hoc eſt de non baptizatis baptizantibus, ſi hoc præſtent in caſu neceſſi-

17 Nō baptizati baptizātes in neceſſitate non peccant.

tatis, certum omnino videtur, quod non peccent, cum hæc facultas eiſdem conceſſa ſit abſolutè, vt notat *D. Thomas tertia part. q. 67. art. 5. in corpore, & ſecunda ſecundæ q. 39. art. 4. ad ſecundum*; nec obſtare poteſt, ſi dicatur, quod contractarent Sancta, & Diuina indignè, cum exiſtentes in graui peccato infidelitatis conficerent Sacramenta; Non, inquam, obſtare poteſt, quia neceſſitas ipſa à quacunque noxa excuſat, maximè in Sacramento, quod, cum primum ſit, & maximè neceſſarium, non videtur exigere probitatem in miniſtro

18 Extra neceſſitatem baptizantes grauitèr peccarēt.

neceſſitatis, & in caſu neceſſitatis: Dixi, *in caſu neceſſitatis*, nam extra illum vtique non baptizati baptizantes grauitèr peccarent, vt notant *D. Thomas tertia parte q. 67. art. 3., & ibi Nugnus art. 5. difficult. 3., Rodriquez in ſumma c. 25. concl. 1., Graſſius part. 2. lib. 1. c. 4. n. 3.*, & ratio eſt, quia illis non conceditur facultas, niſi in caſu neceſſitatis, extra quem abuterentur tali facultate; quomodocunque autem baptizarent non baptizati, non contraherent Irregularitatem, quia hæc eſt pæna Eccleſiaſtica, cui non ſubduntur, qui ſunt extra Eccleſiam; nec obſtat, quod quando non eſſet neceſſitas abuterentur Sacramento Eccleſiæ, & propterea ſubderentur pænis Eccleſiaſticis; Non obſtat, inquam, quia ratione talis abuſus peccarent quidem, ſed nullum ius ſubdit ob hoc illos pænis Eccleſiæ, cum hæc in illos nullam habeat poteſtatem, nec iuriſdictionem.

Deueniendo tandem ad præciſos ab Eccleſia, vel ratione excommunicationis, vel cuiuſcunque alterius cenſuræ, certum eſt, quod ſi extra caſum neceſſitatis, ſiue ſint Sacerdotes, ſiue Clerici inferiores, ſiue Laici grauiſſimè peccent conferendo Baptiſmum; & grauitas non ſolum deſumitur ex eo, quod abutantur facultate, quæ ſolum eſt pro caſu neceſſitatis, ſed etiam, 19

19 Præciſi ab Eccleſia baptizantes extra neceſſitatē grauitèr peccarent.

quia ratione cenſuræ ſpecialitèr interdicuntur à quacunque communicatione potiſſimum in Diuinis. Sed, an iſti ſic baptizantes contraherent aliquam aliam cenſuram, vel irregularitatem; In ordine ad Sacerdotes non videtur hæſitandum, quod contrahant irregularitatem non quidem ex vi *c. 1. de Cler. non ordin. baptiz.* cum verè ſint ordinati, ſed ex generali regula, qua miniſtrantes Sacramenta in excommunicatione contrahant irregularitatem; Quoad alios verò inferiores Sacerdotibus abſolutè ſentiendum eſt, quod ex vi *d. c. 1. de Cleric. non ordin. baptiz.* contrahant, ſi miniſtrent ſolemnitèr iuxta ſuperius dicta, ſi enim eandem contrahunt non excommunicati, multo magis contrahere debent excommunicati; non contrahant verò, ſi miniſtrent ſolum priuatim, cum textus ille non afficiat, niſi baptizantes ſolemnitèr; ex vi vero generalis regulæ afficientis irregularitate omnes miniſtrantes Sacramenta in excommunicatione, non eximerem excommunicatos baptizantes etiam priuatim.

ARTICVLVS VII.

De peccatis, & pænis inducentium alios, quibus non competit hoc munus ex officio, ad baptizandum.

SVMMARIVM.

Adultus, vel parentes pueri inducentes extra neceſſitatem Sacerdotem ſimplicem, vel ad ſe, vel ad ſuum puerum baptizandum grauitèr peccant. 1.

Non tamen contrahunt irregularitatem. 2.

Inducentes Diaconum extra neceſſitatem ad baptizandum, ſiue priuatim, ſiue ſolemnitèr grauius peccant, non tamen contrahunt irregularitatem. 3.

Idem dic de inducentibus Subdiaconum. 4.

Inducentes non baptizatum extra neceſſitatem grauitèr peccat. 5.

Inducere Parochum excommunicatum non denuntiatum non eſt graue peccatum. 6.

Inducere eundem, quando eſt excommunicatus vitandus, eſt graue peccatum. 7.

Inducere alios à Paroco, qui ſint excommunicandi vitandi ex duplici capite eſt graue peccatum. 8.

Et vtique probabilius eſt duplex peccatum. 9.

Inducere alios à Paroco, qui non ſint vitandi, ex hoc capite nullum eſt peccatum. 10.

Digitized by Google

CErtum eſt, quod non ſolum peccent, qui exercent actionem aliquam contra legem naturalem, Diuinam, & humanam, ſed etiam, qui alios inducunt per conſilium, vel per cooperationem ad actionem illam exercendam. Cum autem in præcedentibus dixerimus, alios à proprijs animarum Paſtoribus baptizantes extra caſum neceſſitatis grauitèr peccare, & nonnullos etiam vltra peccatum contrahere irregularitatem, remanet modo inquirendum, an cooperatores, ſiue ſint ipſi baptizandi, ſiue alij ab ipſis eandem noxam contrahant, & pænam reſpectiuè ad cooperationem, quam præſtant, ad illam actionem, ſiue hæc in principalibus inducat ſolum peccatum, ſiue etiam illam pænam irregularitatis.

1 **Inducentes Sacerdotẽ ſimplicẽ extra neceſſitatẽ ad baptizandum puerum grauitèr peccant.**

Diſcurrendo iam per ſingula capita, de quibus egimus in præcedenti articulo dico primò. Si adultus baptizandus, vel Parentes pueri baptizandi inducant Sacerdotem ſimplicem extra caſum neceſſitatis, vel ad ſe baptizandum, vel reſpectiuè illum puerum peccant grauitèr ratione cooperationis, non tamen contrahunt pænam aliquam irregularitatis. In hoc arbitror non poſſe eſſe diſſidium, quia quoad primam partem ex genere ſuo cooperari actioni ſecundum ſe peccaminoſæ eſt peccaminoſum; qui autem inducit alterum ad baptizandum, cui non competit ius defectu iuriſdictionis extra caſum neceſſitatis, verè cooperatur actioni peccaminoſæ illius, ergo &c. Nec releuare poteſt, ſi dicatur, quod baptizandus, vel parentes baptizandi vtantur iure ſuo, inquirentes Baptiſmum à quocunque habente ius ex officio, cuiuſmodi eſt quilibet Sacerdos ex vi ſuæ ordinationis, & propterea non peccent; Non, inquam, releuare poteſt, quia extra caſum neceſſitatis non habent ius, niſi aduerſus proprium Parochum, quinimmò eiſdem interdictum eſt, ne ab alijs baptizentur, niſi ab illo. Quoad ſecundam partem ex eo euincitur, quod principales per ſe exercentes illud munus baptizandi non contrahant illam irregularitatem, vtſupra probatum eſt, ergo multo minus illam debent contrahere minus principales, & ſolum cooperantes.

2 **Non tamen contrahunt irregularitatem.**

3 **Inducentes Diaconum extra neceſſitatẽ grauius peccant.**

Dico ſecundò. Extra neceſſitatem inducentes Diaconos ad baptizandum priuatim, ſiue etiam ſolemnitèr peccant quidem grauitèr, & quidem grauius, ſi inducant etiam ad ſolemnitatem, non tamen contrahunt irregularitatem, quantumuis inducant ad Baptiſmum ſolemnem. Ratio primæ partis deducitur ex eodèm motiuo, quo deducta eſt prima pars in præcedenti aſſerto, quia ſcilicet cooperantur actioni iniquæ. Dixi, *grauius, ſi inducant ad ſolemnitatem*, non ſolum, quia eſt grauior iniuria, quæ inuritur proprio Paſtori, ſed etiam, quia aduerſatur illa actio principalis duplici præcepto alteri non baptizandi extra neceſſitatem, alteri non baptizandi ſolemnitèr; item, quia illa ſolemnitas non poteſt eſſe ſine ſcandalo; ſi ergo actio principalis eſt grauior, non poteſt eſſe, niſi grauior illa cooperantium, & inducentium. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quod pænæ, quæ irrogantur contra agentes, non intelliguntur irrogari contra cooperantes, & inducentes, niſi hoc in iure irrogante huiuſmodi pænas exprimatur; in illo autem *c. 1. de Cleric. non ordin. baptizante*, non comprehenduntur, niſi agentes, ergo &c. Neque obſtat, quod communitèr circumfertur, quod agentes, & conſentientes, ſeu cooperantes pari pæna puniantur; Non obſtat, inquam, quia hoc non habet locum quoad pænas, quæ ſpeciali iure afficiunt agentes, cuiuſmodi eſt iſta, quæ ſignantèr tangit non ordinatum baptizantem; cooperans autem non baptizat, nec ipſe exercet aliquem actum ordinis.

Non tamen cõtrahunt irregularitatem.

4 **Idem dic de incentibus Subdiaconũ.**

Dico tertiò. Inducentes Subdiaconum, alioſque Clericos inferiores, & etiam Laicos extra neceſſitatem ad baptizandum grauitèr peccant, & à fortiori, ſi inducant ad hoc munus præſtandum ſolemnitèr etiam in caſu neceſſitatis, non tamen irregularitatem contrahunt. Iiſdem ferè rationibus quoad omnes partes euincitur, quibus præcedens aſſertum, vnde non eſt, cur in eius probatione immoremur.

5 **Inducens non baptizatum extra neceſſitatẽ grauitèr peccat.**

Dico quartò. Inducens, ſiue ſit ipſe baptizandus, ſiue parens eiuſdem non baptizatum ad ſe, vel filium reſpectiuè baptizandum peccat grauitèr, ſi hoc præſtat extra neceſſitatem. Eſt communis, & in fortioribus terminis deducitur ex præmiſſis, & hanc opinionem amplectitur *D. Thomas tertia part. q. 67. art. 5. in corpore, & ſecunda ſecundæ q. 39. art. 4. ad primum.*

6 **Inducere Parochũ excommunicatum non vitandũ non eſt peccaminoſum.**

Dico vltimo inducens proprium Parochum excommunicatum ad ſe, vel filium ſuum baptizandum, ſi ille ſit toleratus, & non nominatim denuntiatus, non peccat, ſi verò non ſit toleratus, grauitèr peccat; inducens verò alios, qui ſint excommunicati extra caſum neceſſitatis, ſi non ſint tolerati ex duplici capite grauitèr peccat, ſi verò ſint tolerati ex vno tantum. Probatur quoad ſingulas partes, & primò quoad Parochum excommunicatum toleratum, quia nullus eſt titulus, ex quo coinquinari poſſit illa inductio, non defectus iuris, & iuriſdictionis in baptizante, quia ille eſt proprius Parochus, cui eſt ſubiectus, quique habet poteſtatem ordinis, & iuriſdictio-

dictionis priuatiuè quoad alios; non excommunicatio, qua afficitur, quia, vt benè notat *D. Thomas tertia p. art. q. 64. art. 6. ad ſecundum, & in quarto ſent. diſt. 5. q. 2. art. 2. quaſtiunc. 5. in corpore, & ſecunda ſecunda q. 39. art. 4. ad primum*, cum ſit toleratus ille, qui ab eo petit, & recipit Sacramentum nõ communicat peccato eius, ſed communicat Eccleſiæ, quæ eum tanquam miniſtrum exhibet. Accedit, quod in Concilio Conſtantienſi permiſſum eſt communicare etiam in Diuinis cum excommunicato tolerato, & quamuis ipſe excommunicatus ſic communicando peccet, non tamen ille, qui cum ipſo communicat. Quoad Parochum vero excommunicatum non toleratum patet ex eo, quod communicat ab ipſo petendo, & recipiendo Baptiſmum contra prohibitionem Eccleſiæ vetantis communicare cum excommunicatis non toleratis, quod etiam expreſsè tradidit *D. Thomas loc. cit.*

7 Inducere eundem, ſi eſt vitandus, eſt graue.

Probatur quoad inducentes alios à proprio Paroco ad ſibi, vel filio conferendum Baptiſmum, ſi ſint excommunicati vitandi, quod ſcilicet ex duplici capite grauitèr peccent; Probatur, inquam, quia inducunt primò extra neceſſitatem ad conferendum Baptiſmum illos, qui non poſſunt conferres ſine peccato, ſicque illius peccato cooperántur; ſecundò communicant cum eo, cum quo eſt interdictum communicare, ergo ex vtroque hoc capite peccant. Sed, an hoc peccatum ſit duplex in ſpecie? Videtur prima frontè negandum, ſiquidem, quantumuis hoc ex duplici præcepto interdicatur, quia tamen vtrumque præceptum tendit ad idem, nempè ad non cõferendum Baptiſmum, non videtur peccatum multiplicari, nec diuerſificari in ſpecie, non enim multiplicantur peccata præcisè ex multiplicatione præceptorum, vt alibi vidimus. Nihilominus probabilius eſt, quod in ea hypotheſi multiplicentur peccata, ſeu ſaltem inducatur diuerſitas in ſpecie. Ratio eſt, quia principalis baptizando extra caſum neceſſitatis peccat, quia ſibi vſurpat ius, quod ei non competit, & lædit ius alterius, nempè Parochi, quando autem baptizat exiſtens in excommunicatione lædit Sacramentum, cum indignè illud pertractet communicando in ſacris; videntur autem peccata ſpecie diuerſa lædere ius alienum, illudque ſibi vſurpare, & aduerſari reuerentiæ debitæ Sacramento, ergo etiam inducens ſcientèr ad illud Sacramentum conferendum nulla exiſtente neceſſitate, & extante excommunicatione non tolerata contrahet diuerſam in ſpecie malitiam.

8 Inducere alios à Paroco, qui ſint excõmunicati vitandi ex duplici capite eſt graue.

9 Et vtique probabilius eſt duplex peccatũ.

Quod verò, ſi inducant alios à Paroco excommunicatos, ſed toleratos extra caſum neceſſitatis non peccent, niſi contra præceptum omnibus illatum excepto Paroco non baptizandi extra caſum neceſſitatis, deducitur ex mox dictis, quod ſcilicet nullum ſit interdictum communicandi etiam in Diuinis cum excommunicatis toleratis, ergo ex hoc capite, quod ab illis petatur, & recipiatur Baptiſmus, nulla culpa contrahitur.

10 Inducere alios à Paroco, qui non ſint vitãdi ex hoc capite non eſt peccatũ.

ARTICVLVS VII.

An inter eos, qui poſſunt validè baptizare ſeruandus ſit aliquis ordo, & qualis, & ſub quo onere.

SVMMARIVM.

Epiſcopus proprius, & Parochus ſunt cæteris omnibus præferendi. 1.

Sacerdotes ſunt præferendi Diaconis. 2.

Sacerdotes propiùs accedunt ad Chriſtum principalem auctorem. 3.

Si Sacerdos in ipſo actu ſit ſimoniacus, debet ipſi alius præferri etiam non Diaconus. 4.

Extante Sacerdote non ſimoniaco in ipſo actu, ſed antecedentèr, & eſſet toleratus ipſe eſſet præferendus Diacono. 5.

Sacerdoti excommunicato non tolerato præferendus eſt Diaconus. 6.

Diaconus præferendus eſt cæteris Clericis inferioribus. 7.

Clerici inferiores præferendi ſunt ſecundum maiorem dignitatem. 8.

Maſculi præferẽdi ſunt regularitèr fœminis. 9.

Fideles infidelibus. 10.

In peruerſione talis ordinis non ſemper contrahitur noxa læthalis. 11.

Aſſignatur in caſibus particularibus, quando contrahatur noxa læthalis. 12.

Contrahitur culpa læthalis, ſi præſente Sacerdote Diaconus baptizat etiam priuatè. 13.

Si Sacerdos præſens abſolutè ſe ſubtraheret à baptizando grauitèr peccaret, non tamen Diaconus, ſi tunc baptizaret. 14.

Si Sacerdos non abſolutè renueret, ſed vrbanitatis gratia ſe retraheret, cæteroqui baptizaturus, grauitèr alius peccaret baptizans. 15.

Contrahit grauem noxam exiſtente non excõmunicato excõmunicatus baptizans. 16.

Sententia docens Laicos, & Clericos inferiores grauitèr peccare, ſi baptizent præſente Diacono. 17.

Sententia negans grauitèr non peccare. 18.

Præfertur prima ſententia. 19.

Explicatur in caſibus particularibus, quando per talem ordinis inuerſionem contrahatur ſolum culpa venialis. 20.

Explicatur quãdo nulla culpa contrahitur. 21.

Epiſ-

Digitized by Google

1 Epiſcopus, & Parochus ſunt cæteris præferendi.

EPiſcopos, & Parochos præferendos eſſe alijs omnibus in conferendo Baptiſmo extra caſus neceſſitatis, quinimmo etiam in caſu neceſſitatis, ſi præſtò ſiot, indubitatum eſt apud omnes, cum eiſdem hoc munus competat; & ratione ordinis, & ratione iuriſdictionis. Titulus igitur procedit de alijs ab eodem Paroco, an ſcilicet inter eoſdem in caſu neceſſitatis ſeruandus ſit aliquis ordo, adeo vt pluribus præſentibus aliqui alijs ſint præferendi.

2 Sacerdotes ſunt preferendi Diaconis.

Concluſio I. Pluribus præſentibus exiſtentibus talis ordo ſeruaodus eſt, vt Sacerdotes præferantur Diaconis, alijſque Clericis inferioribus, Diaconi alijs Clericis, & Laicis, Clerici Laicis, inter Laicos maſculi fæminis, fideles infidelibus, oon excommunicati excommunicatis. Procedit concluſio regularitèr loquendo, nam ab hac communi regula poſſuot eſſe aliquæ exceptiones, de quibus ſuo loco. In hoc communitèr conſentiunt, & ſignantèr *D. Thomas tertia part. q. 67. art. 4. in corpore, Suarez tom. 3. in tertiam part. D. Thomæ diſp. 31. ſect. 4. verſ. ſed quæres primo, Rodriquez in ſumma c. 25. de Baptiſmo concl. 1., Toletus lib. 2. c. 20. n. 8., Bellarminus de Baptiſmo lib. 1. c. 7.*

3 Sacerdotes propiùs accedunt ad Chriſtum.

Probatur prima pars de prælatione Sacerdotis. Qui principalitèr baptizat, Chriſtus eſt iuxta illud *Ioannis primo, Super quem videris ſpiritum deſcendentem, & manentem hic eſt, qui baptizat*, ergo miniſter, quantum fieri poteſt, debet eſſe talis, vt aptior ſit ad Chriſtum principalem auctorem repræſentandum; nullus autem aptior eſt ad illum repræſentandum, quam Sacerdos, qui eſt figura eius, ergo hic in concurſu aliorum præferendus eſt. Confirmatur, quia facultas, quæ conceditur omnibus baptizandi, non eſt abſoluta, ſed regulata, & pro caſibus neceſſitatis, qui caſus neceſſitatis non conſiſtunt præciſè in eo, quod quis ſit in periculo vitæ, ſed etiam io eo, quod non poſſit Baptiſmum recipere à proprio Parocho, vel ab alio, cui competat hoc muous ex proprio officio, ergo, ſi poſſit illum habere in abſeotia Parochi à Sacerdote, cui competit hoc munus ex officiò, Baptiſmus erit ab iſto conferendus, cum reſpectu aliorum non vrgeat hæc neceſſitas baptizandi, vt ex ſe patet.

Præſente Sacerdote excômunicato non tolerato Diaconus.

Sed hic oritur difficultas, an, ſi vrgente neceſſitate reſpectu baptizandi, quatenus periclitetur in vita, adſit quidem Sacerdos, ſed excommunicatus non toleratus, vel etiam apertè ſimoniacus, hic ſit præferendus Diacono, & alijs inferioribus ibi exiſtentibus. *Dominicus Sotus in quarto diſt. 4. q. vnica art. 2.*, loquens in terminis Sacerdotis ſimoniaci, qui nolit baptizare, niſi ſibi erogato pretio, aſſerit ab eodem non eſſe recipiendum Baptiſmum, ſed, ſi puer eſt baptizandus, potius baptizetur ab ipſo deferente, quod in fortioribus dicit, à Diacono, ſi ibi fuerit, vel ab alijs præſentibus, ſi ibi ooo fuerit Diacoous; & ſi fuerit baptizandus adultus, debeat ab alio petere Baptiſmum, etiam infideli, & ſi nullus adſit, moriatur potius cum Baptiſmo in voto, per quem ſaluabitur, quam petat ab ipſo Sacerdote ſimoniaco, & in hoc etiam conſentit *D. Thomas in quarto diſt. 25. q. 3. art. 2. quæſtiunc. 1. ad tertium, & diſt. 5. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 5. ad ſecundum*, vbi quod in caſu neceſſitatis liceat baptizare puerum etiam mulieri, vndè non debet aliquo modo pro ipſo Baptiſmo Sacerdoti dare pecuoiam, quod etiam dicit in ordine ad adultum. His adhærendum exiſtimo in caſu ſimoniacæ prauitatis, ſi eſſet committenda in collatione talis Baptiſmatis;

4 Si Sacerdos ſit ſimoniacus in ipſo actu eſt præferendus ipſi alius etiā non Diaconus

5 Si ſit ſimoniacus nō in ipſo actu, ſed antecedentèr, & eſſet toleratus ipſe eſſet preferendus.

ſi verò in ipſo actu non foret ſimoniacus Sacerdos, ſed in præcedentibus, quatenus fortè beneficium aliquod ſimoniacè receperit, vel per ſimoniam promotus fuerit ad Sacerdotium, & toleraretur, non dubitarem ipſum præferendum eſſe; quia in illa actione non conſideraretur, vt ſimoniacus; nec obſtat, quod eidem annexa ſit excommunicatio, quia, cum hæc non ſit ſpecialitèr denuntiata, non tollit ius communicationis. Quid vero dicendum ſit de Sacerdote excommunicato nominatim denuntiato, an hic eſſet alijs inferioribus præferendus? Affirmant *Corneius in tertia part. tract. 5. 5 t. dub. 2. q. 4., Diana part. 5. tract. 9. reſol. 87.*, qui ea ratione monentur, quia, cum in extrema neceſſitate omnibus data ſit facultas baptizandi, intelligitur etiam data excommunicatis, & ſic habeat ipſe Sacerdos excommunicatus cum alljs communem facultatem, & ex alio ipſe habet maius ius, cum de iure communi habeat ius baptizandi ratione ſuæ ordinationis.

6 Sacerdoti excommunicato non tolerato preferendus eſt Diaconus

Contrarium tamen ſentit *Suarez de cenſuris diſp. 11. ſect. 1. n. 11.*, eo quod ius, quod habet, eidem eſt ſpecialitèr interdictum ratione excommunicationis non toleratæ cum expreſſa prohibitione non communicandi in Diuinis; nec ratio in contrarium addocta aliquid euincit, quandoquidem neceſſitas non ſolum conſideratur reſpectu periclitantis, ſed etiam in ordine ad modum eidem ſubueoiendi; vnde, ſi plures fuerint, qui poſſint ſubuenire, non poteſt dici, quod neceſſitas in ordine ad omnes vrgeat, ita vt æquale ſit ius reſpectu omnium, quin potius neceſſitas ceſſat reſpectu impeditorum, quando alij exiſtunt non impediti; vnde non poteſt dici, quod tunc ratione neceſſitatis conceſſa ſit facultas æqualis omnibus abſolutè, ſed cum ſuo ordine, &

eum excommunicatus excludatur à quacunque participatione Diuinorum relinquit alijs non excluſis ſeruato ordine, de quo ſupra, ius baptizandi, quod magis verum crediderim.

7 Diaconus præferendus eſt cæteris Clericis inferioribus,

Probatur ſecunda pars de Diacono præferendo alijs Clericis inferioribus, & de præferendis ipſis Clericis ad inuicem ſeruata maioritate ordinum, & de iſtis præferendis Laicis, quia aptiores ſunt Diaconi ad rapræſentandum cauſam principalem baptiſmatis, quam reliqui Clerici inferiores, & Clerici inferiores inter ſe comparati illi magis ſunt apti ad hoc munus, qui magis accedunt ad Sacerdotium, & magis Clerici, qui adſcripti ſunt Eccleſiaſticæ militiæ, quam Laici, ergo Diaconus præferendus eſt alijs Clericis inferioribus, & ſic alij juxta ordinem præfinitum.

8 Clerici inferiores ſunt præferẽdi ſecundum maiorem dignitatem

9 Maſculi ſunt regularitèr preferendi fæminis.

Probatur tertia pars de maſculis in ordine ad fæminas, quia vir eſt caput mulieris, ſicuti Chriſtus eſt caput viri, vt habetur *prima ad Corint. 1.*, ergo præſente viro mulier non debet baptizare, ſed relinquere hoc munus eidem viro. Quamuis autem regularitèr hoc verum ſit, in aliquibus tamen caſibus mulier eſt præferenda; ſic ſignantèr, quando puer non eſt perfectè egreſſus ab vtero materno debet potius obſtetrix in parte egreſſa puerum baptizare, quam maſculus, & hoc ob decentiam fæminæ parturientis, non enim verenda fæminæ ſunt omnibus indefinitè promenda. Secundò, quando maſculus præſens non perfectè nouerit modum baptizandi, & non benè teneat formam Baptiſmi; quapropter conſultum eſt, vt fæminæ, antequam admittantur ad munus obſtetricum, rectè inſtruantur, & in modo baptizandi, & in forma Baptiſmatis adhibenda.

10 Fideles infidelibus.

Probatur quarta pars de fidelibus præferendis in hoc munere infidelibus, & de non excommunicatis præferendis excommunicatis, quia fideles per Baptiſmum ſunt configurati cum Chriſto, vt ait Apoſtolus, & non excommunicati ſunt membra Chriſti, & Eccleſiæ eiſdem vnita; excommunicati vero membra quodamodo ab eiſdem præciſa, ergo fideles, & non excommunicati ſunt præferendi infidelibus, & excommunicatis vtpotè magis apti ad rapreſentandum Chriſtum, vt cauſam principalem.

11 In peruerſione talis ordinis non ſemper contrahitur culpa læthalis.

Concluſio II. In peruerſione talis ordinis non ſemper contrahitur peccatum læthale, ſed quandoque veniale tantum, quandoque nullum. *Sotus in quarto diſt. 4. q. vnica art. 2., Toletus lib. 2. c. 20. nu. 8., Suarez diſp. 31. ſectione 4. verſ. ſed quares primo, & per nonnullos ſequentes.*

Explicatur primò, quando contrahatur peccatum læthale in peruerſione talis ordinis; ſic primo contrahitur talis noxa, quando præſente proprio Paroco alius ſimplex Sacerdos ſine eiuſdem conſenſu, vel explicito, vel implicito, & interpretatiuo ſe ingerit ad baptizandum, & baptizat non ſolum ſolemnitèr, ſed etiam priuatè; & in hoc expreſsè conſentit *Suarez loc. cit. verſ. ſed quares primo*. Ratio eſt manifeſta, quia Parochus priuatiuè quoad alios omnis, ſi excipias proprium Epiſcopum, habet ius prælatiuum baptizandi infantes ſibi ratione Pareciæ ſubditos, ergo alius quantumuis Sacerdos ſine graui eiuſdem iniuria ob læſionem illius iuris ſibi competentis nõ poterit baptizare, ſiue pueros, ſiue adultos ipſo præſente, & volente baptizare; Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur hæc ad ſummum valere, quando Sacerdos ſimplex ſolemnitèr baptizaret præſente Paroco, non autem quando baptizaret priuatim ſine ſolemnitate, quia in illo priuato Baptiſmo vix conſiderari poteſt iniuria, cum non videatur pertinere ad iuriſdictionem contentioſam, ſed voluntariam. Non, inquam, obeſſe poteſt; quia Parochus non ſolum ius habet priuatiuè quoad quemcunque alium baptizandi ſolemnitèr, ſed etiam priuatim conceſſa dumtaxat alijs facultate baptizandi abſente eodem Paroco; vnde quãdocunq; ipſe præſens eſt, & vult baptizare, iniuria eidem infertur, ſi baptizandus eidem ſubditus ab alio baptizetur, quia læditur eius ius.

12 Aſſignatur in caſibus particularibus, quãdo cõtrahitur læthalis.

Contrahitur ſecundò noxa læthalis, quando præſente Sacerdote Diaconus, vel alius inferior baptizaret etiam priuatè; conſentiunt in hoc *Suarez loc. cit., Emanuel Sà verb. Baptiſmus n. 7., Henriquez c. 28. ad fin., Coninchus in tertiam partem D. Thomæ q. 67. dub. 2., Bellarminus de Baptiſmo lib. 1. c. 7.* Ratio ex eo deducitur, quod per ſe, & directa intentione inſtituentis ſolus Sacerdos eſt miniſter huius Sacramenti, ergo eodem præſente alter non Sacerdos nequit illud munus præſtare, quia ius eidem competens violaret. Sed hic inquiri ſolet, an ſaltem Diaconus, vel alius inferior de licentia Sacerdotis præſentis poſſit priuatim baptizare? Cum diſtinctione reſpondendum eſt; vel etenim Sacerdos præſens abſolutè ſe retrahit ab illo munere nolens baptizare, & abſolutè dicit, *alius baptizet*, quia *Ego nolo*, vel abſolutè ſe non ſubtrahit, ſed cedit ex quadam vrbanitate, vt alteri gratum faceret, munus illud impleturus, ſi illud alter non Sacerdos non acceptaret. Iuxta primum ſenſum peccaret grauitèr Sacerdos præſens nolens baptizare, non tamen peccaret Diaconus ibi præſens, & ſi non eſſet præſens Diaconus, Subdiaconus, & eodem

13 Contrahit culpã læthalem Diaconus, ſi præſente Sacerdote baptizet.

etiam

etiam non præſente Luicus, ſi baptizaret. Iuxta ſecundum ſenſum grauitèr peccaret quicunque inferior præſente Sacerdote baptizaret. Ratio primæ partis ex eo euincitur, quod Sacerdos renuens abſolutè baptizare, delinqueret contra reuerentiam Sacramenti, & contra debitum ſui muneris, & officij; quoad ſecundam partem ex eo deducitur, quod Diaconus in caſu neceſſitatis abſente Sacerdote poteſt puerum, vel adultum periclitantem licitè baptizare ex communi regula ſupra tradita, ergo etiam poterit hoc præſtare Sacerdote præſente, & nolente abſolutè baptizare. Conſequentia probatur, quia præſentia Sacerdotis nihil confert, quando abſolutè non vult ſuum munus adimplere, & perindè eſt in ordine ad effectum, qui intenditur, ac ſi non eſſet eius præſentia. Iuxta ſecundum ſenſum aſſero ſine graui culpa alium inferiorem Sacerdote non poſſe munus illud adimplere, prout ſtatuit etiam *Suarez loc. cit.* non ex eo motiuo, quod lædat ius Sacerdotis, cum hic ſupponatue non inuitus, quin potius cedere iuri ſuo, ſed proptèr negationem reuerentiæ Sacramento debitæ, cum ex directa ſui inſtitutione debeat à Sacerdote miniſtrari, nec alteri hoc eſt conceſſum, niſi in caſu neceſſitatis, quæ ceſſat exiſtente Sacerdote præſente; nec poteſt dici, quod in hoc caſu Sacerdos reputetur tanquam abſens, cum cedat iuri ſuo, quia abſolutè hic non cedit, nec renuit tale munus adimplere, ſed ſolummodo exhibet alteri, adimpleturus tamen ſi hic alter non acceptaret exhibitionem; tenetur autem hic non acceptare, ne ſe ingerat in munere, quod ipſi non competit, niſi in caſu, quo non eſſet præſens Sacerdos, vel nollet abſolutè baptizare.

14 Sacerdos præſens, ſi renueret baptizare grauitèr peccaret, & tunc poſſet Diaconus licitè baptizare

15 Si Sacerdos præſens abſolutè nõ renuat nequit inferior licitè baptizare.

Contrahitur tertiò grauis noxa; ſi præſente non excommunicato excommunicatus baptizet, & ab hoc arbitror neminem diſſidere, quia contractaretur indignè Sacramentum nulla neceſſitate ad hoc compellente; quamuis enim permittatur excommunicato baptizare in neceſſitate, qua alitèr ſubueniri nequeat periclitanti, hoc tamen non permittitur, quando alitee eidem poteſt ſubueniri per non excommunicatum præſentem. Eadem ratione arbitror contrahi grauem noxam per infidelem, ſi præſente fideli baptizaret etiam peiuatim propter irreuerentiam ſcilicet Sacramenti, & peoptee indignam contractationem eiuſdem.

16 Contrahit grauẽ noxã excommunicatus baptizãs præſente non excommunicato.

Dubium eſt, an nullo extante Sacerdote, ſed ſolummodo Diacono cum alijs Clericis inferioribus, ſeu Laicis, ſi Clericus inferior, ſeu Laicus baptizaret, contraheret graue peccatum. Ratio dubitandi conſurgit ex ſupeeius dictis, quod ſcilicet in ordinatione Diaconi conferatur eidem poteſtas prædicandi, & baptizandi, &, quamuis dixerimus, non conferri ſimplicitèr ius, ſed ſolum aptitudinem, vt poſſit deputari ad hoc munus, cum hæc aptitudo non competat alijs inferioribus non videntur alij poſſe hoc munus ſibi vſurpare eodem præſente eo, quia, ſi hic non habet ex vi ſuæ ordinationis ius in actu, habet tamen in virtute, ſeu aptitudine, ratione cuius excludit alios non habentes talem aptitudinem. Accedit, quod notabilitèr conferat ad maiorem reuerentiam Baptiſmi, quod hic miniſtretur à Diacono, quam ab alijs inferioribus; primò, quia hic magis accedit ad Sacerdotium; ſecundò, quia Diaconus eſt deputabilis ad ipſum miniſtrandum, quales non ſunt alij inferiores, ergo è contrario ſenſu erit defectus notabilis reuerentiæ, ſi miniſtretur ab infeerioribus, adeoque erit defectus, & culpa grauis.

17 Sentẽtia docens Clericos inferiores grauitèr peccare, ſi baptizẽt præſente Diacono.

Contrarium tamen ſuſtinent *Sotus in quarto diſt. 4. art. 2., Suarez tom. 3. in tertiam part. D. Thomæ diſp. 31. ſect. 4. verſ. vnde tertio addendum eſt*, qui conſiderant grauitatem culpæ non conſurgere ex læſione iuris eiuſdem Diaconi, nec ex graui irriuerentia Sacramenti; non ex prima, quia Diaconus ex vi ſuæ ordinationis non acquirit ius aliquod, nec conſtituitur miniſter ex officio; non ex ſecunda, quia ille defectus reuerentiæ non eſt talis, vt poſſit eſſe grauitèr peccaminoſus. Ego probabilius eſſe arbitror, grauitèr peccare inferiorem, qui ipſo præſente baptizaret. Rationes pro priori ſententia videntur ſufficientèr hoc euincere, quibus hanc aliam addo, quod Diaconus ex commiſſione Epiſcopi, vel Parochi baptizans ſolemnitèr non peccat, & tamen, ſi Subdiaconus, vel alius inferior ex eadem commiſſione ſolemnitèe baptizarent grauitèr peccarent; ex quibus infero; ergo maius eſt ius in Diacono ad hoc munus, quam in alijs inferioribus, ideoque Diaconus ius aliquod habet in Baptiſmum per cuius læſionem non poteſt, niſi grauis culpa conſurgere.

18 Sentẽtia aſſerens non grauitèr peccare.

19 Prefertur prima ſẽtentia.

Explicatur ſecundò, quando pee talem inuerſionem non niſi venialis culpa contrahitur primò, quando præſente Clerico inferiori Laicus baptizaret. Secundò, quando præſente maſculo baptizaret fæmina. Tertiò, quando præſente Acolito baptizaret Oſtiarius. Ratio horum omnium ea eſt, quia nullus ex his habet ius, nec incohatum in ordine ad Baptiſmum, ergo, ſiue ab vno, ſiue ab altero fiat nullius ius læditur, ergo ex hoc capite non conſurgit grauis culpa. Rurſus quamuis ſit aliqualis maior reuerentia Sacramenti, ſi

20 Explicatur in caſibus particularibus quãdo cõtrahatur ſolum venialis.

fiat à Clerico, quam ſi fiat à Laico, & ſi fiat à Clerico conſtituto in maiori ordine, ac à conſtituto in minori, & ſi fiat à maſculo, quam a fæmina, non eſt tamen talis, vt defectus illius maioris reuerentiæ conſtituat culpam læthalem, ſiquidem, cum à neutro recenſitorum fiat ex officio, nec in virtute alicuius iuris, majus, vel minus quoad reuerentiam non poteſt in genere moris inducere tantam variationem, vt à culpa veniali transferat actionem in læthalem.

Explicatur tertiò, quando nulla con-

21 Explicatur quando nulla cõtrahitur.

trahatur culpa; primò, quando obſtetrix non longè extante maſculo baptizaret puerum periclitantem ſecundum ſe totum non egreſſum ab vtero excuſante decentia fæminæ parturientis. Secundò, quando extante maſculo, & fæmina maſculus eſſet ignarus conſuetæ formæ. Tertiò, quando extante Clerico manifeſto peccatore extaret Laicus innocens, & hic baptizaret.

ARTICVLVS VIII.

De diſpoſitionibus requiſitis ex parte baptizantis.

SVMMARIVM.

Diſpoſitiones, quæ in aliorum Sacramentorum adminiſtratione requiruntur. 1.
Intentio miniſtri requiritur, ſiue Baptiſmus conferatur ſolemnitèr, ſiue priuatim. 2.
Fides non requiritur ad valorem. 3.
Requiritur tamen ad licitam ſolemnem collationem. 4.
Ad licitam ſolemnem collationem requiritur in baptizante ſtatus gratiæ, non ſic in priuata in caſu neceſſitatis. 5.
Ratio, ob quam in priuata collatione non ſit neceſſarius ſtatus gratiæ. 6.
Etiam in collatione priuata requiritur excluſio cuiuſcunque praui finis. 7.
Si prauus finis non excludat intentionem verè baptizandi non irritat. 8.

1 Diſpoſitiones, quæ in alijs Sacramentis requiruntur.

REgularitèr in Sacramentorum adminiſtratoribus ad validam, licitam, & fructuoſam eorum collationem, ſeu adminiſtrationem requirũtur intentio, fides, ſtatus gratiæ, & interior, & exterior quædam deuotio. Modo quæritur, an omnes hæ diſpoſitiones requirantur in miniſtro in adminiſtratione, & collatione Baptiſmatis. Pro quo

Aduertendum eſt, an Baptiſmus conferatur ſolemnitèr ab habente plenum ius illum conferendi ex officio, an verò priuatim non ſeruatis Eccleſiæ ritibus, & cæremonijs; ex hac enim conſideratione oriri poſſunt rationes diuersè decidendi in hac materia, & quidem requiri intentionem in miniſtro faciendi id, quod facit Eccleſia, ſiue Baptiſmum conferatur ſolemnitèr, ſiue priuatim indubitatum eſt; hæc enim tanquam eſſentialis præſcripta eſt in Iure, & præcipuè in *Concil. Florent. in decreto Armenorum*, vbi dicitur, quod omnia Sacramenta conficiantur ex materia, & forma, & intentione miniſtri; vnde difficultates huius tituli reducendæ ſunt ad reliquas recenſitas diſpoſitiones.

2 Intentio miniſtri requiritur, ſiue Baptiſmus conferatur ſolemnitèr, ſiue priuatim.

Fidem non eſſe neceſſariam ad validè conferendum hoc Sacramentum ſatis conſtat ex præcedentèr dictis, vbi quod Iudæi, & Pagani, alijque infideles poſſunt ipſum validè adminiſtrare. Sed, an neceſſaria ſit ad licitam eius adminiſtrationem? Si conferatur ſolemnitèr; non eſt hæſitandum, quod ſit neceſſaria, adeout, ſi ſine eadem fide adminiſtretur, conferens conſtituatur reus grauis ſacrilegij. Ratio eſt, quia adminiſtrando ſolemnitèr ſe habet, vt miniſter Chriſti, & Eccleſiæ, quorum ſanctitati ſe debet conformare potiſſimum per fidem, quæ eſt fundamentum cæterarum virtutum; Si vero priuatim conferatur vrgente neceſſitate, hæc fides etiam non videtur neceſſaria in illa priuata collatione, quia non agit, vt miniſter conſecratus.

3 Fides nõ requiritur ad valorem.

4 Requiritur tamẽ ad licitã ſolemnẽ collationem.

Ex eiſdem rationibus euincitur etiam in ſolemni Baptiſmi adminiſtratione requiri ad licitam collationem ſtatum gratiæ in baptizante, non autem in collatione priuata vrgente neceſſitate, & in vniuerſum in hoc conſentit *D. Thomas in quarto diſt. 5. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 4. in corp., & tertia part. q. 64. art. 6. ad tertium*. Hinc elicitur, quod, ſi Laicus, vel etiam Clericus inferior in caſu neceſſitatis baptizet, quantumuis exiſtat in peccato læthali, non contrahat noxam læthalem, quia non eſt miniſter Eccleſiæ, nec ſe exhibet, vt talem, quod etiam aſſero de Sacerdote, quando in neceſſitate baptizat priuatim, quia, quamuis ſit miniſter ex officio, in caſu tamen neceſſitatis non baptizat, vt miniſter ex officio, ſed, vt miniſter neceſſitatis, ſicut Laicus, ſeu vt loquitur *D. Thomas loc. cit.*, vt vetula, prout notauit *Granadus in tertia part. controu. 3. tract. 5. diſp. 5. num. 6.*

5 Ad ſolẽnem collationem requiritur ſtatus gratiæ nõ ſic ad priuatam.

Si autem quæratur ratio, propter quam in Baptiſmi priuati collatione non requiratur ſtatus gratiæ in conferente, cum denegari non poſſit, quod verè conferatur Sacramentum, & Sacramenta ex genere ſuo exigunt, vt dignè, & ſanctè tractentur; Dicam rationem fundari in ſumma Diuinæ bonitatis, & clementiæ diſpo-

6 Ratio, ob quam in priuata nõ requiratur ſtatus gratiæ.

diſpoſitione, quæ, cum voluerit in quocunque ſtatu hominibus conſulere de opportuno remedio ad ſalutem maximè neceſſario, voluit etiam in ſtatu neceſſitatis de miniſtro ſine vlla prorſus exceptione prouidere, in quo propterea non requirit illas omnes diſpoſitiones, quas requirit in aliorum Sactamentorum diſpoſitione ſic exigente neceſſitate, & conditione eiuſdem Baptiſmi.

Quamuis autem in baptizante priuatim vrgente neceſſitate non requiratur

7 Etiam in priuata requiritur excluſio cuiuſcũq; praui finis.

etiam ad licitam collationem ſtatus gratiæ, requiritur tamen, vt in eadem collatione non admiſceatur praua intentio, nam, ſi hæc adeſſet, ex parte conferentis cooſtitueretur illicita collatio: Hoc eueniret primò, ſi quis baptizaret puerum cum animo, & intentione ipſum occidendi; Secundò, ſi fæminam baptizaret cum animo poſtea illa abutendi, vt notat *D. Thomas tertia part. q. 64. art. 10. in corpore*, quia illa peruerſitas finis inficit, & dehoneſtat actionem; Aduerte tamen, quod illa peruerſitas non inualidet Baptiſmum, quia, vt notat *D. Thomas loc. cit.*, quod prius eſt, non dependet à poſteriori; cum autem baptizaos prius intendat baptizare, & poſtea exequi prauum illum finem, Baptiſmus primo intentus non poteſt in ſuo eſſe dependere ab illo fine, &

8 Si prauus finis non excludat intentionem verè baptizãdi non irritat.

propterea, nec irritari. Tertiò, ſi quis iocosè, & deriſoriè Baptiſmum conferret, quod tamen poteſt dupliciter intelligi, vel quatenus non intendat conferre Baptiſmum, ſed præcisè irridere, vel quatenus intendat verè conferre, ſed ſimul deridere; & quidem, ſi primò modo procedat, non ſolum erit illicita collatio, ſed etiam inualida, quia non eſt intentio conferendi Baptiſmum, & talis peruerſitas tollit veritatem Sacramenti; Si ſecundo modo, collatio quidem erit illicita ratione deriſionis, quæ annectitur Sacramento, non tamen inualida, quia ſunt omnia requiſita, & intentio verè conficiendi Baptiſmum licet deturpata illo fine extrinſeco deriſionis. Hic eſſet agendum de Baptiſmo D. Geneſij, qui detiſoriè dicitur factus, ſed quia de eodem egi, dum de Sacramentis in genere, ideo in hoc non immoror.

QVÆSTIO VI.

De concurrentibus cum miniſtro baptizante ad Baptiſmum.

QVamuis ad conferendum Baptiſmum vnus tantum regulaitèr loquendo debeat concurrere tanquam miniſter; quoad ritus tamen in ſolemnitate eiuſdem non ſolum alij admittuntur, ſed etiam ex canonicis ſanctionibus tequiruntur, non quidem, vt miniſtri, ſed vt coadiutores miniſttorum. Hi vſitato nomine dicuntur Patrini, ſeu Compatres, quia quoquo modo deſeruiunt regenerationi ſpirituali baptizandorum, & vi muneris, quod præſtant, contrahunt cum eiſdem baptizatis cognationem quandam ſpiritualem, & etiam onus eos inſtruendi in dogmatibus Catholicæ fidei. De ijs, poſtquam egerimus de principalibus miniſtris placet ſingillatim ſermonem inſtituere, & quæ ſint eorum munera, iura, & onera indagare.

ARTICVLVS I.

An Patrinus de neceſſitate præcepti requiratur in Baptiſmo.

SVMMARIVM.

Ex neceſſitate Sacramenti non requiritur Patrinus. 1.
Ex iure Eccleſiaſtico ſaltem non ſcripto ad ſolemnem collationẽ requiritur Patrinus. 2.
Sententia docens etiam requiri in priuata. 3.
Huic opinioni videtur adſtipulari D. Thomas comparans regenerationem ſpiritualem natiuitati corporali. 4.
In Baptiſmo priuato non eſt neceſſarius Patrinus. 5.
Eccleſia eoſdem tantum inſtituit ad ſolemnitatem. 6.
Euincitur etiam ex communi vſu Eccleſiæ. 7.
Qui concurrit in adiutorium, materialitèr tantum ſe habet. 8.
Non currit paritas de natiuitate corporali, & quarè. 9.
Sententia aſſerens, tenentem in Baptiſmo priuato cum animo exercendi munus Patrini eſſe verè talem, & contrahere cognationem ſpiritualem. 10.
Probabilius non eſt talis, nec contrahit. 11.

Cer-

1 Ex neceſſitate Sacramenti non requiritur Patrinus.

CErtum eſt ex neceſſitate Sacramenti non requiri Patrinum in collatione Baptiſmi, cum hoc nullibi reperiatur præſcriptum à Chriſto Domino, nec in inſtitutione, nec in præcepto ipſum conferendi. Dubium igitur ſolum verſatur quoad neceſſitatem præcepti Eccleſiaſtici, ſiue ſit ſcriptum, ſiue non ſcriptum, ſeu conſuetudinarium.

2 In ſolemni collatione de iure Eccleſiaſtico requiritur.

Et quidem quod tali neceſſitate requiratur in Baptiſmo ſolemni conſtat ex antiquiſſima conſuetudine, de qua teſtantur *D. Dionyſius c. 2. de Eccleſiaſtica Hierarchia, & Tertullianus lib. de Baptiſmo c.* 18., quæ propterea induxit obligationem ex iure ſaltem non ſcripto, & hoc tenet communis Eccleſiæ praxis, ſecundum quam nullus admittitur ad Baptiſmum ſine Patrino, & eruitur ex omnibus Ritualibus Eccleſiaſticis, qui dirigunt omnia interrogata ad Patrinos, qui propterea in iure appellantur fideiuſſores baptizatorum, & ſponſores pro eiſdem, vt patet *ex c. vos ante de conſecrat. diſt. 4., & ex D. Auguſtino ſerm.* 116. *de temp., & ex Concil. Pariſienſi* 1. *lib.* 1. *c.* 54.

3 Senſtētia docens etiam requiri in priuata.

Difficultas igitur potiſſimum verſatur, an Patrinus etiam ſit neceſſarius in Baptiſmo priuato; circa quam *Zambranus de caſib. occur. temp. mortis c. 1. de Sacram. Bapt. dub.* 18. *n.* 15. ſuſtinet etiam in Baptiſmo priuato adhibendum eſſe Patrinum, eo quia hic non ſolum requiratur ad ſolemnitatem, ſed etiam in adiutorium miniſtri baptizantis, cum vix poſſit puer baptizari, niſi ſit, qui teneat, & ad neceſſitatem inſtruendi puerum in dogmatibus noſtræ fidei.

4 Huic ſẽtentię videtur adſtipulari D. Thomas.

Huic opinioni fauere videtur *D. Thomas tertia part. q. 67. art. 7. in corp.*, dum aſſignans rationem pro indigentia Patrini in Baptiſmo comparat regenerationem ſpiritualem generationi carnali, & deindè ſic diſcurrit. In generatione carnali paruulus nuper natus indiget nutrice, & Pedagogo, quinimmo in ipſa natiuitate obſtetrice, ergo, & in regeneratione ſpirituali requiritur, qui fungatur munere nutricis, & Pedagogi informando, & inſtruendo eum in vita ſpirituali, qui regeneratur, & regeneratus eſt. Hæc autem ratio æquè videtur militare, ſiue Baptiſmus fiat ſolemnitèr, ſiue tantum priuatim.

5 In Baptiſmo priuato non eſt neceſſarius patrinus.

Nihilominus ſentiendum eſt, in Baptiſmo priuato de neceſſitate non requiri Patrinum. *Sotus in quarto diſt. 41. q. 1. art. 1., Henriquez lib. 2. c. 18. in fin., Diana part. 4. tract. 4. reſol.* 18., qui etiam allegat *Suarez, Sanchez, Rodriquez, & alios*. Ratio ex eo deducitur, quod inſtitutio Patrini ad hoc munus facta eſt non per Chriſtum Dominum, ſed per Eccleſiam, quæ tantum inſtituit ea, quæ pertinent ad cæremonias, & ritus requiſitas, ſeu requiſitos ad ſolemnitatem, ergo extra ſolemnitatem ex neceſſitate non ſunt adhibendi Patrini, ſicuti nec ſunt adhibendi cæteri ritus.

6 Eccleſia eoſdem inſtituit ad ſolẽnitatem.

Confirmatur ex communi praxi Eccleſiæ, ſecundum quam, quando in neceſſitate confertur Baptiſmus, nullus Patrinus adhibetur; immo quando etiam ob aliquem honeſtum finem confertur aqua luſtralis puero, vt poſt aliquod temporis fiant ſolemnitates in ſupplemento cæremoniarum Patrinus non adhibetur, quando ipſa aqua luſtralis confertur (& tunc verè fit Baptiſmus in ſubſtantia) ſed quando cæremoniæ ſupplentur, quod ſatis indicat Patrinum ex neceſſitate non eſſe adhibendum, niſi in Baptiſmo ſolemni.

7 Euincitur etiam ex cõmuni vſu Eccleſiæ.

8 Adiutoriũ, quod tũc adhibetur materialitèr tãtum ſe habet.

Nec me premunt obiecta contrariæ ſententiæ; Non primum, quod Patrinus requiratur in adiutorium miniſtri baptizantis; nam dato etiam quod requiratur aliquis, qui adiuuet, hic merè materialitèr, & corporalitèr ſe haberet; Vt autem quis concurrat, vt Patrinus, debet eligi, vt hoc munus præſtet cum animo ſe obligandi ad baptizandi inſtructionem, & acceptetur ſub tali onere; vnde dicitur in iure fideiuſſor, & ſponſor, qualis ille non eſt, qui ſolum materialitèr tenet. Non ſecundum deductum ex D. Thoma, quia paritas generationis carnalis, & regenerationis ſpiritualis non currit in omnibus, quia ea, quæ ſubſequuntur ad generationem carnalem, proueniunt quodamodo ſic exigente natura, ea autem, quæ ſubſequuntur ad Baptiſmum, non proueniunt ex ipſa natura Baptiſmi, ſed ex diſpoſitione Eccleſiæ, quæ propterea poſſunt ſuppleri per aliud.

9 Non currit paritas de natiuitate corporali, & quare.

Deindè data etiam illa paritate, ſicuti in ordine naturalis generationis mater ipſa poteſt adimplere onus nutricis, & pater munus Pedagogi; ita, & in regeneratione ſpirituali alij, qui verè non ſint Patrini, poſſunt illa munera ſupplere. Tandem puer, quando ex neceſſitate priuatim baptizatur, vel immediatè moritur, & ſic non indiget Patrino, qui munus gerat nutricis, & Pedagogi; vel ſuperſtes remanet, & tunc ſunt ſupplendæ cæremoniæ, & per conſequens etiam adhibendus Patrinus, qui munera illa exercebit.

Cum autem dixerimus, quod, vt quis dicatur Patrinus, non ſufficiat, quod in Baptiſmo priuato materialitèr, & corporalitèr adiuuet baptizantem tenendo baptizandum, ſed requiratur, quod moralitèr teneat cum intentione ipſum ſub ſua cura ſuſcipiendi, & inſtruendi in fide Catholica, oritur hic immediatè difficultas, an ſi in Baptiſmo priuato, quis teneat puerum cum intentione illa ſuſcipiendi ſub ſua cura, ſeu formalitèr, vt Patrinus, verè ſit

talis,

talis, & contrahat cognationem ſpiritualem, quam contrahunt Patrini tenentes in Baptiſmo ſolemni, de qua cognatione infra agemus.

10 **Sentẽtia aſſerens tenentem in Baptiſmo priuato verè eſſe talē.**

Affirmant in hac hypotheſi, verè hunc conſtitui Patrinum, & contrahere omnia onera, quæ contrahunt tenentes in Baptiſmo ſolemni, & per conſequens etiam cognationem ſpiritualem *Zambranus loc. cit., Nauarrus in man. c. 22. n. 40., Coninchus de Sacramentis diſp. 31. dub. 2. concl. 2., Armilla verb. Matrimonium n. 14.*, eo quia intelliguntur omnia interuenire, quæ requiruntur ad veram rationem Patrini, tentio ſcilicet in Baptiſmo, & non ſolum materialis, & corporalis, ſed etiam moralis cum vera intentione &c. Sed ego abſolutè arbitror non contrahere cum *Sanchez de Matrimonio tom. 2. lib. 7. diſp. 62. n. 15., Diana loc. ſupra cit.*, qui etiam allegat *Rodriquez, & alios*, pro vt etiam docui *tom. 6. de ſub tit. Contractus XV. de Matrimon. II. prænot. 10. ſect. 4. num. 22.* vbi latè probaui,

11 **Probabilius non eſt talis, nec contrahit.**

quod hæc ſit cæremonia merè Eccleſiaſtica, & inducta dumtaxat in Baptiſmo ſolemni, &, quamuis dicatur, quod ſic tenens habeat animum obeundi munus propriè ſuſceptoris, in quo caſu *Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ comment. in quæſt. 67. art. 8. dub. vlt.* aſſerit, verè contrahere cognationem ſpiritualem; nihilominus hoc non videtur ſufficiens motiuum ad inducendam hanc cognationem, quia non eſt in libertate ſuſcipientis conſtituere munus, quod ab Eccleſia inſtitutum non eſt. Vide ea, quæ egi *loc. cit.*, & inſuper adde, quæ tradidi *eodem tom. 6. de Matrimon. 2. Diſq. 2. §. 35. num. 2.* vbi, quod, ſi maritus tenuerit filium propriæ vxoris, vel communem vtriuſque non priuetur iure petendi, ſi tenuerit ex neceſſitate, & in Baptiſmo priuato, adeoque, nec contrahat cognationem ſpiritualem, ex quo conſurgit illa priuatio iuris petendi.

ARTICVLVS II.

Qualis debeat eſſe Patrinus in Baptiſmo ſolemni.

SVMMARIVM.

Infideles non baptizati non ſunt admittendi, & ſi admittantur, non contrahunt cognationem ſpiritualem. 1.

Per eoſdem haberi nequeunt effectus, qui intenduntur ab Eccleſia in inſtitutione Patrinorum. 2.

Nec valet argumentum, poſſunt baptizare, ergo poſſunt eſſe Patrini, & quarè. 3.

Signanter euincitur, quod non contrahant cognationem ſpiritualem. 4.

Etiam Cathecumenus non eſt admittendus. 5.

Nec contrahit cognationem ſpiritualem, ſi poſtea baptizetur. 6.

Si duo teneant eundem puerum alter fidelis, alter infidelis, ſolum fidelis contrahit cognationem ſpiritualem. 7.

Si fidelis ſit Patrinus filij Patris infidelis non contrahit cum eodem Patre cognationem. 8.

Hæretici non ſunt ad hoc munus admittendi, ſi tamen admittantur, an contrahant cognationem remiſſiuè. 9.

Catholici baptizati, & non confirmati de facili non ſunt admittendi, non eſſet tamen grauis noxa, ſi admitterentur, & verè contraherent cognationem. 10.

Explicatur textus in c. de Baptiſmate de conſecr. diſt. 4., *vt non diſcordans à noſtro ſenſu.* 11.

Soluitur inſtantia oppoſita. 12.

Pater, & Mater pueri baptizandi non ſunt admittendi. 13.

Si tamen admitterentur, non contraherent inter ſe cognationem ſpiritualem. 14.

Nec obſtat, quod contrahant cum proprio filio, quem tenent. 15.

Quæ dicta ſunt procedunt de iure nouo Tridentini. 16.

Monaci, & Abbates excluduntur à munere Patrini in Baptiſmo. 17.

An alij Regulares interdicantur ab hoc munere probabilius eſt, quod interdicantur. 18.

Non tamen, ſi aſſumantur ad Cardinalatum, vel Epiſcopatum. 19.

Regulariter omnes baptizati compotes rationis, ſi fuerint in congrua ætate, poſſunt eſſe Patrini in Baptiſmo. 20.

Non eſt neceſſe, quod Patrinus ſit maior ætate baptizando. 21.

1 **Infideles non baptizati nõ ſunt apti.**

CONcluſio I. Infideles non baptizati non ſunt admittendi, vt Patrini in Baptiſmo ſolemni fidelium, &, ſi contra iuris diſpoſitionem admittantur, non contrahunt cognationem ſpiritualem *Valentia tom. 4. diſp. 4. q. 2. punct. 3., Sotus in quarto diſt. 42. art. 3., Henriquez lib. 12. c. 3. n. 4., VeraCrux prima part. ſpeculi art. 56. concl. 6., Sanchez de Matrim. lib. 7. diſp. 60. num. 2.*

2 **Nõ ſunt apti ad munera inſtituta ab Eccleſia.**

Ratio ex eo deducitur primò, quia infideles ex genere ſuo excluduntur a munere ſuſceptoris, quia iſte ex primaria Eccleſiæ inſtitutione inductus in ordine ad inſtruẽdos baptizatos in dogmatibus fidei, quod haberi nequit, nec ſperari ab infidelibus non baptizatis, &, ſi ſuſcipiunt, non ſuſcipiunt tamen, vt ab Eccleſia deputati, nec acceptati, ergo non contrahunt hanc cognationem ſpiritualem. Quod, ſi dicas non excludi ab Eccleſia à munere baptizandi, ergo, neque excluduntur à munere

ſuſcipiendi; ſtatim impugnaberis, quia ideo infidelis non excluditur à munere baptizandi, quia Baptiſmus eſt Sacramentum neceſſitatis, qui ex ſua eſſentia exigit miniſtrum, quicunque ille ſit; ſuſcipiens verò non eſt de neceſſitate Baptiſmi, adeoque non eſt, cur ſi ſit infidelis, ſit admittendus tanquam ſuſceptor, & contrahere debeat cognationem ſpiritualem; quinimmò,

3 Non valet argumentum à valore Baptiſmi ab ipſis collato.

quantumuis infidelis baptizans validè baptizet, non propterea contrahit cognationem ſpiritualem, quia, quantumuis admittatur ad munus neceſſitatis, admittitur tantum quoad ea, quæ iuris Diuini ſunt, non tamen admittitur quoad ea, quæ conſequuntur ex iure Eccleſiaſtico, cum eorum omnino ſit incapax. Hinc

4 Signantèr non contrahunt cognationem.

Secundò deducitur ratio. Hæc cognatio ſpiritualis inducta eſt dumtaxat ex iure Eccleſiaſtico; infidelis autem, ſicut non eſt ſubditus iuribus Eccleſiaſticis, ita, nec eorum effectibus poteſt eſſe ſubditus.

Ex hac ratione deducitur, quod etiam Cathecumenus non poſſit eſſe ſuſceptor Baptiſmi, nec contrahere hanc cognationem ſpiritualem, quantumuis ſe ingerat ad ſuſcipiendum,

5 Etiam Cathecumenus non eſt aptus.

quia adhuc non eſt ſubditus iuribus, & effectibus Eccleſiaſticis. Sed an, ſi poſtea baptizetur, contrahat cognationem hanc ſpiritualem ratione Baptiſmi, in quo antecedentèr puerum tenuit? Negatiuè reſpondendum eſt, quia cognatio ſpiritualis tunc contrahitur, quando puer in Baptiſmo ſuſcipitur, & è ſacro fonte leuatur; tunc autem Cathecumenus non erat capax illius, nec dicendum eſt,

6 Nec contrahit, ſi poſtea baptizetur.

quod tunc, quando ſuſcipit Baptiſmum, illa cognatio ſpiritualis ratione præcedentis Baptiſmatis reuiuiſcat, quandoquidem illa tentio, quæ non habuit effectum, quando poſita eſt, nec poteſt illum ſortiri, quando amplius non eſt, vt notarunt *Alexander de Neuo in c. contractio n. 13. de cognat. ſpirit.*, *Sotus in quarto diſt. 42. q. 1. art. 3.*, *Petrus de Ledeſma de Matrim. q. 56. art. 1. paulo poſt princip.*; non enim habet illam vim, quam habent Sacramenta ſuſcepta cum obice, quæ remoto obice reuiuiſcunt, cum hæc habeant vim in acceptatione Diuina, quod verificari nequit de illa tentione, quæ neque eſt de iure Diuino, nec valida.

Deducitur ſecundò, quod, ſi duo leuent de ſacro fonte baptiſmatis puerum,

7 Duobus tenentibus, altero fideli, altero infideli ſolus fidelis contrahit.

quorum alter ſit fidelis, alter infidelis, fidelis contrahat cognationem ſpiritualem, non ſic infidelis. Ratio ex mox dictis deducitur, quia infidelis non eſt propriè ſuſceptor, nec capax effectuum, qui oriuntur ex iure Eccleſiaſtico; nec arbitrandum eſt, quod per coniunctionem cum fideli conſtituatur capax, quia nullibi reperitur, quod per capacitatem vnius tollatur incapacitas alterius, nec ex incapacitate iſtius tollatur illius capacitas, quando hæc per ſe ipſam eſt ſufficiens ad illum effectum, quia vtile per inutile non vitiatur.

Sed hic oritur dubium, an, ſi fidelis leuet à ſacro fonte, tanquam Patrinus filium infidelis, contrahat cum Patre infideli cognationem ſpiritualem. Negatiuè reſpondendum eſt *Durandus in quarto diſt. 42. q. 1. n. 9. in fin.*, *& ibi Sotus q. 1. art. 3. col. penult. verſ. poſtremo ex his*, *Henricus in c. veniens n. 1. de cognat. ſpirit.* Ratio eſt, quia cognatio ſpiritualis non poteſt eſſe, niſi inter duo extrema, ergo, cum vnum extremum non ſit capax illius cognationis ſpiritualis, nempè infidelis, non poterit fidelis illam contrahere. Non negauerim tamen fidelem ſic ſucipientem puerum infidelis contrahere cum eodem puero cognationem, quia puer, ex quo baptizatur, conſtituitur capax illius.

8 Si fidelis teneat filium infidelis nõ cõtrahit cum Patre infideli cognationem.

Concluſio II. Hæretici non ſunt ad hoc munus ſuſcipiendi Catholicos, ſeu filios Catholicorum in Baptiſmate admittendi, ſi tamen admitterentur, an contraherent cognationem ſpiritualem remiſſiuè. Quoad primam partem conſentit *Suarez in tertiam partem D. Thomæ in comment. ad q. 67. art. 7. verſ. atque hinc colligitur*, quod deducitur *ex Concil. Mogont. c. 47. relato in c. in Baptiſmate de conſecr. diſt. 4.*, vbi licet ſit ſermo ſolummodò de non baptizato, ex ratione tamen ibi adducta extendit diſpoſitionem etiam ad Hæreticos. Quoad ſecundam congruit cum ijs, quæ nos docuimus *tom. 6. ſub tit. Contractus XV. de Matrimon. II. Prænot. 10. ſect. 4. n. 34.*

9 Hæretici non ſunt admittẽdi, ſi tamen admittantur, an contrahant cognationẽ remiſſiuè.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia hoc munus ſpecialitèr inſtitutum eſt, vt Patrinus ſit quaſi nutrix, & Pedagogus, vt lac veritatis, & Catholicæ doctrinæ conferat regenerato ſpiritualitèr, ergo ad illud munus non eſt admittendus ille, qui ex propria profeſſione venenum hæreſum potius conferret, quam lac veritatis, nec dirigeret ad viam ſalutis, ſed potius aditum perditioni reſeraret, huiuſmodi eſt Hæreticus, ergo hic abſolutè non eſt ad hoc munus admittendus.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia Hæretici baptizati ſunt ſub poteſtate Eccleſiæ ratione Baptiſmi validè ſuſcepti, & per conſequens capaces ſunt effectuum iurium Eccleſiaſticorum, ergo, ſi verè ad hoc munus admittantur, contrahent hanc cognationem ſpiritualem. Verum tamen eſt, quod, cum ratione hæreſis ſint ab Eccleſia præciſi quoad communionem, non deberent admitti, niſi, vt ſuſcep-

Sunt ſub poteſtate Eccleſiæ.

tores

tores materialitèr, & corporalitèr.

10
Si non confirmati Catholici admittātur verè contrahant cognationem.

Concluſio III. Catholici baptizati, & non confirmati non eſſent de facili admittendi ad hoc munus, ſi tamen admitterentur, nec eſſet grauis noxa, & verè contraherent cognationem ſpiritualem. In hanc arbitror teneri conſentire, quotquot ſuſtinent omnes baptizatos, ſi ſint rationis compotes, poſſe hoc munus exercere.

Rationem ex eo deduco, quod nullibi præſcribatur, quod non confirmati non poſſint eſſe ſuſceptores in Baptiſmo, quando habent alia requiſita, puta, quod ſint baptizati, & habeant perfectum rationis vſum; Neque dicas hoc præſcribi *in c. de Baptiſmo de conſecr. diſt. 4.* vbi ſic legitur. *In Baptiſmate, vel in chriſmate non poteſt alium ſuſcipere in filiolum ipſe, qui non eſt baptizatus, vel confirmatus*; atque hunc textum in hunc ſenſum intelligunt *Paludanus in quarto diſt. 42. q. 1. art. 1. concl. 3. n. 8.*, *Henriquez lib. 3. c. 3. n. 3.*, *Rodriquez prima part. c. 27. n. 1.*, *Roſella verb. impedimentum, impedim. 6. in fin.*, & ex hoc videntur aſſerere, non confirmatum non poſſe eſſe Patrinum in Baptiſmo, nec contrahere cognationem ſpiritualem; Contrà enim impugnaberis, quia textus ille, ſi benè perpendatur, non dicit, quod non confirmatus non poſſit alium ſuſcipere in filiolum in Baptiſmo, ſed quod non poſſit alium in Confirmatione ſuſcipere; vnde dicit, quod in Baptiſmate, vel Chriſmate non poſſit ſuſcipere in filiolum non baptizatus, vel non confirmatus, referendo ly, *non baptizatus*, ad ly, *in Baptiſmate*, & ly, *non Confirmatus*, ad ly, *in Chriſmate*, cum procedat diſiunctiuè ſingula ſingulis referendo; vnde, ſi allegati DD. ex illo textu inferant non confirmatum non poſſe eſſe Patrinum in Baptiſmo, vtpotè inniti falſo fundamento, vel mala intelligentia illius textus, non ſunt audiendi.

11
Explicatur textus *in c. de Baptiſmate de conſecrat. diſt. 4.*, vt non diſſonus huic concluſioni.

Quod, ſi dicas, non confirmatum non videri aptum ad inſtruendum baptizatum in fide, & dogmatibus Religionis Catholicæ, cum ipſe non videatur in eadem ſtabilitus; inſtructor autem debet eſſe firmus, & radicatus in eo, in quo inſtruit, qualis non eſt non confirmatus, cum in ſerie regenerationis habeatur vt puer, non vt adultus; Statim impugnaberis, quia hæc inſtantia nimis probat; probat enim vulgares, & viles perſonas, quæ non benè callent miſteria fidei, eaque perfectè non penetrant, non poſſe eſſe Patrinos in Baptiſmo, quod eſt contra communem, & receptam praxim Eccleſiæ. Quamobrem ad inſtantiam reſpondendum eſt cum *Diuo Thoma tertia parte q. 67. art. 8. ad primum*, quod vbi adeſſet periculum peruerſionis quoad baptizandum, quod eſſet, ſi puer eſſet educandus penes infideles, tunc oporteret, quod ſuſceptor eſſet doctus, & benè radicatus in Diuinis; vbi vero non eſt huiuſmodi periculum proptèr hoc, quod pueri nutriuntur inter Catholicos, admitti poſſint ad hoc officium quicunque baptizati, quia ea, quæ pertinent ad Chriſtianam vitam, & fidem publicè omnibus nota ſunt; ſunt verba formalia eiuſdem Sancti Doctoris.

12
Soluitur inſtantia oppoſita.

13
Pater, & Mater non ſunt admittendi ad Baptiſmū proprij filij.

Concluſio IV. Pater, & Mater baptizandi ex congruentia non videntur admittendi tanquam ſuſceptores in Baptiſmo propriorum filiorum; ſi tamen admitterentur non contraherent inter ſe cognationem ſpiritualem. In hanc videntur omnes debere conſentire poſt decretum *Concil. Trid. ſeſs. 24. de reform. c. 2.*

Ratio primæ partis deducitur ex ijs, quæ habet *D. Thomas tertia part. q. 67. art. 7. ad ſecundum*, quod ſcilicet, ſicuti in generatione carnali non requiritur ex neceſſitate, niſi Pater, & Mater, & tamen ad facilem partum, & educationem pueri conuenientem requiritur diſtincta obſtetrix, nutrix, & Pedagogus, ita in regeneratione ſpirituali requiratur diſtincta perſona à Patre, & Matre, quæ vices gerat nutricis, & Pedagogi.

14
Si tamen admitterentur non contraherēt inter ſe cognationem.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quòd (quidquid ſit de iure antiquo) ex iure nouiſſimo *Concilij Tridentini in dicta ſeſs. 24. de reformatione c. 2.* ſublata eſt non ſolum Fraternitas, ſed etiam Compaternitas inter Patrinos, inter ſe comparatos, vt legenti ſit manifeſtum, ergo, ſi Pater, & Mater teneant communem filium in Baptiſmo, non contrahunt inter ſe cognationem ſpiritualem. Confirmatur, quia, ſi maritus, & vxor ſimul teneant alienum filium non contrahunt inter ſe cognationem ſpiritualem, vt conformitèr ad idem Concil. Trident. tradunt *Nugnus tertia part. q. 67. art. 8. verſ. fin.*, *Sanchez de Matrim. lib. 7. diſp. 14. n. 12.*, *Reginaldus lib. 31. n. 150.*, & alij communitèr ſcribentes poſt Concil. Trident., ergo neque, ſi teneant in Baptiſmo communem filium proprium, quia, quantumuis illam cognationem contrahant, & cum filio alieno, & cum proprio, ſicuti tamen per ſuſceptionem alieni illam non contrahant inter ſe, ita, quamuis contrahant cum proprio filio, illam non contrahunt inter ſe.

15
Nec obſtat, quod contrahant cū proprio filio.

Neque dicas, diſparem omnino eſſe rationem in ſuſceptione alieni filij, ac in ſuſceptione proprij, quia cum proprius ſit quodammodo pars ipſorum, cognatio, quam cum ipſo contrahunt, videtur quodamodo transfundi inter ipſos parentes adinuicem comparatos; contrà enim impugnaberis, quia nulla ratio, nullumque ius euincit

talem transfuſionem cognationis inter parentes, & filium contractæ in ipſos parentes inter ſe extendi.

16 Quæ dicta ſunt procedũt de iure nouo Tridentini.

Dixi, *quidquid ſit de iure antiquo*, nam etiam in *c. ſi vir, vel mulier de cognat. ſpirit.*, dicitur, quod, ſi ſcientèr, vel ignnrantèr filium ſuum de fonte ſacro ſuſceperunt non ſint ab inuicem ſeparandi, nec alter alteri debeat debitum ſubtrahere; ex quibus videtur ſufficientèr euinci, non contrahi inter ipſos cognationem ſpiritualem ex eo, quod alter ipſorum contraxerit cognationem illam cum filio alterius. Hæc, quæ modo dicimus eo ſolum tendunt, vt euincant ex cognatione inita inter maritum, vel vxorem, & filium alterius bapzatum, non transfundi inter maritum, & vxorem inter ſe comparatos etiam ex iure antiquo; cæterum, ſi vterque tam maritus ſcilicet, quam vxor tenerent filium communem, vel alterius tantum attento eodem iure antiquo certè illam inter ſe contraherent, cum verè eſſent Compatres, & Compaternitas tunc vigebat, cum ſolummodo modo ſubtracta ſit per Concil, Trident. inter Patrinos inter ſe comparatos.

Concluſio V. Monaci, & Abbates interdicuntur ab hoc munere ſuſcipiendi pueros, vel adultos in Baptiſmo.

17 Monaci, & Abbates excluduntur ab hoc munere.

Hoc expreſsè ſtatuitur *in Concil. Altiodorenſi c. 25., & in c. non licet de conſecr. diſt. 4., & in decretis Eugenij IV. relati in c. placuit 16. quaſt. 1.*; & hoc inductum eſt proptèr conditionem eorundem, qui exigunt habere vitam ſolitariam, ne diſtrahantur ab alijs curis licet ſpiritualibus à vita monaſtica.

Sed, an ſub hac prohibitione comprehendantur etiam Religioſi mendicantes, alijque, qui vitam mixtam ducunt non ſolum vitæ contemplatiuæ incumbentes, ſed etiam actiuæ; circa quam difficultatem *Coninchus de Sacram. q. 67. art. 7. n. 56.* ſentit non comprehendi eo, quia iſti vitam ſolitariam non ducant. Ex aduerſo *Layman lib. 5. tract. 2. c. 9. n. 3.* exiſtimat comprehendi. Verius tamen arbitror cum hac ſecunda Laiman ſententia etiam mendicantes, & alios ſimiles comprehendi ſub illa prohibitione, & hoc ne detur occaſio Religioſis ſe ſubtrahendi à Regularibus obſeruantijs, & ſub eo prætextu ſe commiſcendi cum perſonis, quarum conſuetudini incumbere eorum ſtatum non decet; & idcircò *in Sinodo Panormitana part. 2. n. 3.* eiſdem Regularibus hoc munus interdictum eſt, quod idem ſtatutum eſt *in Rituali Ambroſiano in tit. de cæremonijs in Baptiſmo adhibendis*.

18 Probabilius eſt, quod etiã mendicantes interdicantur ab hoc munere.

Hic tamen aduerte, quod quamuis Regularibus interdictum ſit munus ſuſceptoris in Baptiſmo; non tamen interdictum ſit eiſdem, ſi aſſumpti fuerint ad Cardinalatum, vel ad Epiſcopatum, vt de primis loquitur *Sanchez in ſumma tom. 1. lib. 6. n. 24.*, & de ſecundis *Rodriquez qq. Regul. tom. 2. q. 58. art. 3., Diana part. 3. tract. 4. reſol. 21. §. quarto*. Ratio autem ea eſt, quia in eiſdem ceſſat periculum nimiæ familiaritatis cum baptizato, eiuſque parentibus, & incontinentiæ, ſi fuerint fæminæ, quæ eſt præcipua ratio talis prohibitionis.

19 Non tamen, ſi aſſumantur ad Cardinalatum, vel Epiſcopatũ.

Concluſio VI. Regularitèr loquendo omnes baptizati compotes rationis, ſi fuerint in congrua ætate poſſunt eſſe Patrini, & ſuſceptores in Baptiſmo; non eſt tamen neceſſe, vt ſint maiores natu ipſis baptizandis. Conſonat cum ijs, quæ diximus *tom. 6. ſub tit. Contractu XV. de Matrim. II. Prænot. 10. §. 4. num. 33.* Recole, quæ ibi dicta ſunt; non enim vacat, ea repetere.

20 Regularitèr omnes baptizati cõpotes rationis, & in debita ætate poſsit eſſe Patrini.

Dixi, *ſi fuerint in congrua ætate*, quæ, qualis eſſe debeat, non eſt in iure determinatum; communius aſſerunt ſufficere, ſi ipſe ſuſceptor gaudeat pleno rationis vſu; hoc vnum aduerto, non eſſe neceſſe, vt aſſerebam in concluſione, vt ſuſceptor ſit maior natu ipſo baptizando, quod ea ratione euincitur, quod in hoc non conſideratur ætas vitæ temporalis, ſed in ſuo ordine vita ſpiritualis, quæ ſupponitur præcedens in ſuſcipiente, quantumuis in ordine naturali fuerit minoris ætatis.

21 Non eſt neceſſe, quod Patrinus ſit maior ætate baptizãdo.

In Rituali Ambroſiano præſcribitur, vt non admittantur ad hoc munus minores quatuordecim annorum, quod congruè inductum videtur, nam ante talem ætatem non videtur eſſe completum iudicium, & plena maturitas. Arbitrarer tamen, quod, ſi ante talem ætatem quis admitteretur, dummodo tamen gauderet vſu rationis, contraheret cognationem ſpiritualem, & eſſet verè ſuſceptor; non enim requiritur, vt aptus ſit inſtruere in dogmatibus noſtræ fidei baptizatum, cum inter Catholicos vbique pateant ſcholæ ad eruditionem, & inſtructionem.

ARTICVLVS III.

An plures Patrini poſſint admitti ab Baptiſmum eiuſdem, & an, ſi plures admittantur, omnes contrahant cognatinnem.

SVMMARIVM.

De iure antiquo prohibebantur ſimul plures eſſe Patrinos eiuſdem in Baptiſmo, non tamen ſub clauſula irritante. 1.

Concilium Tridentinum ſtatuit, vt vnus tantum, vel vnus, & vna teneant. 2.

Dubia, quæ circa hoc decretum Tridentini emanant. 3.

Non deſignati non contrahunt cognationem. 4.

Decretum Tridentini non eſt abſolutè irritatiuum in totum. 5.

Si plures contra diſpoſitionem Tridentini ſuſcipiant, nec vllus ſit à parentibus, vel Paroco deputatus, omnes contrahunt cognationem ſpiritualem. 6.

Concilinm in hoc nil contra antiquos canones innonauit. 7.

Exceptio quoad non deſignatos concurrentibus deſignatis nil officit. 8.

Ius antiquum per Tridentinum non eſt correctum, niſi in parte. 9.

Si plures deſignati à parentibus ſimul ſuſcipiant, omnes contrahunt cognationem ſpiritualem. 10.

Concilium prohibuit pluralitatum ſuſcipientium, non tamen irritauit eorum munus. 11.

Si plures fuerint deſtinati à parentibus, & alij à Paroco ſolum contrahunt deſtinati à parentibus. 12.

Si plures fuerint deſignati à parentibus, ſed vnus tantum admiſſus à Paroco, iſte ſolum contrahit. 13.

Procedit ſolum, quando parentes ipſi ex electis à ſe ipſis recuſante Paroco omnes admittere, vnum non ſoligunt. 14.

Si vnus ex electis à parentibus eligatur à Paroco, & tamen alij electi à parentibus ſimul ſuſcipiant, omnes contrahunt. 15.

Si parentibus non eligentibus Parochus plures eligat, iſti omnes contrahunt cognationem. 16.

1 De iure antiquo non admittebātur plures Patrini.

IN iure antiquo vetitum erat, plures eundem baptizandum ſuſcipere in Baptiſmo, vt colligitur *ex c. non plures de conſecr. diſtinct. 4., & c. fin. de cognat. ſpirit. in ſexto*; hoc tamen non erat ſub clauſula irritante, nam, ſi plures tangerent in ſuſceptione, omnes contrahebant cognationem hanc ſpiritualem dirimentem Matrimonium, prout colligitur *ex d. c. fin. de cogn. ſpirituali in ſexto*.

2 De iure nouo Tridentini admittitur tantū vnus, vel vnus, & vna.

Modo *Concil. Trident. ſeſs. 24. de reform. c. 2.* inhærens antiquorum canonum ſtatutis ſtatuit, quod vnus dumtaxat, vel ad ſummum vnus, & vna admittantur. Ibi *Sancta Sinodus ſtatuit, vt vnus tantum, ſiue vir, ſiue fæmina iuxta ſacrorum canonum ſtatuta, vel ad ſummum vnus, & vna baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant*. Circa quod decretum Tridentini plura cnntingunt in præſenti dubitari; & primò, an illud ſit ſolummodn prohibitiuum, an vern etiam irritatiuum, ſi ſecus factum fuerit, vel fiat, & hoc, an in omni parte, vel in aliqua tantum. Secundum ex ſuppoſitinne, qua non ſit irritatiunm in totn, an ſi plures ſuſcipiant cnntra diſpoſitionem eiuſdem Cncilij, & nemo ex illis fuerit, vel à parentibus, vel a Paroco deſignatus, nmnes contrahant cognatinnem ſpiritualem, an vero nullus. Tertium, an, ſi plures deſignati à parentibus omnes ſimul ſuſcipiant, omnes eandem cnntrahant. Quartò, an, ſi plures ſuſcipiant, ſed aliqui eorum fuerint à parentibus deſignati, & alij à Paroco, an omnes contrahant, an aliqui tantum, & quinam. Quintum, an, ſi plures fuerint deſignati a parentibus, ſed vnus tantum admiſſus a Paroen, iſte tantum contrahat, an vero omnes, ſi nmnes ſuſcipiant; Sextum, an, ſi plures deſtinati à Paroco, quando parentes nullum elegerunt, omnes illi contrahant, an aliquis tantum, & quinam.

3 Dubia, quæ circa hoc decretū emanāt.

Pro qunrum dubinrum intelligentia, & clariori dilucidatione aduertendum eſt, quod *Concil. Trid. ead. ſeſs. 24. de reform. c. 2.* poſtquam decreuit vnum tantum, vel ad ſummum vnnm, & vnam admitti præſcripſit in ſuſceptores Baptiſmi, hæc addidir. *Parochus, antequam ad Baptiſmum conficiendum accedat diligenter ab ijs, ad quos ſpectabit, ſuſcitetur, quem vel quos elegerint, vt baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiant, & eos, vel eum tantum ad illum ſuſcipiendum admittant. Quod, ſi alij vltra deſignatos baptizatum tetigerint, cognationem ſpiritualem nullo modo contrahant*. His ſuppoſitis ſit

4 Non deſignati non contrahunt cognationem.

Concluſin I. Decretum Concilij Trident. *in ſeſs. 24. de reformat.* non eſt abſolutè irritatiuum in totum, ſed ſolummodo in aliqua parte, de qua infra in ſequentibus concluſinnibus.

5 Decretū Tridentini non eſt ſimpliciter irritatiuū in totū.

Probatur, quia in tali decreto nulla apparet clauſula irritans, &, ſi aliqua apparet, hæc ſolum tangit ſuſcipientes non deſignatos, quandn concurrunt ſimul cum deſignatis, ergn qunad alios, quos hæc clauſula non tangit, non intelligenda eſt irritatio. Confirmatur paritate deducta *ex eodem Trid. d. ſeſs. 24. de reform. c. 1.* vbi plura prohibet, & præcipuè ne ineatur Matrimonium non præmiſſis denuntiationi-

tionibus, & ne contrahatur ſine præſentia Parochi, & teſtium, vbi, cum addatur clauſula irritans, quæ ſolum tangit Matrimonium ſine Paroco, & teſtibus, non extenditur ſecundum communiſſimum ſenſum ad Matrimoninm ſine denuntiationibus, ergoetiam in præſenti hypotheſi, cum decernat vnum tantum admitti, vel vnum, & vnam ad ſummum, & poſtea dicat, quod, ſi concurrant alij præter deſignatos non admittantur cum clauſula tantum irritante in hac parte, hæc non erit extendenda ad primum caſum de vno tantum, vel ad ſummum vno, & vna. Confirmatur ſecundò, quia etiam de iure antiquo in illo *c. vlt. de cognat. ſpirit. in ſexto*, prohibetur plurium admiſſio ad hoc munus, quia tamen in illo textu non eſt clauſula irritans, ſi plures concurrant, omnes contrahunt, ergo etiam in caſu Concilij, cum non ſit clauſula irritans, ſi plures concurrant &c. omnes &c.

6 Si plures non deputati ſuſcipiãt omnes contrahunt.

Concluſio II. Si plures contra diſpoſitionem Concil. Trident. ſuſcipiant; & nemo illorum ſit à parentibus, vel à Paroco deputatus, omnes contrahunt cognationem ſpiritualem cum ipſo ſuſcepto, & baptizato, & cum eius parentibus. Conſentiunt *Nauarrus in man. c. 23. n. 39., Henriquez lib. 11. c. 11. n. 3., Reginaldus lib. 31. num. 152.*

7 Conciliũ in hoc nil cõtra antiquos canones innouauit.

Directè deducitur ex præcedenti; ſi etenim Concil. Tridentinum nihil circa hoc innouauit, ſed antiquos canones in ſuo robore reliquit. Ibi- *Iuxta ſacrorum canonum ſtatuta*; & per antiquos canones, licet prohiberetur pluralitas ſuſcipientium in Baptiſmo, non tamen irritabatur ipſa ſuſceptio, nec effectus ex ea conſequens ex ipſa ſuſceptione, nempè cognatio ſpiritualis, vt manifeſtè apparet ex *d. c. fin. de cognat. ſpirit. in ſexto*; apertè ſequitur, quod etiam poſt Tridentinum illa cognatio à pluribus contrahatur, ſi à pluribus puer, vel etiam adultus ſuſcipiatur in Baptiſmo.

Dices, gratis omnino dici, quod Concilium Tridentinnm nihil circa hoc innouauerit, cum expreſsè reſpectu non deputatorum abſtulerit hanc cognationem. Ibi- *Quod, ſi alij vltra deſignatos baptizatum tetigerint, cognationem ſpiritualem nullo pacto contrahunt*, ſi etenim non deſignati, quando concurrunt cum deſignatis non contrahunt, nec videntur debere contrahere ſimplicitèr non deſignati, quia excipiendo non deſignatos videtur firmare regulam, quod non deſignati non contrahant, ſi ſuſcipiant, hanc cognationem ſpiritualem. Sed contra, quia, cum in diſpoſitione generali, quod plures non ſuſcipiant, non appoſita fuerit clauſula aliqua irritans, ſed ſolummodo in caſu particulari, quo cum deſignatis concurrerent non deſignati, ſequitur, quod exceptio intelligenda ſit ſolummodo in caſu iſto particulari, non in diſpoſitione generali; & congrua quidem ratione hoc inductum videtur, quandoquidem, quando concurrunt cum deſignatis non deſignati, ſufficientèr prouiſum intelligitur per deſignatos fini intento ab Eccleſia, vnde merito excludit non deſignatos; quando vero nullus eſt deſignatus, cum ad adimplendum finem ab Eccleſia intentum aliquis debeat concurrere, nec ſit maior ratio de vno, quam de alio, omnes concurrentes debent contrahere.

8 Exceptio quoad nõ deſignatos concurrentibus deſignatis nil efficit.

Dices ſecundò hæc exceptio poſita in caſu, quo cum deſignatis concurrerent etiam non deſignati, eſt fauorabilis Matrimonio vtpotè, quæ ordinatur ad excludendas plures perſonas à contractione cognationis ſpiritualis, quæ noxia eſt Matrimonijs, cum illa impediat inter illas omnes perſonas, quæ concurrerent ad illam ſuſceptionem, ergo, vtpotè fauorabilis extendenda eſt in communi caſu, quo plures ſuſciperent. Sed contrà primò, quia hæc inſtantia ſtante moderna diſpoſitione Cõcilij Tridentini, quæ abſtulit cognationem inter ſuſcipientes ad inuicem comparatos, non videtur habere robur, niſi in ordine ad baptizatum, & eius parentes, cum quibus ſolummodo illi ſuſcipientes contraherent cognationem, non autem inter ſe; vnde parum reſtringit, ſeu in ordine ad paucas perſonas reſtringit facultatem contrahendi Matrimonia. Secundò, quia, ſi ſiſtendum eſſet in ratione huius inſtantiæ, cuius eſt anctor Sanchez nobis in hac parte aduerſans, eſſent excludendi à contractione huius cognationis plures etiam deſignati, cum inter illos, & baptizatum, & parentes eius impediretur Matrimonium, quod tamen non affirmat ipſe Sanchez. Tertiò, quia correctiones iurium, vt plurimum ſunt fauorabiles, & tamen non extenduntur vltra caſus ſpecialitèr correctos remanentibus in reliquis iuribus in ſuo robore; ſic per Pontifices ſucceſſores quandoque in aliqua parte correctæ ſunt conſtitutiones ſuorum Prædeceſſorum, & tamen correctiones reſtringuntur ſolummodo ad partem correctam, & conſtitutiones in reliquis retinent ſuum robur. Loquendo iam in particulari in caſu noſtro ius antiquum *in d. c. fin. de cognatione ſpirituali in ſexto* per Concilium Tridentinum non eſt correctum, niſi in ea parte, qua cum deſignatis concurrerent non deſignati, & per conſequens vltra eam partem correctio non eſt extendenda.

9 Ius antiquum nõ eſt per Tridentinũ correctum, niſi in parte.

Concluſio III. Si plures deſignati à parentibus omnes ſimul ſuſcipiant, omnes con-

10 Omnes deſignati à Parentibus ſimul ſuſcipientes contrahunt.

contrahunt cognationem ſpiritualem. Eſt *Bonacinæ de Matrimon. q. 3. punct. 5. §. 2. n. 24. verſ. quando verò non omnes, & n. 25.*, qui etiam teſtatur de communi contra *Suarez commet. in quæſt. 67. art. 8. verſ. ſed quæres D. Thomæ*.

Etiam hæc concluſio deducitur ex præcedentibus, quia ſcilicet per Trident. non eſt facta correctio iuris antiqui, niſi in ea parte, qua cum deſignatis concurrerent non deſignati, ergo in reliquis ius antiquum remanet in ſuo robore. Adde, quod idem Concil. Trident. *loc. cit.* poſitiuè approbat, quod, quando plures deſtinati ſuſcipiunt, contrahant cognationem ſpiritualem. Ibi- *Quod ſi alij vltra deſignatos baptizatum tetigerint, cognationem ſpiritualem nullo modo contrahant*, vbi nota, quod, cum deſignatos nominet in numero plurali, vtique ſupponat plures ſuſcipere, &, cum excludat non deſignatos, vtique firmet regulam quoad deſignatos.

11 Conciliū prohibuit pluralitatem ſuſcipiẽtium non tamen irritauit eorum munus.

Neque hic audiendus *Suarez. loc. cit.*, dum aſſerit, in hac hypotheſi plurium deſignatorum nullum contrahere hanc cognationem, eo quia nullus exercet munus illud eo modo, quo ab Eccleſia ſtatutum eſt. Non, inquam, audiendus eſt, quia Eccleſia quidem per idem Concilium Tridentinum prohibuit pluralitatem ſuſcipientium, non tamen irritauit eorum munus, ſi de facto concurrerent, nec illam prohibitionem præſcripſit tanquam formam, ſed tanquam quid congruum ad euitanda multa incongrua, quæ indè poſſent oriri.

12 Si plures fuerint deſtinati à parentibus, alij à Paroco ſolū contrahunt deſtinati à Parentibus.

Concluſio IV. *Si plures fuerint deſignati à parentibus, & alij à Paroco, ſolum contrahunt cognationem ſpiritualem illi, qui ſunt à parentibus deſignati*. In hoc conſentit *Bonacina d. q. 3. punct. 5. §. 2. n. 27.*, quod etiam nos tradidimus *tom. 6. ſub. tit. Contractus XV. de Matrimon. II. prænot.* 10. *ſect. 4. n. 16.* Hic aduerto, me hic tranſcribere ibi dicta ferè quoad omnia ibi actitata, quæ pertinent ad præſens inſtitutum ob Lectorum commodum, cum non omnes poſſint habere ad manus Codicem, in quo expreſſa ſunt; & hæc materia potiſſimum ad hunc locum pertineat.

Ratio ex eodem Concil. Trident. *loc. cit.* deducitur, quia ibi excludit ab hoc munere ſub clauſula irritante non deſignatos, quando concurrunt cum deſignatis; deſignatio autem pertinet ad parentes eius, qui baptizandus eſt, ergo, ſi concurrant alij à deſignatis à parentibus, iſti non contrahent cognationem ſpiritualem; Nec obſtat, quod alij fuerint à Paroco deſignati; Non obſtat, inquam, quia, quando ſunt à parentibus deſignati, ſi fuerint idonei, & non excluſi à iure, non pertinet ad Parochum deſignare, quod etiam innuit idem Concilium Tridentinum *loc. cit.* Ibi- *Parochus, antequam ad Baptiſmum conficiendum accedat, diligentèr ab iis, ad quos ſpectabit, ſciſcitetur, quem, vel quos eligerint, vt baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiat*, & poſtea addit clauſulam alios excludentem, *& eos, vel eum tantum ad illum ſuſcipiendum admittat*. Vbi vides primò, electionem ſuſceptorum, non ad Parochum pertinere, dum ipſe debet inquirere, quinam ſint electi. Secundò, quod alij omnes ab electis à parentibus ſint excludendi.

Concluſio V. *Si plures fuerint à parentibus baptizati electi, ſed vnus tantum admiſſus à Paroco, iſte tantum contraheret cognationem ſpiritualem* *Bonacina loc. cit. n. 28.*

13 Si plures fuerint deſignati à parentibus, & vnus tantum admiſſus à Paroco, ille ſolus cõtrahit.

Ratio ex eo deducitur, quod ex Concilio Tridentino committitur Paroco diligens inquiſitio ſuper electos à parentibus ad ſuſcipiendum illorum prolem, vt ſeruetur decretum eiuſdem Tridentini; hæc autem diligens inquiſitio ſecum trahit poteſtatem excludendi eos, qui ſunt contra decretum eiuſdem; quando autem plures ſunt electi, vel non idonei, vt quia ſunt Hæretici, vel Religioſi, vel plures einſdem ſexus, ſunt à iure excluſi, ergo, ſi Parochus vnum ex illis idoneum elegerit alijs excluſis, ille tantum contrahet cognationem ſpiritualem cum alij vtpotè excluſi non ſint verè ſuſceptores.

Difficultas ſolummodo poteſt eſſe, quando parentes elegerint plures idoneos, ſed Parochus vnum tantum admiſerit excluſis alijs ea dumtaxat ratione, quod Concilium Tridentinum *loc. cit.* præſcribat vnū dumtaxat, vel ad ſummum vnum, & vnam admittendos eſſe ad hoc munus; nam, tunc electio vnius ex pluribus à parentibus electis non videtur ad ipſum pertinere, ſed ad parentes. Sed in hac hypotheſi fateor, quod, ſi verè parentes eſſent præſentes, & vnum ex prius electis elegerint, ille eſſet admittendus, & ipſe ſolum contraheret cognationem ſpiritualem; quod, ſi vel ipſi non eſſent præſentes, vel nolent decernere, quinam ex illis deberet eſſe ſuſceptor, poſſet Parochus decernere, & ille dumtaxat contraheret cognationem ſpiritualem; tum quia ille etiam eſſet electus à parentibus, cum eſſet vnus ex electis ab ipſis, tum quia in illo caſu non decernentibus parentibus in particulari, ipſe eſſet legitimus elector. Quod, ſi ſupponas, quod in concurſu plurium idoneorum electorum à parentibus Parochus vnum ex illis eligeret, in quem ſolum parentes non inclinarent, quamuis inclinent in illum ſimul cum alijs; tunc ex eo, quod ſupra dixerimus, quod concurrentibus deſignatis à parentibus,

14 Procedit quando parentes ipſi ex electis ab ipſis vnū non deſignant.

Digitized by Google

bus, & deſignatis à Paroco contrahant ſolum cognationem deſignati à parentibus addita etiam ratione, quod deſignatio ſolum pertineat ad parentes videtur ex conſequenti etiam in præſenti hypotheſi, quod electus à Paroco non inclinantibus in eundem parentibus non contrahat hanc cognationem. Nihilominus in hoc ſpeciali caſu, ex ſuppoſitione, quod iſte ſolum ſuſciperet puerum, crederem ipſum contrahere hanc cognationem, quia verè iſte eſſet ſuſceptor, nec alij concurrerent, cum ſupponantur excluſi; nec valet ratio in contrarium adducta, quia in caſu iſtius cum cõcurrant electi à parẽtibus iſti eſſent verè ſuſceptores, & alij ſolũ materialitèr accederent; in caſu vero præſenti, cum nullus alius accederet, niſi iſte, iſte verè concurreret, vt verè, & formalitèr ſuſceptor, cum verè in Baptiſmo ſolemni requiratur ſuſceptor.

15 Quid vero ſentiendum ſit, ſi plures fuerint à parentibus electi, & vnus tantum à Paroco admiſſus, ita tamen, vt alij à Paroco excluſi ſimul cum admiſſo ſuſcipiant, an iſti etiam contrahent cognationem ſimul cum admiſſo. Non dubitarem contrahere omnes, quandoquidem ex vna parte Concilium Tridentinum non excludit pluralitatem ſuſcipientium ſub clauſula irritante, ex alia iſti omnes ſunt deputati à parentibus, & concurrunt cum animo verè exercendi illud munus; nec obſtat excluſio Parochi, quia ipſe tanquam executor diſpoſitionis Conciliaris non præſtat, niſi id, quod præcipit ipſum Concilium non irritando, ſed ſimplicitèr prohibendo, nec ad ipſum ſpectat eligere contra voluntatem parentum.

Si ex electis à parentibus vnus ſeligatur à Paroco, & tamen alij electi ſimul teneãt omnes contrahunt.

16 Concluſio VI. Si plures fuerint electi à Paroco, quando parentes neminem elegerunt, omnes ſic electi ſuſcipientes puerum contrahunt cognationem ſpiritualem *Reginaldus lib. 31. n. 152. ad fin., Coninches diſp. 32. dub. 2. nu. 30., Sanchez lib. 7. diſp. 57., & alij*.

Si parentibus non eligentibus Parochus plures eligat omnes iſti contrahunt.

Ratio deducitur ex ijs, quæ dicta ſunt in probatione ſecundæ concluſionis, ſi enim quando plures concurrunt à nemine deputati contrahunt hanc cognationem non eſt, cur non debeant plures contrahere deputati à Paroco, quando nullus eſt deputatus à parentibus baptizandi; non enim deputatio Parochi minuit de valore ſuſceptionis, quin potius eidem vim tribuit; potiſſimum, cum ad eundem Parochum ſpectet eligere, quando parentes non eligunt, vt Baptiſmus celebretur ritè, & ſeruatis Eccleſiæ ritibus, & cæremonijs.

ARTICVLVS IV.

De muneribus, quæ exercent Patrini in Baptiſmo, & in qua actione contrahant cognationem ſpiritualem.

SVMMARIVM.

Enumerautur munera, quæ præſtant Patrini in Baptiſmo. 1.

Dubia examinanda. 2.

Tunc contrahitur cognatio, cum Baptiſmus confertur per infuſionem, quando Patrinus tenet baptizandum, dum Sacerdos complet formam. 3.

Quando fit per immerſionem, tunc contrahitur, quando Patrinus facta immerſione leuat puerum de manu miniſtri. 4.

Non ſufficit, quod Patrinus ſit præſens, ſed debet tenere, vel leuare. 5.

Concurrentibus pluribus omnes debent ſimul tenere, vel leuare, adeo vt ſi vnus teneat, quando perficitur Sacramentum, & alij poſt, ille ſolum contrahat, non alij ſucceſſiuè tenentes. 6.

SVpplent in primis Patrini vices pueri baptizandi reſpondendo pro eodem ad ſingula interrogata miniſtri baptizantis. Dixi, *pueri baptizandi*, nam, ſi fuerit adultus ipſe per ſe ipſum debet reſpondere, ſi capax eſt. Deinde illum exhibent baptizandum, & pro eodem promittunt, qui propterea dicuntur ſponſores, & fideiuſſores. Rurſus tenent ipſum puerum ferè in tota illa baptiſimali actione; & ſignantèr, quando Baptiſmus confertur per infuſionem, quando verò fit per immerſionem, licet ipſum non teneant, quando immergitur, quia immerſio fit per Sacerdotem baptizãtem, ipſum tamen immediatè poſt lotionem accipiunt de manu Sacerdotis, & propterea dicuntur leuare de fonte Baptiſmatis, aliaque præſtant, quæ præſcribuntur in Rituali Romano, & Ambroſiano iuxta ritum vtriuſque Eccleſiæ. 1

Referuntur munera, quæ præſtant Patrini.

Ea, quæ ſpecialitèr diſcutienda ſunt in præſenti articulo, duo potiſſimum ſunt. Alterum in quanam ex illis actionibus, quas præſtant Patrini, contrahant cognationem ſpiritualem. Alterum, quando plures gerunt munus ſuſceptoris, ſeu Patrini, an neceſſe ſit, vt contrahant illam cognationem, vt ſimul præſtent illam actionem, per quam contrahitur eadem cognatio, an ſufficiat, quod peragant ſucceſſiuè. 2

Dubia examinãda.

In ordine ad primum ſentio, contrahere cognationem ſpiritualem, quando Baptiſmus confertur per infuſionem tunc, cum puerum

3 Quando Baptiſmus fit per infuſionem, tunc cõtrahitur cognatio, quando Patrinus tenet, & Sacerdos complet formam.

puerum tenet, vel adultum, quando baptizans effundit aquam, & profert verba formæ ſcilicet in inſtanti vltimo terminatiuo eiuſdem formæ; quando verò fit per immerſionem, tunc cum è manibus Sacerdotis poſt immerſionem, & prolationem verborum Sacramentalium accipit puerum. In hoc arbitror omnes conſentire. Ratio in vniuerſum ea eſt, quia illæ ſunt principaliores actiones, quas exercent ipſi Patrini, & immediatiores ipſi Sacramento, ergo tunc producitur effectus illius Sacramenti, ſeu melius inſtitutionis Eccleſiaſticæ, quando illa munera exercentur. In particulari, quando fit per infuſionem ex eo euincitur, quod tunc ipſe Sacerdos baptizans illam contrahit, ergo, & eandem debet tunc contrahere ipſe Patrinus, quia, ſicuti tunc ipſe baptizans conficit Sacramentum, tunc etiam miniſter principalitèr cooperatur eidem. Quando verò fit per immerſionem ex eo euincitur, quia illa acceptio de manibus Sacerdotis eſt actio magis coniuncta ipſi Sacramento, & principalior, quam præſtat ipſe Patrinus, & quaſi complementum eiuſdem, per quod rapræſentatur Reſurrectio Chriſti Domini.

4 Quando fit per immerſionem, quando Patrinus leuat puerum de manu baptizantis.

Dices, quod hic effectus cognationis ſpiritualis inductus eſt ratione ſolemnitatis conſiſtentis in Eccleſiaſticis cæremonijs, non ratione ipſius Sacramenti præcisè, nam, ſi quis teneret in Baptiſmo priuato eandem non contraheret, ergo contractio eiuſdem cognationis non eſt attendenda, prout eſt ſimul cum Sacramento, vel magis ipſi coniuncta actio, per quam contrahitur, ſed prout coniungitur cum termino eiuſdem ſolemnitatis, ſeu cæremoniarum Eccleſiaſticarum. Sed contrà; Licet reuera huiuſmodi cognatio inducta ſit ſolummodo ex Baptiſmo ſolemni, nihilominus in eodem aſſignandus eſt terminus, in quo illa contrahatur, qui congruentior eſſe non poteſt, quam ille, in quo exercetur actio, vel coniuncta ipſi Sacramento, vel eidem magis coniuncta, cum cæteræ actiones, quæ exercentur à Patrinis, vel ſint præambulæ tanquam diſpoſitiones, vel pediſequæ tanquam effectus ad principale miniſterium.

Soluitur Inſtantia oppoſita.

Inordine ad ſecundum præmittendum eſt, ad contrahendam cognationem ſpiritualem non ſufficere, quod Patrinus ſit præſens, & aſſiſtens per modum tenentis, & ſuſcipientis, ſed requiri, vt Phyſicè teneat, & ſuſcipiat per textum *in c. poſt ſuſceptum 30. qu. 3. c. omnes 30. qu. 1., & c. ſi quis onus 30. q. 4.*; hoc etenim exigit munus, ad quod aſſumuntur Patrini, qui ideo tenere debent, vt ſignificent infantiam, & imbeccilitatem ſpiritualem baptizandi, ratione cuius indiget ſubleuatione, vt benè notauit *D. Thomas tertia part. q. 72. art. 3. in corp.* Quibus præmiſſis, aſſerendum eſt, omnes debere, vel ſimul tenere, quando Baptiſmus fit per infuſionem, vel omnes ſimul ſuſcipere de manibus baptizantis, quando fit per immerſionem. In hoc conſentiunt *Bonacina de Matrim. q. 3. punct. 5. §. 2. n. 24., Perez §. 45., & alij*. Ratio ex eo deducitur, quod cognatio ſpiritualis tunc contrahitur, quando perficitur Sacramentum, ſed quando ex pluribus vnus concurrit primo tenendo, vel ſuſcipiendo tunc primo perficitur Sacramentum, & quando alij ſucceſſiuè accedunt, iam Sacramentum completum eſt, & per conſequens adimpletum miniſterium, ergo &c.

5 Nõ ſufficit, quod Patrinus ſit præſens, ſed debet tenere, vel leuare.

6 Solum tenentes, quando perficitur Sacramentum contrahunt, non alij ſucceſſiuè tenentes.

ARTICVLVS V.

An, ſi vnus teneat puerum in Baptiſmo priuato, & poſtea etiam in ſupplemento cæremoniarum contrahat cognationem, & quando.

SVMMARIVM.

Exponitur ſeries difficultatis. 1.
In neutra illa actione ſuſceptor contrahit. 2.
In Baptiſmo priuato non contrahitur. 3.
Cum complentur cæremoniæ Sacramentum non confertur. 4.
Non poſſunt illæ duæ actiones moralitèr conſtituere quid vnum ad hunc effectum. 5.
Rationes ſuadentes etiam baptizantem priuatim non contrahere hanc cognationem. 6.
Rationes ſuadentes verè contrahere. 7.
Probabilius contrahit. 8.
Soluuntur rationes contrariæ ſententiæ. 9.

CONtingit quandoque vt periclitante puero domi priuatim ei conferatur aqua luſtralis, & poſtea ceſſante periculo deferatur ad Eccleſiam, & ibi ſuppleantur cæremoniæ Eccleſiaſticæ; In hac hypotheſi contingit etiam, quod vnus puerum tenuerit, dum priuatim domi baptizaretur, & ſimul deſeruierit ad hoc munus, quando ſuppletæ fuerunt cæremoniæ in Eccleſia. Hic duo dubia, prout in titulo præfertur, oriuntur. Primum eſt, an ille tenens in vtraque illa actione contraxerit verè cognationem ſpiritualem. Secundum ex ſuppoſitione, quod contraxerit, an tunc contraxerit, quando tenuit in Baptiſmo priuato, an vero dumtaxat, quando tenuit in ſupplemento cæremoniarum.

1 Series difficultatis exponitur.

Concluſio. Probabilius eſt in neutra actione contraxiſſe *Sotus in quarto diſt. 42. q. 1. art. 1. verſ. profectò rationes, Gallego de*

2 In neutra illa actione ſuſceptor cõtrahit.

cognat.

cognat. ſpirit. c. 11. *n.* 6., *Suarez tertia part. in comment. ad qu.* 67. *D. Thomæ art.* 8. *dub. vlt.*

Probatur, quod non contraxerit in prima, quia per Baptiſmum priuatum non
3 contrahitur à ſuſcipiente cognatio ſpiritualis, ſiquidem adhibere ſuſceptorem non eſt de ſubſtantia Sacramenti, ſed cæremonia quædam Eccleſiaſtica ab Eccleſia inſtituta; cæremoniæ autem Eccleſiaſticæ non adhibentur, niſi in Baptiſmo ſolemni, vnde, ſi quis accederet in Baptiſmo priuato, non accederet propriè ex inſtituto Eccleſiæ, ſed ex proprio arbitrio; nec quamuis ipſe accederet cum animo verè adimplendi munus Patrini quidquam efficeret, quandoquidem non eſt in libertate cuiuſque conſtituere munus, vbi ab Eccleſia inſtitutum non eſt.

In Baptiſmo priuato non contrahitur.

Probatur item, quod non contraxerit in ſecunda actione; Quamuis ſuſceptio in Baptiſmate ſit cæremonia Eccleſiaſtica,
4 adhibenda tamen eſt, quando confertur Sacramentum; ſed in hypotheſi, de qua loquimur, tunc cum ſupplentur cæremoniæ, non confertur Sacramentum, cum iam ſupponatur collatum, ergo &c. Neque dicas, tunc in vnum moralitèr adunari, & collationem Baptiſmi priuati, & cæremoniam illam, quatenus ratione vtriuſque concurrit idem Patrinus, licet pro diuerſo tempore; Contrà enim impugnabe-
5 ris, quia, cum hoc Sacramentum conſiſtat in actione tranſeunte, non poteſt moralitèr ad hunc effectum perſeuerare, & continuari cum illis cæremonijs ad conſtituendum quid vnum, quod aptum ſit producere illum effectum cognationis ſpiritualis, potiſſimum cum tunc contrahatur cognatio, quando puer, vel in Baptiſmo ſuſcipitur, vel de ſacro fonte leuatur.

Cũ ſupplentur cæremoniæ Baptiſmus non confertur.

Non poteſt ſubſiſtere illa moralis adunatio ad hunc effectum.

Ex ijs, quæ dicta ſunt ſub hoc titulo emanat difficultas, an, ſicuti ſuſcipiens in
6 Baptiſmo priuatim collato non contrahit hanc cognationem, ita, nec eandem contrahat priuatim baptizans. Ratio dubitandi ex vna parte ex eo conſurgit, quod baptizans Baptiſmo priuato exercet præcisè munus a Chriſto Domino præſcriptum; Chriſtus autem Dominus actioni à ſe præſcriptæ non appoſuit effectum illum cognationis ſpiritualis, & Eccleſia, ſi illum addidit, addidit Baptiſmo ſolemni, cui illas præſcripſit cæremonias, non Baptiſ-
7 mo priuato. Ex alia parte, cum baptizans vera conferat Sacramentum, videtur ratione eiuſdem verè contrahere illam cognationem, cum munus ipſius ſit conferre, & verè confert, ſiue priuatim, ſiue ſolemnitèr conferat, & conferendo exercet munus ſuum, cui annexa eſt illa cognatio, ſicuti eſt annexa muneri ſuſceptoris, ſi verè illud exerceatur. Quod, ſi dicas, quod ſuſceptor in Baptiſmo priuato non contrahat, adeoque neque in eodem videatur contrahere baptizans; reſponderi poterit, quod ſuſceptor verè non exerceat illud munus, niſi materialitèr, vbi baptizans verè, & formalitèr exercet munus proprium miniſtri. Quid iam in hoc concludendum?

Rationes ſuadẽtes etiã baptizantem priuatim non contrahere cognationem.

Rationes ſuadentes variè contrahere.

Probabilius crederem baptizantem, quantumuis priuatim contrahere cognationem ſpiritualem *Sanchez lib.* 7. *diſp.* 62. *n.* 10., *Filliutius tract.* 10. *c.* 5. *q.* 6. *n.* 197., 8
Bonacina de Matrimon. qu. 3. *punct.* 5. §. 2. *n.* 11., & conſonat cum his, quæ tradidimus *tom.* 6. *ſub tit. Contractus XV. de Matrimon.* 2. *Pranot.* 10. *ſect.* 4. *n.* 22. Ratio pro ſecunda parte adducta videtur hoc ſufficientèr euincere; nec obſtant, quæ pro aduerſa parte adducta ſunt, quia licet Chriſtus Dominus baptizantibus non appoſuerit illud onus cognationis ſpiritualis, 9
addidit tamen Eccleſia, quæ licet ſuſceptoribus tantum addiderit in Baptiſmo ſolemni, hoc præſtitit, quia tantum in illo eſt munus proprium ſuſceptoris, addidit tamen baptizanti etiam priuato, quia munus baptizantis æquè exercetur in Baptiſmo ſolemni, ac in priuato.

Probabilius contrahit.

Soluuntur argumenta contrariæ ſententiæ.

In huius Confirmationem plurimum conferre poteſt id, quod aſſerunt *Gutierez c.* 100. *n.* 12., *Sanchez lib.* 7. *diſp.* 62. *n.* 10., *Henriquez lib.* 11. *c.* 12., *& alij communitèr*, quod, ſi quis baptizet etiam priuatim filium ſuum ex concubina progenitum, non poſſit poſtea in Matrimonium ducere eandem concubinam ob impedimentum cognationis ſpiritualis contractæ in *illo* Baptiſmo.

ARTICVLVS VI.

An, ſi quis teneat in Baptiſmo per Procuratorem alienum filium, ipſe contrahat cognationem, an vero Procurator.

SVMMARIVM.

Referuntur tres ſententiæ circa hunc titulum. 1.
Principalis deputans Procuratorem non contrahit cognationem. 2.
Principalis actu non tenet, nec leuat. 3.
Non valet in hoc regula. Qui per alium facit &c. *& quarè.* 4.
Nec Procurator deputatus contrahit. 5.
Non tenet ſuo nomine. 6.
Non valet argumentum à deputato ad baptizandum, ac de deputato ad tenendum, & quarè. 7.

Si deputatus teneret nomine proprio probabilius contraheret cognationem. 8.

1 Referũtur tres ſententiæ circa hũc titulum.

TRes circa hunc titulum inuenio opiniones. Prima docet deputantem Procuratorem ad hoc munus contrahere hanc cognationem, non ipſum Procuratorem, hancque ſequuntur *Rebellius lib. 3. q. 6. n. 12.*, *Verallus part. 3. deciſ. 147.*, *& alij nonnulli, quos citat, & ſequitur Bonacina de Matrimon. q. 3. punct. 5. §. 2. n. 34. verſ. ſed mihi probabilius*. Secunda ſententia, quam tenet *Toletus lib. 7. c. 4.* docet non ipſum principalem deputantem, ſed Procuratorem deputatum, & verè tenentem hanc cognationem contrahere. Tertia docet, nec principalem deputantem, nec Procuratorem verè contrahere; cum hac ſit

2 Principalis deputans procuratorem nõ cõtrahit cognationem.

Concluſio. Nec principalis deputans, nec Procurator deputatus contrahit hanc cognationem. Hanc ſuſtinent ex Canoniſtis *Ioannes Andræas in reg. poteſt quis per alium 68. de regulis iur. in ſexto paulo ante ſolut. ad arg.*, *Antonius in c. veniens de cognat. ſpirit. num. 2.* Ex Theologis *Sanchez lib. 7. diſp. 59. n. 4.*, *Reginaldus lib. 31. n. 156. alijque plures*, quos allegaui, & ſecutus ſum *tom. 6. ſub tit. Contractus XV. de Matrim. II. Prænot. 10. ſect. 4. n. 43.*

3 Principalis actu non tenet, nec leuat.

Probatur primò quoad primam partem ex ijs, quæ dicta ſunt in præcedentibus, quod ſcilicet ad contrahendam hanc cognationem requiratur tentio, & ſuſceptio per contactum per ipſum ſuſcipientem, adeout, ſi Patrinus non ſuſciperet immediatè baptizatum de manibus baptizantis poſt immerſionem, non contraheret hanc cognationem, ergo in hac hypotheſi, cum principalis per ſe ipſum non teneat, nec ſuſcipiat de manibus baptizantis, non cenſendus eſt contrahere hanc cognationem; Neque in hoc valet regula. Quod, qui per alium facit, per ſe ipſum facere videatur; Non valet, inquam, quia regula illa ſolum vim habet in ordine ad actiones, quæ ex diſpoſitione iuris, vel ex natura ſua non ſunt alligatæ certis perſonis, non autem in ordine ad actiones, quæ ſunt alligatæ perſonis, cuiuſmodi eſt iſta, de qua loquimur, cum iura exigant tentionem propriam, non per alium, quod colligitur non ſolum ex verborum forma, quæ præcipiunt talem tentionem, & ſuſceptionem, ſed etiam ex eo, quod huiuſmodi iura ſunt quoquo modo odioſa, cum tollant libertatem Matrimonij, quæ propterea ſunt ſtrictè interpretanda, & ſecundum ſenſum proprium verborum, qno concipiuntur, non ſecundum ſenſum, quem habere poſſunt fictione iuris.

4 Non valet in hoc regula, *Qui per alium facit*.

Probatur ſecundò quoad ſecundam partem, quia ad contrahendam hanc cognationem, non ſolum requiritur in ſuſcipiente externa actio ſuſceptionis, ſed etiam intentio efficiendi id, quod intendit Eccleſia in tali actione, vt latè tradunt *Roſella verb. impedimentum impedimento 6. n. 22.*, *Silueſter verb. Matrimonium 8. q. 7. dict. 13.*, *Paludanus in quarto diſt. 42. q. 1. art. 1. n. 10.*, *& alij*; ſed Procurator, qua talis eſt, non intendit nomine ſuo efficere id, quod intendit Eccleſia, ſed nomine ſui principalis, cum ſolum efficiat id, quod efficeret principalis, ſi adeſſet, ergo ipſe non contrahit cognationem.

5 Nec Procurator deputatus contrahit.

6 Non tenet ſuo nomine.

Dices, ſi Parochus alium deputet, vt ſuo nomine baptizet puerum ipſe Commiſſarius contrahit baptizando cognationem ſpiritualem, ergo etiam, ſi Patrinns electus deputet alium ad tenendum ſuo nomine, hic alius deputatus contrahet hanc cognationem ſpiritualem. Sed contrà neganda eſt conſequentia. Ratio diſparitatis in eo conſiſtit, quia, qui baptizat, quantumuis ſit ab alio deputatus exercet illam actionem in perſona propria, dum dicit, *Ego te baptizo*, & vt miniſter Chriſti Domini, vnde mouetur ſolummodo ab alio ad exercendam illam actionem, cæterum illam exercet nomine proprio, & in perſona Chriſti, cuius eſt miniſter; qui vero ſuſcipit, non ſuſcipit nomine proprio, ſed committentis, cum ſuſceptio ſolum ſit quædam cæremonia, quæ eſſe poteſt per alium etiam non nomine proprio.

7 Non valet argumentum à deputato ad baptizãdum, ac de deputato ad tenendũ.

Dixi, *Procurator, qua talis*; nam, ſi hic quantumuis ab altero deputatus in actuali ſuſceptione intenderet tenere, & ſuſcipere nomine proprio, probabilius eſſet, quod hanc cognationem contraheret; quidquid ex aduerſo ſenſerit *Sanchez lib. 7. de Matrim. diſp. 59. n. 12. in fine*; qui exiſtimans ad contrahendam cognationem requiri deputationem Patrini, per conſequens aſſerit, quod, cum Procurator non ſit deputatus ad ſuſcipiendnm nomine proprio, ſi nomine proprio ſuſcipiat, ſeu teneat, non contrahet hanc cognationem; nam hæc ratio à Sanchez adducta non videtur ſubſiſtere, quandoquidem ex prædictis conſtat, non requiri hanc deputationem, & ſolum excludi non deputatos, quando cum eiſdem concurrunt deputati, quod non euenit in hac hypotheſi.

8 Si teneret nomine proprio probabilius contraheret.

ARTICVLVS VII.

An tenens in Baptiſmo puerum cum errore perſonæ contrahat cum illa, & eius parentibus cognationem ſpiritualem.

SVMMARIVM.

Duplex ſenſus tituli. 1.
Si determinatè intenderit ſuſcipere filium Pauli, & fuerit filius Franciſci non contrahit cognationem. 2.
Soluitur argumentum contrarium. 3.
Soluitur aliud argumentum. 4.
Si intenderit tenere illum puerum præſentem, ſiue ſit filius Pauli, ſiue Franciſci contrahit. 5.

1 Duplex ſenſus. SEnſus huius tituli hic eſt. Titius vocatus, ſeu rogatus ad ſuſcipiendnm è ſacro fonte Baptiſmatis puerum, exiſtimans eſſe filium Pauli acceſſit, eumque tenuit, ſed conſummato Baptiſmate ſecundum ſubſtantiam, & cæremonias omnes cognouit ſuſceptum non eſſe filium Pauli, ſed Andreæ. Hic excitata eſt controuerſia, an ipſe Titius, qui puerum illum ſuſcepit cum illo errore, contraxerit cum eodem, & parentibus eius cognationem ſpiritualem. Circa quam controuerſiam pro clariori eiuſdem dilucidatione aduerto, errorem illum poſſe duplicitèr contingere, vel quatenus ipſe Titius ſuſcipiens, & exiſtimans eſſe filium Pauli poſitiuè, & determinatè intenderit filium eiuſdem ſuſcipere, vel quamuis exiſtimarit eſſe filium Pauli, intenderit tamen filium illum præſentem tenere, cuinſcunque ſit filius, & æquè animum habuerit illum ſuſcipiendi, ſiue eſſet filius Pauli, ſiue Andreæ, ſiue cuiuſcunque alterius.

2 Si intenderit determinatè ſuſcipere vnū, & alium ſuſceperit non cōtrahit cum iſto cognationem. Iuxta primam conſiderationem ſentiendum eſt, non contrahere hanc cognationem, & in hoc conſentiunt *Silueſter verb. Matrimonium 8. q. 7.*, *Sanchez de Matrim. lib. 7. diſp. 58. n. 7.*, *Reginaldus lib. 31. n. 155.*, & ex Canoniſtis *Abbas in c. 2. de cognat. ſpirit. n. 4.*, *Alexander de Neuo c. veniens eod. tit. n. 10.*, *Lancellotus Inſtit. iur. can. lib. 2. tit. de tripl. cognat. vbi de ſpirituali §. diximus autem verb. ignorantia*. Ratio eſt, quia ad contrahendam cognationem ſpiritualem requiritur intentio voluntaria exercendi munus Patrini circa determinatam perſonam, ſed in hac hypotheſi non eſt talis intentio, quandoquidem non poteſt eſſe voluntarium, vbi non eſt cognitio de obiecto, circa quod verſatur actio, nec poteſt eſſe intentio determinata de obiecto, vbi obiectum non eſt illnd, quod intenditur, ergo, vbi eſt ſubiectum diuerſum ab eo, quod cadit ſub intentione eius, qui ſnſcipit, non poteſt contrahi talis cognatio ſpiritualis. Confirmatur ex eo, quod habetur *in c. 2. de cognat. ſpirit.*, vbi quod, ſi coniux leuet de ſacro fonte filium mariti ignorans eſſe filium mariti, non arceatur a petitione debiti, à qua certè arceretur, ſi contraheret cognationem ſpiritualem, ergo ex errore perſonæ baptizandæ tollitur, quod contrahatur cognatio ſpiritualis.

Dices primò aduerſus probationem primam, quod in quacunque actione, vt plurimum attendendum ſit potius id, quod externè agitur, quam id, quod internè meditatur per textum *in l. ſi is, qui ff. commodat ad fin.*; externè autem ſuſceptio eſt de perſona, quæ actu baptizatur, quamuis intentio dirigatur ad aliam perſonam. Sed contrà, qnia effatum illud, quod potius attendendum ſit id, quod externè geritur, quam id, quod intenditur, valet ſolummodo quoad ea, quæ præcipiuntur, ſeu ſtatuuntur iodependentèr a voluntate contraheotium, quod non euenit in caſu noſtro, in quo ſuſceptio debet eſſe voluntaria. 3 Soluitur argumētum contrarium.

Dices ſecundò contra coofirmationem, quod ea, quæ dicuntur de coniuge tenente puerum alterius coniugis ignoraotèr, quatenus tenens ignorat eſſe filium ſui coniugis, ſint ex ſpeciali diſpoſitione proptèr Matrimonium iam contractum, iure cuius non eſt quis priuandus ſioe ſua culpa, cum præcipuè plura facta tolerentnr, quæ ante factum non permittuntur fieri, vnde non eſt facienda extenſio ad alia, quæ adhuc non ſunt facta, & ſic quamuis coniux non priuetur iure petendi, quando ignorantèr tenuit filium alterius conin-gis, non ſeqnatur tamen, quod, ſi alter teneat filium cum errore perſonæ, non ſequatur ioter ipſum tenentem, & tentum, & parentes iſtius cognatio ſpiritualis, ratione euius interdicatur inter eoſdem Matrimonium. Sed contrà, quia, ſi ignorantia non obſtante actione externa non priuat inre petendi coniugem tenentem filium alterius coniugis, non video, cur non debeat excuſare alterum ignorantem à contractione cognationis ſpiritualis; hoc etenim eſt commune priuilegium ignorantiæ, vt in ijs, quæ pendent à voluntate operantis, excuſent à conſequentibus ad eandem operationem potiſſimum, ſi odioſa ſint, & oneroſa. 4 Soluitur aliud argumentum.

Iuxta ſecundam conſiderationem ſentiendum eſt, verè ſic tenentem contrahere cognationem ſpiritualem *Sanchez de Matrim. lib. 7. diſp. 58. n. 7. in fin.*, *Bonacina*

de

5 *Si intenderit tenere illũ puerum præſentẽ, cuiuſcũque ille ſit, contrahit.*

de Matrim. q. 3. punct. 5. §. 2. n. 18. quidquid ex aduerſo dixerit *Lopez ſecunda part. c. 62.* Ratio eſt, quia in hac hypotheſi intentio ſuſcipientis non refertur determinatè, nec ad filium Pauli, nec ad filium Andreæ, ſed ad filium præſentem quicunque ille ſit, quinimmo eadem intentio limitatur à præſentia perſonæ præſentis, ergo non eſt, cur non debeat contrahere cognationem cum illa, & eius parentibus, cum nihil in hac hypotheſi deſit, quod requiratur ad illius contractionem.

ARTICVLVS VIII.

An per ſuſcipientem in iteratione Baptiſmi contrahatur hæc cognatio.

SVMMARIVM.

Ex quibus cauſis iteretur Baptiſmus. 1.
Si iteretur Baptiſmus in dubio ſuſpenſiuo de valore prioris probabilius Patrinus non contrahit cognationem. 2.
Secus, ſi iteretur in dubio opinatiuo cum maiori probabilitate inualiditatis prioris. 3.
Tenens infidelem nouitèr conuerſum ad fidem, qui in infidelitate baptizatus fuit conſueta forma non contrahit. 4.
Soluitur inſtantia oppoſita. 5.

MVltiplicitèr poteſt contingere iteratio Baptiſmi; primò, quatenus primo collatus eſt priuatim, & poſtea ſolemnitèr ſuppleantur cæremoniæ, ſed hoc non eſt propriè iterati Baptiſmum, ſed dumtaxat ſuppleri cæremonias omiſſas, & in hoc non eſt immorandum, cum de eo ſatis dictum fuerit in præcedentibus. Secundò, quando dubium eſt, an Baptiſmus primo collatus fuerit validus, cum collatus fuerit ſub conditione, & propterea reiteratur etiam ſub conditione, & hoc contingeret, quando puer egreſſus ab vtero matris ſecundum partem minus præcipuam eſſet baptizatus in illa parte, & ſubindè quando perfectè egreſſus eſſet iterum rebaptizaretur ſub conditione, ſi prior Baptiſmus non fuerit validus. Tertiò, quando certum eſſet, quando Baptiſmus collatus eſſet validus, & nihilominus, vel ex malitia, vel ignorantia craſſa rebaptizarentur, vt, ſi quis ex infidelitate, puta ab hæreſi conuerteretur ad fidem, cum tamen in hæreſi fuerit baptizatus ſeruata debita materia, & forma, & tunc iterum baptizaretur.

1 *Ex quibus cauſis iteretur Baptiſmus.*

Iuxta ſecundam conſiderationem, (nam de prima, vt innuebam ſatis dictum eſt in præcedentibus) dicendum arbitror, quod, ſi verè ſit dubium ſuſpenſiuum, ſeu, vt alij loqnuntur, negatiuum de valore prioris Baptiſmi, ſuſcipiens in iteratione Baptiſmi probabilius non contrahat cognationem ſpiritualem, quidquid ex aduerſo dixerit *Bonacina de Matrim. q. 3. punct. 5. §. 2. n. 10.* Ratio ex eo deducitur, quod iuxta ſuperius dicta denegari non poteſt, quod lex Eccleſiaſtica inducens hanc cognationem ſpiritualem ſit quoquo modo odioſa, vtpotè obſiſtens libertati Matrimonij, cum inducat impedimentum dirimens inter ſuſcipientem, & ſuſceptum, & parentes eiuſdem ſuſcepti; in dubio autem pænalia, & odioſa non contrahuntur, cum odia, & pænæ ſint reſtringendæ, & in caſibus certis ſolummodo intelligendæ, ergo exiſtente dubio merè ſuſpenſiuo de valore prioris Baptiſmi in iteratione ſub conditione eiuſdem, cum etiam ſit æquale dubium, an iteratio ſit valida, necne, ſuſcipiens non contrahet illam cognationem.

2 *Si iteretur in dubio ſuſpenſiuo prioris Baptiſmi Patrinus non contrahit.*

Dixi, *ſi verè ſit dubium ſuſpenſiuum*, quatenus non ſit ratio, quæ potius ſit apta ad mouendum pro vna, quam pro altera parte, ſed rationes pro vtraque ſint in æquilibrio, nam, ſi verſaremur in caſu, quo dubium eſſet opinatiuum, ita vt rationes mouerent ad inclinandum potius pro inualiditate prioris Matrimonij, quam pro validitate, tunc non dubitarem aſſerere, quod probabilius contraheret cognationem, quia probabilius eſt, quod prior Baptiſmus ſit inualidus, & per conſequens iteratio valida, & hoc eſt, quod firmaui *tom. 6. ſub tit. Contractus XV. de Matrim. II. prænot. 10. ſect. 4. n. 25.*

3 *Secus, ſi in dubio opinatiuo magis inclinante ad inualiditatem.*

Iuxta tertiam conſiderationem indubitatum eſt, quod tenens infidelem nouitèr conuerſum ad fidem, qui tamen fuit in infidelitate baptizatus conſueta forma Eccleſiæ, non contrahae in rebaptizatione eiuſdem cognationem ſpiritualem. In hoc conſentiunt *Sotus in quarto diſt. 42. q. 1. art. 2. col. penult. verſ. atque adeo, Nauarrus lib. 3. conſil. tit. de Baptiſmo in prima edit. conſ. 1. n. 2., & in ſecunda conſ. 2. n. 1., Pinllarchus de offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 2. c. 11.* Ratio eſt, quia ipſa rebaptizatio non eſt valida, ergo non poteſt inducere impedimentum ad contrahendum Matrimonium inter ſuſceptorem ipſum, & ſuſceptum, & parentes eiuſdem ſuſcepti, adeoque, nec cognationem ſpiritualem, ex qua oritur illud impedimentum ex generali regula, qua dicitur. *Non præſtat impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum.*

4 *Tenens nouitèr conuerſum ad fidẽ, qui ante baptizatus fuerit cõſueta forma, non contrahit.*

Neque dicas, quod, cum de facto ſuſcipiens in illa iteratione ſuum munus præſtiterit eo modo quo præſtitiſſet, ſi ſimplicitèr prior Baptiſmus fuiſſet inualidus,

5 *Soluitur inſtantia oppoſita.*

non eſt, cur non debeat contrahere illam cognationem ea proportionali ratione, qua dicitur *in c. vlt. de ſponſal. in ſexto*, quod ſponſalia, quantumuis ex aliquo capite irrita gignant impedimentum publicæ honeſtatis. Contra enim impugnaberis, quia in primis diſpoſitio illius textus *in c. vnico de ſponſ. in ſexto*, correcta eſt per *Concilium Trident. ſeſſ. 24. de Matrimon. c. 3.*, vt probauimus *tom. V. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſal. t. Diſq. t. §. 18. n. 4.* Deindè ſtando etiam in iure antiquo ille textus ſpecialis eſt, nec extendendus propterea ad alia,

ARTICVLVS IX.

Inter quas perſonas in Baptiſmo contrahatur hæc cognatio,

SVMMARIVM.

De iure antiquo plures aderant, ſeu contrahebantur cognationes ſpirituales, & quanam. 1.

Concilium Tridentinum has cognationes reſtrixit. 2.

Subtraxit fraternitatem inter baptizatum, & filias baptizantis, & tenentium. 3.

Item compaternitatem inter ſuſceptores inter ſe. Ibid.

Et inter eorum vxores. Ibid.

Filij tenentium, & baptizantis modo poſſunt contrahere cum baptizato. 4.

Maritus, & vxor poſſunt tenere alienum filium. 5.

Impedimenta ſublata per Tridentinum referuntur etiam ad contracta ante ipſum. 6.

PLura ſparſim diximus de hoc titulo in præcedentibus; nunc omnia reſtringenda hic tanquam in ſua ſede; vt vno omnia cadant ſub obtutu,

1 Referuntur cognationes, quæ cōtrahebantur de iure antiquo.

Attento iure antiquo iuxta triplicem reſpectum conſtituebantur huiuſmodi cognationes; vel etenim baptizatus conſiderabatur ſecundum quod refertur ad baptizantem, Genitores proprios, & tenentes in Baptiſmo, & ſic conſtituebatur cognatio Paternitatis; vel baptizans, Genitores baptizati, & tenentes referebantur, ſeu referuntur adinuicem in ordine ad baptizatum, & ſic conſtituebatur Compaternitas, vel baptizatus referebatur ad filios baptizantis, & tenentium in Baptiſmo, & ſic conſtituebatur Fraternitas. Porrò, cum ex textu *in c. cum Martinus de cognat. ſpirit.* vxor baptizantis, & vxores tenentium ſint vna caro reſpectiuè ad baptizantem, & tenentes, & ipſa cum eodem marito ſuo, & iſtæ etiam cum tenentibus maritis ſuis contrahebant paternitatem in ordine ad baptizatum, & Compaternitatem, ſi fuerit vxor baptizantis, cum Genitoribus baptizati, & tenentibus, & vxoribus eorundem.

2 Concilium Tridentinum has cognationes reſtrixit.

Hæc latitudo cognationum in ordine ad impediendum Matrimonium modo reſtricta eſt per Concilium Trident. *ſeſſ. 24. de reformat. c. 2.*; æquum quippè duxit Sancta illa Sinodus in Spiritu Sancto congregata, vt ſicuti noua impedimenta induxit, ita aliqua antiqua non ita neceſſaria ſubtraheret; ſic primo ſubtraxit fraternitatem inter baptizatum, & filios baptizantis, & tenentium. Secundò compaternitatem inter ſuſceptores inter ſe comparatos. Tertiò ſubtraxit hanc cognationem Paternitatis inter vxores baptizantis, & tenentium, & baptizatum, & Compaternitatis earundem vxorum baptizantis, & tenentium inter ſe. Vno verbo ſtatuit, vt ſolum contrahatur cognatio inter tenentes, & baptizatum, & parentes baptizati, & inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique Patrem, & Matrem.

3 Subtraxit fraternitatem inter baptizatum, & filias baptizantis, & tenentium.

Item cōpaternitatē inter ſuſceptores, & inter eorūdem vxores.

4 Filij tenētium, & baptizantis poſſit modo cōtrahere cū baptizato.

Sic ratione fraternitatis ſubtractæ filij tenentium, vel etiam baptizantis poſſunt modo contrahere cum ipſo baptizato, vel baptizata, quem, ſeu quam Patres ſui tenuerunt, vel baptizarunt.

5 Maritus, & vxor poſſunt tenere alienum filium.

Ratione Compaternitatis ſubtractæ inter ſuſceptores poſſunt maritus, & vxor alienum filium tenere in Baptiſmo, & non contrahere inter ſe cognationem, ratione cuius prohibeantur a petendo, & reddendo ſibi adinuicem debitum coniugale, vt notant *Nugnus tertia part. q. 67. art. 8. verſus finem, Sanchez lib. 7. diſp. 54. n. 12., Regnaldus lib. 31. n. 150.* Sed, an maritus, & vxor peccent, ſi ſimul teneant alienum puerum in Baptiſmo? *Bonacina de Matrim. q. 3. punct. 5. §. 2. n. 5.* ſentit in hac Diæceſi peccare proptèr prohibitionem in hac poſitam, de qua mihi non conſtat; Quarè ſiſtendo in iure communi ſentio cum *Nauarro in man. c. 22. n. 39., & alijs*, non peccare, cum ſolum in iure antiquo eſſet vetitum proptèr cognationem ſpiritualem, quam tunc contrahebant; quæ cum modo ſublata ſit, non video, quo iure prohibeantur tenere.

Ratione Paternitatis ſubtractæ inter vxores baptizantis, & tenentium in ordine ad baptizatum, vel Compaternitatis item ſubtractæ inter vxores tenentium, & baptizantis inter ſe comparatas, non video; cur, ſi baptizans præmoriatur ad vxorem, non poſſit hæc contrahere Matrimonium cum ipſo baptizato, vel Patre ipſius, & ratione Compaternitatis ſubtractæ, ſi præmoriatur vxor tenentium non poſſit cum altero tenentium contrahere,

cum

Digitized by Google

cum modo nullum ſit impedimentum inter ipſos.

6 Impedimenta ſublata per Tridentinū referuntur etiam ad contracta ante ipſum.

Hic ſolum emergit aliqua difficultas, an, ſi aliqui contraxerint ante Concilium Tridentinum Fraternitatem, vel Compaternitatem modo ſubtractam per idem Tridentinum, poſſint poſtea, hoc eſt poſt idem Concilium Tridentinum inter ſe contrahere ſine aliqua diſpenſatione? Videtur prima fronte dicendum, non poſſe ſine diſpenſatione contrahere, quia Concilium ſtatuit quidem, quod impoſterum illæ cognationes non contraherentur, non autem abſtulit iam contractas, cum de hoc, nec verbum fecerit, vnde, ſi iam contractæ ſunt, relaxandæ ſunt per diſpenſationem. Nihilominus ſentiendum, eſt poſſe etiam ſine diſpenſatione contrahere, quia, ex quo Concilium abſtulit illam cognationem, de ea nulla ratio habenda eſt, cum arbitrandum ſit Concilium ex tunc noluiſſe amplius illam vigere; & iuxta hunc ſenſum explicat Concilium *Pius V. in extrauag. ſub tit. Declaratio Concilij.*

QVÆSTIO VII.

De Ritibus ſeruandis in collatione Baptiſmi.

Reuerentia, & veneratio debita tanto Sacramento exigit, vt comitatum habeat actionum plurimarum, quæ ſimul indicent eius præſtantiam, & ad ſpecialem erga ipſum cultum excitent corda fidelium; quamuis etenim Chriſtus Dominus nudè ipſum inſtituerit, & præceperit conferendum, non ſtatuens certum, & determinatum apparatum, reliquit tamen Eccleſiæ ſuæ ſponſæ, vt ſalua eiuſdem ſubſtantia ea ſtatueret, quæ in ipſius adminiſtratione conferre ad maiorem decorem in Domino expedire arbitraretur. Hinc eadem Eccleſia interpres ſimul & executrix mentis Diuinæ ritus plures induxit conſiſtentes, vel in verbis, vel in geſtis, quorum explicationem modo aſſumimus, ne omittamus, quæ deſiderari non patitur moralis ſolertia.

ARTICVLVS I.

Præmittitur quædam expoſitio huiuſmodi rituum.

SVMMARIVM.

Ritus referuntur ad Baptiſmum ſolemnem. 1.
Alij ſunt præparatorij, alij concomitantes, alij ſubſequentes. 2.
Alij conſiſtunt in verbis, & quinam ſint. 3.
Alij in actionibus, & recenſentur. 4.
Regulariter ritus, qui conſiſtunt in actionibus, habent comitatum verborum. 5.
In aliquibus ſunt diuerſi in Baptiſmo paruulorum, & adultorum. 6.

1 Ritus referuntur ſolum ad Baptiſmum ſolemnem.

Hoc in primis aduerte, ritus huiuſmodi non inſtitutos fuiſſe in ordine ad Baptiſmum priuatum in neceſſitate conferendum; hic etenim iuxta prædicta poteſt conferri in quocunque loco, pro quouis tempore, & à quacunque perſona adhibitis præciſè ijs, quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti; ſed dumtaxat in ordine ad Baptiſmum ſolemnem; atq; hos *D. Thomas tertia part. q. 71.* appellat præparatorios, ſed ipſe loquitur ſolummodo de præcedentibus ad Baptiſmum, nempè de Catechiſmo, & exorciſmis; extant tamen alij, qui comittantur eundem Baptiſmum, & alij, qui ſubſequuntur de quibus omnibus breuiter hic agendum eos ſingillatim referendo.

2 Alij ſunt præparatorij, alij comitātes, alij ſubſequentes.

3 Alij conſiſtunt in verbis, & quinam ſint.

Aduerte vlterius, ritus huiuſmodi alios conſiſtere in verbis, alios in actionibus, ſeu geſtis erga ipſum Baptiſmum, alios qui ſimul conſiſtunt in verbis, & actionibus. Ea, quæ conſiſtunt in verbis ſunt primo interrogationes, quæ fiunt à miniſtro, & reſponſiones, quæ fiunt ab ipſo baptizando, ſi ſit adultus, vel a Patrino eius nomine, ſi baptizandus ſit puer; Secundò orationes quædam, quæ præmittuntur, & ſubſequuntur. Tertiò exorciſmi. Quartò abrenuntiationes. Quintò recitatio ſimboli fidei, & alia, prout in Ritualibus.

4 Alij in actionibus, & referuntur.

Ea, quæ conſiſtunt in actionibus, ſeu geſtis, ſunt primò inſufflatio leuis in faciem infantis, quæ coniungenda eſt cum verbis excludentibus à baptizando immundum ſpiritum. Secundò ſignatio crucis in fronte baptizandi cum verbis ipſam comitantibus. Tertiò impoſitio manuum ſuper caput infantis. Quartò immiſſio modici ſalis in os eiuſdem. Quintò impoſitio ſtolæ ſuper infantem, & introductio eiuſdem in Eccleſiam. Sextò tactus aurium, & narium cum ſaliua baptizantis. Septimò vnctio oleo Catechumenorum infantis in pec-

las ſignificet fortitudinem, quam debet habere baptizandus in lucta, quam habere poteſt contra Dæmones, quod idem ſignificat vnctio, quæ fit chriſmate in vertice capitis. Sextò veſtis candida, & candela ardens ſignificat receſſum à veteri Adamo ad nouum, à turpitudine peccati ad candorem gratiæ, à tenebris ad admirabile lumen Chriſti.

6 Item ex motiuo efficaciæ.

Tertiò ex motiuo efficaciæ plures inductæ ſunt cæremoniæ, & inter cæteras exorciſmi, qui dici poſſint ordinati ad duplicem effectum, alterum negatiuum, nempè ad euertendum malum aliquod, alterum poſitiuum ad conferendum ſcilicet aliquod bonum; & quidem in ordine ad negatiuum omnes conueniunt, dum eiſdem attribuunt efficaciam ad effugandos Dæmones, eorumque verſutias; ſed quoad poſitiuum non omnes conueniunt. Aliqui ſtatuunt, huiuſmodi exorciſmos minuere pœnam debitam peccato originali, adeo vt, ſi quis poſt exorciſmos, ſed ante Baptiſmum moriatur, ſentiat minores pœnas, ac ſentiret, ſi non eſſet exorcizatus. Sed hoc vix poteſt concipi; nam nunquam remittitur pœna, firma manente culpa, & pœna debita originali non patitur latitudinem, cum conſiſtat in priuatione gloriæ. Alij aſſerunt cauſare effectum poſitiuum, quod præcipuè affirmat de inunctione chriſmatis in ſupremo vertice capitis, licet hoc etiam poſſit firmari de alijs vnctionibus, nempè conſeruationem gratiæ Baptiſmalis, vt videtur innuere *D. Thomas tertia part. q. 71. art. 3. ad quartum*, ſed hoc etiam difficilè explicatu eſt, nam, vel talis effectus cauſatur ab illis vnctionibus ex opere operato, vel ex opere operantis; non ex opere operato, quia hoc proprium eſt Sacramentorum, cuiuſmodi non ſunt illæ inunctiones; non ex opere operantis, nam, ſi baptizandus eſt puer, non eſt capax meriti; ſi adultus, vix etiam poteſt concipi in ipſo tale meritum, vt poſſit ex ſe conſequi illum effectum; Sed dicere poſſumus hunc effectum ad poſitionem illius inunctionis haberi per impetrationem totius Eccleſiæ, quæ, ſicuti impetrat per hæc Sacramentalia, vt Deus coerceat Dæmones, ne noceant, ita, & impetret, vt Deus concedat bonnm animæ motum ad conſeruandam gratiam Baptiſmatis.

7 Explicatur efficacia duplex altera negatiua, altera poſitiua.

8 Item ex motiuo ornatus.

Tertiò ex motiuo ornatus, & venerationis debitæ tanto Sacramento congruè inductæ ſunt huiuſmodi cæremoniæ, cum etenim hoc ſit ex præcipuis, cum ſit ianua ad cætera omnia, & ex alio capite inſtitutum ſit ſecundum ſubſtantiam in re vulgari, & in paucis verbis maximè conſentaneum viſum eſt Eccleſiæ, vt cum cæremoniarum apparatu miniſtraretur, quę vel eius præſtantiam indicarent, vel ſignificarent efficaciam, & deſeruirent ad inſtructionem, & ſignificationem myſteriorum.

9 Conuincuntur ſingulæ irriſiones Hæreticorum.

Propterea deſinant oblatrare Hæretici contra huiuſmodi ritus, & cæremonias damnantes tanquam contemptibiles, & inanes nugas, quæ ſunt plena myſterijs, perfidiæ venena vomentes contra dogmata veritatis; Non inania ſunt, quæ ſenſibilibus ſignis nos inſtruunt ad ſalutem; Non contemptibilia ſunt, quæ nobis ſignificant myſteria, ad quæ ſunt inſtituta. Non inutilia, quæ nobis proſunt remouendo, impedimenta, & deſeruiunt ad ſupernaturales motus concipiendos, & ad dona ſupernaturalia impetranda; Non ſuperſtitioſa, quæ ingerunt cultum, & venerationem erga tam ſalubre Sacramentum.

10 Nec obſtat, quod in primitiua Eccleſia tot ritus non adhiberentur.

Nec vim aliquam facit id, quod obijciunt Hæretici dicentes in primitiua Eccleſia, quæ immediatè ſucceſſit Chriſto Domino, quæque ab ipſo quodamodo fuit inſtructa, non adhiberentur tot ritus, nec tot cæremoniæ, quæ propterea ſucceſſiuè ex hominum figmento fuerunt inductæ; Non, inquam, vim aliquam facit, quia dato in primis, quod tunc non adhiberentur tot ritus, nec cæremoniæ, nihil euincit, quin iuſtè, honeſtè, & debitè potuerint ab Eccleſia poſtea inſtitui aſſerente Concilio Tridentino, quod Chriſtus Dominus contulit poteſtatem Eccleſiæ circa Sacramentorum adminiſtrationem, ea inſtituere ſaluis eorum ſubſtantia, quæ magis in Domino expedire iudicauerit; nec mirum eſt, quod in illo principio naſcentis Eccleſiæ non omnia fuerint inſtituta, quia tunc eadem Eccleſia non erat adhuc benè fundata, & eidem naſcenti poterant aliqua ſufficere, quæ adultæ non poterant eſſe ſatis. Deindè denegari non poteſt, quin pro illo tempore aliqui, ſi non omnes, ritus adhiberentur, & præcipuè Catechiſmus; cum legamus in Actis Apoſtolorum Phylippum, catechizaſſe, ſeu inſtruxiſſe Eunuchum antequam ipſum baptizaret, quod idem legitur de alijs Apoſtolis.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS III.

De neceſſitate Catechiſmi præuiè ad Baptiſmum.

SVMMARIVM.

Cathecifmus in ordine ad adultum, & in ordine ad paruulos. 1.
In ordine ad adultos duplex, alter quaſi ſubſtantialis, alter cæremonialis, & quid vterque. 2.
In quo conſiſtat Catechiſmus paruulorum. 3.
Duplex difficultas excitata à D. Thoma. 4.
In ordine ad adultos, vbi neceſſitas aliter non ſuadeat, ex neceſſitate præcepti præmittendus eſt Catechiſmus tam ſubſtantialis, quam accidentalis. 5.
Etiam in paruulis ex neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici in ſolemni Baptiſmo præmittendus eſt Catechiſmus. 6.
Non currit paritas de eſſe naturali ad ſupernaturale. 7.
Pueri, licet ſint incapaces inſtructionis in actu, non ſunt tamen incapaces in habitu. 8.
Ratio, ob quam Catechiſmus adhibetur pueris, quando baptizantur, & non differatur, cum peruenerint ad vſum rationis. 9.

1 Catechiſmus, vel in ordine ad adultos, vel ad paruulos.

HIc titulus poteſt referri, vel ad Baptiſmum adulti, vel ad illum pueri carentis vſu rationis, & quidem, ſi loquamur de Catechiſmo in ordine ad Baptiſmum adulti, poſſumus, vt notat *Suarez in tertiam partem in comment. ad q. 70. art. 1. D. Thomæ*, diſtinguere duplicem quodammodo Catechiſmum, alterum quaſi ſubſtantialem, non quod ſit de ſubſtantia Baptiſmi, ſed quia neceſſarius videtur ad perfectam inſtructionem, & de hoc loqui videtur Chriſtus Dominus, dum dixit, *euntes docete omnes gentes baptizantes &c.* Alterum cæremonialem, qui conſiſtit in ritibus ab Eccleſia inſtitutis; atque hic Catechiſmus continet in ſe etiam præcedentem ſubſtantialem, & eidem ſubiungit ſolum cæremonias Eccleſiaſticas. Hic autem Catechiſmus cæremonialis ſecundum Apoſtolicam regulam conſiſtit in inſtructionibus baptizandi in Chriſtiana fide, & ſanctis moribus, & in exercitio operum pietatis per aliquot dies, & in repetita exploratione voluntatis, & propoſiti perſonæ baptizandæ. De ritibus, qui adhiberi folēt in huiuſmodi adultorum Catechiſmo conſulendi ſunt DD., qui de hac materia ſcripſerunt, & Ritualia Eccleſiaſtica,

2 In ordine ad adultos duplex, & qualis.

Catechiſmus vero paruulorum conſiſtit in præuijs illis interrogationibus, & reſponſionibus, quæ fiunt a miniſtro, & reſpectiuè à Patrino, & in recitatione ſimboli Apoſtolici. Mouet hic difficultatem quoad hunc Baptiſmum *D. Thomas d. q. 71. art. 1.* in genere primò quoad omnes, ſiue adultos, ſiue infantes conſiſtentem in eo, quod Catechiſmus ſe habet per modum inſtructionis, Baptiſmus vero per modum regenerationis; ordo autem naturæ exigit, vt quis prius regeneretur, ſeu accipiat primum eſſe vitæ ſpiritualis, quam quod in illa inſtruatur. Secundò in ordine ſpeciatim ad paruulos, quod non ſint capaces doctrinæ, adeoque neque inſtructionis in Catechiſmo. His tamen non obſtantibus ſit

3 In quo conſiſtat Catechiſmus paruulorum.

4 Duplex difficultas excitata à D. Thoma.

Conclusio. Quoad adultos, niſi aliter neceſſitas vrgeat, ex neceſſitate præcepti præmittendus eſt Catechiſmus ſaltem ſubſtantialis, licet, nec poſſit omitti ſine noxa etiam cæremonialis. In hoc expreſsè conſentit *D. Thomas tertia part. q. 71. art. 1. in corpore, & alij communitèr.*

5 In adultis ex præcepto præmittendus eſt vterque Catechiſmus.

Quoad Catechiſmum ſubſtantialem deducitur primò ex verbis Chriſti Domini, *Matthæi vlt. Euntes docete omnes gentes baptizantes eas*, vbi vides, quod Dominus præcepto baptizandi præmiſerit Doctrinā &c. Secundò, quia Baptiſmus eſt Sacramentum fidei, & quædam profeſſio eiuſdem; nemo autem profiteri poteſt fidem, quam non nouit, ergo neceſſe eſt, vt prius inſtruatur in fide, vt poſſit illam in Baptiſmo profiteri.

Quod vero ſine neceſſitate non poſſit omitti licitè Catechiſmus cæremonialis ex eo euincitur, quod, licet Chriſtus Dominus ſolum in allegatis verbis *Matthæi vlt.* præſcripſerit ſubſtantiam Catechiſmi per doctrinam, & inſtructionem gentibus præſtandam, Eccleſia tamen eius interpres præſcripſit modum, quo talis inſtructio fit, a quo extra caſum neceſſitatis nequit declinari; nec ſine congrua ratione ille modus inductus eſt ad magis firmandos, & ſtabiliendos ſcilicet conuerſos in fide; cum experientia compertum ſit, pleroſque, vel ob defectum perfectæ inſtructionis, vel longi experimenti declinaſſe à fide ſuſcepta cum maximo Religionis dedecore, & animarum detrimento, & fidei eiuſdem contemptu.

Concluſio II. Quoad paruulos etiam extra caſum neceſſitatis præmittendus eſt ex præcepto Eccleſiaſtico Catechiſmus ad Baptiſmum. Conſentit etiam in hoc *D. Thomas loc. cit. in ſuperiori concl.*, & vlterius *D. Dionyſius de Eccleſ. Hierarchia c. vlt. in fine, D. Auguſtinus Epiſt. 23., & lib. 4. de Baptiſm. c. 24., & ſerm. 10. de verbis Apoſt.*, & hoc ſeruat communis Eccleſiæ praxis, quæ etiam præcipit, vt vbi in neceſſitate Baptiſmus fuerit priuatim domi collatus,

6 Etiam in ſolemni Baptiſmo paruulorum præmittendus eſt Catechiſmus.

cære-

cæremoniæ ſint in Eccleſia per Sacerdotem ſupplendæ, inter quas potiſſimum connumeratur Catechiſmus; ex quo arguitur neceſſitas ex præſcripto eiuſdem Eccleſiæ Catechiſmi; quod, ſi in hac hypotheſi poſtponitur, eſt inuerſio ordinis propter neceſſitatem, non quod ex genere ſuo non ſit præmittendus.

Dixi in vtraque concluſione, *niſi alitèr neceſſitas vrgeat, vel extra caſum neceſſitatis*, nam vrgente neceſſitate ceſſare videtur quodcunque præceptum, & ſubueniendum ſaluti periclitantis per ſubſtantiam Sacramenti potius, quam curandum de adimplemento cæremoniarum, potiſſimũ cum eadem Eccleſia in ea hypotheſi non intelligatur velle obligare.

Nunc ad difficultates excitatas à Diuo Thoma iuxta dicta in principio huius tituli reſpondendum eſt; & quidem ad primã, quæ videtur ferire Catechiſmum tam adulti, quam infantis, dico non in omnibus currere paritatem vitæ ſupernaturalis, & naturalis, nam in naturali certum eſt, quod prius eſt eſſe, quam inſtrui, quia

7 Nõ currit paritas de eſſe naturali ad ſupernaturale.

eſſe naturale non ſupponit aliud eſſe ante ſe, vnde ipſum eſt fundamentum omnium, & etiam cuiuſcunque inſtructionis; in ſupernaturali vero, cum hoc ſupponat eſſe naturale, non eſt neceſſe, quod præſuponatur ad inſtructionem, cum hæc poſſit recipi in eſſe naturali præcedente. Adde, quod inſtructio per Catechiſmum poſſit habere duplicem reſpectum, alterum ad remouenda impedimenta, ſeu errores, qui aduerſari poſſunt veritati fidei, cuius Sacramentum accipitur in ſuſceptione Baptiſmi, & hæc vtique debet præcedere Baptiſmum; alterum, ſecundum quem debet eandem fidem baptizatus in actu Baptiſmi profiteri, & ſecundum hanc poteſt comitari, vel ſubſequi ſecundum exercitium, licet præcedat ſecundum habitum in ipſo Catechiſmo. Tandem, ſi iuxta argumentum allatum prius debet eſſe, regenerari, & eſſe, quam inſtrui, ex eodem prius etiam debet eſſe, quam operari, quia operari ſubſequitur ad eſſe; ex quo euinceretur, quod quis deberet prius eſſe regeneratus vitæ ſpiritnali, quam quod poſſit operari operatione vitæ ſupernatnralis, quod tamen non ſubſiſtit, cum prius debeat elicere actus ſupernaturalis atritionis peccatorum, quam quod conſequatur gratiam Baptiſimalem, ſicuti igitur tenẽtur auctores huius argumenti dicere, quod huiuſmodi actus præcedentes procedunt ab eſſe hominis eleuato per actuale auxilium ſupernaturale, ita, & illa inſtructio fundetur in natura rationali præexiſtente, quæ eſt capax cæleſtis doctrinæ, & inſtructionis potiſſimum, ſi per donum Dei ſupernaturale ſit eleuata.

Ad ſecundum relatum ad pueros, qui ſunt incapaces doctrinæ, & inſtructionis, dicendum eſt, quod, quantumuis pro tunc non ſint capaces per ſe in actu, ſunt tamen capaces in habitu, quatenus per alios recipiunt doctrinam, & inſtructionem, & vi eiuſdem tenentur poſtea ad profeſſionem eiuſdem doctrinæ; & Patrini, qui eorundem infantium nomine doctrinam illam recipiunt, ex tunc nomine Eccleſiæ fidem eiuſdem profitentur nomine, & in perſona puerorum.

8 Pueri sũt capaces inſtructionis in habitu, & quomodo.

Si autem quæratur, cur potius tunc cum confertur Baptiſmus infantibus, conferatur Catechiſmus, & non expectetur ad tempus, quo peruenerint ad vſum rationis, cum eodem recepto in Baptiſmate poſſint acquiſito rationis vſu ab eodem recedere, cum non teneantur ſtare promiſſioni factæ per Patrinos eorum nomine; Tunc dicam iuxta *D. Thomam d. q. 71. art. 1. ad tertium*, nullum eſſe inconueniens, quod quis obligetur per alium in ijs, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis. Quod deindè Catechiſmus adhibeatur tunc, cum confertur Baptiſmus, ideo eſt, vt tunc perficiantur ea, quorum ipſi pueri ſunt capaces, & tunc eis nomen imponitur, & ſigno crucis ſignantur; rurſus ad inducendam obligationem in ſuſceptoribus inſtruendi eoſdem Infantes in fide, & bonis moribus.

9 Ratio ob quã Catechiſmus adhibetur pueris cum baptizãtur, & nõ expectetur ad vſum rationis.

ARTICVLVS IV.

An ex neceſſitate ſint præmittendi exorciſmi Baptiſmo.

SVMMARIVM.

In quo conſiſtant huiuſmodi exorciſmi. 1.
Rationes ſuadentes non iuſtè præferri huiuſmodi exorciſmos Baptiſmo. 2.
Iuſtè, & vtilitèr, quinimmo ex præcepto præmittuntur huiuſmodi exorciſmi Baptiſmo. 3.
Ratione efficaci D. Thomæ euincitur. 4.
Soluuntur rationes ſententiæ oppoſitæ. 5.

EXorciſmi, qui ex inſtitutione Eccleſiæ adhiberi ſolent ante collationem Baptiſmi, conſiſtunt in inſufflatione, in benedictione cum manuum impoſitione, in immiſſione ſalis in os, & ſaliuæ linitione in auribus, & naribus baptizandi, in inunctione olei, & chriſmatis, quarum actionum ſignificationem in præcedentibus explicuimus; de quibus iam quæritur, an iuſtè, & vtilitèr præmittantur, ſeu ſint præmittendi ad collationem Baptiſmatis.

1 In quo conſiſtãt huiuſmodi exorciſmi.

Contendunt nonnulli non iuſtè, vel ſaltem non vtilitèr hos præmitti ad Baptiſmum, vel quia exorciſmi ſunt inſtituti in

ordine ad Energumenos, qui obſeſſi ſunt à Dæmonibus, quales non ſunt omnes baptizandi, vel quia quouſque quis remanet ſubiectus peccato, remanet ſubiectus Dæmonum poteſtati; peccatum autem non tollitur per exorciſmos, ſed per Baptiſmum, ergo non ſunt ex neceſſitate præmittendi ad Baptiſmum, cum nullum poſſint conſequi effectum ante ipſum Baptiſmum, cum vſque ad illius complementum remaneant adhuc ratione peccati ſub poteſtate Dæmonis; ex quibus rationibus ſic efformo argumẽtum; vel huiuſmodi exorciſmi ſunt præmittendi ad expellendos Dæmones, qui corporalitèr, & extrinſecè vexant homines ipſos quodamodo obſidentes quales ſunt Energumeni, vel ad expellendos ipſos, qui internè obſident ratione quaſi dominij, quod habent ratione peccati; ſi primum dicatur; Non poteſt hoc ſubſiſtere, cum regularitèr baptizati non ſint corporalitèr a Dæmonibus obſeſſi; ſi ſecundum; nec hoc poteſt ſubſiſtere; cum homines per exorciſmos non liberentur a Dæmonum ſeruitute, quia, quouſque peccatum deletum non eſt, remanent ſub eorundem poteſtate; peccatum autem non deletur per exorciſmos, ſed per ipſam ſubſtantiam Baptiſmi. Nihilominus ſit

2 Rationes ſuadẽtes non iuſtè præferri huiuſmodi exorciſmos Baptiſmo.

Concluſio. Inſtè, & vtilitèr præmittuntur exorciſmi Baptiſmo, & grauitèr peccaret miniſter ſolemnitèr baptizans, ſi extra neceſſitatem non præmitteret *Diuus Thomas loc. cit. art. 2. in corpore*.

3 Non ſolũ iuſtè, ſed etiã debitè ſunt præmittẽdi Baptiſmo.

Colligitur ex antiquorum PP., & Conciliorum auctoritatibus, & definitionibus, qui, ſeu quæ vel referunt hunc morem exorcizandi ante Baptiſmum eſſe antiquiſſimum, & in Eccleſia receptum, vel præcipiunt recipiendum eſſe, & ſeruandum. De antiquitate teſtantur *D. Dionyſius c. 2. de Eccleſiaſtica Hierarch.*, *& Cæleſtinus Papa in Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ*, quem refert *D. Thomas loc. cit.*, *Auguſtinus lib. 6. contra Iulianum c. 2.*, *& lib. 1. de gratia Chriſti c. 4.*, *& lib. 2. de peccato originali c. 4.* De onere illos præmittendi non ſolum habetur ex omnibus Ritualibus, quæ vim præcepti inferunt, ſed etiam ex *Concil. Bracarenſi 2. c. 1.*

4 Ratione efficaci D. Thomæ euincitur.

Ad probationem etiam huius concluſionis plurimum confert ratio *D. Thomæ loc. cit.* adducta, quod ſcilicet in quocunque opere ſapientèr, & prudentèr efficiendo ratio ipſa ſuadeat, quod prius remouenda ſint impedimenta, quæ poſſint obſiſtere operi, quam opus ipſum peragatur; Dæmones autem ſpiritualitèr, & internè obſidentes baptizando ratione dominij, & poteſtatis, quod, ſeu quam habent in ipſum proptèr peccatum in eodem præexiſtens poſſunt obſiſtere eiuſdem ſaluti, ergo prius ſunt arcendi per exorciſmos, qui per *D. Iſidorum lib. 1. de Eccleſiaſt. offic. c. 21.* ſunt increpationes contra immundos ſpiritus, quibus eorum virtus, & violenta incurſio arcetur, ſeu fugatur.

5 Soluuntur rationes ſententiæ oppoſitæ.

Nec obſtant, quæ ex aduerſo afferebantur; non primum, quia exorciſmi non omnes inſtituti ſunt ad arcendos Dæmones corporalitèr homines obſidentes, ſed etiam aliqui ad arcendos eoſdem ſpiritualitèr, & internè obſidentes ob poteſtatem, quam habent in animas ratione peccati in eiſdem exiſtentis; Non ſecundum, quia dicendum eſt Dæmones ratione peccati originalis, aliorumque actualium duplicem quaſi poteſtatem exercere in homines ſubditos eiſdem peccatis; primam, qua impediunt, ſeu impedire tentant homines, ne percipiant Sacramenta, quibus poſſint ſalutem acquirere; ſecundam, qua impedire poſſunt, ne ſalutem conſequantur; prima poteſtas eliditur per ipſos exorciſmos, quatenus præſtant, ne Dæmones poſſint impedire, ne Baptiſmum ſuſcipiant; Secunda eliditur per ipſum Baptiſmum, qui auferens peccatum tollit a Dæmonibus poteſtatem, ne impediat beatitudinis conſecutionem; atque iuxta hos terminos procedit *D. Thomas d. quaſt. 71. art. 2. ad ſecundum*.

ARTICVLVS V.

An ea, quæ fiunt in exorciſmo ante Baptiſmum ſint ſolum ſignificatiua, an vero etiam effectiua.

SVMMARIVM.

Rationes ſuadentes exorciſmos ſolum ſignificare, non efficere. 1.
Exorciſmi non ſolum ſignificant, ſed etiam cauſant. 2.
Nec ſolum negatiuè, ſed etiam poſitiuè. 3.
Euincitur auctoritatibus D. Auguſtini, & D. Thomæ. 4.
Etiam alia à Sacramentis in ordine ad diuerſos effectus poſſunt eſſe ſigna, & cauſæ. 5.
Exorciſmi etiam poſt ſubſtantiam Baptiſmi collati, ſuum conſequuntur effectum. 6.
Diſpoſitiones negatiuæ poſſunt eſſe ſubſequentes. 7.

1 Rationes ſuadẽtes exorciſmos ſolũ ſignificare, non efficere.

PLuribus rationibus conantur aliqui euincere exorciſmos ante Baptiſmum elicitos habere dumtaxat vim ſignificatiuam, nullatenus virtutem cauſatiuam. Primò, quia Sacramenta ſolummodo ſunt

ſimul

ſimul ſigna, & cauſæ, & id efficiunt, quod ſignificant; vnde hæc virtus non eſt alijs ab ipſis conferenda. Secundò, quia exorciſmi non ſolum fiunt ante Baptiſmum, ſed etiam poſt Baptiſmum, vt quando in vertice capitis inungitur baptizatus, ſed quoad eos, qui fiunt poſt Baptiſmum nullus effectus confertur, ſecus effectus Baptiſmi eſſet imperfectus, ergo, nec confertur quoad eos, qui antecedentèr fiunt. Tertiò, quia exorciſmi ſe habent tanquam diſpoſitiones ad effectum Baptiſmi tanquam ad formam perfectam; forma autem non recipitur in ſubiecto, niſi hoc ſit diſpoſitum, ergo, ſi non eſſet diſpoſitum per exorciſmos effectus in eodem non reciperetur, quod non videtur conſonum veritati, cæteroqui ſubiecto non exorcizato non conferretur gratia Baptiſimalis. Nihilominus ſit

2
Exorciſmi non ſolum ſignificãt, ſed etiam cauſant.

Concluſio. Exorciſmi ſecundum ſe non ſolum ſunt ſignificatiui, ſed etiam effectiui. Conſentit *D. Thomas tertia part. q. 71. art. 3. in corpore*, & cum eo alij communitèr. Patet hæc concluſio ex ſupradictis, vbi quod non ſolum præſteut effectum negatiuum tollendo impedimenta, quæ opponit Dæmon ad recipiendum Sacramentum, ſed etiam poteſtatem, quatenus per eorum poſitionem in virtute Eccleſiæ, quæ eoſdem inſtituit, impetrantur a Deo boni animæ motus, quibus acquiratur conſeruatio gratiæ Baptiſimalis,

3
Nec ſolũ negatiuè, ſed etiam poſitiuè.

in quo ſenſu intelligendus eſt *D. Thomas d. q. 71. art. 3. ad quartum*, dum dicit per inunctionem chriſmatis in ſummo vertice capitis effici conſeruationem eiuſdem gratiæ Baptiſimalis; non enim hoc poteſt intelligi de directa productione eiuſdem ex opere operato, cum hoc ſpectet ad Sacramenta priuatiuè quoad alia.

4
Euincitur auctoritatibus Diui Auguſtini, & D. Thomæ.

Ad hæc confirmanda plurimum confert *D. Auguſtinus lib. 1. de ſimbolo c. 1. circa finem*, dum dicit, *Paruuli exſufflantur, & exorcizantur, vt pellatur ab eis Diaboli poteſtas inimica, qui decepit hominem.* Hoc idem confirmat *D. Thomas loc. cit. in corpore*, dum in homine infecto labe originalis culpæ, aliarumque actualium agnoſcit duplex impedimentum ad acquirendam gratiam Baptiſmi, alterum quodamodo extrinſecum conſiſtens in oppoſitione Dæmonum, ne ſuſcipiat Sacramentum; alterum intrinſecum conſiſtens in eo, quod infectus labe originalis ratione eiuſdem habet ſenſus occluſos ad percipienda cæleſtia mandata; Per exorciſmos autem vtrumque aufertur; primum per inſufflationes, vt tradit *D. Auguſtinus loco cit.* Per linitionem vero per ſaliuam aurium, & narium, & benedictionem Sacerdotalem tollitur ſecundum; quod benè indicauit *Rabanus de inſtit. Cler. lib. 1. c. 27. poſt med.*, dum dixit, quod per ſaliuam typicam, & Sacerdotis tactum Sapientia, & virtus Diuina ſalutem Catechumeni operatur, vt aperiantur ei nares ad percipiendum odorem notitiæ Dei, vt aperiantur ei aures ad audiendum mandata Dei.

5
Etiã aliã à Sacramentis poſſunt eſſe ſignã & cauſæ,

Iam reſpondeamus ad rationes cõtrariȩ ſententiæ. Ad primã qua dicitur, quod ſola Sacramenta ſint ſimul ſigna, & cauſæ, & id efficiant, quod ſignificant, dicendum eſt, id verum eſſe, ſi loquantur de effectu principali, qui eſt proprius Sacramentorum, & eſt gratia ſanctificans, cuius ſunt ſigna, & cauſæ ipſa Sacramenta; ex hoc tamen non tollitur quin alia a Sacramentis, puta Sacramentalia poſſint eſſe ſimul ſigna, & cauſæ ſuorum effectuum, qui ſunt diſtincti ab illis Sacramentorum; Cum igitur potiſſimum pro effectu exorciſmorum aſſignetur ablatio impedimentorum, non eſt, cur ijdem exorciſmi non poſſint illam ſignificare, & ſimul efficere abſque eo quod dicuntur Sacramenta.

6
Etiã poſt Baptiſmũ collati ſuum conſequuntur effectum,

Ad ſecundam, qua dicitur, quod exorciſmi fiant non ſolum ante Baptiſmum, ſed etiam poſt illum, vt videre eſt in vnctione chriſmatis in vertice capitis, dicendum eſt, nihil penitus euincere; nam, quod fiat aliquis exorciſmus etiam poſt Baptiſmum, & hic conſequatur ſuum effectum, non efficit, quod effectus ipſius Baptiſmi ſit imperfectus, cum plena per ipſum habeatur regeneratio ſpiritualis per primam gratiam iuſtificantem, & ſanctificantem, quæ eſt plenus effectus eiuſdem, nec tamen hic effectus ex vi Sacramenti quoad ipſam gratiam confertur inamiſſibilitèr; & propterea mirum non eſt, quin conſeruatio eiuſdem impetratiuè poſſit eſſe effectus talis inunctionis, vt ſuſtinet *D. Thomas loc. cit. ad quartum*.

Ad tertiam, qua dicitur, formam non recipi in ſubiecto, niſi hoc ſit d ſpoſitum, dicendum eſt, diſpoſitiones eſſe quodamodo in duplici genere, alias ſcilicet poſitiuas, & neceſſarias, alias quodamodo negatiuas. Poſitiuæ, & neceſſariæ ſunt fides, & intentio eiuſdem baptizandi, ſi ſit adultus, vel Eccleſiæ pro ipſo, ſi ſit paruulus carens vſu rationis.

7
Diſpoſitiones negatiuæ poſſunt eſſe ſubſequẽtes.

Reliqua autem, quæ fiunt per exorciſmos ſunt quodamodo diſpoſitiones negatiuæ, conſiſtentes in remotione impedimentorum, ſine quibus poteſt eſſe effectus Baptiſmi, ſi omittantur potiſſimum in caſu neceſſitatis, quinimmò etiam extra neceſſitatem, licet in hac hypotheſi grauitèr delinqueret, qui illas omitteret, ſed paruulus conſequeretur effectum ipſius Baptiſmi, cum eſſent omnia neceſſaria ad illum conſequendum.

ARTICVLVS VI.

An exorciſare, & catechizare in Baptiſmo ſit proprium munus Sacerdotis, an vero competere poſſit alijs inferioribus.

SVMMARIVM.

Rationes dubitandi pro vtraque parte. 1.
Rationes ſuadentes ex vi ordinationis hoc munus competere exorciſtis, & Lectoribus. 2.
D. Thomas tribuit hoc munus principalitèr, & ſolum miniſterialitèr alijs. 3.
Antiquitus hoc munus demandabatur exorciſtis. 4.
Nunc ſolis Sacerdotibus reſeruatur. Ibid.
Exorciſtæ ſolum exercebant exorciſmos priuatim. 5.
Soluuntur rationes contrariæ ſententiæ. 6.

CVm dictum fuerit in præcedentibus ſolius Sacerdotis munus eſſe ſolemnitèr baptizandi, nec alijs competere, niſi

1 Rationes dubitãdi pro vtraque parte

ad ſummum Diaconis ex commiſſione Sacerdotis, vel Epiſcopi, videtur etiam ex conſequenti dicendum, quod ſolius Sacerdotis munus ſit catechizare, & exorcizare, cum exorciſmi, & Catechiſmus ſint principales actiones, quæ conſtituunt Baptiſmum ſolemnem. Quia tamen poteſtas exorcizandi confertur ex vi propriæ ordinationis exorciſtis, qui ſunt in ordine valdè inferiori Sacerdotibus, & munus catechizandi, quod exercetur per inſtructionem in fide per Sacram Scripturam, videtur collatum Lectoribus, qui legunt vetus teſtamentum in Eccleſia, & Subdiaconis, & Diaconis, qui nouum in eadem recitant, tribuitur non leuis occaſio dubitandi, an verè munus illud catechizandi, & exorcizandi in Baptiſmo reſtringatur ad ſolos Sacerdotes, an vero ſit communicabile alijs etiam inferioribus.

Ex vi propriæ ordinationis hoc munus Dæmones ſpiritualitèr obſidentes pueros, ſeu iuuenes ab eiſdem eijciendi, ſeu expel-

2 Rationes ſuadẽtes ex vi ordinationis hoc munus cõpetere exorciſtis, & Lectoribus.

lendi ante Baptiſmi ſuſceptionem exorciſtis competere colligitur ex forma, qua ordinantur; in eadem etenim dicitur, *Accipe, & commenda memoriæ, & habe poteſtatem imponendi manus ſuper energumenos, ſiue baptizatos, ſiue catechumenos.* Sed, ſi benè perpendantur verba huius formæ, comperietur hæc referri ad poteſtatem eijciendi Dæmones corporalitèr à corporibus obſeſſis, non vero ſpiritualitèr, refertur etenim ad Energumenos, qui corporalitèr intelliguntur a Dæmonibus vexari; Nihil ominus ex antiquiſſimo ritu hoc munus ſignantèr eijciendi ſpiritualitèr Dæmones ab ijs, qui veniebant ad Baptiſmum competere exorciſtis, colligitur ex antiquis Patribus *D. Cipriano Epiſt. 76., D. Auguſtino lib. 1. de peccato originali c. 4., D. Ambroſio lib. 1. de Sacram. c. 5., D. Gregorio Nazianzeno orat. de Baptiſmo.*

His tamen non obſtantibus *D. Thomas tertia parte q. 71. art. 4. in corpore*, hoc munus tribuit ſolum principalitèr Sacerdotibus, & non niſi miniſterialitèr, & inſtrumentalitèr alijs inferioribus, quatenus deſeruiunt eiſdem Sacerdotibus, dum exorciſmos adminiſtrant ante Baptiſmum, & poſtea ipſum Baptiſmum. Nos vtramque opinionem conciliando plura dicimus. Primò, quod antiquitus, cum eſſet inopia Sacerdotum, & copia Energumenorum, hoc munus exorcizandi Clericis exorciſtis committebatur; nunc autem, cum ſit copia Sacerdotum, & non multitudo energumenorum, hoc munus Sacerdotibus reſeruatum eſt, adeout iſtis præſentibus nequeant inferiores licitè hoc munus obire, & iuxta hanc explicationem procedit *Gregorius de Valentia tom. 4. diſp. 9. q. 1. puncto tertio.* Secundò, quod exorciſtæ in ordine ad exorciſmos, alijque Clerici inferiores Sacerdotibus in ordine ad Catechiſmum hæc munera exercebant priuatim exorcizando, & inſtruendo, antequam accederent ad Baptiſmum, quodamodo diſponendo, & præueniendo Catechiſmum, & exorciſmos poſtea exercendos per Sacerdotem in ſolemnitate Baptiſmi iuxta formam ab Eccleſia præſcriptam; non autem ſolemnitèr cum hoc ſit reſeruatum Sacerdotibus, quibus, ſicuti ſolum competit baptizare ſolemnitèr, ita ſolum eiſdem competit exercere actiones, quæ conſtituunt Baptiſmum ſolemnem iuxta ea, quæ ſupra dicebamus.

3 D. Thomas tribuit hoc munus principalitèr Sacerdotibus, & ſolum miniſterialitèr alijs.

4 Antiquitus exercebatur ab exorciſtis.

5 Exorciſtę ſolum exercebãt exorciſmos priuatim.

Nec obſtant ea, quæ ſupra dicebantur, ſcilicet exorciſtis ex vi ſuæ ordinationis competere munus exorcizandi, & Lectoribus munus legendi in Eccleſia teſtamentum vetus, & Subdiaconis, & Diaconis recitandi in eadem nouum, per quæ fiunt inſtructiones in fide, in quibus conſiſtit Catechiſmus. Non obſtant, inquam, quia quoad exorciſtas dicendum eſt eiſdem quidem collatam eſſe hanc poteſtatem, ſed exercitium eiuſdem ipſis præſente Sacerdote eſſe interdictum. Deindè etiam dici poteſt, quod eiſdem hæc poteſtas collata ſit in ordine ad Energumenos in priuatis exorciſmis, non autem in illis, qui coniungi debent ex præſcripto Eccleſiæ in ordine ad expellendos Dæmones ſpiritualitèr, quales ſunt illi, qui fiunt in ſolemni Baptiſmi adminiſtratione. Quoad inſtructio-

6 Soluuntur rationes contrariæ ſententiæ.

nes

nes vero, quæ fiunt per lectionem veteris teſtamenti in Eccleſia à Lectoribus, & noui per Subdiaconos, & Diaconos, dicendum eſt, quod, cum illa lectio, ſeu recitatio fiat in genere, & potius ſit ordinata ad perfectionem & ornatum Sacrificij, & ad complementum Diuini Officij, non habeat propriè rationem Catechiſmi; vnde quando Lectores in recitatione ſolemni Diuini officij legunt partem veteris ſcripturæ, non dicuntur catechizare, nec quando Subdiaconus legit in Miſſa Epiſtolam, nec quando Diaconus recitat Euangelium.

QVÆSTIO VIII.

De Tempore quo conferendum eſt hoc Sacramentum.

NEceſſitatem huius Sacramenti in præcedentibus clarè cognouimus quoad ſubſtantiam; nunc neceſſitatem eiuſdem quoad temporis circunſtantias, quo conferendum eſt, indagandam aſſumimus, & quidem non ſolum in ordine ad pueros carentes vſu rationis, ſed etiam in ordine ad adultos. Sub hoc titulo plura inquiremus, & primò, quandonam pueri ſint baptizandi, & an vrgeat quoad ipſorum Baptiſmum pro determinato aliquo tempore pręceptum aliquod, & quodnam. Secundò, an ex aliqua cauſa poſſit eorum differri Baptiſmus. Tertiò in ſuppoſitione, quod ex aliqua cauſa poſſit differri, ſit puer per ſubſtantialia baptizandus, & ſolummodò differendæ cæremoniæ. Quartò in ordine ad adultos vtrum teneantur pro aliquo tempore Baptiſmum ſuſcipere, & quo præcepto ad hoc compellantur. Quintò, an dilatio ſine neceſſitate ſit peccaminoſa læthalitèr. Sextò, an dilatio ex aliqua cauſa poſſit cohoneſtari, & his ſimilia.

ARTICVLVS I.

An ſit neceſſe puerum intra certum aliquod tempus baptizare.

SVMMARIVM.

Procedit titulus extra caſum neceſſitatis. 1.
Etiam extra caſum neceſſitatis non eſt diu differendus Baptiſmus. 2.
Et ad hoc obligat ius conſuetudinarium, quod habet vim obligandi ſub graui. 3.
Concilium Prouinciale Mediolanenſe obligat ſub excommunicatione ad non differendum vltra nouem dies. 4.
Hoc decretum intelligendum eſt quoad dilationem Baptiſmi, non quoad dilationem cæremoniarum, quando Baptiſmus collatus eſt intra nouem dies. 5.

1 Procedit titulus extra caſum neceſſitatis.

PRocedit titulus extra caſum neceſſitatis, nam vrgente neceſſitate non eſt dubitandum, quin Baptiſmus ſit ſtatim conferendus ſic exigente lege charitatis, & etiam pręcepto eiuſdem Baptiſmi, quod, cum ſit commune omnibus, obligat parentes pro filijs potiſſimum in eodem caſu neceſſitatis, cum ex officio paterno teneantur eiſdem conſulere quoad ea, quæ pertinent ad æternam ſalutem, quæ rebus omnibus præferenda eſt.

2 Etiam extra caſum neceſſitatis non eſt diu differendus.

Loquendo igitur extra caſum neceſſitatis abſolutè aſſerendum eſt, non eſſe diu de hoc remedio negligendum eiſdem ſubuenire, & in hoc conſentiunt *D. Thomas tertia part. qu. 68. art. 3. in corpore, & in quarto diſt. 4. q. 3. art. 1. quæſtiunc. 2. in corpore, & diſt. 6. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 2. ad primum, Suarez tom. 3. in tertiam part. D. Thomas diſp. 31. ſect. 2. verſ. tertio ſequitur ex dictis.* Ratio ex eo deducitur primò, quia ex vna parte ratio naturalis pietatis exigit, vt pueri conſtituantur ex inimicis amici Dei, & ex filijs Diaboli filij adoptionis; ex alia parte dilatio nihil conferre poteſt ad beneficium pueri, cum in illo ſtatu non poſſit recipere ſalutares inſtructiones, ergo ſaltem ex titulo naturalis pietatis non eſt Baptiſmus deferendus, ſed, quam primum poteſt, debet conferri.

3 Ad hoc vrget ius conſuetudinariũ, quod habet vim obligãdi ſub graui.

Sed, an ad hoc vrgeat præceptum aliquod poſitiuum, & pro quonam tempore? De iure aliquo poſitiuo Diuino nullibi conſtat, cum ſolum in eodem præcipiatur ſubſtantia, *Euntes docete omnes gentes baptizantes &c. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto &c.* non tempus collationis; De iure humano communi nihil etiam circa hoc ſcriptum inuenio; ius tamen conſuetudinarium ferè vbique

obti-

obtinuit, vt à natiuitate pueri eius Baptiſmus non diu differatur, ne in diutina dilatione ſalus pueri periclitetur, & ne diu puer remaneat filius iræ, & inimicus Deo. Sed, an hæc conſuetudo obliget parentes ſub graui ad non differendum? Arbitrarer vtique ſub graui obligare, cum hæc conſuetudo inducta ſit ex iuſta, & legitima cauſa ad euitanda damna, quæ inde pueris poſſent obuenire, cuius propterea neglectus non poteſt eſſe, niſi grauitèr peccaminoſus, cum cedere poſſit in graue præiudicium infantium, & quodamodo in dedecus Religionis.

4 Conciliũ Prouinciale Mediolani obligat ſub excõmunicatione ad non differendũ vltra nouem dies.

Hinc in hac Mediolanenſi Prouincia per Concilium Prouinciale I. part. 2. fol. 34. maxima prouidentia ſancitum eſt de excommunicatione aduerſus eos, qui non curant baptizari infantem intra nouem dies a natiuitate eiuſdem; vndè, ſi ſubditi huius Prouinciæ, & in eadem degentes differrent Baptiſmum ſuorum infantium ad tres, vel quinque, vel fortè etiam dies octo non extante periculo mortis non caderent ſub hac pæna, ſicuti non caderent alij extra hanc prouinciã ſub noxa lethali, ſi ad hos octo dies differrent, prout docent *Henriquez lib. 2. c. 4., Valentia tom. 4. diſp. 4. q. 3. punct. 4. verſ. tempus, Bartholomæus ab Angelo de Baptiſmo §. 51., & 52., & alij.*

5 Hoc decretum Concilij intelligẽdum eſt quoad dilationẽ Baptiſmi & quoad dilationẽ cæremoniarum.

Sed modo circa decretum Concil. Mediolanenſis Prouincialis I. mox allegatum oritur hic difficultas, an ſit intelligendum ſolummodo, quando abſolutè vltra nouendium differtur Baptiſmus, an vero etiam quando ex aliqua iuſta cauſa collatus eſt priuatim Baptiſmus ſecundum ſubſtantialia, & poſtea nulla exiſtente cauſa vltra illud nouendium differuntur ſolemnia eiuſdem. Arbitror ſaltem quoad pænam excommunicationis intelligendum eſſe ſolummodo quando Baptiſmus abſolutè differretur vltra nouendium, non autem quando differretur ſolummodo quoad ſolemnia. Ratio ex duplici capite poteſt deduci primò, quia pænalia intelligenda ſunt quoad actionem perfectam, cum ſint reſtringenda; nec in eo caſu poteſt dici, quod differatur Baptiſmus vltra tempus præſcriptum; Secundò, quia in hac hypotheſi ceſſat finis talis præcepti, qui fuit, ne puer remaneret expoſitus in illa dilatione periculo damnationis æternæ; quod certè non vrget, quando puer recepit Baptiſmum quoad ſubſtantialia. Sed poſt hæc ſcripta inuenio, quod Concilium loquitur etiam quoad cæremonias.

ARTICVLVS II.

An ex aliqua cauſa, & quanam vltra tempus à conſuetudine præſcriptum poſſit Baptiſmus puerorum differri.

SVMMARIVM.

Enumerantur cauſæ, de quibus poteſt eſſe dubium, an Baptiſmus poſſit differri. 1.

Rationes ſuadentes cauſam maioris apparatus non tribuere ius dilationis. 2.

Hæc cauſa in ordine ad filios Principum, & Magnatum eſt ſufficiens. 3.

Congruum tamen foret, vt priuatim baptizarentur à proprio Sacerdote dilatis cæremonijs. 4.

In ordine ad priuatos non facilè illa dilatio ex hac cauſa eſt concedenda. 5.

In caſibus, in quibus poteſt differri, an non extante periculo ſit differendus totalitèr Baptiſmus, an vero ſolummodo cæremoniæ. 6.

Magis congruum eſſet, vt ſolæ cæremoniæ differrentur. 7.

QVandoque contingit, vt Parentes ad maiorem extrinſecam Baptiſmi ſolemnitatem plura congerere ſtudeant, vel ad familiæ ſplendorem, vel ad actionis ornatum, vel ob conuentum parentum, quæ non ita facilè poſſint congeri. Item, quod ijdem parentes è remotis partibus eligant Patrinos, qui breui illo tempore à conſuetudine præſcripto nequeant conuenire ad obeundum hoc munus. Item, quandoque contingit, quod quando natus eſt puer, Parochus loci ſit abſens, & parentes potius optent ab ipſo, quam ab alio Sacerdote, quantumuis ad munera Parochialia deputato in abſentia Parochi, puerum baptizari. In his, & ſimilibus caſibus modo quæritur, an ob recenſitas cauſas poſſit puerorum Baptiſmus differri donec &c., & hoc, an ex ſola parentum auctoritate, an vero ſolum ex ſuperiorum facultate. Pocedit in ſuppoſitione, qua puer baptizandus non ſubſit alicui periculo, nam hoc extante certum eſt, quod ex nulla ex prædictis cauſis poſſit differri. 1

1 Quænam cauſæ poſſint in hoc militare.

Item quæritur, an in hypotheſi expoſitorum caſuum ſit potius conferendus priuatim Baptiſmus quoad ſubſtantialia, & differendus ſolum quoad cæremonias, an vero ſimplicitèr quoad omnia differendus.

Quoad primum quæſitum ratio videtur vrgere pro parte negante, quod poſſit

2 Rationes ſuadẽtes primam cauſam non tribuere ius dilationis.

Baptiſmus differri conſiſtens in eo, quod illæ cauſæ ſunt omnino arbitrariæ, quæ propterea non videntur debere præualere iuri conſuetudinario, quod habet vim legis ſcriptæ, ſi ſit legitimè præſcriptum, nec accidentalia debent præualere oneri principali.

Nihilominus in hoc diſtinguerem, vel enim agitur de filijs Principum, & Magnatum; vel de filijs aliorum priuatorum. Si de primis non dubitarem aſſerere ex

3 Hęc cauſa in ordine ad filios Principum eſt ſufficiens

prædictis cauſis poſſe Baptiſmum differri ſic exigente conditione, & dignitate eorundem, nec quoad eos obeſſe poteſt communis conſuetudo, quia pro ipſis militat potius conſuetudo contraria. Monerem tamen, vt filios de recenti natos baptizari curarent à proprio Sacerdote priuatim per ea, quæ neceſſaria ſunt ad ſubſtantiam

4 Congruũ tamen foret, vt priuatim baptizarentur à proprio Sacerdote.

Baptiſmi, ne interim filij periclitentur quoad ſalutem æternam dilatis poſtea cæremonijs, donec omnia diſponantur, vel Patrinus aliundè vocatus adueniat. Quod, ſi adhuc Baptiſmum quoad ſubſtantiam differre vellent, cum non videatur ſubeſſe periculum mortis, curare tenentur, ne ſalus filiorum periclitetur memores ne ob humana motiua conijciant filios in interitum ſempiternum.

De ſecundis hoc eſt de filijs priuatorum non ita facilè admitterem ex prædic-

5 In ordine ad priuatos hæc cauſa nõ eſt ſufficiens

tis cauſis propria auctoritate poſſe Baptiſmum ipſorum differri, cum dignitas perſonarum hoc non exigat, nec pro illis conſuetudo vigeat. Non negarem tamen, ex facultate Ordinarij poſſe quandoque in certis particularibus caſibus, in quibus reſultare poſset, vel familiæ vtilitas, vel ſplendor Eccleſiæ, differri; Sed in ijs caſibus ſeruanda eſſent ea, quæ mox diximus de filijs Principum.

Quoad ſecundum quæſitum ingerit rationem dubitandi motiuum, quod extra caſum neceſſitatis non videntur ſeparan-

6 An non extante periculo ſic differendus Baptiſmus quoad omnia, an ſolum quoad cæremonias.

dæ cæremoniæ a ſubſtantia Baptiſmi, cum ſint diſpoſitiones ad ipſum, vel eius ornatus, quod motiuum, cum concurrat cum aliquali periculo ſalutis pueri, cum infantes vix nati de facili ſubijciantur varijs impreſſionibus, ex quibus mors poteſt contingere, relinquit dubitandum, an præualere debeat illud motiuum non ſeparandi cæremonias à ſubſtantia Baptiſmi, vt differatur quoad omnia, illi periculo, ne puer imbaptizatus decedat, vt puer ſtatim baptizetur, & ſolum cæremoniæ differantur. Reuerentia, & veneratio debita Sacramento videtur exigere, quod in data hypotheſi, non apparente de periculo infantis, differatur Baptiſmus quoad omnia, vt ſeruetur eidem debitus cultus, & habeat condignum comitatum, & apparatum tot rituum. Vtilitas vero, ſeu certior ſalus pueri baptizandi videtur è contra exigere, vt potius Baptiſmus conferatur dilatis cæremonijs, quam quod totum differatur cum incerta quodamodo eius ſalute. Probabilius crederem, con-

7 Magis cõgruum eſset, vt ſolæ cæremoniæ differrẽtur.

ferendum eſſe Baptiſmum quoad ſubſtantiam, & differendum ſolnmmodo quoad cæremonialia propter rationem certioris ſalutis pueri baptizandi non obſtante, quod tunc non appareat de aliquo periculo. Ratio eſt, quia potiſſimum hoc Sacramentum inſtitutum eſt pro certa ſalute baptizandorum, quæ propterea magis attendenda, quam illa rituum coniunctio; nec obſtat, ſi dicatur, quod nulla appareat neceſſitas tunc diſiungendi illas cæremonias a Baptiſmo, cum nullum tunc videatur periculum deceſsus pueri; Non obſtat, inquam, quia licet pro tunc nullum appareat periculum; in illa tamen dilatione poteſt vigere, præcipuè cum infantes recentèr nati ſubſint varijs impreſſionibus, ſiue ab intrinſeco, ſiue ab extrinſeco, ob quas timeri ſemper poteſt de eorum ſalute.

ARTICVLVS III.

An, & quomodo differri poſſit Baptiſmus adultorum.

SVMMARIVM.

Antiqua conſuetudo conferendi adultis Baptiſmum ſolum in peruigilio Paſcha, & Pentecoſtes modo abolita eſt. 1.

Rationes dubitandi pro præſenti ſtatu. 2.

Adultus, qui non recepit Baptiſmum in infantia, non poteſt differre illius ſuſceptionem pro tempore intermedio ad vſum rationis, & mortem, & multo minus ad mortem. 3.

Nec obſtat, quod præceptum illum ſuſcipiendi ſit affirmatiuum. 4.

Dilatio vſque ad mortem eſt iniurioſa Sacramento, & noxia ipſi adulto. 5.

Euellitur ratio, qua aſſeritur, quod Baptiſmus dilatus ad mortem magis ſit proficuus, cum tunc liberet, & à culpa, & à pœnis. 6.

Ex fine inſtitutionis conſtat non eſſe differendum. 7.

Ly, quam primum, *intelligendum eſt moralitèr, & quomodo.* 8.

Tertulianus in hoc non eſt audiendus. 9.

Si ab infidelitate nouitèr conuertatur ad fidem extra neceſſitatem non ſtatim eſt baptizandus, ſed poſt congruum experimentum. 10.

Rationes pro hoc aſſerto. 11.

Vrgẽte neceſſitate, cui alitèr obuiari non poſſit, poſſunt ſibi conſulere per proprios actus. 12.

Mitto

1 Antiqua cõſuetudo baptizandi ſolum in vigilijs Paſchatis, & Pentecoſtes modo abolita eſt.

MItto antiquam conſuetudinem, ſecundum quam duobus tantum anni diebus Baptiſmus conferebatur, Sabbato ſcilicet Paſchæ, & Pentecoſtes, niſi neceſſitas alitèr vrgeret. De hac conſuetudine meminit *D. Thomas tertia part. q. 66. art.* 10., & de eadem fit mentio *in c. baptizandi de conſecr. diſt. 4., & in Concil. Pariſienſi c. 7., & in c. de Catechumenis ex Concil. Gerundenſi*. Hæc couſuetudo diu viguit in Eccleſia Dei vſque ad tempora Caroli Magni, vt plurimi DD. referunt, ſed poſtea cæpit decreſcere, & modo extincta eſt quoad præceptum, licet quoad obſeruantiam ob antiquitatis reuerentiam, & memoriam adhuc alicubi huius conſuetudinis veſtigia ſeruentur. Mitto, inquam, hanc conſuetudinem, cum modo ſaltem quoad præceptum, vt aſserebam, non ſit in vſu, & ad alia me transfero.

2 Rationes dubitandi pro præſenti ſtatu.

Loquendo igitur de præcepto, prout reſpicit adultos recipiendi Baptiſmum, quærimus, an tale præceptum obliget ſtatim, ac notum eſt adultis, ad eum recipiendum, an vero pro aliquo alio determinato tempore, & quonam. Pro cuius quæſiti reſolutione præmitto primò duplex Adultorum genus in ordine ad hoc onus poſse conſiderari, primum illorum, qui ante receptionem Baptiſmi peruenerunt ad vſum rationis, ſiue fuerint filij fidelium, ſiue infidelium; ſecundum illorum, qui, cum diu perſeuerauerint in infidelitate, ab eadem poſtea conuertuntur ad fidem. Præmitto ſecundò, quod in ordine ad vtrumque genus tria poſsunt tempora aſſignari, de quibus poteſt eſse dubium, an pro illis, vel altero illorum teneatur adultus ex Diuino præcepto Baptiſmum ſuſcipere. His poſitis ſit

3 Non poteſt differri ad tempus intermedium ad vſum rationis, & mortem.

Concluſio I. Adultus, qui non recepit Baptiſmum in infantia, non poteſt illius ſuſceptionem differre indeterminatè ad tempus intermedium inter vſum rationis acquiſitum, & tempus mortis imminentis, & multo minus ad ipſum tempus mortis, ſed debet moralitèr loquendo, quam primũ poteſt poſt acquiſitũ vſum rationis, illum recipere. In hanc in vniuerſum conſentit *Suarez. tom. 3. in tertiam partem Diui Thomæ diſp. 31. ſect. 2. verſ. dicendum nihil ominus eſt*, & clariſſimè deducitur ex communi Sanctorum Patrum conſenſu *D. Baſilij homil. 13. ex varijs D. Gregorij Nazianzeni orat. 40. de Sancto Baptiſmo, Chriſoſtomi hom. 1. in Acta Apoſtolorum circa finem*.

Probatur primò quoad primam partem, quia tempus illud intermedium inter acquiſitum vſum rationis, & mortem eſt omnino indeterminatum, & æquè incertum, &, cum non reſtringatur ad aliquam differentiam, non poteſt eſſe maior ratio de vna temporis circunſtantia, quam de alia, & ſic poſſet adultus ferè vſque ad vltimam vitæ periodum protrahere Baptiſmum, quod ex dicendis mox in probatione ſecundæ partis non eſt rationi conſonum, nec fini, ad quem hoc Sacramentum inſtitutum eſt. Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod hoc præceptum ſuſcipiendi Baptiſmum ſit affirmatiuum, quod licet obliget ſemper, non tamen ad ſemper, & cum non ſit determinatum tempus, nec ex iure Diuino, nec Eccleſiaſtico videtur quodcunque ad hoc ſufficere, &, pro quocunque adimpleatur, excuſet a culpa tranſgreſſi præcepti; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia licet in præceptis affirmatiuis, quando nullum determinatum tempus eſt præſcriptum, regulandum hoc ſit ad normam moralis commoditatis, & neceſſitatis, non tamen in omnibus ſeruanda ſit, & attendenda æqualis commoditas, & neceſſitas, ſed proportionalis iuxta eorundem materiam, & finem; cum ergo finis huius Sacramenti, & inſtitutionis eiuſdem eo tendat, vt quis ex filio iræ conſtituatur filius adoptionis, & ingrediatur Eccleſiam, vt fruatur eius Sacramentis, & participatione bonorum, quæ in eadem fiunt, non eſt diu differenda eius ſuſceptio, cum dilatio diutina eſſet contra eundem finem, & inſtitutionem.

4 Nec obſtat, quod præceptũ illud recipiendi ſit affirmatiuum

5 Dilatio vſque ad mortẽ eſt iniurioſa Sacramẽto, & noxia.

Probatur ſecundò quoad ſecundam partem, quia talis dilatio vſque ad extremum vitæ maximè eſt iniurioſa ipſi Sacramento, noxia eidem adulto, & reſpectu aliorum ſcandaloſa; iniurioſa Sacramento, quia illud pro tanto tempore priuat fine ſuo, alijſque effectibus, qui ex illo conſequuntur, non enim poteſt gaudere fructibus aliorum Sacramentorum, quorum Baptiſma eſt ianua; Noxia ipſi adulto, quia pro illo tempore remanet Deo inimicus, filius iræ, & indignationis, priuatus ſuffragijs Eccleſiæ, & fructibus Sacramentorum; Scandaloſa alijs proptèr inimicitiam, quam liberè ſeruat cum Deo, & auerſionem, quam pro toto illo tempore exhibet ad res Eccleſiaſticas.

6 Soluitur aduerſantium obiectio.

Neque obſtat in ordine ad id, quod dicitur, quod illa dilatio ſit noxia ipſi adulto, quia videtur potius eidem proficua, cum per Baptiſmum remittantur omnia peccata, & quoad culpam, & quoad pœnam, quæ remiſſio non ſemper habetur per Sacramentalem abſolutionem, ergo maxima erit vtilitas differre Baptiſmum vſque ad finem vitæ, quando vit homo poſt eundem ſuſceptum poteſt peccare, vt tunc purior, & innocentior ad Deum tranſeat. Non, inquam, obſtat, quia in primis *in c. quando quis de conſecr. diſt. 4.*, grauitèr reprehenduntur, qui differunt

ſuſcep-

Digitized by Google

ſuſceptionem eiuſdem vſque ad exitum vitæ, vbi *D. Auguſtinus ad Bonifacium*, aſſerit. *Mihi credite, non terrens vos dico, quod dicturus ſum. Multos noui, qui hoc paſſi ſunt, qui ſpe Baptiſmatis multa peccabant, circa diem autem mortis diſceſſerunt vacui; Deus enim propter hoc Baptiſma tribuit, vt ſoluat peccata, non vt addat.* Deindè, ſi fiat comparatio bonorum, quæ conſequi poſſunt ex promptiori Baptiſmi ſuſceptione cum illa remiſſione totius pænæ, cooijcietur hæc non eſſe tantæ conſiderationis, vt præualere poſſit illis bonis, cuiuſmodi ſunt ingredi Eccleſiam, frui alijs Sacramentis, & Sacrificio, communicatione Sanctorum, & communibus ſuffragijs, & bonis operibus Eccleſiæ.

7
Ex fine inſtitutionis conſtat non eſſe differendum.

Probatur tertiò quoad tertiam partem ex fine inſtitutionis huius Sacramenti, qui fuit, vt baptizandus regeneretur Chriſto, & ſeruata analogica proportione ad vitam corporalem, de qua loquitur D. Thomas, roboratur in fide per confirmationem, ſicuti roboratur in carne per nutritionem, nutriatur in mente per Euchariſtiam, ſicuti corporalitèr nutritur per cibum, & potum, mundetur ab infirmitatibus ſpiritualibus per pænitentiam, ſicuti ab infirmitate corporali purgatur per medicinam, & ſic ſucceſsiuè de alijs Sacramentis comparatiuè ad alia neceſſaria ad vitam corporalem; hic autem finis in ordine ad hæc omnia haberi nequit, ſi differatur Baptiſmus vſque ad mortem, neque, ſi relinquatur ſuſcipiendus in tempore indeterminato inter vſum rationis adeptum, & mortem, ergo ſuſcipiendus eſt poſt adeptum vſum rationis, & habitam eiuſdem notitiam, cum primum iuſtè, & commodè poterit. Minor probatur, quia, ſi differatur vſque ad mortem, alia omnia Sacramenta haberi nequeunt, & vix habebuntur, ſi reſeruetur ad tempus indeterminatum.

8
Ly *quam primum* intelligendum eſt moralitèr.

Dixi, *cum primum commodè poterit*, quod non eſt metaphyſicè, & in rigore ſumendum, ſed cum moderatione, ſeu ordine, vt dignè, & honeſtè conferatur, ad quod potiſsimum requiritur, quod benè inſtruatur in fide, & myſterijs eiuſdem, ne ex defectu cognitionis poſtea declinet a fide, & ab obſeruantia cæleſtium mandatorum.

Neque hic audiendus eſt *Tertullianus lib. de Baptiſmo* c. 18., dum dicit, conſilium eſſe differre Baptiſmum, quod conſilium poſtea approbatum fuit a nonnullis SS.PP. præcipuè à D. Martino, qui octo annis Catechumenus remanſit, & a D. Ambroſio, qui poſt ſuſceptam fidem diu diſtulit Baptiſmum, donec creatus fuit Epiſcopus. Non, inquam, audiendus eſt, quia in hoc non multum defferendum ipſi eſt, quia in hac materia Baptiſmi in plerifque deceptus eſt, & ſignanter in eo, quod Baptiſmus non eſſet pueris conferendus antè vſum rationis; vnde mirum non eſt, quod in hoc etiam errauerit. Ad exempla Diui Martini, & D. Ambroſij dicendum eſt, ex ſpecialibus caſibus ortis ex ſpeciali Dei prouidentia ad occultos ſuos fines, qualis ſpecialis prouidentia præſumi debet in illis magnæ futuræ ſanctitatis viris, qui ſuis doctrinis, & ſanctitate illuſtrarunt vniuerſam Eccleſiam, non poſſe deduci certam, & generalem regulam pro alijs omnibus, potiſſimum cum pro eo tempore Baptiſmus conferri non conſueuerit, niſi duobus diebus in anno, & fortè etiam vno dumtaxat, vt plerique teſtantur, Sabbato ſcilicet ante Paſcha, & ipſi publicis alijs curis detinerentur, ratione quarum impedirentur, ſeu arbitrarentur ab vno in alium annum poſſe licitè Baptiſmum retardari.

9
Tertullianus circa hoc in plerifque errauit.

10
Nouitèr conuerſus ad fidem regularitèr non eſt baptizandus, niſi poſt congruum experimentum.

Concluſio II. Si ab infidelitate nouitèr conuertantur ad fidem, poſtquam perſeuerauerint in infidelitate, nō ſunt ſtatim baptizandi, ſed poſt conueniens experimentum. In hoc conſentit *D. Thomas tertia part. q. 68. art. 3. in corp., & in quarto ſent. diſt. 4. q. 3. art. 1. quæſtiunc. 2. in corpore; & diſt. 6. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 2. ad primum, & alij communitèr.*

Ratio poteſt eſſe primò, quia, cùm fuerint aſſueti erroribus pro tempore infidelitatis, poteſt rationabilitèr timeri, ne ad eoſdem redeant in ſpretum Baptiſmi, & Religionis Catholicæ; vnde eorum ſpiritus exactè probandus eſt, iuxta illud Ioannis 4. *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint*, ad quod requiritur aliquod temporis ſpacium, quo eorum fides, & mores examinentur.

11
Rationes pro hoc aſſerto.

Secundò, quia hoc exigit eorundem baptizandorum vtilitas, vt plenè inſtruantur in fide; maius autem tempus in eiſdem inſtruendis videtur requiri, quam requiratur in alijs, qui non ſunt verſati in erroribus infidelium, ſiquidem in illis prius ſunt euellendi errores, poſtea veritas Catholica cum eius myſterijs inſerenda; nam prius remouenda ſunt obſtacula, quam forma eiſdem contraria inducenda; in iſtis vero ſolum fides ingerenda, cum nulla in errore obſtacula admittant, ergo diutius in illis, quam in iſtis eſt differendus Baptiſmus.

12
Poſſunt ſibi conſulere per proprios actus.

Tertiò, quia illa maior dilatio non poteſt eſſe eiſdem noxia, cum ſi interim obuenerit caſus, quo non poſſent Baptiſmum in actu recipere, poſſint ſibi conſulere per proprios actus deteſtationis peccatorum, & dilectionis Dei, & ſic per Baptiſmum in voto, cum in re non poſſent illum reci-

pere; & hoc ad differentiam puerorum, in quibus non diu differendus eſt Baptiſmus, nam, ſi obueniret caſus, quo non poſſent illum in re ſuſcipere, non poſſent ſibi per proprios actus conſulere.

ARTICVLVS IV.

An ſit poteſtas in Eccleſia per præceptum poſitiuum obligandi infideles ad recipiendum Baptiſmum intra certum tempus.

SVMMARIVM.

Procedit titulus quoad Catechumenos, qui iam dederunt nomen Eccleſiæ. 1.
Sententia D. Thomæ, aſſerentis nedum eſſe poteſtatem in Eccleſia determinandi tale tempus, ſed etiam de facto determinaſſe. 2.
Rationes pro hac ſententia. 3.
Sententia aſſerens, non eſſe directam poteſtatem in Eccleſia determinandi tale tempus. 4.
Rationes pro hac ſententia. 5.
Sententia docens non eſſe in Eccleſia poteſtatem in hoc ſtatuendi, eſſe tamen poteſtatem declarandi ius Diuinum. 6.
In ordine ad filios fidelium baptizatorum poteſt Eccleſia tale præceptum ſtatuere. 7.
Poteſt Eccleſia obligare ſuos miniſtros ad non conferendum Baptiſmum, niſi pro determinato tempore, vel ad non differendum vltra tale tempus. 8.
Eccleſia non poteſt obligare directè Catechumenos ad recipiendum Baptiſmum pro determinato tempore. 9.
Si Eccleſia tanquam interpres iuris Diuini determinet certum tempus ad ſuſcipiendum Baptiſmum, hoc non obligat Catechumenos probabilius. 10.
Soluitur obiectum oppoſitum. 11.
Rationes, quæ eximunt à tali obligatione. 12.
Probabilis etiam valdè eſt contraria ſententia conferens in hoc poteſtatem Eccleſiæ interpretandi ius Diuinum, & obligandi. 13.

Circa huoc titulum duo potiſſimum veniunt conſideranda. Primum, an
1 Procedit quoad Catechumenos, qui iam dederunt nomen Eccleſiæ. re vera ſit poteſtas in Eccleſia determinandi tale tempus intra quod debeat Baptiſmus ſuſcipi, adeout, ſi intra illud non recipiatur, grauis noxa committatur; ſecundum, an tale tempus per poſitiuum præceptum actu ſtatuerit. Procedit titulus quoad vtrumque in ordine ad Catechumenos, qui iam dederunt nomen Eccleſiæ, & ab eadem cæperunt inſtructionem recipere, nam quoad infideles ſimpliciter, qui nec cogitarunt de fide ſuſcipienda, non videtur Eccleſia poſſe eiſdem ſtatuere terminum, & ad ſuſcipiendam fidem, & ad recipiendum Baptiſmum, & ſolum ſubduntur præcepto Diuino. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt intrare in Regnum Dei, Ioannis 3.*

Quoad poteſtatem per præceptum poſitiuum determinandi tale tempus eandem agnoſcit in Eccleſia *Caietanus tertia parte q. 68. art. 3.*, ſed aſſerit, ſe non inuenire actuale præceptum, per quod ſtatuerit aliquod determinatum tempus. D. Thomas 2 Sentētia aſſerens, nedū eſſe poteſtatem, ſed etiam actuale præceptum. *ead. q. 68. art. 3.* non ſolum agnoſcit in Eccleſia talem poteſtatem condendi tale præceptum, ſed vlterius procedens aſſerit illud de facto condidiſſe, dum damnat Catechumenum grauis noxæ, ſi vltra tempus ab Eccleſia ſtatutum diſtulerit Baptiſmum ſuſcipere, niſi neceſſitas, vel iuſta cauſa ipſum excuſet. D. Thomam ſecutus eſt *Sotus in quarto diſt. 5. q. vnica art. 3.* Pluribus rationibus poteſt probari, talem poteſtatē determinandi illud tempus exiſtere in Eccleſia Dei; primò, quia Chriſtus Dominus commiſit adminiſtrationem, & diſpenſationem omnium Sacramentorum Eccleſiæ ſalua eorum ſubſtantia, prout 3 Rationes pro hac ſententia definiuit Concilium Tridentinum, ergo dediſſe præſumendus eſt poteſtatem decernendi, quonam tempore Sacramenta ſint conferenda, & hoc etiam quoad Baptiſmum, qui eſt ianua omnium Sacramentorum, & ſicuti iuxta talem poteſtatem ſibi traditam præſcripſit Eccleſia tempus ſuſcipiendi Sacramenta Pænitentiæ, & Euchariſtiæ, ità non eſt, cur non poſſit præſcribere etiam tempus ſuſcipiendi *Baptiſmum*; immo de facto præſcripſiſſe præſumendum eſt, nempè tempus immediatè moraliter ſubſequens ad ſuſceptum perfectè Catechiſmum.

Secundò idem probari poteſt per hoc, quod determinatio temporis duobus modis poteſt fieri; primò præcipiendo, ne Baptiſmus conferatur, niſi elapſo tali, vel tali tempore, ſecundò præcipiendo, ne vltra tale tempus differatur; Quod poſſit Eccleſia primo modo præcipere non videtur poſſe cadere ſub dubio, cum poſſit præſcribere tempus ad catechizandum, & inſtruendum, baptizandum in myſterijs fidei; &, ſi poteſt primo modo non videtur eſſe ratio, cur non poſſit etiam ſecundo.

Ex aduerſo *Suarez tom. 3. in tertiam part. D. Thomæ diſp. 31. ſect. 2. verſ. nihilominus* 4 Sentētia aſſerens *dicendum*, abſolutè ſentit, non eſſe directam non eſſe directam poteſtatem in Eccleſia per præceptum poſitiuum determinandi tempus ad ſuſcipien- poteſtatē in Eccleſia determinandi dum Baptiſmum, adeout, ſi vltra illud differatur, contrahatur noxa tranſgreſſionis, tale tēpus & ea potiſſimum ratione mouetur, quod

quouſ-

quouſque quis non eſt ingreſſus in Eccleſiam per Sacramentum Baptiſmatis non eſt ſubditus Eccleſiæ, quæ propterea in illum non poteſt exercere iuriſdictionem aſſerente Apoſtolo 1. ad Corinth. 5. *De his, qui foris ſunt, nihil ad nos*.

5
Rationes pro hac ſententia

Quod, ſi dicatur, quod ex eo, quod quis dederit proprium nomen, vt in Catechumenorum numero adſcriberetur, intelligatur quoquo modo ſe ſubieciſſe iuriſdictioni Eccleſiæ, quinimmo conueniſſe cum Eccleſia, vt hæc illum admittat in numero eorundem, & ſimul inſtruat in dogmatibus fidei, & ipſe teneatur intra præfinitum tempus ab eadem Eccleſia Baptiſmum ſuſcipere. Si, inquam, hoc dicatur: reſpondet Suarez, quod ex eo, quod Catechumeni ſua nomina dent Eccleſiæ non inferatur aliqua obligatio in eiſdem, ſed ſolum exhibeatur quoddam publicum ſignum de voluntate ſuſcipiendi Baptiſmum, nec in hoc agnoſcit aliquod pactum, ratione cuius obligentur, ea proportionali ratione, qua Nouitius Religionem ingrediens ſuum nomen dat Religioni, per hoc tamen non intelligitur apponere pactum, ratione cuius obligetur ad emittendam profeſſionem pro tempore à Religione præſcripto, ſed poteſt liberè recedere; vnde, ſi Catechumenus poſt datum nomen recederet, nec vallet amplius Baptiſmum ſuſcipere, & Catholicam Religionem profiteri, non poſſet ad hoc coarctari, nec puniri.

6
Sentētia docens non eſſe in Eccleſia poteſtatem in hoc ſtatuendi eſſe tamē poteſtatē interpretandi ius Diuinum

Quamuis autem Suarez aſſerat, non adeſſe poteſtatem in Eccleſia obligandi per præceptum poſitiuum non baptizatos ad ſuſcipiendum Baptiſmum intra tempus ab ipſa præſcriptum, aſſerit tamen habere poteſtatem interpretandi ius Diuinum, cum apud illam ſit clauis ſcientiæ, & interpretationis Diuinarum legum; vnde ſubdit, quod, ſi Eccleſia declaret, ſeu declararet, quod præceptum Diuinum obliget pro aliquo determinato tempore ad ſuſcipiendum Baptiſmum, eſſet intra illud ſuſcipiendum, & qui non ſuſciperet, conſtitueretur reus violati præcepti Diuini, non tranſgreſſionis præcepti Eccleſiaſtici. Quid iam in hoc concludendum?

7
In ordine ad filios fidelium baptizatorū poteſt condere tale præceptū

Plura quoad hoc dico. Primò, quod Eccleſia in ordine ad filios Chriſtianorum baptizatorum poſſit legem condere, per quam ipſi filij, ſi fuerint adulti, teneantur intra certum tempus ab ipſa præſcriptum Baptiſmum ſuſcipere, vel parentes, ſi filij fuerint infantes, obligentur ad curandum illorum Baptiſmum intra illud tempus. In hoc conſentit *Suarez loc. cit. verſ. tertio addendum eſt*. Ratio ex ſuperius dictis deducitur, quod, cum Eccleſia ratione Baptiſmi collati parentibus ius in eoſdem acquiſierit, & iſti habeant poteſtatem in filios, ex iure in parentes arguitur etiam ius in filios, adeoque etiam in ordine ad ipſos poteſt legem conſtituere, prout de facto conſtituiſſe dictum eſt ſupra.

8
Poteſt Eccleſia obligare ſuos miniſtros ad non conferēdum, niſi pro tali tempore, & ad non differendum, vltra illud.

Secundò dico, quod Eccleſia habeat poteſtatem condendi legem, qua directè obliget miniſtros Eccleſiæ ad non conferendum Baptiſmum, niſi pro determinato tempore, vel ad non differendum vltra tale tempus. Intelligo quoad collationem ſolemnem vltra tempus neceſſitatis. Prima pars colligitur *ex c. cum ratione, & ſeqq. de conſecr. diſt. 4.* Ratio in vniuerſum ea eſt, quia Eccleſia habet plenum ius, & iuriſdictionem in ſuos miniſtros, vt ex ſe patet, cum ſint ab eadem deputati, quinimmo etiam in ipſum Sacramentū quoad adminiſtrationem, vt apertè habetur ex Concil. Tridentino ſalua tamen illorum ſubſtantia; per determinationem autem temporis collationis ſubſtantia non variatur.

9
Eccleſia nō habet directam poteſtatē obligādi Catechumenos ad recipiendum Baptiſmum pro certo tēpore.

Tertiò dico, Eccleſiam non habere directam poteſtatem obligandi infideles non baptizatos, quantumuis ſint Catechumeni, ad recipiendum Baptiſmum intra certum tempus, adeout, ſi intra illud non recipiant, committant graue peccatum contra præceptum eiuſdem Eccleſiæ. In hoc conſentit *Suarez loc. cit. verſ. nihilominus dicendum ſentio*. Ratio ex prædictis deducitur; quia ſcilicet Eccleſia, antequam quis in eandem per Baptiſmum ingreſſus fuerit, nullam in ipſum habet iuriſdictionem, prout definiuit *Concil. Trid. ſeſs. 14. c. 4.* Ibi. *Eccleſia in neminem iudicium exercet, qui non prius in ipſam per Baptiſmi ianuam fuerit ingreſſus*, &, ſi nequit exercere iudicium, nec poterit in illum ſtatuere præceptum; Neque in hoc videtur aduerſari *D. Thomas tertia part. q. 68. art. 3.*, dum dicit, peccare Catechumenum, ſi per tempus inſtitutum ab Eccleſia differat accipere Baptiſmum;

Soluitur obiectum ex Diuo Thoma deductū.

Non, inquam, videtur aduerſari, quia ibi loquitur de Catechumenis filijs fidelium baptizatorum, qui ſubduntur poteſtati, & iuriſdictioni Eccleſiæ, & hæc mens conijcitur ex verbis, & contextu eorundem; ſupponit enim ibi, quod non pro quocunque tempore Baptiſmus conferretur, ſed in ſolemnitatibus præcipuis Paſchæ, & Pentecoſtes. Ibi. *Dum in ſolemnitatibus præcipuis ſcilicet Paſchæ, & Pentecoſtes homines ad Baptiſmum admittuntur*; & deindè ſubdit, quod, *ſi morte præueniatur articulo neceſſitatis Sacramentum excludente, dum expectat tempus ab Eccleſia inſtitutum ſaluatur ſcilicet per ignem*, hoc eſt per deſiderium; ſi verò differat vltra tempus ab Eccleſia inſtitutum peccet, niſi cauſa neceſſaria, vel licentia Prælatorum excuſet. Hæc certè omnia

non videntur poſſe intelligi, niſi de ſubditis quoquo modo Eccleſiæ; tempus enim Paſchæ, & Pentecoſtes erat præſcriptum pro filijs fidelium quoad neceſſitatem, cum non baptizarentur pro alijs temporibus, niſi vrgente neceſſitate; pro alijs vero non coactiuè, ſed voluntariè, ſi vellent præmiſſis debitis inſtructionibus; non enim poterat obligare infideles ad ſuſcipiendum Baptiſmum pro illo tempore; Dum deindè dicitur poſſe differri vltra tempus ab Eccleſia præſcriptum de licentia Prælatorum, vtique ſupponit Prælatos habere in illum iuriſdictionem, quæ certè non poteſt eſſe in infideles.

Quartò dico. Si Eccleſia tanquam in-

10 Determinatio tẽporis facta ab Eccleſia tanquam interprete iuris Diuini non obligat infideles.

terpres iuris Diuini de ſuſcipiendo Baptiſmate determinet certum tempus ad illius ſuſceptionem, probabilius eſt, quod non ita obliget infideles, vt, ſi illud non ſuſcipiant pro illo tempore, committant grauem culpam. Eſt directè contra *Suarez, loc. cit.*, eam tamen ſuſtinent *Sotus in quarto diſt. 18. q. 1. art. 3.*, *Gonetus tertia part. diſp. 9. art. 1. n. 7.*, *Herinez. diſp. 6. q. 2. n. 8.*, qui, quamuis loquuntur in ordine ad Sacramentum Euchariſtiæ, trahi tamen poſſunt etiam in ordine ad Sacramentum Baptiſmatis. Ratio ex eo deducitur primò, quod dictum eſt ſupra, nempè Eccleſiam non poſſe condere præceptum poſitiuum, quo obliget infideles ad ſuſcipiendum Baptiſmum pro certo determinato tempore, ergo neque poterit interpretationem ponere, ex qua oriatur obligatio in infidelibus ſuſcipiendi Baptiſmum intra illud tempus interpretatum. Conſequentia probatur, quia data hac ſuppoſitione illa interpretatio in effectu id præſtaret, quod præſtaret illud decretum poſitiuum; æquè enim obligaret; Neque dicas, diſparem eſſe rationem in vtroque caſu, quandoquidem dato decreto poſitiuo infidelis non ſuſcipiens Baptiſmum in tempore præfixo violaret dumtaxat præceptum poſitiuum Eccleſiaſticum, in quo nullum peccatum reſpectu eiuſdem conſiſteret, cum non teneretur legibus merè Eccleſiaſticis; poſita autem ſolummodo interpretatione violaret ius Diuinum, cui ſubditur, cum illa interpretatio nihil de nouo ſtatuat, ſed ſolummo-

11 Soluitur obiectũ oppoſitũ.

do declaret ius Diuinum pro illo tempore vigere; Contra enim impugnaberis, ergo, ſicuti, ſi non eſſet præceptum poſitiuum Eccleſiaſticum determinans pro determinato tempore ſuſcipere Baptiſmum, fideles pro illo tempore non ſuſcipientes non peccarent, ità, ſi non eſſet illa interpretatio etiam determinans pro determinato tempore, infideles non ſuſcipientes intra illud tempus non peccarent, ergo peccatum ſemper reſultaret ex diſpoſitione Eccleſiæ, cui diſpoſitioni infideles non ſubduntur. Dicere deindè, quod in caſu præcepti poſitiui peccatum eſſet contra ius Eccleſiaſticum, in caſu vero interpretationis ſolummodo contra ius Diuinum non tollit vim noſtræ reſponſionis, quia ſemper, ſiue poſt decretum, ſiue poſt interpretationem vrgeret obligatio, quæ antecedentèr ad vtrumque non vrgebat.

Secundò ratio ex eo deducitur, quod facultas data Eccleſiæ à Chriſto Domino 12

12 Rationes quæ eximunt à tali obligatione.

interpretandi circa diſpoſita, & inſtituta ab eodem Chriſto intelligenda eſt circa ea, quæ pertinent ad rectum regimen eiuſdem Eccleſiæ, vt ritè, & rectè adminiſtrentur Sacramenta, vt dubia reſoluantur, quæ circa eadem oriri poſſint, non circa ea, quæ omnino foris ſunt, circa quæ ſicuti non poteſt ferre iudicium quantum ad obligandum, vt definiuit *Concil. Trid. loc. ſupra citato*, ità, nec ferre interpretationem, quæ actus iudicij eſt, & fruſtra diceretur in neminem poſſe iudicium exercere, qui non prius in ipſam per Baptiſmi ianuam fuerit ingreſſus, ſi interpretando poſſet in ipſum inducere obligationem, quæ antecedentèr non erat.

Tertiò, ſi interpretando poſſet tempus determinare, quo infideles tenerentur Baptiſmum ſuſcipere; demus, quod, ſicuti conſueuit antiquis tẽporibus, determinet Sabbatum Paſchæ, & Pentecoſtes; vlterius demus, quod, cum quis peruenerit ad vſum rationis Sabbato Paſchæ, Baptiſmum non receperit; tunc certè cõmiſiſſet peccatum læthale, & ſic aliud, ſi non receperit Sabbato Pentecoſtes, & ſic ſucceſſiuè tot peccata læthalia, quot Sabbata Paſchæ, & Pentecoſtes ſingulis annis pertranſierint, cum pro illis omnibus tempus fuerit per interpretationem ab Eccleſia ſtatutum, & determinatum, quod certè non videtur dicendum.

Dixi in hoc quarto dicto *probabilius eſſe*, nõ enim negauerim ſua probabilitate gaudere opinionem Suarez, cui adhærere vi-

13 Cõtraria ſententia nõ caret probabilitate.

detur in ſimilibus *Cacheranus tom. 4. Theol. aſſert. tract. 9. de Euchariſtia, ut Sacramento c. 3. §. 5. n. 97.*, *& 103.* loquens in terminis Euchariſtiæ ſumendæ, cum valdè probabile ſit etiam in ordine ad obligandos infideles ad ſuſceptionem Baptiſmi Chriſtum Dominum contuliſſe Eccleſiæ poteſtatem declarandi ſuam voluntatem; in quo caſu infideles delinquentes contra talem declarationẽ peccarent, non quidem contra ius Eccleſiaſticum, ſed contra ius Diuinum læſum; cum ipſum eſſet, quod obligaret pro illo tẽpore ſuppoſita declaratione, non ipſa declaratio, quia ſolũ hæc manifeſtaret præceptum Diuinum pro illo tẽpore obligare,

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS V.

An ex aliqua cauſa poſſint homines ab obſeruantia huius præcepti excuſari.

SVMMARIVM.

Quomodo ſit intelligendus hic titulus. 1.
Variæ conſiderationes circa eundem. 2.
Dubia circa infantes. 3.
Si in infante ſit ſpes vitæ, & ex Baptiſmo certo, & moralitèr mors timeatur, & periculum proueniat ab intrinſeco, non eſt eidem conferendus Baptiſmus, quouſque eſt ſpes vitæ. 4.
Si nulla ſit ſpes vitæ eidem conferendus eſt Baptiſmus. 5.
Adhibenda tamen eſt diligentia in collatione eiuſdem Baptiſmi. 6.
Si mortis periculum proueniat à principio extrinſeco, & violento, quod mortem infanti minitetur, ſi baptizetur, & hic ab intrinſeco ſit conſtitutus ob infirmitatem in periculo mortis eſt baptizandus. 7.
Si aliundè non immineat tunc periculum mortis eſt differendus Baptiſmus. 8.
Si tirannus minitetur mortem miniſtro, ſi baptizet puerum periclitantem in vita, tenetur ipſum baptizare non obſtantibus illis minis. 9.
Et hoc non ſolum verificatur in ordine ad Parochum, ſed etiam in ordine ad alium Sacerdotem non exiſtente Paroco. 10.
Etiam ſi infans non ſit in periculo mortis non obſtantibus illis minis tenetur miniſter baptizare infantem, ſi deſiſtentia eſſet ceſſura in graue detrimentum fidei. 11.
Adultus conſtitutus in proximo mortis periculo minitante tiranno mortem, ſi baptizetur, tenetur Baptiſmum in re ſuſcipere. 12.
Si non ſit in mortis periculo poteſt pro tunc differre, niſi dilatio cederet in magnum fidei damnum, 13.
Si tirannus minitaretur mortem miniſtro, ſi adultum baptizaret, & hic non eſſet aliundè in mortis periculo poſſet pro tunc differre Baptiſmum. 14.
Quid, ſi adultus baptizandus non eſſet in periculo mortis. 15.

1 Quomodo intelligendus ſit hic titulus.

TItulus iſte, vel poteſt procedere in ordine ad cauſas, quæ poſſint excuſare à culpa, ſi differatur ſuſceptio Baptiſmi vltra tempus præfinitum, vel in ordine ad cauſas, quæ poſſint ſimplicitèr excuſare ab adimplemento præcepti. In ordine ad primam conſiderationem, quamuis vnuſquiſque data opportunitate teneatur non differre, plures tamen poſſunt eſſe cauſæ, quæ excuſant pro illo tempore ab obſeruantia illius præcepti, quæ cauſæ, licet debeant eſſe graues, non eſt tamen neceſſe, quod ſint grauiſſimæ, & ſimplicitèr impediant executionem; verſamur etenim in præcepto affirmatiuo, quod ex genere ſuo non obligat cum tanto rigore, quanto in extrema neceſſitate obligaret. In ordine ad ſecundam conſiderationem, quæ reſpicit potiſſimum tempus mortis imminentis, difficultas eſt, an poſſit eſſe aliqua cauſa, quæ excuſet à peccato, ſi omittatur adimplementum præcepti. Potiſſimum difficultates procedunt hic iuxta ſecundam conſiderationem.

2 Variæ conſiderationes circa eundem.

Pro cuius reſolutione plura veniunt conſideranda; primò, an ille, cui imminet vitæ periculum, & eſt quodamodo in extrema neceſſitate, ſit paruulus, an vero adultus. Secundò, an ſit in tali periodo conſtitutus, ſiue ſit adultus, ſiue paruulus, vt nulla prorſus ſit ſpes vitæ. Tertiò, an periculum vitæ, quod poſſit eſſe coniunctum cum Baptiſmo, procedat à principio intrinſeco, & naturali, quatenus, cum quis grauitèr laborat infirmitate, ſit periculum, quod ex ſuſceptione Baptiſmi certa mors eidem inferatur, vel ſaltem acceleretur, an vero procedat à principio extrinſeco, & violento, quatenus quis minetur mortem alteri, ſi Baptiſmum recipiat. Iuxta has omnes conſiderationes examinandus venit præſens titulus. Pro quo

3 Dubia circa infantes.

Dico primò. In ordine ad infantes, qui periclitantur in vita, ſi baptizentur, plura conſideranda eſſe; primò, an ſit ſpes vitæ, & ex Baptiſmo certa timeatur, & rationabilitèr mors indè ſecutura, an vero nulla ſit ſpes vitæ, ſiue eidem conferatur Baptiſmus, ſiue non conferatur, quando periculum eſt naturale, & ab intrinſeco. Secundò, an ſit eadem ratio, quando periculum eſt ab extrinſeco, & per violentiam, quatenus tirannus, vel ipſis, vel baptizanti minitatur mortem, ſi infantibus Baptiſmum conferant. Tertiò, quando huiuſmodi periculum eſt ab extrinſeco, an violentia inferatur in odium fidei, & Religionis Catholicæ, an dumtaxat in odium perſonæ. Quartò, an infans baptizandus præſcindendo ab illa violentia ſit in periculo mortis aliundè ex infirmitate corporali, vel non ſit in tali periculo.

4 Si ſit ſpes vitæ, & ex Baptiſmo certo moralitèr timeatur mors nõ eſt conferendus Baptiſmus donec eſt ſpes vitæ.

Si ſit ſpes vitæ, & ex Baptiſmo certò moralitèr timeatur mors inde ſecutura, quando periculum eſt naturale, & ab intrinſeco; tunc certò non eſt conferendus Baptiſmus, quouſque eſt ſpes vitæ. In hoc conſentit *Suarez d. diſp. 31. ſect. 3. verſ. in hac reſere omnes*. Ratio ex eo deducitur, quod, quouſque durat illa moralis ſpes vitæ, ſunt omnia vitanda, quæ certo mora-

litèr

litèr poſſint tollere, vel ſaltem minuere illam ſpem vitæ, quia hoc eſſet certò moralitèr cooperari eius morti; quod eſt ab intrinſeco malum; neque poteſt dici, quod illa actio collationis Baptiſmi tenderet ad maius, & certius bonum eiuſdem infantis, cum ordinaretur ad eius ſalutem æternam; Non, inquam, dici poteſt, quia non ſunt facienda mala, vt eueniant bona; neque quis occidendus eſt, vt poſſit ſaluari. Dixi, *quouſque eſt ſpes vitæ*, nam, ſi hæc ceſſaret, idem eſſet dicendum, quod nunc dicam. Si nulla ſit ſpes vitæ, ſiue

5 Si nulla ſit ſpes vitæ eidē Baptiſmus eſt conferēdus.

eidem conferatur Baptiſmus, ſiue non conferatur, tunc certè eidem eſt conferendus Baptiſmus. In hoc conſentit idem *Suarez. loc. quo ſupra*. Ratio ex eo deducitur, quod per hoc, vel nullum, vel non conſiderabile infertur detrimentum ſaluti corporali infantis, cum iam hæc ſalus ſit deſperata, & ex alio capite eidem confertur maxima, & certa vtilitas ſalutis æternæ. Adde, quod in ea hypotheſi conferre Baptiſmum non eſt occidere, non conferre eſt ſpiritualitèr necare; Neque obſtat, ſi dicatur, quod, licet ſalus illius infantis ſit deſperata, denegari tamen non poſſit, quin per illam Baptiſmi collationem quoquo modo mors eiuſdem acceleretur, quod certè malum eſt; Non obſtat, inquam, quia adhibita debita, & congrua diligentia vix concipi poteſt, quod ex illa collatione conſequi poſſit illa mortis acceleratio. Deindè etiam, ſi fingatur aliqua mortis acceleratio, hæc adeo modica eſſet, vt non eſſet conſiderabilis, nec intenta, &, cum ſequeretur in operatione rei ſecundum ſe licitæ, non eſſet imputabilis ad culpam.

6 Adhibēda tamen eſt diligentia in collatione eiuſdē Baptiſmi

Hæc autem diligentia certè eſſet adhibenda, nam, ſi negligeretur certè negligens ſubeſſet culpæ, & fortè etiam irregularitati, ſi inde mors proueniret, vel acceleraretur; in quo conſentit *Paludanus in quarto diſt. 3. q. 3. in fine*, cui quoad culpam adhæret *Sotus item in quarto diſt. 3. q. vnica art. 8. circa finem*, diſſentit tamen quoad irregularitatem, dicens ſe non inueniſſe canonem, qui hanc induxerit; irregularitas autem non intelligitur, niſi ſit in iure expreſſa; Sed, ſi benè aduertiſſet Sotus, quod ſuppoſita ex illa actione mortis acceleratione canones, qui inducunt irregularitatem ex homicidio, afficiunt etiam accelerantes eandem mortem.

Si mortis periculum ſit ex principio extrinſeco, & violento, quatenus tirannus mortem minatur infanti, ſi baptizetur, vel miniſtro, ſi baptizet; tunc dico in ordine ad infantem, quod, ſi aliundè, hoc eſt ex infirmitate ſit conſtitutus in manifeſto mortis periculo, ſit baptizandus non obſtante, quod tirannus ei minitetur mortem, & ſit allaturus, ſi baptizetur. Ratio ex eo deducitur, quia iam ſupponitur quaſi deſperata ſalus corporalis pueri, & per Baptiſmum eidem collatum, ſeu conferendum conſulitur eiuſdem ſaluti æternæ, ergo, quantumuis eidem immineat a tiranno mors violenta, non erit eidem denegandus Baptiſmus; Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod miniſter per illum Baptiſmum ſit cauſa illius mortis violentæ, adeoque ſit illi imputanda ad culpam; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ipſe non eſt cauſa influens in illam mortem; cum inferatur à tiranno, ſed ad ſummum permiſſiua ad finem maioris boni ſpiritualis eiuſdem pueri. Dixi, *ſi infans ex infirmitate ſit conſtitutus in manifeſto mortis periculo*; nam, ſi non eſſet in eodem conſtitutus, non poſſet miniſter illum baptizare tunc, ſed teneretur differre, donec ceſſaret illud periculum mortis violentæ inferendæ puero, & poſtea occultè baptizare, vel ſinere eum viuere, donec perueniens ad vſum rationis ſibi conſuleret per proprios actus, ſi non poſſet ſine illo periculo Baptiſmus conferri. Hæc, quæ hic dicuntur, procedunt, quando tirannus minitaretur mortem infanti, ſi baptizaretur in odium eiuſdem pueri. Sed quid eſſet dicendum, ſi minitaretur in odium fidei, & Religionis Catholicæ? Tunc videtur certò dicendum, debere puerum baptizare, quia debet præualere ius fidei, & Religionis priuatæ perſonæ, præcipuè cum etiam in hoc caſu baptizans non eſſet cauſa influens, ſed ſolum permiſſiua.

7 Minitante tirāno mortem infanti, ſi baptizetur, & hic ob infirmitatem ſit in periculo mortis eſt baptizādus.

8 Si aliundè non ſit in periculo mortis eſt differendus Baptiſmus.

In ordine verò ad baptizantem, quatenus eidem minitetur mors à tiranno, ſi baptizet, ſentiendum eſt primò, quod, ſi baptizandus ſit in manifeſto vitæ periculo, & ſit infans; qui non poſſit ſibi per proprios actus conſulere, teneatur ipſe miniſter illum baptizare non obſtantibus illis tiranni minis. Conſentiunt *Suarez. d. diſp. 31. ſect. 3. verſ. de alio periculo mortis, Ocbozania tract. vn. de Baptiſmo q. 7. nu. 5., Bannes ſecunda ſecundæ quæſt. 26., Ledeſma tom. 2. tract. 4. concl.* 15. Ratio eſt, quia in extrema illa neceſſitate pueri baptizandi eiuſdem ſalus æterna præferenda eſt vitæ corporali propriæ, nec poſſet dici, quod vitam propriam profunderet, cuius non eſt Dominus, ſed ſimplex cuſtos, quod certè peccaminoſum eſt ab intrinſeco, & nunquam licitum etiam in ordine ad bonum ſpirituale alterius; non, inquam, poteſt hoc dici, quia hoc non eſt propriè profundere propriam vitam, ſed ad ſummum permittere in ordine ad bonum ſpirituale alterius, vt à tiranno auferatur, quod non eſt illicitum. Difficultas ſolummodo

9 Si tirannus minitetur mortem miniſtro, ſi baptizet infātem, & hic ſit in periculo mortis tenetur illū baptizare.

modo

modo aliqua eſſe poteſt, an ad hoc ſolum Parochus teneatur, qui ex iuſtitia tenetur proprijs ouibus conſulere in adminiſtratione Sacramentorum ad ſalutem neceſſariorum, cum ad hoc intelligatur quodamodo conductus, an vero etiam alij, qui non tenentur ex proprio officio? *Sanctus in ſelect. diſp.* 10. *n.* 9. aſſerit alios a Paroco, qui non tenentur ex officio, teneri quidem non concurrere poſitiuè ad necem ſpiritualem pueri pro conſeruanda vita propria, minimè verò teneri illam impedire cum tanto diſpendio proprio. Sed contrarium, & quidem rectius ſuſtinent *Suarez, Ochogania, & Ledeſma*, mox allegati intelligentes dictum non ſolum in ordine ad Parochum, ſed etiam in ordine ad alios, quando extante illa neceſſitate baptizandi puerum periclitantem in vita, nec tunc exiſtente Paroco Tirannus eiſdem mortem minaretur, ſi baptizarent propter rationem ſupra adductam de præferenda vita ſpirituali alterius vitæ corporali propriæ.

10 Et hoc non ſolũ in ordine ad Parocum, ſed etiam in ordine ad alium Sacerdotem non exiſtente Paroco.

Sentiendum eſt ſecundò, quod quantumuis puer tunc non periclitaretur, deſiſtentia tamen à Baptiſmo eidem conferendo ob aliquam circunſtantiam cedere deberet in maximum detrimentum fidei, & Religionis Catholicæ, teneretur illum miniſtrare non obſtantibus quibuſcunque minis ad mortem ipſi inferendam a tiranno. In hoc etiam conſentit *Suarez loc. quo ſupra, Diana part.* 5. *tract.* 3. *reſol.* 9. *propè medium*. Ratio eſt, quia bonum fidei, & Religionis præualere debet propriæ vitæ, ſeu alterius. Si verò illa deſiſtentia non eſſet declinatura in odium, & detrimentum fidei, & Religionis, cum minæ non eſſent ad hunc effectum illatæ, ſed dumtaxat in odium perſonæ, tunc arbitrarer, ſi puer tunc non periclitaretur, non teneri miniſtrum Baptiſmum conferre cum tanto propriæ vitæ diſpendio. Ratio eſt, quia tunc neceſsitas non vrgeret, & poſſet alio tempore Baptiſmus occultè conferri.

11 Etiã non periclitãte infante tenetur baptizare, ſi deſiſtentia deberet cedere in dãnum fidei.

Dico ſecundò in ordine ad adultos, quod, ſi iſti eſſent in articulo mortis conſtituti teneantur Baptiſmum in re ſuſcipere, nec excuſentur ex eo, quod tirannus eiſdem mortem minetur, ſi ſuſcipiant. In hoc etiam conſentit *Suarez loc. cit.* Ratio eſt, quia non licet omittere executionem præcepti Diuini potiſſimum in re graui, & ad ſalutem neceſſaria, niſi ex vrgentiſſima cauſa; quæ cauſa in præſenti hypotheſi non adeſſet; nã, ſi qua cauſa eſſet, vtiq; eſſet periculũ aliquod accelerationis mortis ex violentia tiranni; hoc autem non eſt conſiderabile in eo, qui iam eſt aliundè in iamuis mortis, nec obeſſe poteſt, quod ſibi poſſet conſulere per proprios actus; non, inquam, obeſſe poteſt, quia tunc tantum proprij actus poſſunt prodeſſe, quando Baptiſmus in re haberi non poteſt; hic autem haberi poteſt in re ſine graui detrimento, cum iam immineat mors. Deindè, licet ſibi poſſet conſulere per proprios actus, hoc eſt per contritionem, hoc tamen remedium non eſt ita certum, ſicut illud Baptiſmi in re.

12 Adultus in mortis periculo exiſtens minitãte eidem mortem tiranno tenetur Baptiſmum ſuſcipere.

Dico tertiò. Si adulti non fuerint in manifeſto vitæ periculo minitante ipſis mortem tiranno, ſi Baptiſmum ſuſcipiant, poſſunt pro tunc omittere ſuſceptionem eiuſdem, niſi illa omiſsio cederet in magnum fidei, & Religionis detrimentum. Ratio ex eò deducitur, quia, cum præceptum ſuſcipiendi Baptiſmum ſit affirmatiuum, licet obliget data opportunitate, exiſtente tamen grauiſsima cauſa ceſſat à vi obligandi; ſed in hac hypotheſi extat cauſa, qua grauior eſſe non poteſt in ijs, quæ ordinis naturalis ſunt, ergo tunc eſt legitima excuſatio ab illius adimplemento, vnde poterit ſuſpendere, vel donec fortior vrgeat neceſsitas, vel melior ſeſe offerat Baptiſmi opportunitas. Dixi, *niſi illa omiſſio cederet in detrimentum fidei, vel Religionis*, quia cauſa fidei, & Religionis debet præferri cuicunque perſonæ priuatæ bono.

13 Si non ſit in mortis periculo poteſt pro tunc differre, niſi dilatio cederet in damnum fidei.

Dico quartò. Si minæ mortis dirigerentur aduerſus miniſtrum, ſi baptizaret adultum, & hic non eſſet ex principio intrinſeco, & naturali in periculo mortis, vtique miniſter poſſet pro tunc abſtinere à collatione Baptiſmi. In hoc etiam conſentit Suarez, & ratio, quæ excuſat ipſum baptizandum à ſuſceptione Baptiſmi, excuſat etiam miniſtrum ab eiuſdem collatione. Difficultas maior eſſe poteſt, quando ipſe adultus eſſet in proximo mortis periculo, an tunc minitante tiranno mortem miniſtro, ſi illum baptizet, poſſit hic abſtinere a collatione eiuſdem ipſi periclitanti. Ratio dubitandi ex eo conſurgit, quod licet puero ſic periclitanti teneatur Baptiſmum conferre, non tamen videtur eadem ratio in ordine ad adultum periclitantem, cum hic poſſit in illa neceſſitate ſibi conſulere per Baptiſmum in voto cum deteſtatione peccatorum, quod non poteſt præſtare puer ante vſum rationis. Nihilominus, quamuis fortior ratio videatur vrgere pro puero carente vſu rationis, non tamen eximitur miniſter ab onere conferendi etiam Baptiſmum adulto in æquali mortis periculo conſtituto, quia illi prouidendum eſt de certiori ſalutis remedio.

14 Quid ſẽtiendum ſit, ſi tirãnus minitetur mortem miniſtro.

15 Quid ſi ipſe adultus nõ eſſet in periculo mortis.

QVÆ-

QVÆSTIO IX.

De effectibus Sacramenti Baptiſmatis, & ſignantèr de gratia.

FInis præcipuus huius Sacramenti dignoſcitur ex effectibus, in ordine ad quos natum eſt, & inſtitutum. Singulos placet in præſenti examinare. Præcipui ſunt remiſſio omnis omnino peccati tum originalis, tum actualis, plena relaxatio totius pænæ peccatis debitæ; infuſio gratiæ, qua Diuinæ efficimur conſortes naturæ, communicatio virtutum gratiam comitantium, quibus ad Chriſtianæ vitæ officia inclinamur, animi pax, & ſacra tranquillitas, apertio ianuæ cæleſtis, caracther. Per hos ſingulos in præſenti quæſtione diſcurremus, reſeruato ſimplicitèr caracthere, de quo erit ſermo in ſequenti.

ARTICVLVS I.

An Baptiſmus ritè ſuſceptus tollat omnem culpam.

SVMMARIVM.

Error Hæreticorum negantium quamcunque cauſalitatem Baptiſmo in gratiam. 1.
Error aliorum contrarius tribuens Baptiſmo gratiam remiſſiuam cuiuſcunque peccati etiam poſt ipſum commiſſi, vel ſaltem occultationem. 2.
Primus error conuincitur ex Sacris Scripturis. 3.
Item ex definitionibus Conciliorum. 4.
Ex ſacris etiam paginis, & ex Concilijs conuincitur error aſſerens per Baptiſmum remitti originale, non autem actualia ante ipſum commiſſa. 5.
Conuincitur etiam falſitatis opinio aſſerens peccata poſt Baptiſmum commiſſa per eundem remitti. 6.
Poteſt tamen Baptiſmus conferre ad vitanda peccata futura. 7.
Confutatur etiam error aſſerens per Baptiſmum peccata non tolli, ſed tantum occultari. 8.
Veritas Catholica eſt, quod per Baptiſmum ritè ſuſceptum penitus tollatur peccatum originale. 9.
Item actualia ante ipſum commiſſa. 10.
Euincitur ex Concilijs, & SS. PP. 11.
Remittuntur etiam venialia, ſi retractentur. 12.
Peccata commiſſa poſt Baptiſmum non remittuntur per ipſum. 13.
Soluuntur inſtantiæ oppoſitæ. 14.
Pro peccatis commiſſis ante Baptiſmum prærequiritur dolor. 15.

1 Error Hæreticorũ negantium Baptiſmo cauſalitatem in gratia.

NOn defuerunt Hæretici, qui omnem vim denegarunt Sacramento Baptiſmatis, inter quos fuerunt Maſſiliani, nec maius ius eidem tribuunt, ac ſimplici orationi, vt habetur *in lib. 7. Hiſtor. tripart. c. 2.*, cui in parte ſubſcripſit Manes, prout refert *D. Auguſtinus lib. de hæreſib. c. 46.* item Albanenſes, & Albigenſes, & Armeni, & Petrus Ioannis, de quibus ſcribit *Guido Carmelita in ſuo lib. de hæreſib.* Quem errorem diu ſepultum reuocauit ab inferis impius Lutherus docens nullam gratiam conferri in Baptiſmo, licet poſtea ſibi contradicens aſſerat per eundem deleri peccatum originale, & neget quodcunque aliud peccatum auferri, nam poſt Baptiſmum remanet carnis rebellio, & concupiſcentia, quæ ſecundum hunc errorem eſt peccatum, cum ſit contra Dei præceptum ſcilicet *non concupiſces*.

2 Error aliorum contrarius tribuens Baptiſmo gratiam remiſſiuam cuiuſcũq; peccati etiam futuri.

Ex diametro oppoſitus error eſt, quod Baptiſmus non ſolum auferat peccatum originale, & omnia actualia ante eundem commiſſa, ſed etiam omnia futura, de quo errore loquitur *Bellarminus lib. 1. de Baptiſmo c. 18.*; Hic tamen error non loquitur de vera peccatorum remiſſione, ſed de eorundem quadam occultatione; Contra quos ſtat veritas Catholica, quod Baptiſmus ritè receptus tollat peccatum originale, & omnia actualia ante ipſum commiſſa, quam vendicare intendimus ab Hæreticorum inſanijs; Sed antequam ad fundamenta veritatis Catholicæ deueniamus, fundamenta contraria euertere neceſſe eſt.

3 Primus error cõuincitur ex Sacris Scripturis.

Et quidem primus error euertitur primo ex manifeſtis Sacræ Scripturæ locis; & primò ex illo Matthæi vlt. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit*, vbi, dum ſalus æterna tribuitur Baptiſmo cum fide coniuncto, vtique eidem ex neceſſitate tribuenda eſt remiſſio peccatorum, ſine qua non poteſt eſſe æterna ſalus. Secundò ex illo Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt intrare in Regnum Dei*; renaſcentia autem ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt eſſe, niſi per reſurrectionem à peccatis, quæ habetur per remiſſionem eorundem. Tertiò *ex c. 3. ad Galatas*. Ibi *Quicunque baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*; qui autem Chriſtum induit, exuit veterem Adamum

in quo eſt originale, & omnia peccata cõmiſſa, antequam eodem exuatur. Quartò ex illo ad Romanos, *Conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in morte*, quæ verba indicant per Baptiſmum non eſſe mortuos peccato.

4 Item ex definitionibus Conciliorum.

Euincitur ſecundò ex Conciliorum definitionibus; & primò ex Nicæno I. trecentum decem, & octo PP. celebrato anno ſalutis 325. vbi definiuit in ſimbolo vnum Baptiſma in remiſſionem peccatorum. Secundò ex Florentino ſub Eugenio IV. anno ſalutis 1439. celebrato, in quo interfuerunt mille, & amplius Patres, vbi in decreto vnionis Armenorum definiuit per Baptiſmum deleri peccatum, & Regnum Cælorum donari.

5 Etiam error aſſerẽs per Baptiſmum remitti originale, nõ actualia ante ipſũ cõmiſſa conuincitur.

Conuincitur etiam error ſecundus, qui aſſerebat per Baptiſmum deleri quidem peccatum originale, non autem actualia ante Baptiſmum commiſſa ex varijs ſcripturæ locis, in quibus præfiguratur Baptiſmus, Miccheæ 7. *Deponet iniquitates noſtras, & proijciet in profundum maris omnia peccata noſtra*, vbi nota primo, quod ibi Propheta loquitur de omnibus peccatis, non aliquibus tantum; Secundò, quod per ly *in profundum maris* præfiguret Baptiſmum nouæ legis, iuxta illud primæ ad Corint. 10. *Patres noſtri omnes mare tranſierunt, & omnes in mari baptizati ſunt*. Rurſus hoc idem euincitur ex illo Ezechiellis 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris*, quem textum adhibet *D. Thomas tertia parte q.69. art. 1. in corpore*, ad indicandum Baptiſmum omnia peccata nullo excepto delere. Rurſus ex *Concil. Trident. ſeſ. 5. in decreto de peccato originali*, vbi ſic definiuit. *Si quis per Ieſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in Baptiſmate confertur, reatum peccati originalis remitti negat, aut etiam aſſerit, non tolli totum id, quod veram, & propriam rationem peccati habet* (additis nonnullis alijs, de quibus in confutatione ſequentis erroris) *anathema ſit*; nec obſtant, quæ dicebantur de rebellione, & concupiſcentia carnis, quandoquidem licet iſtæ ſint effectus peccati, non tamen ſecundum ſe ſunt peccata, ſed quædam pænalitates, vt loquitur *D. Thomas d. q.69. art. 3. per totum*, quæ ideo relictæ ſunt in nobis, vt ſcilicet contra concupiſcentias, & alias paſſibilitates pugnantes victoriæ coronam reportemus; vnde Gloſa ſuper illud *ad Roman. 6. vt deſtruatur corpus peccati* dicit. Si poſt Baptiſmum vixerit homo in carne habet concupiſcentiam, cum qua pugnat, quamque adiuuante Deo ſuperet.

6 Conuincitur etiã falſitatis opinio aſſerens etiã peccata poſt baptiſmum cõmiſſa per eundem remitti.

Conuincitur tertiò tertius error ex diametro oppoſitus præcedentibus tribuens Baptiſmo non ſolum remiſſionem originalis, & actualium ante ipſum commiſſorum, ſed etiam futurorum. Conuincitur, inquam, primò ex definitione *Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. 10.*, vbi anathematizat, *qui dixerit peccata omnia, quæ poſt Baptiſmum fiunt ſola recordatione, & fide ſuſcepti Baptiſmi, vel dimitti, vel venialia fieri*. Secundò ratione, quia, ſi ſola fides, & recordatio Baptiſmi ſuſcepti ſufficeret ad delenda omnia peccata poſt ipſum commiſſa, ſuperfluè eſſet inſtitutum Sacramentum pænitentiæ in ordine ad eadem dirimenda, nec fideles vterentur pænitentiæ Sacramento, quod vocant laborioſum Baptiſmum, ſi eiuſdem effectum conſequi poſſent ex ſola recordatione Baptiſmi. Hac de cauſa agnoſcunt SS. PP., quinimmo, & vniuerſalis Eccleſia Chriſtum Dominum ob duplex animarum naufragium, alterum ex peccato originali contractum, & actualibus commiſſis ante Baptiſmum; alterum ex actualibus poſt ipſum commiſſis, duplicem tabulam inſtituiſſe relatiuè ad vtrumque naufragium, eamque vtramque agnoſcunt neceſſariam, quod congruè non diceretur, ſi prima tantum ſufficeret pro vtriſque peccatis.

7 Poteſt tamen Baptiſmus conferre ad vitanda peccata futura.

Quamuis autem Baptiſmus ſecundum ſe non ſit natus ad dirimenda peccata poſt ipſum commiſſa, denegari tamen non poteſt, quin plurimum conferat ad impedienda peccata futura, vt notat *D. Thomas tertia part. q. 68. art. 3. ad tertium, & in quarto diſt. 4. q. 3. art. 1. quæſtiunc. 2. ad ſecundum*. Ibi *Baptiſmus per gratiam, quam confert non ſolum remittit peccata præterita, ſed etiam impedit peccata futura, ne fiant*, cum hic ſit finis, ſeu fructus, qui potiſſimum in Religione eſt expetendus videlicet non peccare.

8 Per Baptiſmum nõ ſolũ peccata occultãtur, ſed etiam tolluntur.

Tandem conuincitur error vltimo loco expoſitus, quo dicebatur per Baptiſmum non remitti peccata, ſed dumtaxat occultari primo ex *Concil. Trident. ſeſſ. 5. in decreto peccati originalis*, vbi ſic habet. *Si quis per Ieſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in Baptiſmo confertur, reatum peccati originalis remitti negat, aut etiam aſſerit non tolli totum id, quod veram, & propriam rationem peccati habet, & illud dixit tantum radi, aut non amputari, anathema ſit*. Secundo ex illo Apoſtoli ad Romanos 6. *Vetus homo crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati*, vbi nota, quod dicit, *corpus peccati*, vt nobis ſignificet, quod totum corpus peccati deſtructum eſt; Nos autem per Baptiſmum configuramur morti Chriſti Domini. Igitur integer Chriſtus Crucifixus eſt, non ex parte pro peccatis noſtris, vt nos ex toto per Baptiſmum moriamur peccato, & Deo viuamus. Id ipſum euincitur ex pluribus ſcripturæ locis, quibus dici-

dicimur mundari per Baptiſmum, ſeu lauacro regenerationis; Mundari autem non eſt immunditiam tegi, ſeu occultari, ſed omnino abſtergi, & euacuari.

9 Veritas Catholica eſt, quod per Baptiſmum ritè ſuſceptũ penitus auferatur peccatum originale

Rejectis iam Hæreticorum erroribus firma ſtat veritas Catholica, quod Baptiſmus ritè acceptus ex radice auferat omnem maculam culpæ originalis, & omnium actualium antecedentèr ad ipſum commiſſorum, non tamen illorum, quæ poſt ipſum fuerunt commiſſa, ſeu committuntur; & quidem primò, quod auferat maculam peccati originalis euincitur ex præcitatis verbis *Concil. Trid. in d. ſeſs. 5. in decreto peccati originalis*; item ex illo Apoſtoli ad Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis*; lauacrum autem regenerationis nemine diſceptãte eſt Baptiſmus, qui, dum nos ſaluos facit, certè deſtruit peccatum originale ſine quo ſalui eſſe non poſſumus; item ex maiori efficacia regenerationis, quæ eſt per Chriſtum in Baptiſmo, quam ſit generationis carnalis, quæ eſt per Adamum; ſi igitur ex hac transfunditur peccatum originale in poſteros eiuſdem, non eſt, cur ex illa non debeat transfundi iuſtitia Chriſti, & ablatio peccati originalis.

10 Item actualia ante ipsũ cõmiſſa.

Secundò, quod etiam auferat maculam actualium peccatorum, quæ fuerint, & ſint commiſſa ante ipſius ſuſceptionem euincitur primo ex præcitatis verbis Concil. Trident.; ſecundò ex Concil. Florent, in decreto Eugenij. Ibi- *Huius Sacramenti effectus eſt remiſſio omnis culpæ originalis, & actualis*. Tertiò ex pluribus Sanctorum PP. auctoritatibus Lactantij *lib. 3. c. 26. Vno lauacro malitia omnis abolebitur*, *Diui Proſperi lib. 1. de vocat. gent. c. 5.* Ibi- *Euacuaretur fides, quæ credit per Baptiſmum omnia peccata dimitti, ſi gratia non malis, & impijs, ſed bonis, & rectis probaretur impendi*, quod idem pluribus in locis aſſerit

11 Euincitur ex Cõcilijs, & SS.PP.

D. Ambroſius lib. 1. de Sacramentis c. 4., & lib. 4. in Lucam, & alibi. Quartò ratione, qua vtitur *D. Thomas q. 69. art. 1. in corp.*, vbi innixus auctoritati *Apoſtoli ad Rom. 6*, dicentis: *Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus*, ſic procedit. *Per Baptiſmum morimur vetuſtati peccati, & incipimus viuere nouitati gratiæ*, iuxta ea, quæ ſubdit ibi idem Apoſtolus. *Ita, & vos exiſtimate mortuos quidem eſſe peccatis viuentes autem Deo in Chriſto Ieſu Domino noſtro*, omne autem peccatum ad priſtinam vetuſtatem pertinet, ergo per Baptiſmum eidem moritur. Adde, quod iuxta ſuperius probata Baptiſmus delet peccatum originale, cum in ordine ad hoc inſtitutus eſt, nec poſſunt actualia, ſi quæ fuerunt commiſſa, remitti illo non remiſſo, ergo prius hoc remittendum eſt, ſed non poteſt remitti, niſi remittantur ſimul omnia actualia læthalia, ergo per Baptiſmum, per quem remittitur originale, debent omnia læthalia remitti. Subſumpta minor probatur, quia de lege ordinaria non poteſt peccatum originale remitti, niſi per gratiam ſupernaturalem habitualem remiſſiuam, quæ non poteſt compati cum læthalibus actualibus, ergo non poteſt originale remitti, niſi ſimul remittantur actualia læthalia antecedentèr ad ipſum commiſſa.

12 Remittuntur etiam venialia, ſi retractentur.

Hic ſuboritur difficultas, an per Baptiſmum ſimul cum originali remittantur ſolum omnia actualia læthalia, an verò etiam venialia commiſſa antecedentèr ad ipſius ſuſceptionem? Ex ratione, quam mox adduximus, videtur dicendum, actualia venialia non remitti; quandoquidem hæc non pugnant cum gratia habituali remiſſiua eiuſdem peccati originalis, ſicuti pugnant actualia læthalia, quæ propterea indirectè remittuntur ad remiſſionem originalis. Nihilominus ſentiendum eſt, per Baptiſmum ritè ſuſceptum remitti etiam omnia venialia antecedentèr ad ipſum commiſſa, ſi retractentur, quia hæc eſt conditio huius lauacri, quod habet penitus omnem maculam abluere, & hoc ex vi inſtitutionis huius Sacramenti, quod ſicuti, vt infra videbimus, habet abſoluere ab omni pœna, ita habet abluere ab omni culpa, cum non poſſit eſſe ablatio pœnæ culpa permanente. Quarè ratio adducta de remiſſione læthaliũ cum remiſſione originalis proptèr incompoſſibilitatem eorundem cum gratia ſanctificante remiſſiua originalis eſt ratio conſecutiua, & indirecta, non primaria, & directa, quæ fundatur in meritis, & paſſione Chriſti Domini, qui contulit hanc vim, & efficaciam eidem Baptiſmo, per quem eadem merita applicantur.

13 Peccata cõmiſſa poſt Baptiſmum non remittuntur per ipſum.

Tertiò, quod non auferat peccata futura hoc eſt commiſſa poſt Baptiſmum, ex eo euincitur, quod in ordine ad iſta inſtitutum eſt Sacramentum pænitentiæ tanquam tabula ſecundi naufragij, quod certè non eſſet neceſſarium, ſi per Baptiſmum, ſeu per eius fidem omnia poſt Baptiſmum commiſſa delerentur; Neque dicas, ex his ſequi, quod neque peccata læthalia antecedentèr commiſſa deleantur per ipſum Baptiſmum, cum in ordine ad iſta ſit inſtituta pænitentia potiſſimum cum Actorum 2. dicatur: *Pænitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum*, ergo actualia læthalia etiam antecedentèr commiſſa non per ipſum Baptiſmum delentur, ſed per pænitentiam. Deindè peccata actualia, ſiue læthalia, ſiue venialia ſunt

diuer-

diuerſa à peccato originali, ſiquidem hoc contractum eſt non per actum formalem propriæ voluntatis, illa verò per proprios actus commiſſa, peccata autem diuerſa indigent diuerſo remedio; Contra enim impugnaberis, quia gratis dicitur ex allata ratione ſequi, quod etiam actualia commiſſa ante Baptiſmum non deleantur per ipſum; ex eo etenim, quod inſtitutum ſit Sacramentum pænitentiæ pro actualibus, non ſequitur, quod æquè ſit inſtitutum pro commiſſis ante Baptiſmum, ac poſt Baptiſmum, cum antecedentèr ad ipſum comitentur originale, quod remanet in ſuo robore, & propterea ſequantur eius conditionem; commiſſa vero ſubſequentèr non comitantur eius conditionem, cum amplius in ſuo eſſe non remaneat, & propterea alio indigent remedio; nec locus *Actorum* 2. aliquid euincit, cum ſolum diſponat, quod in adultis, qui per proprios actus deliquerunt, requiratur pænitentia, hoc eſt actus doloris de eiſdem, vt Baptiſmus eiſdem collatus conſequi poſſit effectum Sacramenti. Ad illud, quod ſubditur reſpondendum eſt cum *D. Thoma d. q. 69. art. 1. ad vltimum*, quod licet peccata actualia commiſſa etiam ante Baptiſmum ſint diuerſæ rationis ab originali proptèr rationem adductam, nihilominus Baptiſmus poſſit eſſe efficax etiam ad illa delenda, cum Baptiſmus operetur in virtute paſſionis Chriſti, quæ eſt vniuerſalis medicina omnium peccatorum; vnde in hoc non valet regula, quod in diuerſis malis diuerſæ ſint applicandæ medicinæ, nam hoc ad ſummum valet, quando medicinæ habent vim limitatam ad vnam, vel alteram ſolummodò infirmitatem, non autem quando medicina eſt vniuerſalis.

14 Soluuntur inſtantiæ oppoſitæ.

15 Pro peccatis actualibus ante Baptiſmum cõmiſſis prærequiritur dolor.

ARTICVLVS II.

An Baptiſmus liberet etiam ab omni reatu pænæ.

SVMMARIVM.

Non ſemper, quo remittitur culpa, remittitur tota pæna. 1.

Per Baptiſmum ritè ſuſceptum remittitur tota pæna etiam temporalis. 2.

Euincitur ex ſacris canonibus, & definitionibus Conciliorum. 3.

Per Baptiſmum incorporamur paſſioni, & morti Chriſti Domini. 4.

Per ipſum morimur, conſepelimur, & reſurgimus cum Chriſto. 5.

Opera, quæ imponebantur Gentilibus, & Iudæis conuerſis ad fidem non erant ſatisfactoria; ſed ad inſtructionem, & præparationem. 6.

Moriens immediatè poſt Baptiſmum ritè ſuſceptum conſequitur ſtatim æternam gloriam. 7.

QVamuis ſit certa regula, quod ad remiſſionem culpæ læthalis conſequatur remiſſio pænæ æternæ, non eſt tamen certa regula, quod conſequatur etiam remiſſio pænæ temporalis debitæ peccatis; nam per Sacramentum pænitentiæ remittitur quidem omnis culpa læthalis, non tamen omnis pæna, cum pro eius remiſſione imponantur opera ſatisfactoria; quod etiam contingit in remiſſione, quæ ſit per actus contritionis, cui non ſemper reſpondet remiſſio totius pænæ, niſi illa contritio eſſet intenſiſſima; ex quibus videtur inferendum, quod etiam in Baptiſmo, quamuis vniuerſa culpa remittatur, non tamen remittatur omnis pæna. Nihilominus ſit

1 Per remiſſionẽ culpæ nõ ſemper remittitur tota pæna.

Concluſio. Per Sacramentum Baptiſmatis ritè ſuſceptum remittitur vniuerſa pæna propriè ſumpta, quæ eſſet debita peccatis, ſiue originali, ſiue actualibus ante ipſum commiſſis. In hanc conſentiunt communitèr, ſignantèr *D. Thomas tertia parte q. 69. art. 2., Suarez in tertiam part. D. Thomæ tom. 3. diſp. 26. ſect. 1. verſ. dico tertio, Contenſonius lib. 11. part. 1. diſſert. 3. c. 1. ſpecul. 2. verſ. ſecundus Baptiſmi effectus.* Dixi, *propriè ſumpta*, vt diſtinguam à pænalitatibus cæteris, de quibus in ſequenti articulo.

2 Per Baptiſmum remittitur tota pæna.

Hæc concluſio definita eſt per plures canones, & præcipuè *c. per Baptiſmum, c. ſine pænitentia, c. per aquam, c. vt oſtenderet, & c. regenerante de conſecr. diſtinct. 4.* Item per plures Conciliorum definitiones Florentini in decreto Eugénij, vbi aſſerit effectum Baptiſmi eſſe remiſſionem omnis culpæ tam originalis, quam actualis, atque omnis pænæ; atque ab hanc rationem negat eſſe baptizatis imponenda opera ſatisfactoria pro peccatis ante Baptiſmum commiſſis; *Tridentini ſeſs. 5. in decret. de peccato originali can. 5.*, vbi dicit ritè baptizatos effectos eſſe Dei hæredes, & cohæredes Chriſti, ita, vt nihil prorſus eos ab ingreſſu cæli remoretur; eſſet autem quod ipſos remoraretur, ſi adhuc eſſet purganda pæna pro peccatis debita; item *ſeſſione 6. c. 14.*, vbi dicit, quod in Sacramento pænitentiæ non remittatur tota pæna, ſicuti remittitur in Baptiſmo; ſentit igitur in Baptiſmo totam pænam remitti.

3 Canones, & Concilia hoc euincentia.

Ratio concluſionis, & horum omnium, quæ decernuntur per canones, & Concilia, ea eſt, quam aſſignat *D. Thomas tertia part. q. 69. ar. 2.* nempè, quod per Baptiſ-

mum incorporamur paſſioni, & morti Chriſti Domini, vt habetur ex Apoſtolo ad Romanos 6. Ibi: *Nos per Baptiſmum conſepeliri Chriſto in mortem, vt in nouitate vitæ ambulemus*; ex eo autem, quod incorporemur paſſioni Chriſti, & morti eius, ita nobis communicatur meritum paſſionis eius, ac ſi cum ipſo pateremur, & moreremur; cum igitur Chriſtus Dominus per paſſionem, & mortem ſuam plenè ſatisfecerit pro omnibus, & non quidem ſolum pro culpa, ſed etiam pro quacunque pæna, & nos per Baptiſmum plenè participemus de eius meritis, meritò non ſolum ab omni culpa, ſed etiam ab omni pæna liberamur.

4 Per Baptiſmum incorporamur paſſioni, & morti Chriſti Domini.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod etiam in Sacramento pænitentiæ, & Euchariſtiæ communicemus cum Chriſto in morte, & paſſione eius, nec tamen per eadem liberemur ab omni pæna; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia licet per illa Sacramenta communicemus etiam in meritis Chriſti Domini, non tamen communicamus illo ſpeciali modo, quo communicamus in Baptiſmo, in quo quodamodo morimur, & conſepelimur cum Chriſto, & nouitèr cum ipſo reſurgimus in nouitate vitæ ſpiritualis; vnde hæc eſt noua natiuitas expurgata quacunque vetuſtate, quæ certè talis non eſſet, ſi haberet annexam pænam peccati præcedentis, quæ eſt effectus vetuſtatis.

5 Per ipſū morimur, & cū Chriſto reſurgimus.

Quod, ſi dicas; ſi ergo per Baptiſmum remittitur omnis pæna peccatis debita, cur in primitiua Eccleſia Gentilibus, & Iudæis ad fidem conuerſis, alijſque Catechumenis imponebantur ieiunia, orationes, eleemoſinæ, aliaque pietatis opera? Statim reſpondebimus, illa opera tunc non fuiſſe iniuncta in ſatisfactionem peccatorum, & pænarum pro ipſis debitarum, ſed quodamodo in præparationem ad dignius ſuſcipiendum ipſum Baptiſmum, & cum maiori fructu. Dici etiam poteſt fuiſſe iniuncta in inſtructionem, vt diſcerent, qua vita deberent viuere, poſtquam mortui eſſent peccato per Baptiſmum, vt poſſent medijs illis operibus Diaboli tentationibus reſiſtere, peccata præcauere, & ingentem meritorum copiam media Dei gratia ſibi acquirere. Cæterum Concilium Florentinum in decreto vnionis Armenorum, vt ſupra innuebamus, ſtatuit, non eſſe baptizatis imponenda opera ſatisfactoria pro peccatis ante Baptiſmum commiſſis.

6 Opera, quæ imponebātur conuerſis ad fidem nō erant in ſatisfactionem.

Ex ijs, quæ hactenus dicta ſunt, tam in præſenti, quam in præcedenti articulo, deduci poteſt, quod, ſi ritè baptizatus ſtatim poſt Baptiſmum moreretur immediatè conſecuturus ſit æternam beatitudinem, cum eſſet purgatus omni culpa, & ab omni pæna liber, & per mortem Chriſti ianuæ cæli ſint apertæ omnibus decedentibus ſine reatu culpæ, & pænæ, prout conſiderant *Sotus in quarto diſt. 6. q. 1. art. 5., Silueſter verb. Baptiſmus 6. q. 1., Tabiena eod. verb. 8. q. 6., Bartholomæus ab Angelo de Baptiſmo §. 119.*

7 Moriens poſt Baptiſmum immediatè cōſequitur gloriam.

ARTICVLVS III.

An per Baptiſmum auferantur omnes pænalitates.

SVMMARIVM.

Quid veniat nomine pænalitatum. 1.
Per Baptiſmum huiuſmodi pænalitates non auferuntur. 2.
Si Chriſtus voluiſſet, potuiſſet hanc vim conferre Baptiſmo de facto adimplendam, tamen non contulit ſaltem in hac vita. 3.
Rationes, ob quas de facto non contulit. 4.
Chriſtus non fuit immunis ab omnibus his pænalitatibus. 5.
Homo in hac vita conſtitutus eſt in conflictu, vt pugnet. 6.
Concupiſcentia, & fomes peccati ſecundum ſe non eſt peccatum. 7.
Non ſunt ſublatæ huiuſmodi pænalitates, ne nimium in nobis met ipſis fidamus. 8.

NOmine pænalitatum, prout contradiſtinguuntur à pænis peccatis debitis, de quibus in præcedenti articulo, eas intelligo, quæ licet à peccato proueniant, quoquo modo ſunt naturæ conformes, quinimmo, vt notat *Suarez in tertiam partem D. Thomæ diſp. 26. ſect. 1. verſ. dico tertio*, ex principijs naturæ proueniunt, & ſi eſſet homo in ſtatu puræ naturæ, in eodem reperirentur; huiuſmodi ſunt paſſibilitas corporis, ægritudines, dolores, mors, fomes peccati, & inordinatio potentiarum. 1 *Quid veniat nomine pænalitatū.*

Per Baptiſmum has non auferri experientia ipſa compertum eſt; vnde in hoc articulo ſolum erit ratio inquirenda, proptèr quam huiuſmodi pænalitates non auferantur, ſicuti auferuntur pænæ propriæ debitæ pro peccatis. 2 Per Baptiſmum non auferuntur.

Non eſt hæſitandum, quod, ſi Chriſtus Dominus voluiſſet Baptiſmo hanc vim conferre euellendi has pænalitates, ſicuti voluit conferre in ordine ad pænas pro peccatis debitas dirimendas, potuiſſet ratione ſupremi dominij, & iuriſdictionis, quod, ſeu quam habet in omnes, quinimmo plerique aſſerunt de facto contuliſſe, quæ tamen effectum non ſortiatur in præſenti, ſed in futura vita, quando mortale hoc induet immortalitatem. Quod autem de facto non contulerit, &, ſi contulit, ef-

3 Si Chriſtus voluiſſet hāc vim conferre potuiſſet, de facto tamen non contulit.

fectum

ſectum non conſequatur in præſenti vita, pendet præciſè ex Diuinæ voluntatis arbitrio, cuius fines inueſtigat, & exponit *D. Thomas tertia part. q. 69. art. 3.*, qui, quamuis aſſerat Baptiſmum habere virtutem auferendi omnes recenſitas pænalitates, eam tamen non exerceat in præſenti vita, ſed in iuſtis, quando mortale hoc Induerit immortalitatem; congruentias tamen plures affert, proptèr quas in præſenti vita Baptiſmus ob illam virtutem ſibi inditam non conſequatur deſtructionem illarum.

4 Rationes ob quas de facto non contulit.

Prima eſt, quia per Baptiſmum baptizatus fit membrum Chriſti; Chriſtus autem, quamuis ratione vnionis hypoſtaticæ eſſet immunis ab illis pænalitatibus, aliquas tamen voluit aſſumere, quouſque poſt Reſurrectionem ad gloriam perueniret; ergo maximè conueniens fuit, vt homo, qui per Baptiſmũ eidem cõcorporatur tanquam membrum eius, non eximatur ab his pænalitatibus, quouſque perueniat ad gloriam immortalitatis, vt membrum conformetur capiti, vt, ſi cum illo compatitur, ſimul cum illo conglorificetur.

5 Chriſtus non fuit immunis omnibus pęnalitatibus.

Secunda eſt, quia Deus conſtituit hominem in hac vita, vt pugnaret cum antiquo ſerpente, & cum eodem congrederetur non in propria ſortitudine, ſed cum armis virtutis Chriſti Domini; vnde gloriabatur Apoſtolus *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti*, qua poſſit pugnare, & vincere. Quarè *Concil. Trid. ſeſs. 5. in decreto de peccato originali can. 5.* hæc expreſsè habet. *Manere autem in baptizatis concupiſcentiam, vel fomitem hæc Sancta Synodus fatetur, & ſentit, quæ, cum ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, ſed vtilitèr per Chriſti Ieſu gratiam repugnantibus non valet; quinimmo, qui legitimè certauerit, coronabitur.*

6 Homo conſtitutus eſt, vt pugnet in hac vita.

Neque ex eo, quod dicatur remanere concupiſcentiam, & fomitem peccati, inferas ſequi per Baptiſmum non tolli omnem culpam, cum concupiſcentia ipſa dicatur peccatum. Non, inquam, hoc inferas, quia concupiſcentia impropriè ſolum dicitur peccatum, quatenus originem habet ab eodem, & in idem inclinet, non quatenus in ſe ipſo ſit peccatum; vnde *Concil. Trid. loc. cit.* meritò dicit, hanc concupiſcentiam, quando in nobis per conſenſum non dominatur, non inuoluere propriè rationem aliquam malitiæ.

7 Concupiſcẽtia, & fomes peccati ſecundũ ſe non eſt peccatum.

Hæc ſecunda ratio, quam adduximus ex mente D. Thomæ videtur ſolum militare pro concupiſcentia, & fomite peccati, non autem pro alijs pænalitatibus; ſed pro his militat prima ratio, cui valdè adſtipulatur *Diuus Auguſtinus lib. 3. de peccat. mor. c. 13.* dum dixit: *Nouit ille medicus, qui non eſt opus ſanis, ſed ægrotantibus, quemadmodum nos curando perficiat in æternam ſalutem, qui, & ipſam mortem, quamuis peccati merito inflicta ſit, non aufert in hoc ſæculo eis, quibus peccata dimittit, vt eam cum eius timore ſuperando ſuſcipiant pro fidei ſinceritate certamen.*

Tertia ratio eſt, quia ita conueniens fuit, vt ab huiuſmodi pænalitatibus non liberaremur, ne fortè nobis met ipſis nimium fidentes, propriæque miſeriæ obliti naturæ vigori tribueremus, quod à viribus gratiæ ſperandum eſt. Adde ex *D. Auguſtino in Euchirid. c. 66.* has pænalitates non eſſe ſublatas, vt non ſiſtamus in iſtis, ſed mentem eleuemus ad æterna omni miſeria carentia. *Graue iugum ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum vſque in diem ſepulturæ in matre omnium, vt etiam paruulos videamus poſt lauacrum regenerationis diuerſorum malorum afflictione cruciari, vt intelligamus totum, quod ſalutaribus agitur Sacramentis, magis ad ſpem futurorum bonorum, quam ad retentionem, vel adeptionem præſentium pertinere.*

8 Nõ ſunt ſublatæ huiuſmodi pęnalitates, ne nimiſ in nobis met ipſis fidamus.

ARTICVLVS IV.

An per Baptiſmum ſeruus liberetur à ſeruitute, & reus à morte, & extremo ſupplicio.

SVMMARIVM.

Sententia D. Thomæ aſſerentis per Baptiſmum non auferri conditionem ſeruilem. 1.
Sententia eiuſdem aſſerentis, nec auferri pænam vltimi ſupplicij debitam ob enormia delicta. 2.
Primum argumentum contra primam ſententiam deſumptum ex diuerſitate conditionis ſeruilis à cæteris pænalitatibus. 3.
Secundum deſumptum à liberatione diabolicæ ſeruitutis. 4.
Tertium deſumptum ex ſeruitute Chriſti Domini, quæ oritur ex Baptiſmo. 5.
Primum argumentum contra ſecundam ſententiam deſumptum ex ablatione peccati. 6.
Secundum contra eandem deſumptum ex eo, quod homo per Baptiſmum moriatur veteri vitæ. 7.
Vtraque ſententia D. Thomæ approbatur, & eligitur. 8.
Ratio diuerſitatis inter conditionem ſeruilem & alias pænalitates non officit. 9.
Humana ſeruitus non pugnet cum filiatione adoptiua Dei. 10.
Nec cum ſeruitute Chriſti Domini. 11.
Non tolluntur pænæ inducta à iure humano. 12.

Quoad

1 Sentẽtia D. Thomæ aſſerentis per Baptiſmum nõ tolli conditionem ſeruilem.

QVoad primam partem tituli *D. Thomas in ſecundo ſent. diſt. 44. q. 2. art. 2. ad ſecundum, & in quarto diſt. 39. art. 4. ad primum*, computans inter pænalitates conditionem ſeruilem aſſerit, quod, ſicuti illę non auferuntur per Baptiſmum, ita, nec illa, cum & hæc ſit pæna peccati addita etiam ratione, quod Baptiſmus non eſt natus, vt deleat ſtatim omnes pænalitates à peccato primi parentis prouenientes, ſed, vt regeneret in ſpem viuam illius vitæ, in qua illa omnia tollentur, & ſic non oportet, vt aliquis ſtatim baptizatus à ſeruili conditione liberetur.

2 Sentẽtia eiuſdem docentis, nec tolli pænam mortis debitam ob delicta.

Quoad ſecundam idem *D. Thomas tertia part. q. 69. art. 2. ad tertium*, conſiderat in aliquibus peccatis duplicem punibilitatem, alteram quoad Deum proptèr tranſgreſſionem legis, ſiue Diuinæ, ſiue Eccleſiaſticæ, quando huic alia non eſt iniuncta, niſi pæna peccati, quæ regularitèr eſt æterna, ſi ſit tranſgreſſio læthalis, alteram quoad homines, quatenus per legem humanam eſt alicui enormi peccato, & Reipublicæ noxio iniuncta pæna mortis, vel fuſtigationis, & ſic concludit, quod, quamuis per Baptiſmum tollatur pæna, qua eſſet punibilis quoad Deum, non tollatur tamen pæna, qua delinquens eſt punibilis apud homines addita ratione, quia ſcilicet iuſtum eſt, homines ædificari de pæna, ſicuti ſunt ſcandalizati de culpa.

3 Primum argumẽtum contra primam ſẽtentiam de conditione ſeruili.

Sed aduerſus primam partem pleraque obijci poſſunt argumenta. Primum deſumptum à diuerſitate, quæ eſt inter conditionem ſeruilem, & alias pænalitates, nam iſtæ ſunt conditiones naturales prouenientes ab ipſa natura, quamuis ſint etiam pænales, cum conſequantur ad amiſſionem iuſtitiæ originalis, per quam erat conſultum, & ſubuentum pro huiuſmodi pænalitatibus; conditio verò ſeruilis non eſt naturalis, nec iure naturæ inducta, ſed per hominum voluntates de iure gentium; mirum autem non eſt, quod non auferat pænalitates, quæ ſunt quaſi connaturales naturæ, & conditioni humanæ, auferat vero illas, quæ quodamodo ſunt ab extrinſeco, qualis eſt conditio ſeruilis, potiſſimum cum hæc non videatur ordinata ad illos fines, ad quos ſunt ordinatæ cæteræ pænalitates.

4 Secundũ deſumptũ à paritate liberationis diabolicę ſeruitutis.

Secundum argumentum deſumitur ex eo, quod per Baptiſmum homo liberatur à Diabolica ſeruitute; cum ad hoc Chriſtus Dominus venerit, vt eſſemus liberi ea libertate, qua Chiſtus ipſe nos donauit, & nos conſtituit filios adoptionis ex filijs ſeruitutis, ergo per eundem Baptiſmum cenſendus eſt liberari ab humana etiam ſeruitute, nam, qui liberatur ab eo, quod maius eſt, congruum etiam eſt, vt liberetur ab eo, quod minus eſt; & hinc videmus, quod inter Catholicos modo ſublatus ſit rigor ille conditionis ſeruilis, qui viget inter fideles, & Paganos, alioſque infideles, qui propriè conſtituuntur ſerui, quinimmo in aliquibus regionibus etiam infideles captiui per Baptiſmum, ſeu, vbi Baptiſmum receperint, a ſeruitute liberantur, & libertati donantur; vnde DD. plurimi monent, quod vbique deberet obſeruari id, quod in his regionibus obſeruatur in fauorem fidei, vt ſcilicet ſeruus fiat liber per Baptiſmi ſuſceptionem, qui, ſicuti ob Diuinam gratiam à Diaboli ſeruitute liberatur, ita in gratiam fidei a ſeruitute humana liber remaneat.

5 Tertium deſumptum ex ſeruitute Chriſti Domini.

Tertium eſt, quia per Baptiſmum conſtituitur homo ſeruus Ieſu Chriſti, cuius obſequijs remanet addictus, ita vt nequeat per extrinſecam poteſtatem ab eiſdem impediri, & euelli, ergo non remanet amplius ſeruus hominis, a quo poſſit impediri a ſeruitute Chriſti Domini ipſo aſſerente. *Non poteſtis duobus Dominis ſeruire.*

6 Primum argumẽtum contra ſecundam ſententiam.

Aduerſus item ſecundam partem hæc militant, quia ſublato peccato intelligitur ſublatum fundamentum cuiuſcunque punibilitatis, cum hæc fundetur in ipſo peccato, ſed per Baptiſmum ſimpliciter, & abſolutè aufertur peccatum, cum per Baptiſmum iuxta ſuperius dicta non occultetur ſolummodo, ſed penitus à radice euellatur, & omnia præcedentia purgentur per ipſum, ac ſi non fuiſſent, ergo &c.

7 Secundũ contra eandem.

Secundò, quia per Baptiſmum homo moritur vetuſtati prioris vitæ, & incipit ambulare in nouitate ſpiritus ſecundum *Chriſtum*; congruum autem non videtur, vt qui incipit noua vita viuere ſecundum ſpiritum, immediatè deſinat viuere vita naturali. Nihilominus

8 Vtraque opinio D. Thomæ eligitur, & approbatur.

Firma ſtat opinio D. Thomæ ſecundum vtramque partem, à qua non eſt recedendum, cum conſiderationes, quas habet circa vtramque eandem partem efficaces ſint ad euincendum ipſius intentum. Adde tamen pro prima parte, quod Chriſtus Dominus per Baptiſmum non intendit ſoluere iura, quæ ex iuſtitia vigent inter homines, maximè in ordine ad ea, quæ ſpectant ad humanum famulatum, & ad humana obſequia, quæque non repugnant obſeruantiæ legis Diuinæ, & etiam humanæ iuſtè, & legitimè inductæ, vt videre eſt in ſimilibus, puta in coniugijs infidelium, quæ, ſi illi conuertantur ad fidem, & baptizentur, non ſoluuntur, quantumuis vnus tantum conuertatur ad fidem altero in infidelitate permanente, ſi hic velit cohabitare ſine iniuria creatoris per ea, quæ alibi dicta ſunt, ergo etiam &c.

Adde item pro ſecunda parte, quod, ſi per

per Baptiſmum tolleretur ius humanæ poteſtati puniendi per mortem, aliaque ſupplicia delicta, quæ in ſcandalum, & detrimentum Reipublicæ comittuntur, daretur anſa infidelibus non baptizatis delinquendi ſub ſpe futuræ remiſſionis ob ſuſceptionem eiuſdem Baptiſmi, quod certè redoleret in perniciem communitatis, & in multorum ſcandalum.

9 Ratio diuerſitatis inter ſeruitutem, & alias pænalitates non officit.

Nec obſtant, quæ contra primam partem fuerunt obiecta; Non primum deductum ex diuerſitate aliarum pænalitatum, & conditionis ſeruilis, quia, quidquid ſit, quod huiuſmodi pænalitates proueniant ex diuerſis principijs, non ex hoc euincitur, quod, ſi per Baptiſmum non tolluntur ea, quæ proueniunt ab ipſa natura, quæque ſunt conformia conditioni eiuſdem, illi debeant ea, quæ ab extrinſeco deſcendunt, hoc eſt de iure gentium, cum omnes originem habeant à peccato, nec Deus intendat tollere iura, quæ ex iuſto titulo verſantur inter homines.

10 Humana ſeruitus non pugnat cũ filiatione adoptiua Dei.

Non ſecundum, quia liberatio à diabolica ſeruitute congruè quidem inducta fuit, cum eadem ſeruitus pugnet cum filiatione adoptiua Dei, quæ acquiritur per ipſum Baptiſmum, non ſic autem pugnat humana ſeruitus cum eadem filiatione, & propterea &c. Congruum tamen foret, vt dicitur in argumento, quod huiuſmodi ſeruitus tolleretur in fauorem fidei, cum hoc etiam inductum ſit inter Catholicos, vt modo inter eoſdem immunitas ab huiuſmodi ſeruitute propriè ſumpta ſeruetor.

11 Nec cum ſeruitute Chriſti Domini.

Non tertium, proptèr eandem rationem, cum ſeruitus Chriſti non pugnet cum ſeruitute hominum quoad ea, quæ per legem eiuſdem Chriſti præcipiuntur; non etenim quoad iſta impediri poteſt a Domino temporali, quominus obſeruentur, & quoad iſta intelligitur ſui iuris, nec iura humana poſſunt obſiſtere iuri Diuino.

12 Non tolluntur pænæ inductæ à iure humano.

Nec item obſtant, quæ dicebantur contra ſecundam partem; licet enim ſublatum ſit peccatum quoad culpam, & reatum pænæ quoad Deum, non intelligitur tamen ſublatum quoad reatum pænæ illatæ per legem humanam; nec rationi abſonum eſt, quod culpa in totum remittatur remanente onere pænæ ſoluendæ, vt videre eſt in remiſſione, quæ fit per actus contritionis, & per Sacramentum pænitentiæ, in quibus remittitur culpa, non tamen omnis pæna, & licet in Baptiſmo iuxta inſtitutionem, & conditionem eiuſdem etiam pæna debita peccatis remittatur, hæc intelligitur quoad illam, quæ eſt à Deo iniuncta, non quoad eam, quæ eſt iniuncta per leges humanas. Idem reſpondeas ad id, quod ſubditur; per Baptiſmum etenim homo moritur vetuſtati peccati, & incipit viuere vita ſpiritus; cum quo tamen ſtat, vt alia lege vrgente poſſit compelli corporalitèr mori, quod non repugnat cum noua vita ſpirituali.

ARTICVLVS V.

An Baptiſmus purget quamcunque infamiam præcedentem, & tollat quamcunq; irregularitatem.

SVMMARIVM.

Infamiæ diuerſa principia. 1.
Quamuis ante Baptiſmum nulla contrahatur irregularitas, aliqua tamen permanent, quæ apta ſunt ipſam inducere. 2.
Infamia, ſiue iuris, ſiue facti purgatur per Baptiſmum. 3.
Purgat omnes maculas morales præcedentes. 4.
Maior vis eſt Baptiſmi ad delendas maculas, ac ſit profeſſionis in Religione. 5.
Cur non auferat vitium bigamiæ, ſi tollit omnes maculas. 6.
Regularitèr omnis irregularitas proueniens ex delicto tollitur per Baptiſmum. 7.
Quid ſit ſentiendum de irregularitatibus, quæ non proueniunt ex delicto. 8.
Sententia aſſerens eas non auferre. 9.
Sententia auctoris aſſerentis tollere canonicum impedimentum. 10.

1 Diuerſa principia infamiæ.

NOta primò quoad infamiam, aliam eſſe iuris, aliam facti, aliam, quæ conſurgit ex delicto, aliam, quæ conſurgit ex arte vili, & ignominioſa, aliam iuris ciuilis, aliam iuris canonici, de quibus latè egimus *in quæſtionibus de ſacris ordin. part. 1. de ordin. in communi q. 3. art. 12.*, quæ ibi recole; non enim vacat hic repetere.

2 Aliqua remanēt poſt Baptiſmum, quæ apta ſunt inducere iregularitatem.

Nota ſecundò, quod, quamuis in rigore nulla contrahatur irregularitas ante ſuſceptum Baptiſmum, cum hæc ſit pæna ab Eccleſia inducta, quæ non poteſt afficere eos, qui in eandem per Baptiſmi ianuam non ſunt ingreſſi, cum de ijs, qui foris ſunt non iudicet, nec in illos vllam habeat iuriſdictionem, prout notat *Marchinus part. 1. de Sacram. Ordinis in communi part. 10. c. 4. num. 16., & alij communitèr*. Nihilominus aliqua ſunt, quæ perſeuerant etiam poſt ſuſceptum Baptiſmum, quæ ex genere ſuo apta ſunt illam inducere, cuiuſmodi eſt bigamia, infamia, ſiue iuris, ſiue facti, & proueniens ex vili, & ignominioſa arte, & alia ſimilia, quæ perſeuerant, vel in communi hominum exiſtimatione, vel in aliquo effectu. His poſitis ſit [illegible]

Con-

3 *Infamia ſiue iuris, ſiue facti purgatur per Baptiſmum.*

Concluſio I. Infamia, ſiue iuris, ſiue facti, ſiue ex arte ignominioſa purgatur per ſuſceptionem Baptiſmi. Conſentiunt *Gloſa, & DD. in c. ſine pænitentia de conſecr. diſt. 4., Tabiena in verb. Baptiſmus 8. in fin., Silueſter eod. verb. Baptiſmus 6. n. 2., & conſonat cum ijs, quæ docuimus in qq. de Sacr. Ord. part. 1. de Ord. in communi q. 3. art. 12.*

Ratio ex eo deducitur, quia, ſicuti per Baptiſmum aufertur quodcunque peccatum in quocunque genere illud ſit, ita aufert quamcunque infamiam ex quocunque capite illa oriatur; tanta etenim eſt huius Sacramenti vis, vt purget omnia præcedentia, cum per ipſum baptizatus renaſcatur, & fiat quodamodo nouus homo.

4 *Vis Baptiſmatis purgat omnia præcedentia.*

Neque dicas, hæc vera videri, quando infamia conſurgit ex delicto, quia tunc ex purgatione delicti videtur conſurgere purgatio infamiæ, quæ in eodem fundatur, non tamen vera eſſe, quando infamia conſurgit ex aliqua arte vili, & ignominioſa, quia hæc ſemper ſecum affert dedecus, & ignominiam, &, cum non habeat originem à culpa, non videtur ad deſitionem culpæ debere deſinere, ſicuti deſinit infamia à culpa proueniens, quia deſtructo fundamento, in quo firmatur, debet, & ipſa deſtrui; Contra enim impugnaberis, quia, ſi tanta eſt vis Sacramenti Baptiſmi, vt purget omnem maculam prouenientem ex delicto, non video, cur non debeat etiam purgare ſordes, quæ ex aliqua vili arte conſurgunt, ſaltem, ſi loquamur in ordine ad habilitandum ipſum, qui erat tali labe infectus, ad eccleſiaſtica munera, &, ſicuti illa purgari poteſt per ingreſſum, & profeſſionem in Religionem, & per diſpenſationem; ita non eſt, cur non purgetur per Baptiſmum, qui eſt lauacrum omnibus alijs efficacius, & validius.

5 *Maior vis eſt Baptiſmi, ac ſit profeſſio in Religione.*

Neque vlterius repetas, quod per Baptiſmum non tollatur macula, quæ conſurgit ex virginitate amiſſa pro tempore infidelitatis, vt docet *D. Thomas in quarto diſt. 27. q. 3. art. 2. ad tertium, & quartum*, nec ſoluat irregularitatem ex bigamia contractam, ſi infidelis ante ſuſceptum Baptiſmum duplex Matrimonium contraxerit, vt communiter tradunt DD., & hæc, non niſi, quia non amplius remanet illa carnis indiuiſio, quæ requiritur ad ſignificandam vnionem Verbi Diuini cum vna carne humana, & Chriſti cum Eccleſia ſua, & Virgine, ſed etiam in eo, qui vilem, & ignominioſam artem exercuit, non remanet illa decentia ſtatus, quæ neceſſaria videtur ad congruam Eccleſiaſticorum munerum adminiſtrationem, quin potius in communi hominum exiſtimatione remanet illud dedecus ortum ex illa arte ignominioſa, ergo per Baptiſmũ &c. Contra enim impugnaberis, quia diſpar omnino eſt ratio, quia Baptiſmus non eſt inſtitutus ad materialem carnis integritatem reparandam, & ſic, ſi mutilus in bracchio baptizetur, non eidem bracchium reſtituitur, ſed ad abſtergendas maculas morales, inter quas poteſt computari illa ignominia, quæ ex arte vili oritur, quæ, licet non ſit peccaminoſa, præfert tamen quandam indecentiam moralem, quam æquum eſt Baptiſmum abſtergere, cum per ipſum regeneretur homo ad nouam vitam.

6 *Non tollit vitium bigamiæ.*

Concluſio II. Regularitèr omnis irregularitas proueniens ex delicto per Baptiſmum tollitur. Conſentiunt *Suarez diſp. 41. ſect. 1. n. 2., Vgolinus c. 63. §. 1., Coninchus diſp. 18. dub. 14. n. 109., Sairus lib. 7. c. 13., Reginaldus lib. 30. tract. 2. nu. 17., & alij communitèr;*

7 *Tollitur omnis irregularitas proueniens ex delicto.*

Videtur ſatis clarè deduci ex textu *in c. vna diſt. 26.* Ibi *Delicta obeſſe non ſolent, ſi lauacri remiſſa fuerint Sacramenta*; obeſſet autem, ſi poſt Baptiſmum remaneret irregularitas illa, quæ fuerat ex eis contracta. Addi etiam poteſt, quod irregularitates inductæ ſunt de iure Eccleſiaſtico, cui non ſubduntur infideles ante ſuſceptum Baptiſmum; nec poteſt dici, quod irregularitates huiuſmodi conſurgant, quando Baptiſmus ſuſcipitur, quia, quod ab initio non ſubſiſtit, non poteſt tractu temporis firmari; Deindè in ipſa ſuſceptione Baptiſmatis deletur fundamentum ipſius irregularitatis, quod eſt delictum, ergo tunc non poteſt firmari ipſa irregularitas.

Hæc procedunt quoad irregularitates, quæ procedunt ex delicto; ſed quid erit dicendum de irregularitatibus, quæ ſine delicto oriuntur. Huiuſmodi ſunt, quæ proueniunt ex defectu natalium, ex arte vili, & ignominioſa, ex homicidio iuſto, & iuridico &c. Ex *c. vna, & c. deinde diſt. 26. mox cit.* videtur abſolutè dicendum per Baptiſmum huiuſmodi irregularitates non auferri, quia Baptiſmus non tendit ad purgandum id, in quo non eſt peccatum, adeoque non videtur liberare ab irregularitate, quæ eſt ſine peccato, ſicuti non liberat ab ea, quæ prouenit ex bigamia, vt liquet ex textu *in d. c. vna, & c. deindè*, Nihilominus *Panormitanus ad c. gaudemus de diuorc., Angelus verb. Baptiſmus 7. n. 3., & verb. Irregularitas 2. in principio, Silueſter verb. Baptiſmus 6. n. 2., & verb. Irregularitas ſub fin., D. Antoninus tertia part. tit. 28. c. 22. in fin., Nauarrus in man. c. 27. n. 209.* ſentiunt in caſu particulari de homicidio liberare ab irregularitate ex eodem contracta, quantumuis homicidium non fuerit peccaminoſum, ſed per iuri-

8 *Quid ſit ſentiendum de irregularitatibus, quæ non proueniunt ex delicto.*

9 *Sentẽtia docens eas non auferre.*

iuridicam ſententiam, ac executionem eiuſdem, quod videtur extendendum ad alias etiam irregularitates, quæ contrahuntur ſine peccato.

In his ego arbitrarer, quod, quamuis per Baptiſmum non tollatur illegitimitas, nec defectus lenitatis, tollatur tamen canonicum impedimentum ad Eccleſiaſtica munera, vt euenit etiam in illegitimis, & in

10 Sentẽtia auctoris aſſerentis tollere canonicũ impedimẽtum.

dicibus, qui mortem iuridicam intulerant, qui per ingreſſum, & profeſſionem in Religione liberantur à canonico impedimento ſuſcipiendi ordines; quandoquidem, ſi Baptiſmus aufert huiuſmodi impedimenta in ijs, qui deliquerunt, non eſt, cur auferre non debeat in ijs, qui non peccauerunt, & ſignantèr quoad irregularitatem prouenientem ex defectu lenitatis notat *Henriquez lib. 14. c. 17. §. 2.* hanc ceſſare eo; quod homo, qui prius erat quaſi Lupus Saulo ſimilis per regenerationem Baptiſmi depoſita feritate fiat ouis manſueta; & mutetur in alterum virum. Exciperem tamen ab hac regula impedimentum conſurgens ex bigamiâ proptèr expreſſum textum *in c. Acatius diſt. 26.*

ARTICVLVS VI.

An, & quomodo Baptiſmus conferat gratiam, & dona ſupernaturalia.

SVMMARIVM.

Indubitati iuris eſt Baptiſmum conferre gratiam ſanctificantem, & inhærentem in ſubiecto apto. 1.

Et cum eadem omnes virtutes, quæ eandem gratiam comitantur. 2.

Cur remaneat pronitas ad malum, ſi cum gratia infunduntur habitus virtutum. 3.

Rationes ſuadentes in pueris non infundi habitus virtutum. 4.

Æquè infunduntur in pueris, ac in adultis. 5.

Soluuntur rationes oppoſitæ. 6.

Ex Baptiſmo ritè ſuſcepto oritur etiam abundantia Diuini luminis, & fæcunditas bonorum operum. 7.

NOn eſt dubitandum, hoc Sacramentum conferre gratiam habitualem ſanctificantem, & inhærentem, cum hoc ſit commune omnibus Sacramentis nouæ legis, à quibus non eſt ſecernendus Baptiſmus, præcipuè cum iſte ſit ianua, & fundamentum cæterorum, & per ipſum regeneramur, renouamur, iuſtificamur, & ſanctificamur, quos effectus ſortiri non poſſumus ſine gratia regenerante, & ſanctificante; vnde ex Apoſtolo ad Titum 3. dicitur: *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti*, & prima ad Corinthios 6. *Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis*, & ad Romanos 6. *Per Baptiſmum ita nos mori peccato, vt viuamus Deo, & complantati Chriſto non ſolum ſimiles fieri morti eius, ſed etiam Reſurrectioni*; quæ omnia, ſi benè perpendantur, inferunt non ſolum nos per Baptiſmum mori peccato, ſed etiam viuificari per gratiam.

1 Confert gratiam ſanctificantem.

Ex eo autem, quod dicamur iuſtificari per Baptiſmum, manifeſtè ſequitur, hoc fieri per gratiam habitualem inhærentem, ſiquidem habemus ex *Concil. Trid. ſeſſ. 6. can. 11.* non iuſtificari homines, vel ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione excluſa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat, & alitèr ſentientes anathematizat, ergo, ſi per Baptiſmum homines iuſtificantur, verè recipiunt gratiam habitualem iuſtificantem, & inhærentem.

Ex eo item, quod homo per Baptiſmum iuſtificetur, & iuſtificatio habeatur non per ſolam imputationem, nec per ſolam peccatorum remiſſionem, ſed per gratiam ſanctificantem, & inhærentem, ſequitur, quod cum eadem gratia infundantur, & baptizato omnes virtutes, quæ eandem gratiam comitantur, cuiuſmodi ſunt virtutes Theologales fidei, ſpei, & charitatis; quandoquidem per gratiam homo conſtituitur amicus Dei, & filius adoptionis; impoſſibile autem eſt placere Deo ſine fide, quia iuſtus ex fide viuit, & gratia ſine charitate de lege ordinaria eſſe non poteſt, quia, ſicuti proprietas ſequitur naturam, ita charitas ſequitur gratiam, ſpes item ſequitur fidem, cum hæc ſit ſperandarum ſubſtantia rerum argumentum non aparentium. Hæc omnia rectè inſinuat *D. Proſper lib. de vocat. gentium c. 18.* dum dicit: *Originem veræ iuſtitiæ in regenerationis Sacramento poſitam eſſe, vt, vbi homo renaſcitur, ibi etiam ipſarum virtutum veritas oriatur.*

2 Et cum eadem omnia dona ſupernaturalia, quæ comitantur eandem gratiam.

Neque his, quæ hic dicuntur, obeſſe poteſt, quod hominibus poſt ſuſceptum Baptiſmum adhuc inſit pronitas ad malum, & difficultas ad bonum, quæ eſſe non poſſent, ſi in Baptiſmo infunderentur habitus illarum virtutum, cum iſti ex genere ſuo habeant facilitare potentiam ad actus, ad quos dantur, & difficultates aduerſantes dirimendas; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, quod adhuc remaneat illa pronitas ad malum, & difficultas ad bonum, non prouenit ex defectu illarum virtutum, ſeu habituum earundem, ſed ex concupiſcentia, & fomite, quæ militant ad-

3 Cur remaneat pronitas ad malum, ſi cum gratia infunduntur habitus virtutũ?

aduerſus animam, in quibus ſuperandis, quamuis multum conferant illi habitus, non tamen plenum robur habent, niſi acquiratur in exercitio eorundem; vnde Deus arma quidem contulit, quibus pugnare poſſimus aduerſus potentias perduelles, ſed vult, vt illa exeramus, & noſtris etiam viribus munitis earum præſidijs contendamus; Quarè *D. Thomas tertia part. q. 69. art. 4. ad tertium,* dicit, quod per Baptiſmum diminuatur concupiſcentia, vt non dominetur, & per conſequens etiam diminuatur pronitas ad malum, & difficultas ad bonum; non tamen dicit, quod penitus tollatur eadem concupiſcentia, nec pugna carnis aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem.

4 Rationes ſuadẽtes in pueris non infũdi habitus virtutum.

Firmo iam manente, quod per Baptiſmum conferatur gratia habitualis, & habitus virtutum ipſam concomitantium, excitat difficultatem *D. Thomas d. tertia part. q. 69. art. 6.*, an eadem gratia, & habitus virtutum in ſuſceptione Baptiſmi æquè infundatur pueris ante vſum rationis, ac adultis? Ratio dubitandi ex eo naſcitur, quod pueri ante vſum rationis non ſunt capaces harum virtutum, cum nequeant actus illarum exercere, nec præbere conſenſum ad illarum receptionem, cum Concilium Tridentinum aſſerat, receptionem huiuſmodi virtutum debere eſſe voluntariam.

Nihilominus ſentiendum eſt, æquè gratiam, & huiuſmodi habitus infundi pueris, ac adultis in Baptiſmo, vt tradunt *D. Thomas d. q. 69. art. 6. in corpore, Suarez tom. 3. in tertiam part. D. Thomæ diſp. 26. ſect. 2. verſ. ſed quæres, & cum illis alij communitèr.*

5 Æquè infunduntur in pueris, ac in adultis.

Rationes, quas adducit *D. Thomas loc. cit.* videntur hoc efficacitèr euincere; quarum prima fundatur in principijs intrinſecis, nempè in eo, quod etiam paruuli ante vſum rationis iuxta mentem *D. Auguſtini in Enchiridio c. 52. ante medium*, conſepulti intelliguntur cum Chriſto per Baptiſmum in mortem, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita, & illi, quemadmodum adulti in nouitate vitæ ambulant; nouitas autem vitæ eſt per gratiam, & virtutes. Ad hoc etiam facit id, quod aſſerit *D. Ciprianus Epiſt. 59.* Ibi. *Vna eſt Diuini muneris æqualitas apud omnes ſiue infantes, ſiue maiores natu, nam gratia, quæ baptizatis datur non pro ætate ſuſcipientium maior, vel minor tribuitur, ſed de pietate, atque indulgentia paterna æqualis omnibus præbetur.*

Secunda deducitur ex abſurdo, quod ex contraria ſententia oriretur, nam dato, prout hæc aſſerit, quod pueri non conſequerentur gratiam, & virtutes, quando recipiunt Baptiſmum, ſed ſolummodo, quando acquirunt vſum rationis, & actus huiuſmodi virtutum poſſunt exercere, ſi pueri iſti, qui receperunt Baptiſmum, decederent ante acquiſitum vſum rationis, non conſequerentur Regnum Cælorum, nec æternam beatitudinem, quæ conſiſtit in gratia conſummata; quod certè non eſt dicendum, cum ſit contra id, quod in ſacris paginis dicitur, *Sinite paruulos venire ad me; talium etenim eſt Regnum Cælorum*, ergo.

6 Soluuntur rationes oppoſitæ.

Nec obſtant, quæ ex aduerſo dicebantur, nempè pueros non eſſe capaces huiuſmodi virtutum, quia non poſſunt illarum actus exercere; Non obſtant, inquã, nam, licet non ſint capaces huiuſmodi actuum, ſunt tamen capaces habituum, qui, vt aſſerit *D. Thomas d. art. 6. in corpore, & ad primum*, requirunt potentiam voluntatis, quæ eſt in pueris, licet in eiſdem non ſint actus virtutum, qui exigunt actum eiuſdem voluntatis; huiuſmodi tamen habitus, quamuis pro tunc non exeant in actus, diſponunt tamen potentiam, vt cum peruenerit ad perfectum vſum, exire valeat in illos actus.

7 Ex Baptiſmo ritè ſuſcepto oriuntur alia bona, & quænam.

Ex illa gratiæ, cæterarumque virtutum infuſione in animam baptizati oritur poſtea alius effectus eiuſdem Baptiſmi, qui eſt abundantia Diuini luminis, & fæcunditas bonorum operum, quod clarè liquet ex eo, quod per Baptiſmum homo incorporatur Chriſto, & ſit membrum eius, eidemque vnitur tanquam capiti; ſicuti igitur ex capite emanant omnes motus, & influxus in cætera membra, ità à Chriſto, in quo corporalitèr reſidet omnis vis gratiæ, omnis fons ſupernorum bonorum, profluunt omnes ſupernaturales motus, & vberes influxus ad ſupernaturalia opera exercenda; vnde Ioannis primo dicitur: *Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis*, & poſtea ſubditur, *De plenitudine eius omnes accepimus*.

ARTICVLVS VII.

An effectus gratiæ, cæterarumque virtutum, quæ infunduntur in Baptiſmo, ſit æqualis in omnibus.

SVMMARIVM.

Enumerantur effectus Baptiſmi. 1.

Effectus alij producuntur per ſe in Baptiſmo, alij per accidens. 2.

Effectus, qui per ſe ex eodem producuntur, quantum eſt ex parte Sacramenti, ſunt æquales reſpectu omnium. 3.

Non datur vna anima perfectior alia in perfectione naturali ſubſtantiali. 4.

Quam-

Digitized by Google

Quamuis hæc daretur, non haberet ſecundum ſe ius ad maiorem gratiam. 5.

Non currit paritas de Angelis, quibus Deus maiorem confert gratiam ex libertate, & liberalitate. 6.

Congruentiæ, ob quas Deus hanc liberalitatem exhibeat Angelis, non hominibus. 7.

Quilibet gradus gratiæ eſt ſufficiens ad delenda omnia peccata. 8.

Quod in vno ex duobus æquè diſpoſitis remittantur plura peccata, ac in altero, eſt ex conditione ſubiecti, non ex Baptiſmo. 9.

Quomodo intelligendum ſit, quod homines ſint ordinati ad implendas ſedes Angelorum præuaricatorum. 10.

Maior ſanctitas miniſtri non confert ad maiorem gratiam ex opere operato. 11.

Maior diſpoſitio in ſubiecto recipiente Baptiſmum confert ad maiorem gratiam ex opere operato. 12.

Euincitur ex Concil. Trid. 13.

Habentes æqualem diſpoſitionem ſortiuntur æqualem gratiam. 14.

Ad maiorem diſpoſitionem non ſolum conſequitur maior gratia, ſed etiam intenſiores habitus virtutum, qui comitantur eandem gratiam. 15.

Non remittuntur venialia, ſi ſit complacentia ad eadem. 16.

Remoto per atritionem obice quoad venialia remittuntur, & quoad culpam, & quoad pœnam. 17.

Effectus, qui non per ſe, ſed per accidens proueniunt à Baptiſmo, non ſemper ſunt æquales in omnibus. 18.

1 Effectus plures Baptiſmi

EFfectus Baptiſmi non ſolum eſt gratia Baptiſmalis, habitualis, & inhærens, & dona ſupernaturalia, quæ ipſam comitantur, de quibus in præcedenti articulo, ſed etiam remiſſio originalis, & actualium commiſſorum ante ſuſceptionem eiuſdem, & cuiuſcunque pœnæ, ſiue æternæ, ſiue temporalis, non tamen omnium pœnalitatum, de quibus in præcedentibus; item pax, & tranquilitas animæ, apertio cælorum, aliaque, de quibus in ſubſequentibus. In ordine ad hos omnes procedit titulus, qui conſiderari poteſt, vel in ordine ad ipſum Sacramentum ſecundum ſe, vel in ordine ad ſubiecta, quibus confertur.

2 Effectus Baptiſmi alij ſunt per ſe, alij per accidens.

Rurſus, vt notat *D. Thomas tertia part. q. 69. art. 8. in corpore*, Baptiſmus poteſt producere aliquos effectus per ſe, aliquos dumtaxat per accidens; effectus, qui per ſe cauſantur, illi ſunt, ad quos Baptiſmus eſt inſtitutus, puta ad regenerationem ſpiritualem, quæ habetur per gratiam ſanctificantem, remiſſionem peccatorum, ſiue originalis, ſiue actualium antecedentèr comiſſorum &c. Effectus vero, qui per accidens cauſantur ſunt illi, qui non ex vi Sacramenti, ſed ex beneplacito Diuino, quandoque in ſubiecto producuntur ad poſitionem eiuſdem Baptiſmi, cuiuſmodi eſt ſanitas corporalis. Hac ratione mundatus eſt a lepra, vt refert idem *D. Thomas loc. cit.* Conſtantinus Imperator. In ordine ad hos omnes diſcutietur titulus. Pro quo ſit

3 Effectus, qui per ſe producuntur quantum eſt ex vi Sacramẽti ſunt æquales.

Concluſio I. Conſiderata præcisè ratione Sacramenti effectus, qui ex eodem per ſe procedunt, ſunt æquales reſpectu omnium. Conſentiunt *D. Thomas tertia part. q. 69. art. 8. in corpore, & per totum, Suarez in comment. ad eundem art. 8. D. Thomæ, & diſp. 28. ſect. 3., Coninchus q. 69. art. 8., Camerota de Baptiſmo c. 6. dub. 2., Valentia tom. 4. diſp. 4. qu. 4. punct. 1., & alij communitèr.*

Ratio ex eo deducitur, quia ſecundum ſe Sacramentum æqualem vim habet, nec limitari, vel ampliari poteſt ex qualitate perſonarum, ſi ſecundum ſe conſiderentur; non enim Deus eſt acceptor perſonarum, ergo non eſt, cur inæqualem debeat conferre effectum. Quod, ſi dicas, poſſe in vno conſiderari maiorem diſpoſitionem, quam in alio; iam exis è ſtatu quæſtionis, & præſentis concluſionis, quæ procedit dumtaxat ſpectata virtute Sacramenti, vt applicabili ſubiectis ſecundum ſe nulla conſiderata maiori, vel minori diſpoſitione in eiſdem, nam, ſi conſideremus ſubiecta ſecundum diuerſas diſpoſitiones, tunc erit diuerſa ratio, de qua in ſequenti concluſione.

Dices primò, præciſa etiam maiori, vel minori diſpoſitione ratio poſtulat, vt vni maior, quam alteri conferatur effectus ratione maioris perfectionis naturalis, quæ eſt in vno comparatiuè ad alterum; denegari etenim non poteſt, quin intra eandem ſpeciem detur vna anima alia perfectior ſubſtantialitèr, vt plerique docent in quæſtionibus de anima, vbi autẽ eſt maior perfectio naturalis, eſt maior exigentia ad maiorem effectum, vt videre eſt etiam in Angelis, qui quo perfectiores ſunt in ſua ſpecie, maiorem habent gratiam. Sed contra primò, quia gratis omnino dicitur, quod detur intra eandem ſpeciem vna anima perfectior alia, vt latè docuimus in quæſtionibus de anima, nec maior perfectio poteſt argui ex operationibus perfectioribus, quia iſtæ non proueniunt ex virtute animæ ſecundum ſe, ſed ab eadem ratione perfectioris deorganizationis corporalis, ratione cuius eadem anima intenſius applicatur. Secundò dato etiam, nunquam tamen conceſſo, quod detur vna anima perfectior alia intra eandem ſpeciem, non propterea ſequitur, quod vni maior, quam alteri effectus conferatur,

4 Non datur vna anima perfectior alia perfectione naturali ſubſtantiali.

quandoquidem ex vi præſentis prouidentiæ gratia, & effectus eiuſdem alligatur

5 Si daretur non haberet ius ad maiorem gratiam.

Sacramentis, quæ maiorem, vel minorem effectum producunt non comparatiuè ad maiorem, vel minorem perfectionem naturalem, ſed comparatiuè ad maiorem, vel minorem diſpoſitionem ſubiecti recipientis; quarè, ſi maiorem diſpoſitionem inuenerint, maiorem effectum, ſi minorem, minorem, ſi æqualem, æqualem, ſi nullum vt in paruulis minimam, & æqualem in omnibus producunt.

Ad illud, quod ſubditur de Angelis, quibus perfectior gratia dicitur collata iuxta maiorem perfectionem naturalem eorun-

6 Non curæ paritas de Angelis.

dem, dicendum eſt illam perfectiorem gratiam collatam eſſe ex libertate, & liberalitate Dei; non enim inæqualitas naturæ in Angelis fuit cauſa inæqualitatis gratiæ; nec Deus reſpexit ad perfectionem naturalem iſtorum tanquam ad motiuum collationis gratiæ, cæteroqui gratia non eſſet gratia, ſed merces, & ad illam operationes; & perfectiones naturales haberent rationem diſpoſitionis, aut meriti, quod redolet hæreſim Pelagianam; ſolum igitur ex ſua libertate, & liberalitate reſpexit ad naturam inęqualem Angelorum. Quod, ſi repetas, cur, ſi Deus ex ſua præcisè libertate, & liberalitate reſpexit ad maiorem perfectionem naturalem Angelorum, vt illis conferret maiorem gratiam, non etiam ex eadem libertate, & liberalitate non reſpicit ad maiorem hominum naturalem perfectionem, vt eiſdem ex vi Sacramentorum conferat maiorem gratiam? Tunc dicam cum *Cacherano Theologia aſſertiua tract. 3. de Angelis lib. 3. c. 1.*

7 Cur Deus hanc liberalitatē exhibeat Angelis, non hominibus.

§. 4. num. 30. diuerſitatem ex congruentia poſſe deduci, quod homines in præſenti ſtatu naturæ lapſæ habent indignitatem, & obicem gratiæ, non ſic Angeli in inſtanti creationis, ideo, cum naturalis perfectio in homine ſit indigna gratiæ, & quodamodo vitiata, non ſic in Angelis, non eſt eadem reſpectu hominum, quæ reſpectu Angelorum decentia largiendi gratiam iuxta menſuram perfectionis naturalis. Hæc fermè ad verbum colligo ex eodem Cacherano; cui addo, quod etiam SS. PP. quoad hanc inæqualitatem gratiæ comparatiuè ad maiorem perfectionem naturalem Angelorum non loquuntur pariformitèr quoad maiorem perfectionem naturalem hominum.

8 Quilibet gradus gratię eſt ſufficiens ad delenda omnia peccata.

Dices ſecundò in ordine ad adultos, qui cum æquali diſpoſitione accedunt ad Sacramentum Baptiſmatis. Demus, quod vnus accedat ad idem Sacramentum habens cum originali decem peccata lethalia actualia, & quod alter accedat habens ſolum originale, vel ad ſummum vnum, vel alterum peccatum læthale actuale, & quod vterque habeat diſpoſitionem æqualem, & in eodem gradu, certè non conſequerentur effectum æqualem, quia in vno fieret remiſſio plurium peccatorum, in altero pauciorum, ergo ex vi Sacramenti non eſt æqualis effectus in omnibus. Sed contrà, quia Baptiſmus habet

9 Remiſſio plurium peccatorum in vno æquè diſpoſito eſt ex cōditione ſubiecti.

conferre gratiam, ex qua conſequitur remiſſio peccatorum; quælibet autem gratia etiam in gradu remiſſo eſt ſufficiens ad delenda quæcunque peccata, quæ reperiuntur in ſubiecto, in quod recipitur; Quod deindè in vno ſint plura peccata, quam in altero, & propterea fiat remiſſio plurium per Baptiſmum in vno, quam in altero, hoc non prouenit ex ipſo Baptiſmo, ſed ex conditione ſubiecti.

Dices tertiò in ordine etiam ad paruulos cum *Paludano in quarto diſt. 4. q. 1.*, cui etiam in parte adhærere videtur *Scotus*. Ex diuina ordinatione, & prædeſtinatione conſiderato fine, ad quem intelligitur facta eadem ordinatio, & prædeſtinatio, oritur neceſſario, quod huiuſmodi effectus, qui cauſantur in Baptiſmo, ſint inæquales, ſiquidem homines ſunt prædeſtinati, vt impleant ſedes ab Angelis præuaricatoribus relictas; Angeli autem, ſicuti erant in natura inæquales, ita, & in gratia, ergo etiam paruuli, qui ſubſtituuntur in ſedes ipſorum, debent eſſe inæquales in gratia, & cum illam non conſequantur, niſi per Baptiſmum, dicendum eſt, hunc cauſare effectum inæqualem. Sed contrà, quia in primis iuxta noſtra principia in quæſtionibus de Angelis falſum eſt omnes Angelos eſſe inæquales in natura, nam licet dentur plures ſpecies Angelorum, intra ſingulas tamen ſpecies eorundem datur etiam multiplicatio numerica, & inter plures ſolo numero differentes probabile valdè eſt, non dari inæqualitatem in perfectione ſubſtantiali; vnde, cum iſti habeant æqualitatem in natura, debent eandem habere etiam in gratia, & ſic paruuli

10 Quomodo homines dicātur ordinati ad implendas ſedes Angelorum pręuaricatorum.

poſſunt iſtorum ſedes implere quamuis habeant gratiam æqualem. Deindè non eſt abſolutè verum omnes homines electos eſſe ad gloriam ob reparandas ſedes Angelorum; nam homines etiam fuiſſent ad gloriam electi, & prædeſtinati, quantumuis Angeli à proprijs ſedibus non cecidiſſent, vt latè probat *Anſelmus lib. 1. Cur Deus homo c. 18.* Quod, ſi aliqui ex SS. PP. dixerint, homines prædeſtinatos eſſe ad adimplendas ſedes Angelorum præuaricatorum; hoc intelligendum eſt in eo ſenſu ad ſummum, vt in defectu Angelorum ſubſtituantur homines, non quod homines habere debeant illos gradus gloriæ, quos habituri fuiſſent Angeli, ſi non cecidiſſent.

Tan-

Tandem data hac inſtantia ſequeretur, quod, ſi plures adulti decederent cum æqualibus meritis conſequerentur inæquale præmium, ſi ſubſtituendi eſſent Angelis iuxta gradus gloriæ, quos iſti habituri fuiſſent, ſi nõ eſſent præuaricati; cum etenim Angeli iuxta hanc ſententiam omnes differrent inter ſe in natura, differre etiam debuiſſent in gratia, & ſic homines, qui eiſdem ſuccederent, quantumuis inter ſe eſſent ęquales in meritis, deberent conſequi inæquale præmium, quod non videtur dicendum.

11 Maior ſanctitas in miniſtro non confert ad maiorem gratiam ex opere operato.

Dices quartò, quantumuis pueri ante vſum rationis ſint æquales in diſpoſitionibus, cum nullas ex proprijs actibus habere poſſint, nihilominus effectus Baptiſmi in vno potius, quam in altero augeri poteſt ex maiori merito, & feruentiori officio baptizantis, & adſtantium orationibus, ergo effectus non eſt æqualis in omnibus. Sed contrà, quia ſanctitas, & maius meritum miniſtri non poteſt augere effectum ex opere operato, cum non ſit cauſa principalis, à qua Sacramentum habet vim, & efficaciam, ſed cauſa tantum miniſterialis applicans Sacramentum. Deindè, nec ipſe miniſter, vt talis perſona, nec orationes adſtantium poſſunt alteri impetrare immediatam gratiæ infuſionem, ſed ad ſummum impetrare auxilia actualia, quibus poſſit ad actiones meritorias excitari, quod eſſe non poteſt in paruulis carentibus vſu rationis.

12 Maior, & minor diſpoſitio in ſubiecto confert ad maiorem, & minorẽ gratiam ex opere operato.

Concluſio II. Conſiderata virtute Sacramenti in ordine ad ſubiecta effectus Baptiſmi poteſt eſſe maior, vel minor iuxta maiorem, vel minorem diſpoſitionem eorundem ſubiectorum. Conſentiunt *D. Thomas d. q. 69. art. 8., Suarez in tertiam partem D. Thomæ tom. 3. diſp. 28. ſect. 3. verſ. dico ſecundo, Silueſter verb. Baptiſmus 6. n. 4., D. Antoninus tertia part. tit. 4. c. 13., Sotus in quarto diſt. 6. q. 1. art. 6., Filliutius tract. 2. c. 5. q. 8. n. 109.* quidquid ex aduerſo dixerit *Alenſis part. 4. q. 8. memb. 8. art. 3. §. 3.*

13 Euincitur ex Concil. Trid.

Euincitur primò ex *Concil. Trident. ſeſs. 6. c. 7.*, vbi ſignantèr loquens de Sacramento Baptiſmi dicit: *Nos iuſtificari iuſtitiam in nobis recipientes vnuſquiſque ſuam ſecundum menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis, prout vult, & ſecundum propriam vniuſcuiuſque diſpoſitionem, & cooperationem*, & licet hunc textum Concilij aliqui explicent referendo ly *ſecundum menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur* ad gratiam, quæ acquiritur in Sacramento, & ly *ſecundum propriam vniuſcuiuſque diſpoſitionem, & cooperationem* ad gratiam, quæ recipitur per proprios actus contritionis, & dilectionis Dei extra Sacramentum, hæc tamen explicatio reiecta eſt *in præcedenti parte prima huius voluminis q. 6. art. 9. aſſert. 2. in probatione tertia*, ad quem locum remitto Lectorem, ne actitata repetam, vbi etiam aliæ rationes pro hac concluſione adducuntur, & ſoluuntur obiecta contraria.

14 Habẽtes æqualem diſpoſitionem ſortiuntur æqualem gratiam.

Ex eo autem, quod habentibus inæqualem diſpoſitionem atribuatur maior, vel minor effectus gratiæ, ſequitur directè, quod habentibus æqualem diſpoſitionem æqualis effectus gratiæ conferatur. Hinc pueris omnibus ante vſum rationis æqualis conceditur effectus, cum æqualitèr omnes nullam habeant diſpoſitionem, & æqualem capacitatem. Hinc etiam, ſi plures adulti æquales actus diſpoſitionis, & cooperationis habeant, æqualem gratiam conſequantur.

Quia tamen quoad effectus Baptiſmi poteſt multiplicitas eorundem conſiderari, & ſimul intentio, placet, & aliqua quoad multiplicitatem, & aliqua quoad intentionem diſcutere; & quidem quoad multiplicitatem dicendum eſt, quod per illam diſpoſitionem, quæ ſufficit ad gratiam in Baptiſmo acquirendam, acquirantur omnia alia poſitiua gratiæ, quæ ſecundum legem ordinariam dantur in Baptiſmo; hinc conceduntur habitus virtutum infuſarum fidei, ſpei, & charitatis; item remiſſio omnium peccatorum, ſiue originalis, ſiue actualium læthalium, ſiue etiam venialium, niſi ponatur obex; nam, ſi ponatur obex in ordine ad læthalia non ſolum impeditur ipſorum remiſſio, ſed etiam infuſio gratiæ, cæterorumque habituum infuſorum, quia talis obex non compatitur cum eiſdem; ſi vero ponatur obex ſolum quoad venialia, tunc certè non remittuntur eadem venialia, non tollitur tamen, quin gratia cum cæteris habitibus infundatur, & remittantur omnia læthalia, cum obex ad venialia, qui in alio non poteſt conſiſtere, niſi in quadam complacentia, & affectu ad eadem, non pugnet, nec cum gratia, nec cum habitibus ipſam de lege ordinaria comitantibus, nec cum remiſſione læthalium; quinimmo poteſt eſſe obex ad vnum tantum veniale, & non ad alia, qua in hypotheſi illud tantum remittitur, & non alia, cum vnum veniale non pugnet cum alio; Ex eo autem, quod remittantur peccata quoad culpam, ſequitur etiam, quod remittantur quoad pænam.

15 Ad maiorẽ diſpoſitionem conſequuntur etiã inteſiores habitus virtutum, & donorũ, quæ comitantur gratiam.

16 Non remittũtur venialia, ſi ſit cõplacentia ad eadẽ.

Sed hic oritur difficultas circa ea, quæ diximus de venialibus, an, ſi tunc cum Baptiſmus ſuſcipitur ob obicem complacentiæ non remittantur, remittantur poſtea tam quoad culpam, quam quoad omnem pænam, quando per atritionem eadem com-

pla-

Digitized by Google

placentia remouetur. Ex ijs, quæ diximus in præcedentibus, dum de remotione fictionis concludendum videtur, quod etiã remoto obice per atritionem quoad venialia, eadem plenè remittantur, & quoad culpam, & quoad omnem pænam, quod quidem congruè concluditur, quia non videtur diſpar ratio; nec obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod venialia poſſint remitti per proprios actus, quia hoc idem dici poteſt in ordine ad læthalia.

17 Remoto per attritionem obice remittuntur.

Quoad vero intenſionem gratiæ, cæterorumque habituum, qui patiuntur magis, & minus, patet ex concluſione, eiuſque probatione augeri, & minui iuxta maiorem, & minorem diſpoſitionem ſuſcipientis; vnde non eſt, cur in hoc immoremur.

18 Effectus, qui per accidens proueniunt à Baptiſmo non ſemper sũt æquales in omnibus.

Concluſio III. Effectus, qui non per ſe, ſed per accidens proueniunt à Sacramento Baptiſmatis, non ſemper ſunt æquales in omnibus licet æqualitèr diſpoſitis, quinimmo non ſemper ab eodem cauſantur *D. Thomas tertia part. quæſt. 69. art. 8. in corpore.*

Ratio eſt, quia huiuſmodi effectus, nec ex vi inſtitutionis Baptiſmi, nec ex aliqua lege, vel promiſſione Diuina ſunt alligati Baptiſmo, ſed dependent à libera Dei voluntate, qui quandoque illa cauſat, non tamen ſemper, quinimmo raro ad fines peculiares eidem notos; vnde plerique, & quidem non incongruè comparant Baptiſmum in ordine ad effectus per ſe, & in ordine ad effectus per accidens ab ipſo prouenientes tanquam cauſam naturalem ad ſuos effectus, & liberam in ordine ad ſuos, nam prima neceſſario illos producit, libera verò poteſt producere, & non producere.

ARTICVLVS VIII.

An exiſtente obice in ſubiecto, quamuis hoc non recipiat gratiam, poſſit recipere habitus fidei, & ſpei.

SVMMARIVM.

Sententia docens non prius infundi habitus fidei, & ſpei, ac infundatur habitus gratia. 1.
Sententia docens poſſe infundi ſpem, & fidem ante habitum gratia. 2.
Exiſtente obice ad gratiam, & non ad fidem, & ſpem poteſt infundi fides, & ſpes ſine gratia. 3.
Non exiſtente poſitiua diſpoſitione ad fidem, & ſpem probabilius eſt non infundi habitus eoſdem. 4.
Non in omnibus gratia imitatur naturam. 5.
Explicatur, in quo ſenſu ſumendum ſit Concil. Trid. 6.
Sententia Suarez ſentientis poſſe acquiri habitum ſpei, & fidei, nedum ante iuſtificationem, ſed etiam ante Baptiſmum. 7.
Solutio oppoſitorum. 8.

1 Senteñtia docens nõ prius infundi fidem, ac ſpecĩem quam infundatur gratia.

CONcilium Tridentinum *ſeſs. 6. c. 7.* hæc expreſsè habet. *In hac iuſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem, & charitatem*, & ſpecialitèr loquitur de Sacramento Baptiſmo; ex quibus verbis plerique Theologi inferunt, quod non prius infundantur habitus fidei, & ſpei, ac infundatur habitus charitatis; ſed extante obice ad gratiam, adſit etiam ad charitatem, quæ eſſe non poteſt ſine eadem gratia, ergo extantante obice ad gratiam non poteſt habens eundem obicem habere habitum fidei, & ſpei.

2 Rationes ſuadẽtes poſſe infundi fidem, & ſpem nõ infuſa gratia.

Ex aduerſo, ſicuti fides, & ſpes non pendent quoad conſeruationem à gratia, nec à charitate, ità, nec videntur pendere quoad primam infuſionem ab eiſdem. Quod autem fides, & ſpes non pendeant quoad conſeruationem à gratia, & charitate, ex eo colligitur, quod amiſſa gratia adhuc perſeuerat fides, & ſpes, cum poſſit ſine illa, & ſupernaturalitèr credere, & ſupernaturalitèr ſperare. Quòd deindè, nec pendeant quoad primam infuſionem ex eo euincitur, quod antecedentèr ad ſuſceptionem gratiæ poteſt ſupernaturalitèr, & credere, & ſperare; atque, vt hoc præſtet, connaturaliori modo indiget habitibus huiuſmodi virtutum, qui propterea intelliguntur præcedere gratiam, & charitatem, &, ſi actus ſupernaturales fidei, & ſpei poſſunt præcedere, non video, cur non poſſint etiam præcedere habitus. Hinc *Suarez tom. 3. in tertiam partem Diui Thomæ diſp. 28. ſect. 3. verſ. quo circa valdè*, ſuſtinet, quod, quamuis ſit obex ad gratiam, & charitatem, ſi tamen ſit diſpoſitio ad fidem, & ſpem huiuſmodi habitus infunduntur etiam ſine gratia, & charitate. Cum eodem Suarez ſit

3 Exiſtente obice ad gratiam, & non ad fidẽ poteſt infundi fides ſine gratia.

Concluſio. Exiſtente obice ad gratiam, & charitatem, & exiſtente diſpoſitione ad fidem, & ſpem probabilius eſt, quod in ſuſceptione Baptiſmi infundatur habitus fidei, & ſpei, etiam ſi tunc non infundatur gratia, & charitas.

Ratio ex eo deducitur, quod Baptiſmus eſt cauſa neceſſaria in ordine ad effectus quos habet cauſare per ſe, ergo, ſi validè applicetur, nec inueniat obicem, debet neceſſario eoſdem producere, ſed non obſtante obice ad gratiam, & charitatem non inuenit obicem ad habitus fidei, &

ſpei, quandoquidem huiuſmodi habitus neceſſario non pendent, nec in eſſe, nec in conſeruari à gratia, & charitate, ergo non eſt, cur non debeat illos producere. Confirmatur Baptiſmus, quamuis, dum applicatur, inueniat obicem ad gratiam, quia tamen non inuenit obicem ad caractherem illum producit, quia cauſa naturalis ſemper agit, quantum poteſt, ſi non eſt impedita, ergo etiam ſi, dum applicatur, non inuenit obicem ad habitus fidei, & ſpei.

Dixi, *exiſtente diſpoſitione ad fidem, & ſpem*; ſed quid erit dicendum, ſi non inueniat, dum applicatur, poſitiuam diſpoſitionem ad fidem, & ſpem, non inueniat tamen obicem ad illas, ſed meram capacitatem, an tunc producet huiuſmodi habitus? Vix poteſt concipi, quod validè quis ſuſcipiat, ſi ſit adultus, Baptiſmum, & non habeat fidem de illo, eiuſque virtute, & ſpem conſecutionis bonorum, quæ ex illo poſſunt prouenire, cum fides ſit ſperandarum ſubſtantia rerum argumentum non apparentium; vndè, nec videtur poſſe concipi, quomodo non poſſit eſſe aliqua diſpoſitio ad illos habitus, ad quam in ſuſceptione Baptiſmi illi conſequantur. Nihilominus data poſſibilitate, quod quis poſſit validè baptizari, nullamque habeat fidem, nec ſpem, probabilius crederem, ſic ſuſcipientem Baptiſmum non recipere tunc illos habitus, quia, ſicuti quando non eſt diſpoſitio ad gratiam, hæc non ſequitur ad Baptiſmum, ita, nec quando eſt diſpoſitio ad illos habitus, illi ſequuntur pro tunc; neque in hoc arbitror diſſentire *Suarez. loc. cit.*, qui docens poſſe infundi huiuſmodi habitus ſine gratia, & habitu charitatis fundat ſuam intentionem in eo, quod exiſtente obice ad gratiam poteſt quis elicere actus ſupernaturales fidei, & ſpei, qui ſunt diſpoſitiones ad habitus.

4 Non exiſtente poſitiua diſpoſitione ad fidē probabilius eſt, quod hæc non infundatur.

Dices primò contra concluſionem. Ex genere ſuo gratia debet præcedere habitus ſupernaturales omnes, ſiquidem in ordine ſupernaturali gratia computatur tanquam natura, habitus verò tanquam paſſiones, & proprietates illius; ſicuti autem natura in ordine naturali præcedit paſſiones, quæ in illa fundantur; ita, & in ordine ſupernaturali gratia debet tanquam natura præcedere virtutes, ergo non prius puſſunt infundi huiuſmodi habitus, ac infundatur gratia. Sed contrà, quia licet ordo gratiæ, & ordo naturæ ſeruent adinuicem aliquam proportionem, non tamen rigoroſam, & propriam; nam, ſi rigoroſam ſeruarent, amiſſa gratia per peccatum deberent in peccante deſinere omnes virtutes, ſicuti amiſſa natura deſinunt omnes paſſiones, & proprietates illius, quod tamen verum non eſt, vt ſuppono ex quæſtionibus de fide, ſpe, & charitate. Quamobrem dico, quod in ordine gratiæ debent præcedere diſpoſitiones ad eandem, quamuis hæc habeat rationem naturæ in tali ordine; diſpoſitiones autem ſunt actus fidei, & ſpei, aliaque requiſita; vnde ſiſtendo in eadem comparatione gratiæ ad naturam, ſicuti diſpoſitiones in naturalibus præcedunt formam, quam poſtea, vt comitantur, dici poſſunt illius proprietates, ita fides, & ſpes præcedunt, ſeu præcedere poſſunt eandem gratiam, quæ poſtea, vt illam comitantur, poſſunt dici illius proprietates.

5 Non in omnibus gratia imitatur naturā.

Dices *ſecundo ex Concil. Trid. d. ſeſs. 6. c. 7. In hac iuſtificatione* (loquitur de prima iuſtificatione, quæ fit per Baptiſmum, ſiue in re, ſiue in voto) *cum remiſſione peccatorum hæc ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem, & charitatem*, ergo non prius baptizatus accipit ſpei, & fidei habitus, ac recipiat gratiam iuſtificantem, & remiſſiuam peccatorum. Conſequentia hæc probatur primò ex eo, quod Concilium dicit cum remiſſione peccatorum recipere illos habitus, quod autem recipitur ſimul cum alio, venit in conſequentiam illius, cum quo recipitur; ſecundò ex illis verbis. *Hæc ſimul infuſa accipit*, quod autem recipitur ſimul cum alio, non prius illo recipitur. Sed contra, quia Concilium Tridentinum in eo loco ſupponit, quod tunc verè iuſtificetur homo, & proptereà, quod tunc cum eadem iuſtificatione debeant eſſe illa tria fides ſcilicet, ſpes, & charitas, & hoc eſt veriſſimum, nec poteſt impugnari; non enim ſecundum legem ordinariā poſſunt huiuſmodi habitus à iuſtificatione ſeparari; per hoc tamen non tollitur, quin poſſint ſeparari fides, & ſpes à charitate, quando contingit Baptiſmum validè quidem conferri, ſed ſine iuſtificatione ob exiſtentiam obicis ad eandem; tunc etenim, cum non infundatur gratia, neque charitas infunditur, cum hæc de lege ordinaria ſit inſeparabilis ab illa; non eſt tamen, cur non infundantur fides, & ſpes, cum hæ non habeant obicem, & Baptiſmus validè collatus, & ſuſceptus ſit cauſa naturalis, quæ in ordine ad ea, in quibus, ſeu pro quibus non inuenit obicem, debet neceſſario operari, nec poteſt effectum ſuſpendere.

6 Explicatur in quo ſenſu ſumēdum ſit Concil. Trid.

Vrgebis, Concilium Tridentinum eo loco abſolutè dixit, quod hæc tria accipit ſimul infuſa per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur, vbi nota prius illam particulam, *ſimul*, quæ importat omnimodam temporis ſimultatem, deindè illam aliam *accipit*, quæ relata ad illam *ſimul* connotat, quod tunc ſolummodo recipiatur, quando recipitur

pitur

pitur gratia, & charitas. Sed contrà primò, quia hęc procedunt ſolummodò, quando in Baptiſmo verè quis iuſtificatur recipiens tunc gratiam iuſtificantem; quia tunc verè cum eadem iuſtificatione coniunguntur huiuſmodi habitus, quod non euenit, quando tunc non fit iuſtificatio proptèr obicem obſiſtentem, cum tunc, quamuis ſit obex ad gratiam, & charitatem, non ſit tamen ad fidem, & ſpem.

7 Suarez ſentit poſſe acquiri habitum fidei etiam ante Baptiſmum.

Suarez *d. diſp. 28. ſect. 3. verſ. quo circa valdè probabile*, ſupponit, quod antecedentèr, nedum ad iuſtificationem, ſed etiam ad Baptiſmum poſſit quiſquam ſupernaturalitèr credere, & ſperare, & per conſequens acquirere habitum fidei, & ſpei, ſiue poſtea in Baptiſmo ſequatur iuſtificatio, ſiue non conſequatur, vt colligi poteſt ex doctrina, quam ibi affert. Sed aduerſus eundem duo poſſunt obſiſtere; primum eſt, quod tunc non per Baptiſmum acquireret infuſionem huiuſmodi habituum, cum illos antecedentèr acquiſierit, dum ſupernaturalitèr credit, & ſperat; ſecundum, quod tunc non diceretur *accipere*, prout definit Trident., ſed potius retinere.

8 Et ſoluit argumẽta oppoſita.

Sed ad primum *ibidem verſ. obſeruandum verò eſt*, videtur reſpondere, quod licet antecedentèr ad Baptiſmum acquiſierit huiuſmodi habitus, per ipſum tamen Baptiſmum hi habitus augeantur, & ratione talis augmenti dicantur per Baptiſmum acquiri, quod explicat paritate caſus, quò quis ante Baptiſmum eliceret actum amoris Dei ſuper omnia; tunc etenim acquireret habitum charitatis, & ſi poſtea Baptiſmum reciperet, per eundem augeretur idem habitus, ratione cuius diceretur habitum charitatis acquirere per Baptiſmum. Ad ſecundum reſpondet illud verbum *efficit*, non eſſe intelligendum in rigore, vt ſignificet initium eſſendi, ſed latius prout idem ſignificare poteſt, ac habere, & retinere; & item dicit, quod ly *ſimul*, non eſſe poſitum ad ſignificandum initium huiuſmodi habituum, ſed ad ſignificandam vnionem eorundem in perfecta iuſtificatione.

ARTICVLVS IX.

An Baptiſmus flaminis in Cathecumeno, quando habere non poteſt illum fluminis cauſet in eodem plenum effectum.

SVMMARIVM.

Refertur dictum deſumptum ex libro Eccleſiaſticorum dogmatum aſſerens nullum Catechumenum ſaluari, quamuis in bonis operibus defunctum. 1.
Sententia aſſerens verè non ſaluari excluditur. 2.
Sententia explicans illud dictum, quando Catechumenus fuit in mora culpabili in ſuſcipiendo Sacramento etiam eliditur. 3.
Præfertur ſententia D. Thomæ aſſerentis non conſequi immediatè vitam æternam, quia Baptiſmus flaminis non delet omnem pœnam temporalem. 4.
Ex ſpeciali promiſſione Baptiſmo flaminis coniuncto cum martirio collata eſt vis liberandi etiam à quacunque pœna. 5.
Ex Concilio Bracarenſi euincitur, quod Catechumeni conſequantur vitam æternam, non remiſſionem cuiuſcunque pœnæ. 6.

1 Dictum deſumptum ex Eccleſiaſticis dogmatibus.

OCcaſionem dedit examini huius difficultatis dictum quoddam, quod ſcriptum reperitur *in lib. de Eccleſiaſt. dogmat.*, quo dicitur, nullum Catechumenum, quamuis in bonis operibus defunctum vitam æternam habere credimus, excepto martirio, vbi totum Sacramentum Baptiſmi completur. Circa quod dictum in varias abiere DD. explicationes.

2 Sentẽtia aſſerens verè non conſequi gloriam excluditur.

Alij intelligentes illud abſolutè dixerunt Cathecumenum, qui ſic decederet, non conſecuturum eſſe gloriam æternam, quæ explicatio videtur congruere verbis eiuſdem dicti. Sed, quamuis hæc explicatio congruat verbis, non congruit tamen communi Eccleſiæ ſenſui, ſecundum quem Baptiſmo flaminis poſitis omnibus conditionibus ad ipſum requiſitis tribuitur vis cauſandi æternam ſalutem, & incongruè diuideretur Baptiſmus in Baptiſmum flaminis, vt contradiſtinctum ab illo fluminis, & ſanguinis, ſi ille non poſſet conſequi æternam gloriam.

3 Sentẽtia refundẽs negationem ſalutis in moram culpabilem.

Alij explicant illum textum procedere dumtaxat, quando Catechumenus fuit in mora ad ſuſcipiendum Sacramentum, quatenus potuerit illum in tempore ſuſcipere, & neglexit ſuſcipere, quia tunc illa mora fuit culpabilis, & ratione eiuſdem excluditur à vita æterna. Sed hæc quoque explicatio non videtur congruere veritati

in

in omni ſtatu, quandoquidem dato etiam, quod illa mora ſit culpabilis, & ratione ciuſdem moroſus eſſet excludendus ab æterna vita, poſſet tamen illius moræ culpabilis pænitere, quæ pænitentia coniuncta cum illo Baptiſmi voto non eſt, cur non debeat effectum æternæ gloriæ conſequi. Deindè ille textus non dicit, quod Catechumenus non conſequatur gratiam, ſed tantum, quod tunc non conſequatur vitam æternam.

Quamobrem dicendum eſt cum *D. Thoma tertia part. q. 68. art. 2. ad ſecundum*,

4 Pręfertur ſententia D. Thomæ volētır conſequı quidē vitā ętername, non tamen immediatè, & quare.

Baptiſmum flaminis, ſi ſit cum debitis conditionibus, producere quidem effectum gratiæ, & tribuere ius ad vitam æternam, non tamen ſtatim eandem æternam vitam conferre, quia licet liberet à culpa, non tamen liberat ab omni pæna, ſicuti liberat Baptiſmus fluminis, & ſanguinis, & ſic intelligendum eſſe enuntiatum dictum, vt ſcilicet non credatur Catechumenus, qui in bonis operibus deceſſit, conſequi æternam vitam tunc, non quia non habeat ius ad illam per gratiam, ſed quia adhuc remanet pæna temporalis perſoluenda in Purgatorio, & in hoc eſt diſcrimen inter Baptiſmum flaminis, & Baptiſmum fluminis, & ſanguinis, quod iſti liberant ab omni culpa, & omni pæna, ille autem ex genere ſuo dumtaxat a culpa. Ratio huius explicationis ea eſt, quia ex vi inſtitutionis ſoli Baptiſmo fluminis, quatenus Sacramentum eſt collata eſt illa virtus purgandi ab omni pæna, & culpa, & ex ſpeciali promiſſione extra Sacramentum Baptiſmo ſanguinis, iuxta illud Matthæi 16. *Qui perdiderit animam ſuam propter me inueniet eam*, & Apocalypſis 7. *Hi ſunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni*; nullibi autem inuenitur, quod hæc promiſſio facta fuerit Baptiſmo flaminis, ſeu deſiderio eiuſdem, quod licet ob connexionem, quam habet cum actu dilectionis Dei, & deteſtationem peccatorum conſequatur gratiam remiſſiuam peccatorum quoad culpam, & pænam æternam, non tamen conſequitur veniam quoad pænam temporalem peccatis debitam; vnde merito *D. Thomas loc. cit.* dicit, quod cum Catechumenus dicatur in bonis operibus decedere, quæ non poſſunt eſſe ſine fide per dilectionem operante, ſaluus quidem fiat, ſed non ſtatim perueniat ad vitam æternam, ſed debeat pati pænam pro peccatis præteritis, & ſic ſaluabitur per ignem, vt dicitur prima ad Corinth. 3. Hoc eſt Purgatorij.

5 Baptiſmus flaminis cū martirio liberat à quacunque pæna.

Hæc etiam veritas colligitur *ex Concil. Braccharenſi c. 35.* vbi plures præſcribuntur, ſeu recenſentur preces, quæ in Eccleſia fiunt, ſeu fieri debent pro Catechumenis, qui ſine Baptiſmo deceſſerunt; ex quibus duo colliguntur: Primum, quod Catechumeni decedentes cum deſiderio Baptiſmi ſalui fiant; ſecundum, quod per illum Baptiſmum non conſequantur plenariam remiſſionem omnis pænæ; Inanitèr ete nim eſſet præſcriptæ huiuſmodi preces pro eiſdem, ſi ſalui non forent, & fruſtra impenderentur, ſi per eos pæna temporalis non eſſet perſoluenda, ſed immediatè poſt deceſſum peruenirent ad vitam æternam.

6 Quid ſēſerit circa Cathecumenos Concilium Braccarenſe.

ARTICVLVS X.

An Baptiſmus cauſet alios effectus a recenſitis, & quoſnam.

SVMMARIVM.

Per Baptiſmum confertur ius ad actualia auxilia ad profitendam fidem. 1.
Oritur interna pax, & animi tranquillitas. 2.
Aperit Regna Cælorum. 3.
Cur potius atribuatur Baptiſmo apertio Regni Cælorum, quam pænitentia. 4.
Per Paſſionem Chriſti Domini Cæli aperti ſunt in vniuerſum, ſingulis autem aperitur per Baptiſmum. 5.
Baptizatis ante Paſſionem Chriſti, quomodo dicantur Cæli aperti per Baptiſmum. 6.
Circunciſio non habebat vim, niſi relatiuè ad Baptiſmum. 7.
Confert Baptiſmus incorporationem cum Chriſto. 8.
Per fidem ſolum incorporamur cum Chriſto internè per proprios actus. 9.
Confert etiam illuminationes, & quaſnam. 10.
Non reddit tamen hominem liberum ab omni lege Diuina, & humana. 11.
Eradicantur quoad hoc Hæreticorum errores. 12.
Obligat ad omnia Dei præcepta ſeruanda. 13.

Certum eſt primò, quod, cum per Baptiſmum conferatur gratia Sacramentalis, certum eſt conferri quid aliud ſupra gratiam merè iuſtificantem, & habitualem, & proindè illud, quod additur, computandum eſſe tanquam effectum eiuſdem Sacramenti. Si autem quæratur quidnam ſit illud, quod importat gratia Sacramentalis ſupra merè habitualem, dictum eſt ſupra *in quæſtionibus de Sacramentis in gen. q. 6. art. 7.*, vbi confutatis alijs omnibus dicēdi modis ſtatuimus ſupra ipſam gratiā addere ius quoddam ad actualia auxilia ordinata ad ſpirituales effectus correſpondentes ſingulis Sacramentis iuxta ipſorum naturam; atque in hoc conſentiunt *Ma-*

1 Confertur ius ad ſpecialia auxilia.

dernus tract. 2. de Sacram. in genere quæſt. 3. art. 7., *Cacheranus tract. 8. de Sacramentis in genere c. 4. §. 5. n. 87.*; Sic, prout pertinet ad præſens inſtitutum, ius, quod confertur in Baptiſmo ſupra gratiam habitualem, quæ in eodem confertur, eſt ad ſpecialia auxilia ad minuendum fomitem ad peccatum, & concupiſcentiam, & ad promptius obſeruanda præcepta, ad quæ quis ſe obligauit in ſumptione eiuſdem Baptiſmi.

2 Interna pax, & ſacra animi tranquillitas.

Certum eſt ſecundò, producere quandam internam pacem, & ſacram animi tranquillitatem, quæ exuperat omnem ſenſum, quod ex eo potiſſimum colligitur, quod iuxta ſuperius dicta temperat concupiſcentiam, & minuit fomitem peccati, ex quo conſurgit pugna carnis aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, in quo temperamento, & dimminutione non poteſt, niſi conſurgere maior animi tranquillitas, & pacatæ conſcientiæ pax; vnde *D. Auguſtinus lib. 9. confeſ. c. 4.* de ſe ipſo nondum baptizato habet *Fides non me ſecurum eſſe ſinebat de præteritis peccatis meis, quæ mihi per Baptiſmum tunc remiſſa nondum erant*, & poſtea de ſe ipſo baptizato ſubdit. *Et baptizati ſumus, & fugit à nobis ſollicitudo vitæ præteritæ*; ex quibus deducitur alia ratio diſtincta ab ea temperamenti concupiſcentiæ, & dimminutionis fomitis peccati, nempè ſecuritas remiſſionis peccatorum præcedentium, quæ aufert omnem ſollicitudinem, & tollit anxietatem conſcientiæ dubiæ, in quo ſumma pax, & tranquillitas animi conſiſtit.

3 Aperit Regna Cælorũ.

Certum eſt tertiò, quod Baptiſmus habet pro effectu apertionem Regni Cælorum, vt optimè notat *D. Thomas tertia part. q. 69. art. 7. in corpore*, qui etiam hanc rationem ibi adducit, quia ſcilicet aperire Regnum Cælorum nihil aliud eſſe, quam tollere impedimentum ad illius introitum, hoc autem impedimentum eſt culpa, & reatus pænæ, quam, ſeu quem ex prædictis conſtat Baptiſmum plenè remittere; & licet hic effectus videatur ſingularitèr tribuendus Sacramento pænitentiæ; reſpectu cuius dicitur: *Tibi dabo claues Regni Cælorum. Quodcunque ſolueris ſuper terram erit ſolutum, & in Cælis &c.* vel ſaltem hoc commune ſit eidem pænitentiæ; Nihilominus hic effectus ſpecialitèr tribuitur

4 Cur potius tribuatur Baptiſmo apertio Regni Cælorũ, quam pænitentiæ.

Baptiſmo; tum quia hic primo habet remouere illud impedimentum potiſſimum quoad culpam originalem, proptèr quam Regnum ipſum Cælorum erat clauſum; tum quia Sacramentum pænitentiæ licet abſoluat ab omni culpa, & à pæna æterna, non tamen ab omni pæna temporali. De hoc effectu conſtat etiam ex illo Lucæ 3. *Apertum eſt Cælum*, vbi Gloſa, Bedæ hæc habet *Virtus hic Baptiſmatis oſtenditur, de quo quiſque cum egreditur, Regni Cæleſtis ei ianua aperitur*.

5 Per Paſſioné Cæli aperti ſunt in vniuerſi, ſingulis per Baptiſmum.

Nec obeſſe poteſt, ſi dicatur. Quod Ianua Cæleſtis iam intelligatur aperta per paſſionem, & mortem Chriſti Domini, vnde Apocalypſis 4. dicitur: *Poſt hoc vidi oſtium magnum apertum in Cælo*; ſi igitur tunc Ianua Cæleſtis eſt aperta, non poteſt dici ſingulis aperiri per Baptiſmum; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia licet primo per paſſionem Chriſti Domini Cæli aperti ſunt, qui prius erant clauſi, ſpecialitèr tamen quoad effectum, quem producit in ſingulis, atribuitur Baptiſmo, quia per hunc quiſque incorporatur paſſioni Chriſti, & configuratur eius morti. Ob alias etiam cauſas hæc Cælorum apertio tribuitur Baptiſmo; primò, quia in eius inſtitutione Cæli aperti ſunt, quando ſcilicet in Iordane à Ioanne baptizari voluit, quo tempore iuxta ſuperius dicta hoc Sacramentum inſtituit. Secundò, quia, ſicuti in morte Chriſti Cælum apertum eſt, ita in eadem incæpit obligatio Baptiſmatis, & vt aſſerebam Baptiſmus in nobis exprimit mortem eius.

6 Baptiſmis ante Paſſioné Chriſti quomodo dicitur Cæli per Baptiſmum aperiri.

Nec item obeſſe poteſt, quod multi baptizati fuerint ante paſſionem, & mortem Chriſti Domini, vt patet Ioannis 3., qui, ſi deceſſiſſent ante eandem paſſionem, quinimmo etiam poſt paſſionem, ſed ante Aſcenſionem non fuiſſent ingreſſi Regnum Cælorum, cum nullus ante Chriſtum in idem intrauerit, iuxta illud Micheæ 2. *Aſcendit pandens iter ante eos*, ergo non eſt effectus proprius Baptiſmi aperire ianuas Regni Cæleſtis; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia tunc ſuo modo etiam ille Baptiſmus collatus ante mortem Chriſti Domini dici poterat aperire Regnum Cælorum, qui, ſicuti rapræſentabat mortem futuram Chriſti, ità referebatur ad apertionem, quæ tunc contingere debebat, & ſicuti modo Baptiſmus actu collatus dicitur aperire, quia actu baptizatus incorporatur morti eius, ità tunc baptizatus, cum ſolum incorporaretur morti eius futuræ, dici poterat eidem aperire in ſpe. Aduerte tamen, quod etiam modo non ſtatim, ac Baptiſmus receptus eſt producat hunc effectum, ſed tunc tantum, quando baptizatus poſt mortem ingredi debet. Dici etiam poteſt quod tunc producat, & aperiat pro tempore tamen, quo ab ergaſtulo huius vitæ baptizatus egreſſurus eſt, ſeu egredietur.

Nec item obeſſe poteſt contra rationem, qua vtitur *D. Thomas loc. cit.* dicens Baptiſmum dici aperire Regnum Cælorum, quia tollit impedimentum ad illius ingreſſum, nempè culpam, & reatum pœ-

næ,

næ, quod etiam circuncifio ante inſtitutionem Baptiſmi tollebat hæc impedimenta, nec tamen dicebatur aperire Regnum Cælorum, ergo etiam ex eo, quod Baptiſmus tollat, & culpam, & pænam non poteſt dici, quod ianuam Regni Cæleſtis adaperiat. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia circuncifio totam vim habebat relatiuè ad Baptiſmum, cuius erat figura, & ideo non dabat ius ad gloriam obtinendam ſtatim, ſed ſolum tunc, quando redemptio totius naturæ eſſet conſummata per Chriſti paſſionem, & mortem.

7 Circuncifio non habebat vim, niſi relatiuè ad Baptiſmum.

8 Per Baptiſmum incorporamur cũ Chriſto.

Certum eſt quartò, quod Baptiſmus non ſolum conferat incorporationem ad Chriſtum, ſed etiam illuminationem, & fæcunditatem, vt expreſsè tradit *D. Thomas tertia part. q. 69. art. 5.*, & primus ex his effectibus modo recenſitis colligitur ex *D. Auguſtino lib. de Baptiſmo paruul.*, vbi dicit, quod baptizati Chriſto incorporantur; Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod incorporemur cum Chriſto per fidem, quæ in adultis antecedentèr eſt ad Baptiſmum, iuxta illud Apoſtoli ad Epheſ. 3. *Habitare Chriſtum per fidem in cordibus noſtris.* Non, inquam, obeſſe poteſt, quia per fidem incorporamur Chriſto ſolummodo internè per actus proprij intellectus; per Baptiſmum verò externè, & quaſi corporalitèr per ſenſibile ſignum, quo confertur ipſum Sacramentum. Secundus effectus colligitur ex *D. Dionyſio de Eccleſ. Hierarchia c. 2.* vbi illuminationem attribuit Baptiſmo; nec obſtat, quod illuminationes fiant per doctrinam, & per inſtructiones, quæ potius habentur per Catechiſmum, quam per ipſam ſubſtantiam Baptiſmi; non obſtat, inquam, quia, licet per doctrinam, & per inſtructiones miſteriorum Dei illuminentur fideles; hoc tamen fit exteriori quodam modo; Deus autem in Sacramento Baptiſmatis illuminat internè corda hominum diſponendo eadem ad recipiendas voces cæleſtium mandatorum, & ad percipienda Diuina myſteria; tertius effectus fæcunditatis colligitur ex *Gloſa ſuper illud Pſalm. 22. Super aquam refectionis educauit me; animam meam conuertit*, vbi hæc expreſsè habet *Anima peccatorum ariditate ſterilis fæcundatur per Baptiſmum*; Sed, ſi quæratur quomodo hoc poſſit intelligi, cum fæcunditas reſpiciat principium actiuum; per Baptiſmum autem baptizatus recipit eſſe ſpirituale per regenerationem, non vero agit. Ad hoc reſponderi poteſt, quod hic non ſumitur fæcunditas pro eo, quo quis ab altero regeneratur, ſed pro eo, quo regeneratus medio Baptiſmo, quem ſuſcipit, pleraque bona opera exercet, & ex illo conſequuntur plures virtutes.

9 Per fidē ſolum incorporamur internè.

10 Confert etiam illuminationes, & quaſnā.

Clarius huiuſmodi effectus probat, & oſtendit *D. Thomas loc. cit. in corpore*, conſiderans baptizatum regenerari ad vitam ſpiritualem, quæ eſt in Chriſto Domino, & conſtitui membrum viuum Chriſti eiuſdem; vita autem membrorum non habetur, niſi hæc ſint vnita capiti; & ideo per eundem Baptiſmum incorporantur Chriſto tanquam capiti; ſicuti igitur in vita naturali à capite deriuantur ad membra ſenſus, & motus, ita in vita ſpiritnali à Chriſto tanquam capite deriuantur in baptizatos ſenſus ſpirituales conſiſtentes in cognitione veritatis, per quos dici poſſunt illuminari, & motus item ſpirituales conſiſtentes in auxilijs actualibus excitantibus, medijs quibus eliciuntur opera bona ſpiritualia conducentia ad æternam beatitudinem, & per hæc baptizatus dicitur fæcundari in Baptiſmo.

11 Nō reddit tamē hominē liberum ab omni lege.

Certum eſt quintò, quod, quamuis Baptiſmus producat omnes recenſitos effectus, & fortè etiam alios ab his dependentes, non tamen reddat hominem baptizatum liberum ab omni lege Diuina, & humana quidquid ſomniauerint aliqui Hæretici apud *Suarez in tertiam part. D. Thomæ tom. 3. diſp. 26. ſect. 2. verſ. quo proptèr vana ſunt in fin.*, qui inanitèr; & ſine vllo penitus fundamento hunc effectum attribuerunt Baptiſmo aſſerentes, quod baptizati deobligentur à quacunque lege humana, & licet à Diuina non deobligentur, aſſerunt tamen eiuſdem tranſgreſſionem eiſdem non imputari ad culpam proptèr Baptiſmum. Addunt vlterius Baptiſmum ita confirmare baptizatum in iuſtitia ſuſcepta, vt vel ipſum reddat impeccabilem, vel ſaltem efficere, vt quamuis peccet, tamen eidem peccatum non imputetur, dummodo credat ſibi non imputari.

12 Confutātur quoad hoc hæreticorum errores.

Hæ Hæreticorum inſaniæ latè confutantur per *Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. 6.*; vbi damnat quemquam, qui dixerit baptizatum non poſſe etiam, ſi velit gratiam amittere, quantumcunque peccet, niſi nolit credere; & *can. 7.* anathematizat omnes, qui dixerint baptizatos per Baptiſmum ſolius tantum fidei debitores fieri, non autem vniuerſæ legis Chriſti; & *can. 8.* damnat aſſerentes baptizatos immunes eſſe ab omnibus Sanctæ Eccleſiæ præceptis, & *can. 10.* ſub anathemate reprobat omnes, qui dixerint peccata omnia, quæ poſt Baptiſmum fiunt, ſola recordatione, & fide ſuſcepti Baptiſmi, vel dimitti, vel venialia fieri. Ex eo etiam confutantur huiuſmodi inſaniæ, quod Chriſtus Dominus præter Sacramentum Baptiſmatis inſtituit Sacramentum pænitentiæ pro peccatorum actualium commiſſorum poſt Baptiſmum remiſſione, quod certè fruſtraneè, & inu-

tiliter factum fuiſſet, ſi per Baptiſmum redderetur baptizatus impeccabilis, vel peccata eidem non imputarentur, vel ſi ſola fide,& recordatione Baptiſmi ſuſcepti remitterentur. Hinc

Certum eſt ſextò, Baptiſmum hunc effectum producere in baptizato, vt ipſum
13 Obligat ad omnia Dei præcepta, ſi ad ipſum dirigantur. obliget ad ſeruanda omnia Eccleſiæ præcepta vniuerſalia, & etiam particularia, ſi ad ipſum dirigantur *Vaſquez tertia part. tom. 2. diſp. 156. num. 68.*, *Valentia tom. 4. diſp. 4. q. 4. punct. 1. ad fin.*, *Henriquez lib. 2. c. 18.*, *Bellarminus lib. de Baptiſmo c. 15.*, *& 16.*, & expreſsè colligitur *ex Concil. Trid. ſeſs. 7. d. can. 8.*, & ratio eſt, quia per ipſum Baptiſmum ſubditur poteſtati, & iuriſdictioni Eccleſiæ, cuius præceptis, & legibus propterea tenetur obtemperare.

QVÆSTIO X.

De effectu caractheris in Baptiſmo.

Sicuti milites imperialibus caſtris adſcripti cingulo donabantur, quo à cæteris omnibus diſtinguebantur, ità addicti Chriſti militiæ merito debuerunt ſigno aliquo decorari, quo à cæteris infidelibus ſecernerentur. Hinc, cum per Baptiſmum inter milites Chriſti numeremur, caracthere tanquam ſigno eiuſdem militiæ obſignamur, quo ſub quo duce militemus, oſtendatur, & quibus armis dimicemus. Huius caractheris impreſſionem in Baptiſmo, qualitates in munere, proprietates in duratione, effectus in irriterabilitate explicanda hic aſſumimus, ne quid deſit, quod ad perfectam huius Sacramenti cognitionem pertinere poſſit. Plura quoad hæc colligi poterunt ex ijs, quæ dicta ſunt *part. prima huius voluminis q. 7.*, vbi quid ſit caracther, in qua ſpecie qualitatis ſit conſtituendus, in quo ſubiecto recipiatur, an ſit indelebilis, an ſignum ad placitum, an naturale, an ſit æqualis, an inæqualis in omnibus, an, & quomodo componat cum ſubiecto, & cum alijs caractheribus, quæ omnia ſunt ibi recolenda, non hic repetenda.

ARTICVLVS I.

An in Baptiſmo verè imprimatur caracther.

SVMMARIVM.

Euincitur contra Lutherum in Baptiſmo produci caractherem. 1.
Ex varijs Conciliorum definitionibus. 2.
Ex incorporatione, quam habet baptizatus cum Chriſto, cum quo reſurgens non amplius moritur. 3.
Intellige quoad culpam originalem. 4.
Ex regeneratione ſpirituali. 5.
Ex conſecratione, qua perſeuerante ſubiecto non deſinit. 6.
Ex definitione Concilij Trid. 7.

PErfidus Eccleſiæ Catholicæ Hoſtis Lutherus ab omnibus nouæ legis Sacramentis caractherem eliminauit. Sed merito reijcitur ab vniuerſali Eccleſia, & pri mo in Concil. Cartaginenſi IV. ſub Anaſtaſio Papa anno ſalutis 398. celebrato, in quo fuit definitum *non licere fieri rebaptizationes, neque reordinationes*, quæ verba ponuntur in volumine decretorum *in c. non licet de conſecrat. diſt. 4.* Secundò in *Concil. Tarraconenſi Prouinciali celebrato anno ſalutis 484. ſub Gelaſio Papa*, a quo fuit approbatum, & ab vniuerſa Eccleſia receptum, vbi *can. 10.* fuit definitum, non licere bis, vel ter confirmari, nec baptizari. Tertiò in *Concilio Florentino ſub Eugenio IV. in decreto de vnione Armenorum*, vbi loquendo de Sacram. in genere ſic definiuit. *Inter Sacramenta ſunt Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, quæ caractherem ideſt ſpirituale quoddam ſignum imprimunt in anima indelebile.* Hoc idem videtur colligi ex illo Apoſtoli ad Epheſ. 4. *Nolite contriſtare Spiritum Sanctum, in quo ſignati eſtis*, quem textum exponens D. Hieronymus intelligit illa verba *in quo ſignati eſtis*, de caracthere, quo anima noſtra his tribus Sacramentis ſignatur. 1 Euincitur cõtra Lutherũ in Baptiſmo produci caractherem. 2 Ex definitionibus Conciliorum.

Conſtat igitur inter cætera Sacramenta Baptiſmum hac prærogatiua donari, vt caractherem imprimat, quod etiam præter allegatas Conciliorum definitiones rationibus pluribus euincitur. Primò, quia per Baptiſmum incorporamur Chriſto Domino in morte ipſius, ſumus cum illo conſepulti, & ſimul cum illo reſurgimus, vt in nouitate vitæ ambulemus; *Chriſtus autem reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur*, ergo, nec nos amplius mori debemus, vt per reiteratum Baptiſmum iterum reſurgamus; Neque dicas, hominem poſt Bap- 3 Ex incorporatione cum Chriſto per quã cum ipſo reſurgit.

tiſmum

tiſmum etiam ſpiritualitèr mori per peccata actualia læthalia, cum priuetur per illa gratia ſupernaturali ſanctificante, & inhærente, in qua conſiſtit vita ſpiritualis,

4 Intellige quoad peccatū originale

ergo ex eo, quod mortuus ſit peccato per Baptiſmum cum Chriſto, non ſequitur, quin poſſit iterum poſt illa peccata mori, & per nouum Baptiſmum reſurgere; Contrà enim impugnaberis, quia illa prior mors cum Chriſto per Baptiſmum intelligitur potiſſimum quoad peccatum originale, quod ſemel deletum non poteſt amplius reuiuiſcere, vnde, poſtquam homo per Baptiſmum illi mortuus eſt, non poteſt amplius mori, & ab illo reſurgere, & per hoc ſalua remanet noſtra probatio deducta à paritate mortis Chriſti Domini, qui non amplius moritur. Quod deindè poſt Baptiſmum contingat alia mors ſpiritualis per peccata actualia læthalia, hoc non facit ad rem, quia in hoc non configuratur morti, & reſurrectioni Chriſti, & ideo pro illis inſtitutum eſt nouum Sacramentum iterabile, ſicuti iterari poſſunt eadem peccata. Ex eo autem, quod Baptiſmus iterari non poſſit, ſequitur, quod imprimat caractherem, vt infra probabitur.

Secundò, quia Baptiſmus habet rationem regenerationis ſpiritualis habita proportione ad natiuitatem corporalem; vt

5 Ex regeneratione ſpirituali.

pluribus in locis inſinuat D. Thomas, ſed homo ſemel vita naturali naſcitur, ergo ſeruata eadem proportione ſemel tantum debet, & poteſt ſpiritualitèr regenerari; vnde *D. Auguſtinus tract. 11. in Ioannem* habet: *Quomodo vterus non poteſt repeti, ſic nec Baptiſmum*; item *idem contra Epiſtolam Parmeniani lib.* 1. c. 13. aſſerit, quod nota, quę imprimitur in regeneratione per Baptiſmum, ita indelebilis eſt, vt nullo ſcelere, nulla defectione, nullis inferni flammis poſſit obliterari.

Tertiò, quia res ſemel Deo conſecrata, quouſque in ſuo eſſe permanet, ſemper remanet conſecrata, ita vt iterata conſecra-

6 Ex conſecratione, quæ perſeuerante ſubiecto nō deſinit.

tione non egeat, ſed per Baptiſmum homo perpetuo conſecratur Deo, ergo ſemper remanet talis, cum ſubiectum, in quo recipitur Baptiſmus, ſit permanens, & indeſtruibile, cum ſit anima immortalis, quæ nequit deſinere; vnde *Apoſtolus ad Hebræos 6.* aſſerit. *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati* (hoc eſt Baptiſmate ſuſcepto ad fidei lumen vocati) & nonnullis interiectis *ad pænitentiam renouari* hoc eſt iterum baptizari, *rurſus crucifigentes ſibi met ipſis filium Dei*.

7 Ex definitione Concil. Trid.

Quartò hæc veritas tandem per definitiuam ſententiam declaratur à *Concil. Trident. ſeſs. 7. can. 9.* Ibi- *Si quis dixerit in tribus Sacramentis Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi caractherem in anima, hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, vnde, & iterari non poſſunt, anathema ſit*, & huic Concilij declarationi adſtipulatur communis, & inueterata traditio, cui æquè fidendum eſt, ac ſacris paginis.

ARTICVLVS II.

Vndenam proueniat indelebilitas caractheris, ratione cuius Baptiſmus in eodem ſubiecto iterari non poſſit.

SVMMARIVM.

Indelebilitas caractheris non prouenit ex iure poſitiuo humano. 1.

Nec ex verbis, & rebus, quibus conficitur hoc Sacramentum. 2.

Prouenit ex conditione eiuſdem caractheris dependentèr ab inſtitutione Chriſti Domini. 3.

Soluitur argumentum probans indelebilitatem procedere ex iure Eccleſiaſtico. 4.

Soluitur aliud argumentum probans procedere ex rebus, quibus conſtat. 5.

Remiſſio originalis ſemel poſita per Baptiſmum non poteſt auferri per peccata actualia ſubſequentia. 6.

SEnſus huius tituli eſt, an, quod caracther, qui dicitur in Baptiſmo, ſeu per Baptiſmum produci, ſit indelebilis, & ratione eiuſdem iterari non poſſit Baptiſmus, proueniat ex aliquo iure poſitiuo, an verò ex natura, & conditione rerum, & verborum, quæ concurrunt ad ipſum Baptiſmum, an vero ex incapacitate ſubiecti, & a quonam talis incapacitas oriatur, & difficultas potiſſimum oritur ex eo, quod habet *Vgo lib. 2. de Sacram. part. 6. c. 13.* nempè *valdè rationabili definitione à SS. PP. inſtitutum eſt, vt qui ſemel Baptiſmi Sacramentum percepiſſe cognoſcitur, nulla ratione illud iterato accipiat*; ex quibus verbis videtur clarè deduci a iure poſitiuo humano procedere, quod Baptiſmus in eodem ſubiecto iterari non poſſit. Nihilominus ſit

Concluſio. Indelebilitas caractheris, & irriterabilitas Baptiſmi non prouenit a iure poſitiuo humano, nec ex natura rei ſecundum ſe conſideratæ, ſed ex conditione eiuſdem caractheris iuxta inſtitutionem ipſius Sacramenti. *D. Thomas q. 66. art. 9., Suarez in tertiam partem D. Thomæ tom. 3. diſp. 22. ſect. 5. fere per tot., & ſignantèr verſ. vltimo afferre poſſumus rationes.*

1 Indelebilitas caractheris non prouenit ex iure humano.

Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quod ſecundum communem hominum, &

Eccle-

Eccleſiæ eiuſdem conſenſum Baptiſmus, qui confertur iam ritè baptizato, non eſt validus, nec propriè Sacramentum, ſed hoc verum non eſſet, ſi iteratio ſolum vetaretur per ius poſitiuum humanum, ſi quidem poſitis omnibus requiſitis ad eius valorem ex Chriſti Domini inſtitutione non eſt, cur non debeat Sacramentum ſubſiſtere; non etenim habet Eccleſia poteſtatem irritandi ea, quæ de iure Diuino ſubſiſtunt, ergo irriterabilitas non conſurgit ex iure poſitiuo Eccleſiaſtico.

2 Nec ex verbis, & rebus quibus conficitur hoc Sacramentum.

Ratio ſecundæ partis etiam ex eo deducitur, quod nec res, nec verba, quibus conficitur hoc Sacramentum, ſi ſecundum ſe conſiderentur, exigunt, vt iterari non poſſint; ablutio etenim nedum ſemel, ſed bis, ter, & pluries poteſt fieri, nec ſecunda deſinit eſſe ablutio, ex eo quod prima facta fuerit, & verba ipſa non ita ſunt alligata vni actioni, vt non poſſint alteri applicari, ergo ſpectata natura rei ſecundum ſe non eſt repugnantia, quin Baptiſmus poſſit iterari.

3 Prouenit ex conditione caractheris dependẽter ab inſtitutione Chriſti Domini.

Ratio tertiæ partis eſt, quia ea, quæ in ſuo eſſe pendent a voluntate inſtituentis, legem accipiunt ab eadem voluntate reſultantem ex eiuſdem inſtitutione, ergo indelebilitas caractheris, & irriterabilitas Baptiſmi pendent a voluntate Chriſti inſtituentis eundem Baptiſmum; Chriſtus autem in inſtitutione Baptiſmi ipſum principalitèr ordinauit ad remiſſionem originalis, quod ſemel deletum non poteſt amplius reuiuiſcere, ergo ita inſtituit, vt ſemel ritè collatus non poſſit amplius iterari, quia inſtituto ſigno ad aliquem effectum, qui iterari non poteſt, ſi illum effectum, ad quem fuit inſtitutum, fuerit conſecutum, ceſſat quoad omnem efficaciam, quia non amplius effectum illum poteſt conſequi.

4 Soluitur argumẽtum probãs procedere à iure humano.

Dices primò contra primam partem, obſtare dictum Vgonis ſupra relatum, quod ſcilicet a SS. PP. ſit inſtitutum, vt qui ſemel ritè baptizatus eſt, iteratò Baptiſmum non recipiat, ergo per ius poſitiuum humanum inductum eſt, vt Sacramentum hoc ſit irriterabile. Sed contrà primò, quia ly *inſtitutum eſt* in hoc loco idem ſignificat, ac traditum, declaratum, ſeu definitum, vt explicat *Suarez d. diſp. 22. ſect. 2. verſ. vltimo aſſerere poſſumus*, cum omnes conditiones ſubſtantiales huius Sacramenti pendeant a volutate Chriſti Domini. Secundò, quia, quamuis hoc ſit inſtitutum a Chriſto Domino, non repugnat, quod dicatur etiam coherentèr ad illam primam inſtitutionem inſtitutum lato modo etiam ab Eccleſia, quia illam iterationem prohibuit ſub grauibus pœnis irregularitatis, aliiſque, vt infra latè dicemus.

5 Soluitur aliud argumentũ probans procedere ex rebus, quibus conſtat.

Dices ſecundò contra ſecundam partem, quod licet hæc indelebilitatis, & irriterabilitas non proueniat, nec ex natura rei, nec ex natura verborum ſecundum ſe, vt conſtat ex rationibus adductis in probatione eiuſdem ſecundæ partis, proueniat tamen ex natura eiuſdem Sacramenti, quod, cum principalitèr dirigatur ad remiſſionem originalis, habita tali remiſſione ceſſet quoad omnem efficaciam, vt dictum eſt in probatione tertiæ partis. Sed contra, quia ipſum Sacramentum poteſt duplicitèr conſiderari; primò, vt conſtat tali materia, & tali forma præcisè nullo fine conſiderato; ſecundò, prout conſideratum, vt ordinatum ad talem finem; primò modo præſcindit a quotunque fine, & ſic explicitè non importat illam irriterabilitatem; ſecundò modo importat illam irriterabilitatem, & ſicuti ex inſtitutione Chriſti habet illum finem, ita ex eadem habet illam.

6 Remiſſio originalis ſemel poſita per Baptiſmum non poteſt tolli per ſubſequentia peccati.

Dices tertiò contra tertiam partem, Quamuis Baptiſmus primò collatus conſecutus fuerit effectum remiſſionis peccati originalis, quæ eſt principalitèr intenta in inſtitutione eiuſdem, poſſunt tamen alia committi, per quæ ille effectus deſtruatur, ergo, vt ille effectus poſſit reparari, poterit Baptiſmus iterari; non enim effectus remiſsionis originalis poteſt cauſari a Sacramento pænitentiæ. Sed contra, primò negatur, quod effectus peccati originalis poſſit deſtrui per alia peccata actualia ſubſequentia, quamuis etenim ex illis conſurgat reatus culpæ, & pænæ æternæ, nunquam tamen redit peccatum originale, quod ſemel remiſſum non amplius reuiuiſcit dato etiam, quod deſtruatur effectus originalis peccati, cum hæc deſtructio ſequatur ob peccata actualia læthalia, indiget ad ſummum nouo Sacramento, cuiuſmodi eſt illud pænitentiæ, per quod reparentur illa peccata poſt Baptiſmum commiſſa; vndè *D. Thomas tertia part. q. 66. art. 9. ad primum*, dicit, quod pœnitentia superueniens tollat peccatum, quod impediebat effectum Baptiſmi.

AR-

ARTICVLVS III.

An, & quomodo in dubio poſſit iterari Baptiſmus.

SVMMARIVM.

Varia dubiorum genera. 1.
In dubio iuris poteſt conferri Baptiſmus, & debet, ſub conditione tamen. 2.
Si primus Baptiſmus publicè collatus eſt, & dubium ſit publicum, conditio debet expreſsè apponi ad tollendum ſcandalum. 3.
Si vero Baptiſmus priuatim collatus eſt, nec dubium ſit publicum, ſufficit conditio mentalitèr poſita. 4.
Si dubium fuerit facti, & ſuſpenſiuum debet Baptiſmus iterato conferri ſub conditione. 5.
Idem dic, ſi dubium fuerit opinatiuum. 6.
Niſi fuerint firmi teſtes, qui conſtanter deponant de collato Baptiſmo. 7.
Ad excludendum iteratum Baptiſmum ſufficit vnus teſtis fide dignus. 8.
Soluitur obiectum oppoſitum. 9.

1 **Dubium in multiplici differentia.**

DVbium multiplex eſſe poteſt, aliud iuris, aliud facti, aliud ſuſpenſiuum, ſeu, vt alij vocant, negatiuum, aliud opinatiuum, ſeu, vt alij dicunt, poſitiuum. Dubium iuris illud eſt, prout pertinet ad præſens inſtitutum, quo dubitatur, an materia, & forma adhibita in collatione huius Sacramenti apta fuerit, & ſufficiens ad eius valorem; Dubium facti eſt, quando non eſt certum, an Baptiſmus fuerit collatus tali perſonæ, an vero non fuerit collatus. Dubium ſuſpenſiuum, ſeu negatiuum tunc eſt, quando nulla adſunt indicia ad iudicandum hominem eſſe baptizatum. Dubium tandem opinatiuum tunc eſt, quando adſunt indicia ad credendum hominem eſſe baptizatum, non tamen ſufficientia; adſunt tamen alia indicia contraria, quæ indicant non eſſe baptizatum, & iſta etiam non ſunt ſufficientia. Per hæc omnia dubia breuitèr diſcurremus.

2 **In dubio iuris debet conferri ſub conditione.**

Si dubium ſit iuris, non videtur hæſitandum, poſſe, & debere conferri Baptiſmum ſub conditione tamen iuxta præſcriptam formam in *c. 2. de Baptiſmo*, nempè. *Si baptizatus es, ego non te baptizo, ſed ſi nondum baptizatus es, Ego te baptizo.* In hoc conſentiunt communitèr, ſignantèr *D. Thomas tertia part. q. 66. art, 9. ad quartum, Suarez in tertiam partem D. Thomæ diſp. 22. ſect. 2. verſ. ſed quares*, & colligitur *ex d. c. 2. de Baptiſ.* Ratio autem ea eſt, quia, cum hoc Sacramentum ſit ſummæ neceſſitatis, in dubio de eius valore ob materiam, vel formam dubiam ratio poſtulat, vt ei ſubueniatur de remedio certo, cui collatus eſt incertus, nam certa per hoc redditur eius ſalus, nec iniuria aliqua infertur Sacramento, quia ſecundus Baptiſmus ponitur ſub conditione.

3 **Si primus Baptiſmus fuerit publicus, & dubiũ publicũ conditio eſt expreſsè ponenda.**

Sed hic excitat difficultatem *Suarez. loc. cit.*, an requiratur, vt hæc conditio ſit explicita, & palam appoſita, an vero ſufficiat, quod ſit implicita, mentalis, & tacita; cui reſpondet diſtinguens, quando Baptiſmus primus collatus eſt ſolemnitèr, & dubium eſt publicum, & quando Baptiſmus priuatim collatus eſt, & quamuis fortè publicè, dubium tamen non innoteſcit publicè, quatenus, vel ipſe ſolus baptizans nouit eſſe materiam, vel formam dubiam, vel alter ſimul cum illo. Iuxta primum ſenſum aſſerit conferendum eſſe Baptiſmum ſub illa expreſſa conditione, vt auferatur omnes occaſio ſcandali; ex quo elucet, non requirere illam expreſſionem tanquam neceſſariam, vel de ſubſtantia in ordine ad ipſum Sacramentum, ſed ſolummodo ad finem extrinſecum vitandi ſcandali.

4 **Secus, ſi vtrumque ſit priuatum.**

Iuxta ſecundum ſenſum arbitratur, & quidem congruè ſufficere, ſi in iteratione Baptiſmi apponat mentalitèr illam conditionem, quatenus habet præcisè ſuſpendere intentionem conferendi, ſi ille fuerit baptizatus, vel non ſuſpendere, ſi non fuerit baptizatus; ad quam ſuſpenſionem ſufficit actus purè internus.

5 **Si dubiũ fuerit facti, & ſuſpenſiuum Baptiſmus eſt iterãdus ſub conditione.**

Si dubium fuerit facti, & ſuſpenſiuum, vtique Baptiſmus iterum conferri poteſt, quinimmò debet ſub illa conditione, prout expreſsè habetur *in c. paruulos, c. cum itaque, c. ſi nulla de conſecr. diſt. 4.*, & iuxta hunc ſenſum procedunt *Leo Papa Epiſt. 17. ad Leonem Epiſcopum Rauenatenſem c. 1., & Epiſt. 79. ad Nicetam c. 7., & Epiſt. 92. ad Ruſticum c. 15., & Gregorius III. Epiſt. 4. ad Bonifacium*, & ratio ſuperius adducta pro dubio iuris hoc manifeſtè ſuadet; neceſſitas etenim ſubueniendi de certo remedio æternæ ſalutis verſanti in dubio non ſolum confert poteſtatem iterato conferendi Baptiſmum ſub conditione, ſed etiam infert neceſſitatem ſaltem titulo charitatis,

6 **Idem dic ſi dubiũ fuerit opinatiuum.**

Si verò ſit dubium facti, ſed tantum opinatiuum, ſeu poſitiuum, ſi coniecturæ tales fuerint, vt non tollant iuſtam cationem dubitandi, tunc etiam Baptiſmus conferendus eſt ſub conditione, vt certa reddatur ſalus eius, de cuius Baptiſmo dubitatur; & hoc expreſsè definitum eſt in *Concil. Carthaginenſi 5. c. 6. in Concil. Africano c. 39. in Concil. Vormatienſi can. 70., & in ſexta Synodo c. 84.* Ibi- *Quoties non inueniuntur firmi teſtes, qui eos abſque vlla dubitatione baptizatos eſſe dicant, nec ipſi*

prop-

7 Niſi fuerint firmi teſtes deponẽtes de collaro Baptiſmo.

proptèr ætatem de ſibi tradito miſterio aptè reſpondere poſſint, debere baptizari; ex quo textu colligitur ad excludendam iteratam collationem requiri moralem certitudinem de prima collatione, cum requirantur firmi teſtes, qui abſque dubitatione deponant, qua certitudine non exiſtente ex neceſſaria conſequentia videtur Baptiſmus iterum conferendus.

Solum difficultas aliqua videtur ineſſe in illis verbis, *firmi teſtes*, *certiſſimi teſtes*, an ſcilicet importent pluralitatem teſtium, an vero ſufficiat vnus, qui teſtetur de viſu, ſcilicet ſe vidiſſe perſonam, de qua dubitatur, baptizari. Et quidem, ſi attendamus ſonum verborum, quæ in numero plurali concipiuntur, videtur requiri pluralitas, vnde, ſi vnus tantum deponeret de Baptiſmo collato adhuc

8 Ad excludendũ iteratum Baptiſmũ ſufficit vnus teſtis fide dignus.

videretur baptizandus iterato, ſed ſub conditione; Nihilominus communius ſtatuunt, ſi vnus fide dignus, de quo non eſſet veriſimilis ſuſpicio pernicioſi mendatij, deponeret de viſu, non eſſe Baptiſmum conferendum, ſed ſtandum illius depoſitioni, & fidei, quia non poſſet eſſe præſumptio de falſitate, quinimmò etiam ſi ille teſtis non eſſet oculatus, ſed haberet ex aliorum traditione, & eius depoſitio coniungeretur cum alijs adminiculis, puta, quod ille, de quo dubitatur, natus eſſet ex parentibus Catholicis, & educatus inter fideles, ſecundum *Innocentium 3. in c. vlt. de Presbyt. non baptiz.* non eſſet rebaptizandus, cum illius dictum cum illis adminiculis faceret moralem fidem.

9 Soluitur obiectũ oppoſitũ.

Nec obſtant verba illa *firmi teſtes*, concepta in numero plurali, quia illa verba ſunt appoſita non in ordine ad aliquem caſum io particulari, ſed ad omnes caſus, qui in hoc genere poſſint obuenire, & propterea firmi teſtes intelliguntur, quatenus deſeruiunt ad plures Baptiſmos. Deindè dicuntur *firmi teſtes*, quatenus poſſunt ingerere moralem fidem certitudinis depoſitorum, quæ fides in hoc genere haberi poteſt per atteſtationem vnius fide digni, potiſſimum, ſi coniungatur cum alijs adminiculis ipſius dictum comprobantibus.

ARTICVLVS IV.

Quale peccatum committant iterantes Baptiſmum.

SVMMARIVM.

Exiſtente morali dubio de valore prioris Baptiſmi iterata collatio conditionata non eſt peccaminoſa. 1.

Secus, ſi non ſit morale dubium. 2.

Iterata collatio eſt ex genere ſuo grauitèr peccaminoſa reſpectu omnium ſcientèr concurrentium. 3.

Rationes talis grauitatis. 4.

Peccatum iteratæ collationis eſt in genere ſacrilegij. 5.

PRocedit hic titulus de iteratione Baptiſmi, quæ ſit nulla exiſtente dubietate de valore præcedentis Baptiſmatis; ſi etenim ſit morale dubium, per iteratam collationem ſub conditione certè peccatum aliquod non contraheretur, quia ex vno capite conſuleretur indemnitati eius, de cuius Baptiſmi valore dubitatur, nec iniuria aliqua inferretur Sacramento, cum non conferatur animo iterandì Baptiſmum; ſi verò non ſit morale dubium, quantumuis Baptiſmus conferretur ſub conditione, non euitaretur grauis culpa in illa iterata collatione, tam ex parte conferentis, quam ex parte eius, cui confertur, ſi ſpontè ad hoc concurrat, & ex parte parentum offerentium ad nouum Baptiſmum, quandoquidem illa conditio appoſita non extante morali dubio de inſubſiſtentia prioris Baptiſmi impertinens eſt, & moralitèr haberi debet pro non adiecta. Siſtendo igitur in hypotheſi non exiſtentis dubij de Baptiſmo recepto, nec de valore eius ſit

1 Exiſtente morali dubio iterata collatio ſub conditione non eſt peccaminoſa.

2 Secus, ſi non ſit morale dubium.

Concluſio I. Iterata collatio Baptiſmi eſt ex genere ſuo peccatum graue, & enorme tam ex parte conferentis, tum ex parte ſpontè recipientis, tum ex parte offerentium cum ſeientia prioris Baptiſmi. Expreſsè hoc colligitur *ex c. non licet*, & *c. rebaptizare de conſecr. diſt.* 4. Ibi- *Rebaptizare Hæreticum hominem, qui hæc Sanctæ Trinitatis ſigna ſuſceperit, quæ chriſtiana tradidit diſciplina, omnino peccatum eſt, rebaptizare autem Catholicum, immaniſſimum ſcelus eſt*. Rurſus in ordine ad eos, qui non ignari iterum baptizantur habetur *in c. quibus ignorantèr de conſecr. ead. diſt.* 4. quod varijs pænis ibi enumeratis ſubduntur, quia quaſi iterum crucifixerunt Chriſtum, quod non poteſt eſſe ſine graui peccato, quod idem habetur *in c. eos quos ead. diſt.* 4.

3 Iterata collatio eſt ex genere ſuo grauitèr peccaminoſa.

Ratio-

4 Rationes talis grauitatis.

Rationes concluſionis ſunt primò, quia talis iteratio eſt contra inſtitutionem Chriſti Domini; ſecundò, quia eſt contra reuerentiam debitam Sacramento, cum videatur inferre, quod prior Baptiſmus non habuerit efficaciam ad effectum, ad quem eſt inſtitutus. Tertiò, quia aduerſatur ſignificationi Sacramenti, per quod cum Chriſto commorimur, & complantamur morti ipſius, qui ſemel mortuus non amplius moritur. Quartò, quia, quantum eſt ex affectu iterantis, & recipientis ſcientèr Baptiſmum, iterum Chriſtum Dominum crucifigit, vt indicatur *ad Hebreos 6.*, & habetur *in c. qui bis ignorantèr de conſecr. diſt. 4.*, & ad hanc iteratam Chriſti crucifixionem, quantum ex parte ipſorum eſt, non ſolum concurrit, qui baptizat, ſed etiam, qui ſcientèr rebaptizantur, & qui cum eadem ſcientia offerunt ad nouum Baptiſmum.

5 Eſt peccatum enorme in genere ſacrilegij.

Concluſio II. Hoc graue peccatum, & enorme iterationis Baptiſmi eſt in genere ſacrilegij. Ab hac arbitror neminem diſſentiri.

Ratio eſt, quia talis iteratio eſt cum læſione enormi rei ſacræ, hoc eſt Sacramenti iuxta ea, quæ mox diximus in probatione præcedentis concluſionis, ergo verè, & propriè importat deformitatem ſacrilegij. Deindè maius delictum eſt in genere irreuerentiæ Sacramenti iterato conferre & recipere Sacramentum, quam indignè illud miniſtrare, & ſuſcipere; vt docet *Suarez tom. 3. in tertiam partem Diui Thomæ diſp. 31. ſect. 6. verſ. de quo præſcripto*, ſed miniſtrare, & ſuſcipere indignè eſt peccatum graue in genere ſacrilegij, ergo multo magis erit tale conferre, & recipere iterato.

ARTICVLVS V.

De pænis contra reiterantes Baptiſmum.

SVMMARIVM.

Referuntur pænæ de iure ciuili iniuncta contra rebaptizantes. 1.
De iure Eccleſiaſtico contra Epiſcopum, & Presbyterum rebaptizantes impoſita eſt pæna depoſitionis. 2.
Hæc pæna non eſt latæ ſententia. 3.
Sententia docens Presbyterum rebaptizantem non contrahere irregularitatem. 4.
Probabilius tamen contrahit. 5.
Soluuntur rationes oppoſita. 6.

HViuſmodi pænæ, ſi quæ ininngnntur, ſeu iniunctæ appareant, vel poſſunt attingere rebaptizantem, vel rebaptizatum, vel alios offerentes ad nouum Baptiſmum; omnes enim iſti videntur delinquere in hoc genere. Sed, vt clarius, & diſtinctius procedamus, placet vnum ab altero diſcernere, & ſic in hoc articulo differemus de pænis rebaptizantis, in ſequenti de illis rebaptizati.

1 Pænæ iniunctæ à iure ciuili contra rebaptizantes.

Quoad rebaptizantem plures pænæ per ius ciuile ſunt iniunctæ, quarum prima eſt, quæ habetur *in l. 2. C. ne Sanct. Bapt. iteretur*, vbi pæna mortis contra rebaptizantem imponitur. Secunda *in l. 1. C. eod. tit.* vbi ſic legitur, *Antiſtitem, qui ſanctitatem Baptiſmatis illicita vſurpatione geminauerit, Sacerdotio indignum eſſe cenſemus.* Sed non eſt curandum de huiuſmodi pænis iuris ciuilis, cum in hoc genere ſolum ſint attendendæ pænæ Eccleſiaſticæ, cum ſolum ad Eccleſiam ſpectet de rebus Sacramentorum iudicare.

2 De iure canonico impoſita eſt cōtra Epiſcopum, & Presbyterum pæna depoſitionis.

De iure Eccleſiaſtico videtur imponi pæna depoſitionis contra Epiſcopum, ſeu Presbyterum rebaptizantem eum, qui iam ritè baptizatus eſt *in can. 47. Apoſtolorum.* Alias pænas refert *Suarez in tertiam partem D. Thomæ diſp. 31. ſect. 6. verſ. circa primum ex c. eos quos de conſecr. diſt. 4.* Sed, ſi benè perpendatur ille textus non loquitur de pænis contra baptizantes, ſed contra baptizatos, de quibus propterea erit ſermo in ſequenti articulo. Quoad illam pænam verò depoſitionis, de qua fit mentio in illo *can. 47. Apoſtolorum*, dicendum eſt, quod ille textus non importat pænam latam, ſed ferendam, & vbi etiam diceretur latam eſſe, iam contrario vſu abolita eſt.

3 Hæc pæna nō eſt latæ ſententiæ.

Solum igitur difficultas videtur verſari in eo, an per illam rebaptizationem per rebaptizantem contrahatur pæna irregularitatis, & quidem prima frontè negandam videtur, quandoquidem hæc pæna non contrahitur, niſi in iure expreſſa reperiatur; nullibi autem in iure expreſſum apparet de hac irregularitate; Quod, ſi afferatur textus, cui communitèr innituntur DD. ſentientes contrahi hanc irregularitatem, *in c. 2. de Apoſtat.*; tunc dici poteſt, quod ille textus non loquitur de baptizante; ſed de Acolyto miniſtrante Presbytero rebaptizanti, vnde non videtur facienda extenſio ad ipſum rebaptizantem, cum verſemur in pænalibus, quæ non ſunt extendenda, nec ex paritate, nec ex maioritate rationis vltra expreſſa in iure imponente pænas.

4 Sentētia docens non contrahi pænam irregularitatis.

5 Probabilius tamē cōtrahit.

Nihilominus ſentiendum eſt, verè rebaptizantem contrahere huiuſmodi pænam irregularitatis, vt ſentiunt communitèr Theologi *in quarto diſt. 5., & 6.*, *Sotus diſt. 3. art. 9.*, *D. Antoninus tertia part. tit. 14. c. 13. §. 12.*, *& alibi*, *Nauarrus c. 27. n. 246.*

n. 246., *Coarruuias in clem. ſi furioſus part. 1. in princip. n.* 8. Fateor, me expreſſum textum hoc euincentem non inuenire; quia tamen communitèr textum in illo *c. 2. de Apoſtatis*, interpretantur etiam quoad rebaptizantem, à communi ſenſu, & interpretatione non recedendum exiſtimo; nec aliquid negotij mihi faceſcit, quod pænalia non ſint extendenda vltra verborum formam, qua exprimuntur; verba autem ſolum important Acolytum miniſtrantem, non Presbyterum rebaptizantem; Non, inquam, aliquid negotij mihi faceſcit, quia, quando in iure prohibente ſub determinata pæna exprimitur cauſa, ob quam talis pæna imponitur, fit extenſio ad quemcunque, in quo talis cauſa reperitur; in allegato autem textu exprimitur cauſa. Ibi- *per iterationem iniuriam fecit Sacramento*, quæ particulæ licet videantur afficere ſolum rebaptizatum, cum continea̅tur in prima parte illius textus, nihilominus cum iteratio æquè afficiat baptizatum, & baptizantem, æquè videntur vtrumque comprehendere, præcipuè cum vterque verſetur in eadem actione, non in actionibus diſtinctis.

6 Soluuntur rationes oppoſitæ.

ARTICVLVS VI.

Expediuntur nonnulla dubia circa irregularitatem rebaptizantis.

SVMMARIVM.

Sententia docens, hanc irregularitatem eſſe abſolutam, & impedire ordinum ſuperiorum ſuſceptionem, & exercitium ſuſceptorum. 1.
Sententia docens impedire ſolummodo ſuſceptionem ordinum ſuperiorum. 2.
Miniſtrans Presbytero rebaptizanti interdicitur ſolum aſcenſu ad ordines ſuperiores; ipſe vero Presbyter etiam exercitio ordinum ſuſceptorum. 3.
Soluuntur rationes Suarez volentis Presbyterum non priuari exercitio ordinum ſuſceptorum. 4.
Rationes ſuadentes hanc pænam irregularitatis eſſe ſententiæ ferendæ. 5.
Probabilius eſt latæ ſententiæ. 6.
Etiam ſi hæc irregularitas ſit reſpectiua. 7.
Sententia docens hanc irregularitatem non contrahi, ſi rebaptizatio ſit priuata, & occulta. 8.
Sententia docens contrahi etiam ſi rebaptizatio ſit occulta. 9.
Sententia docens miniſtrantem Presbytero rebaptizanti non contrahere, ſi rebaptizatio ſit occulta, ipſum vero rebaptizantem contrahere. 10.
Acolytus miniſtrans non contrahit, ſi rebaptizatio eſt occulta. 11.
Rebaptizans quantum eſt ex vi c. 2. de Apoſtatis *non contrahit.* 12.
Quantum eſt ex vi c. eos quos de conſecrat. diſt. 4. *contrahit.* 13.

DVbitatur primò, an hæc ſit irregularitas abſoluta, quæ impediat non ſolam ſuſceptionem ordinum ſuperiorum, ſed etiam exercitium ordinum ſuſceptorum, an vero reſpectiua, quæ ſolum impediat aſſecutionem ſuſcipiendorum, non vero executionem ſuſceptorum. Ex genere ſuo irregularitas videtur vtrumque hunc effectum habere indiuiſum; DD. autem ſcribentes circa hunc textum, quamuis expreſsè non declarent, an inducat vtrumque impedimentum aſſerunt tamen inducere irregularitatem ſine addito; vnde videtur ex natura irregularitatis impedimentum ad vtrumque effectum oriri.

1 Sentẽtia docens hanc irregularitatẽ impedire, & ſuſceptionem ordinum ſuperiorum, & exercitiũ ſuſceptorum.

Adde, quod, ſi ſolummodo contraheretur impedimentum ad ordines maiores ſuſcipiendos, non impedimentum ad exercitium ſuſceptorum, mitior pæna imponeretur principali delinquenti, ac imponatur ſolum cooperanti; ſiquidem Acolytus, qui ſolum deſeruit Presbytero rebaptizanti, interdiceretur aſcenſus ad altiores ordines; ipſi vero Presbytero, cum non ſint alij ordines, ad quos poſſit aſcendere, ferè nulla pæna imponeretur, ſi non interdiceretur exercitio ordinum ſuſceptorum. Propter has, & ſimiles rationes *Ledeſma in quarto prima part. q. 7. art. 9. dub. 2.* aſſerit, nedum interdici à ſuſceptione maiorum, ſed etiam ab exercitio ſuſceptorum.

Ex aduerſo *Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 31. ſect. 6. verſ. ſed ad explicandam hanc pænam*, aſſerit interdici dumtaxat à ſuſceptione maiorum ordinum, non ab exercitio ſuſceptorum, ad quod pluribus rationibus mouetur. Primò, quia textus *in d. c. 2. de Apoſtatis*, loquitur præcisè, ſi benè perpendatur, de aſcenſu ad ſuperiores ordines, nec ibi fit mentio de irregularitate; vnde ceſſat prima ratio ponderata pro contraria ſententia. Secundò, quia, quamuis in præfato textu fieret mentio de irregularitate, non propterea deduceretur efficax argumentum ad inferendum vtrumque impedimentum, quia, vt notat *Nauarrus in man. c. 27. n. 191.* dantur aliquæ irregularitates, quæ ſolum impediunt aſcenſum ad ordines ſuperiores, non vſum eorum, qui iam ſuſcepti ſunt. Tertiò, quia pænæ vpotè odioſæ non ſunt extendendæ vltra expreſſa à iure prohibente; in dicto autem textu *c. 2. de Apoſtatis*, ſolum exprimitur ſuſceptio ordinum ſuperiorum. Quod, ſi dicatur (&

2 Sentẽtia docens impedire ſolummodo ſuſceptionẽ ordinum ſuperiorum.

eſt id, quod dicebatur in ſecunda ratione pro ſententia oppoſita) quod principalis rebaptizans vix alicui pænæ ſubijceretur, ſi non interdiceretur exercitio ordinum ſuſceptorum, & ſolum aſcenſu ad ſuperiores, cum hos non haberet, ad quos poſſet aſcendere, ſi rebaptizans eſſet Sacerdos; reſpondere poſſet idem Suarez hoc prouenire ex conditione perſonæ, non ex defectu iuris prohibentis, cum hoc, quantum eſt de ſe, imponat talem pænam reſpectu omnium.

3 Miniſtrãs Presbytero rebaptizãti interdicitur ſolũ aſcenſu ad ordines ſuperiores Presbyter vero rebaptizans etiã exercitio ordinum ſuſceptorum.

Ego verò arbitror miniſtrantem Presbytero rebaptizãti ſolum interdici aſcenſu ad ordines ſuperiores, Presbyterum vero rebaptizantem interdici etiam exercitio ordinum ſuſceptorum. Colligo id primò *ex d. c. 2. de Apoſtatis iuncta ibidem gloſa*, vbi dicitur Acolytus mitius puniri ob minorem ætatem. Ibi *quem minor ætas, & intentio fraternæ ſalutis excuſare videtur*, ergo ſupponit maiorem debere eſſe pænam Sacerdotis rebaptizantis, quem nec ætas, nec fraterna pietas excuſat; ſi ergo ille in pænam ſacrilegi miniſterij priuatur iure aſcendendi ad ſuperiores ordines, qui ſupponitur minus delinquere, & aliqua ratione excuſari à granitate delicti, non eſt, cur iſte, qui grauius deliquit, nec habet minorem ætatem, ratione cuius aliqua ratione excuſetur, non debeat priuari exercitio ordinum, quos iam ſuſcepit. Secundò, quia, cum in caſu d. textus *in c. 2. de Apoſtatis*, deliquerit Sacerdos rebaptizans, & Acnlytus, qui eidem rebaptizanti adminiſtrauit, & ſolum à Romano Pontifice fuerit requiſitum, quænam pæna eſſet Acolyto imponenda, & nihil de Presbytero rebaptizante fuerit dictum, colligitur iam grauiorem pænam eſſe ſtatutam contra rebaptizantem, vnde non fuit neceſſe de pæna iſti imponenda Pontificem interrogari; quæ certa pæna non poteſt eſſe, niſi abſoluta irregularitas importans etiam interdictum exercitij ordinum ſuſceptorum. Tertiò hoc colligo ex paritate textus *in c. eos quos de conſecrat. diſt. 4.*, vbi grauiores pænæ imponuntur Epiſcopis, & Presbyteris, & Diaconis, qui ſinunt ſe rebaptizari, ac imponantur cæteris inferioribus, & inter cæteras, quod debeant ab omni officio Eccleſiaſtico ceſſare; ex quo textu duo infero. Primum, quod, ſicuti grauioribus pænis puniuntur Presbyteri, & Diaconi, quorum munus eſt baptizare, ſi rebaptizentur, ac alij inferiores, ita grauioribus pænis ſint afficiendi, ſi rebaptizent. Secundum, qnod, ſi ex eo, quod paſſi ſunt rebaptizari, ceſſare debent in pænam a quocunque officio Eccleſiaſtico, eadem pæna debeant affici, ſi alios baptizant; quia non eſt minor culpa rebaptizare, ac rebaptizari. Quartò *ex can. 47. Apoſtolorum*, vbi iubetur deponi Epiſcopus, ant Presbyter, qui denuò baptizat eum, qui iam verè erat baptizatus, & licet hæc pæna depoſitionis non fuerit vſu confirmata, fuit tamen acceptata non in eo rigore, quo lata eſt, ſed in mitiori irregularitatis.

Rationes pro hoc aſſerto.

Nec obſtant, quæ ex Suarez afferebantur, quod ſcilicet in *d. c. 2. de Apoſtatis*, fiat ſolummodo mentio de pæna non aſcendendi ad ſuperiores ordines, non verò de pæna non exercendi ordines ſuſceptos; Non obſtant, inquam, quia, nec in eodem textu fit mentio de Presbytero rebaptizante, ſed tantum de Acolyto miniſtrante, & tamen Suarez comprehendit in eodem textn etiam Presbyterum rebaptizantem, & hoc non alia ratione, niſi, quia DD. ita communitèr interpretantur illum textum, ergo etiam, quamuis in eodem non fiat mentio de priuatione exercitij ordinum ſuſceptorum, ſed tantum de priuatione iuris aſcenſus ad ſuperiores, quia tamen communitèr præcipuè in ordine ad rebaptizantem intelligunt etiam de priuatione exercitij; debet textus de eadem etiam intelligi. Ad illud, quod ſubdit, quod pænæ non ſint exaſperandæ, ſed intelligendæ ſolummodo iuxta verborum ſonum, quo concipiuntur; concipiuntur autem ſolummodo quoad aſcenſum ad ſuperiores ordines, dicendum eſt, idem argumentum ſoluendum eſſe ab eodem Suarez ob inſtantias contra ipſum adductas, qnandoquidem in eodem textu, ſicuti non fit mentio de pæna priuationis exercitij, ita, nec fit mentio de Presbytero rebaptizante; ſi igitur non ſunt pænæ exaſperandæ quoad priuationem exercitij ordinum, nec videntur exaſperandæ quoad Presbyterum rebaptizantem, quem tamen ſub illis pænis Suarez comprehendit. Dicendum eſt igitur, grauiores pænas contra rebaptizantem deſumi ex grauiori illius delicto, nec illas deſumi ex textu *in d. c. 2. de Apoſtatis*, ſed ſupponi ex alijs iuribus præcipuè *ex c. eos quos de conſecrat. diſt. 4.*, *& ex can. 47. Apoſtolorum*, ſic communitèr interpretatis.

4 Soluuntur rationes Suarez volentis Presbyterum nõ priuari exercitio ordinum ſuſceptorum.

Dubitatur ſecundò. An hæc pæna irregularitatis, ſiue abſolutè ſumatur, prout importat impedimentum tnm ad ordines ſuſcipiendos, tum ad miniſtrandum in ſuſceptis, ſiue reſpectiuè prout importat ſolum impedimentum ad aſcenſum ad ſuperiores ordines, ſit latæ ſententiæ, ita vt ipſo facto poſt commiſſum delictum incurratur, an verò ſolummodò ferendæ ſententiæ, ita vt non incurratur, niſi poſt ſententiam ſaltem declaratoriam.

Prima fronte videtur aſſerendum eſſe

dumtaxat ſententiæ ferendæ, quandoquidem antecedentèr ad textum *in d. c. 2. de Apoſtatis*, non erat illa pæna impoſita, & ibi Pontifex non interrogabatur, quamnam pænam, ſeu inhabilitatem incurrerit Acolytus, qui Sacerdoti rebaptizanti miniſtrauit; ſed qua pæna eſſet mulctandus, & ibi Pontifex reſpondit, ad ſuperiores ordines non debere aſcendere, ergo per ſententiam ſuperioris illa pæna eſt afficiendus. Sed hic debemus aduertere, quod in illo textu facta fuerit præcisè interrogatio Romano Pontifici de pæna imponenda Acolyto miniſtranti Presbytero baptizanti, cum eſſet dubium, an iſte comprehenderetur ſub pænis rebaptizantium, & Pontifex quodamodo moderando ob minorem ætatem rigorem pænarum contra rebaptizantes dixit ſolummodo, arcendum eſſe, ſi ſcientèr, & culpabilitèr hoc fecerit, a ſuſceptione ordinum ſuperiorum, ſi vero ignorantèr poſſe ad illos promoueri facta tamen pænitentia. Quamobrem irregularitas propria contra rebaptizantes ex alijs iuribus deſumenda eſt, & an ſit latæ, an ferendæ ſententiæ ex tenore eorundem conijciendum.

5 Rationes ſuadentes hanc pænam irregularitatis eſſe ſolum ſententiæ ferendæ.

Reſpondeo igitur primò, irregularitatem abſolutam, quæ contrahitur a rebaptizante eſſe latæ ſententiæ, & incurri ipſo facto. Hanc reſponſionem arbitror eſſe communitèr receptam, nec ſolum ex communi regula deducitur, qua dicitur, quod pænæ, quæ conſiſtunt in priuatione, & quadam inhabilitate, ipſo facto contrahantur, cum non exigant hominis miniſterium in ipſarum executione, ſed etiam ex forma particulati, qua contra rebaptizantes hæc pæna intelligitur iniuncta, nam ſiue ſumatur *ex c. eos quos de conſecrat. diſt. 4.* paritate deſumpta à rebaptizatis, ſiue à communi interpretatione *d. c. 2. de Apoſtatis*, ſemper apparet concepta ſub terminis incurſum ipſo facto inferentibus; nam *in d. c. eos quos*, dicitur, quod debeant pænitentiæ ſubiacere, & à quocunque Eccleſiaſtico officio ceſſare, vt exponit Gloſa ibidem; quæ verba important incurſum ipſo facto; & iuxta communem ſenſum interpretantem iura, quibus indicitur talis pæna, accipitur pro pæna latæ ſententiæ. Deindè modo ſuper hoc non videtur amplius ambigendum, quandoquidem ex Catechiſmo Romano ad Parocos edito iuſſu Concilij Tridentini hæc pæna irregularitatis exprimitur impoſita ipſo facto, vt legenti ſit manifeſtum.

6 Probabilius eſt latæ ſententiæ.

Reſpondeo ſecundò. Dato etiam, vt vult *Suarez loc. cit.*, quod hæc pæna irregularitatis contra rebaptizantes deſumatur ex communi interpretatione ex d. textu *in c. 2. de Apoſtatis*, quæ licet expreſsè afficiat ſolùmodo miniſtrantem Sacerdoti rebaptizanti, implicitè tamen ſecundum eandem interpretationem extendatur etiã ad rebaptizantes; dato, inquam, hoc manifeſtè euincitur, illam irregularitatem eſſe latæ ſententiæ, quandoquidem in d. textu dicitur: *Ad ſuperiores ordines aſcendere non valebit*, quæ verba non referuntur ad ſuperioris ſententiam, ſed per ſe ſic delinquentem priuant, & inhabilem reddunt, & propterea important latam ſententiam, non ferendum.

7 Etiam, ſi hæc irregularitas ſit reſpectiua.

Dubitatur tertiò, an hæc pæna irregularitatis afficiat ſolum, quando rebaptizatio eſt publica, & notoria, an vero etiam quando eſt priuata, & occulta. Ex eo, quod dicatur in textu *in d. c. 2. de Apoſtatis. Diſcretioni tuæ his literis reſpondemus quo ad ſuperiores ordines promoueri (ſi publicum eſt, quod proponitur) non valebit*, & nonnullis interpoſitis ſubdit. *Si vero occultum eſt, promoueri poterit, & exceſſum ſuum dignis pænitentiæ fructibus expiare*; videtur ſufficientèr colligi, hanc pænam non incurri, quando delictum eſt occultum; & cum *Suarez loc. cit.* aſſerat, non alibi colligi hanc pænam irregularitatis, niſi ex *d. c. 2. de Apoſtatis*, vbi ſub pæna illata contra Acolytum miniſtrantem vult implicitè comprehendi etiam rebaptizantem, vtique, ſi quando crimen Acolyti miniſtrantis eſt occultum, pæna irregularitatis ipſum non afficit, etiam non videtur afficere rebaptizantem, quando iſtius etiã crimen eſt occultum, ne pæna afficiatur ille, qui implicitè continetur, & ad normam explicitè, & nominatim comprehenſi, quam non contrahit expreſsè comprehenſus.

8 Sentẽtia docens hanc irregularitatem nõ contrahi, ſi rebaptizatio ſit occulta.

Sotus tamen *in quarto diſt. 6. q. 8.* aſſerit ſub illa pæna comprehendi tam publicè, quam occultè miniſtrantem, & rebaptizantem, cum hoc tamen diſcrimine, quod quando crimen eſt publicum, & notorium, vt delinquens poſſit promoueri, indigeat Pontificis diſpenſatione, quando vero eſt occultum, poſſit per Epiſcopum diſpenſari. Sed, ſi benè perpendantur verba textus, apparebit hanc Soti explicationem, ſeu diſtinctionem nullum habere fundamentum, quandoquidem ibi dicitur, quod, ſi delictum ſit occultum, poſſit promoueri ſine vlla prorſus conditione diſpenſationis ab Epiſcopo obtinendę; Quod autem ius non requirit, nec nos requirere debemus.

9 Sentẽtia docens contrahi, etiam ſi ſit occulta.

Alij diſtinguentes inter miniſtrum deſeruientem rebaptizanti, & ipſum rebaptizantem, aſſerunt quoad primum, quod quando eius delictum eſt occultum, non contrahat hunc irregularitatem, contrahat vero, quando eſt notorium, & hoc

10 Sentẽtia docens miniſtrũ non contrahere, rebaptizantem vero cõtrahere.

conforme videtur textui; quoad ſecundum vero aſſerint contrahere, ſiue crimen ſit publicum, ſiue occultum, cum hoc tamen diſcrimine, quod, ſi ſit publicum, indigeat Pontificis diſpenſatione, ſi vero ſit occultum, contentum ſit diſpenſatione Epiſcopi iuxta diſpoſita per *Concilium Trident. ſeſs. 24. c. 6.* tribuens facultatem Epiſcopis diſpenſandi in quacunque irregularitate prouueniente ex delicto occulto excepto homicidio voluntario.

Ego verò ſentio quoad Acolytum miniſtrantem Presbytero rebaptizanti non

11 Acolytus non contrahit, ſi rebaptizatio eſt occulta.

contrahere irregularitatem, ſi eius delictum ſit occultum, & in hoc conſentiunt *Suarez loc. cit. verſ. tertium tamen, Panormitanus in d. c. 2. de Apoſtatis not. 2., Silueſter verb. irregularitas n. 4.*, & expreſsè deducitur *ex d. c. 2. de Apoſtatis*, ibi *promoueri poterit*, quod, cum ſit abſolutè prolatum ſine illa prorſus limitatione eſt intelligendum etiam abſolutè.

Sentio ſecundò quoad Presbyterum rebaptizantem, quantum eſt ex vi d. textus

12 Presbytèr etiam rebaptizans occultè ex vi *c. 2. de Apoſt.* non contrahit.

in c. 2. de Apoſtatis, etiam ipſum non contrahere irregularitatem, ſi delictum ipſius ſit occultum, & in hoc etiam conſentit *Suarez loc. cit.* Ratio eſt, quia, qui continetur implicitè, & interpretatiuè ſub diſpoſitione aliqua directa ad alium expreſsè ſignificatum non poteſt maiori pæna affici, ac contineat illa diſpoſitio, & afficiatur ille, ad quem expreſsè dirigitur eadem diſpoſitio, ſed diſpoſitio, quæ afficit directè Acolytum miniſtrantem, non ſubdit ipſum irregularitati, quando delictum eſt occultum, ergo multo minus debet eidem ſubdere eum, qui ſolummodo interpretatiuè ſub eadem continetur.

Sentio tertiò, attento communi DD. conſenſu ſic interpretantium textum

13 Quantũ eſt ex vi *c. eos quos de conſecrat. diſt. 4.* contrahit.

in c. eos quos de conſecrat. diſt. 4., & can. 47. Apoſtol. rebaptizantem etiam occultè contrahere irregularitatem, quia in illis textibus eadem abſolutè imponitur ſine vlla reſtrictione ad rebaptizationem publicam, & licet ibi ſit ſermo ſolummodo expreſsè de rebaptizatis, communis tamen interpretatio diſpoſitionem extendit etiam ad rebaptizantes militante eadem ratione. Hoc modò clarius reſultat ex Catechiſmo allegato ad Párocos iuſſu Concil. Trident. edito, vbi expreſsè dicitur, quod rebaptizans conſtituatur reus ſacrilegij, & fiat irregularis ſine alio addito, & cum ſub eodem ſermone ponat, & reatum ſacrilegij, & pænam irregularitatis, ſicuti ſacrilegium contrahitur etiam in rebaptizatione occulta, ita, & irregularitas videtur in eadem contrahi. Verum tamen eſt, quod, cum hoc delictum ſit occultum, poſſit Epiſcopus ſuper irregularitate ex eodem prouueniente diſpenſare ex diſpoſitione *Concil. Trident. ſeſs. 24. c. 6.*

Solet etiam hic dubitari, an hæc irregularitas contrahatur, etiam ſi rebaptizans præſtet hoc ſine animo rebaptizandi, ſub conditione, quando tamen nouit illum, quem rebaptizat, fuiſſe ante ritè baptizatum; ſed quia de hoc nos latè egimus *in qq. de Sacris Ordin. part. 1. de ord. in communi q. 3. art. 18. n. 10., & ſeqq.* ideo in huius dubij reſolutione non immoramur.

ARTICVLVS VII.

De pænis rebaptizatorum.

SVMMARIVM.

Recenſentur variæ pænæ tam iuris canonici, quam ciuilis contra rebaptizatos. 1.

Tres ſtatus rebaptizatorum numerantur, & pænæ contra eos inflictæ. 2.

Item tres perſonarum conditiones, & pænæ contra ipſas illatæ. 3.

Recenſitæ pænæ modo ſunt abolitæ, & ſolum viget irregularitas. 4.

Variæ rationes dubitandi circa hanc irregularitatem. 5.

Quamuis quis rebaptizetur in Eccleſia Catholica, aut à Catholicis non eximitur ab hac irregularitate. 6.

Explicatur textus in c. qui in qualibet ætate 1. qu. 7., *vt non obſtans noſtro aſſerto.* 7.

Rebaptizati, ſi fuerint in ætate nondum rationis compote, non contrahunt hanc irregularitatem. 8.

Non obſtat textus in d. c. in qualibet ætate, *& quarè.* 9.

Ignorantèr bis baptizatus non contrahit hanc irregularitatem. 10.

Explicatur textus in c. qui bis ignorantèr. 11.

Ignorantèr rebaptizatus, ſi poſtea cognita rebaptizatione ipſam ratam habeat non contrahit irregularitatem. 12.

NOn ſolum in iure canonico plures ſtatutæ ſunt leges pænales contra rebaptizatos, vt videre eſt *in c. quibus ignorantèr, c. eos quos de conſecrat. diſt. 4., & in c. Presbyteri diſt. 68., & in c. qui in qualibet 1. q. 7., & alibi*; ſed etiam in iure ciuili *in l. 1., & 2. C. ne Sanct. Baptiſ. iter.* Sed modo plenæque ex his pænis contraria conſuetudine videntur abolitæ, ideo in eis recenſendis non diù eſt immorandum, ſed aliquæ tantum breuitèr inſinuandæ non quia adhuc vigeant, ſed ad indicandum grauitatem delicti ex grauiſſimis pænis, quæ fuerant contra ipſum, & ſic de- 1 Referuntur variæ pænæ, tã iuris canonici, quàm ciuilis.

lin-

Digitized by Google

linquentes inflictæ.

2 Tres rebaptizatorũ ſtatus,& eorũ pænæ.

In *c. qui bis ignorantèr*, tres ſtatus rebaptizatorum diſtinguuntur, alter eorum, qui ignorantèr bis Baptiſmum receperunt; alter eorum, qui pro vitio aliquo; alter eorum, qui pro munditia id præſtiterunt; Aduerſus primum ſtatum, quamuis nulla ſpecialis pæna ſtatuatur, cum nulla præceſſerit culpa, dicitur tamen, quod ſecundum canones non poſſint exiſtentes in illo ſtatu ad ordines promoueri. Aduerſus ſecundum ſtatum iniungitur pænitentia per ſeptem annos quarta, & ſexta feria, & tribus quadrageſimis in ſingulis annis ieiunandi. Aduerſus tertium eadem pæna iniungitur, ſed reſtricta ad tres annos.

3 Tres perſonarum conditiones,&pęnæ contra ipſas.

In *c. eos quos*, etiam tres perſonarum conditiones recenſentur. Prima Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum. Secunda inferiorum Clericorum, Monachorum, Monialium, & etiam Laicorum, qui ſint adulti. Tertia puerorum, ſiue ſint Clerici, ſiue Monaci, ſiue Laici. Contra primos, ſi ſpontaneè, vel coacti conditionalitèr permiſerint ſe rebaptizari iniuncta eſt pænitentia pro toto eorum vitæ tempore, & ab omni Eccleſiaſtico officio ceſſatio, eiſdemque ſolum permittitur communio in morte. Contra ſecondos duodecim annorum pænitentia eſt iniuncta diuerſimodè tamen pro diuerſis annis iuxta tenorem, quem Nicæna Sinodus inter eos, qui lapſi ſunt, vel fuerint ſeruandum eſſe conſtituit. Contra tertios dicitur ſolummodo, quod aliquandiu ſub manus impoſitione detineantur, & poſtea eiſdem conferatur communio.

4 Recenſitæ pænæ ſunt abolitæ, & ſolum viget irregularitas.

In *c. qui in qualibet ætate* 1. *q.* 7. expreſsè imponitur pæna irregularitatis. Ibi- *Ad Eccleſiaſticam militiam prorſus non permittantur accedere, quibus ſatis debet eſſe, quod in Catholicorum numerum ſint recepti*. Hæc pæna videtur adhuc vigere, nam aliæ recenſitæ videntur non eſſe amplius in vſu, & ideo circa hanc ſolummodo in præſenti immorabimur, quæ etiam videtur ſupponi *in c. qui bis ignorantèr*, vbi, cum excludantur a ſuſceptione ordinum, qui ignorantèr bis Baptiſmum receperunt, à fortiori excluſi cenſendi ſunt, qui ſcientèr bis baptizati ſunt.

5 Variç rationes dubitandi circa hanc irregularitatem.

Circa hanc irregularitatem nonnullæ hic inſurgunt rationes dubitandi dependentèr ab his iuribus allegatis. Prima oritur ex *d. c. qui in qualibet ætate* 1. *q.* 7., vbi, cum dicatur, *qui alibi, quam in Eccleſia Catholica, aut baptizati, aut rebaptizati ſunt*, videtur excludere ab hac pæna eos, qui in Eccleſia Catholica, vel baptizati, vel rebaptizati ſunt. Secunda deſumitur ex *eod. c. qui in qualibet*, vbi, cum nullam ætatem excludat, videtur comprehendere etiam paruulos rebaptizatos ſub eadem pæna, quod durum nimis videtur. Tertia oritur ex *d. c. qui bis ignorantèr de conſecrat. diſt.* 4., vbi, cum dicatur ignorantèr rebaptizatos arcendos eſſe à ſuſceptione ordinum, non videtur hoc poſſe compati, cum ſine culpa; quæ ſupponitur eſſe in ignorante, non poſſit vrgere tam grauis pæna.

6 Rebaptizatus etiã in Eccleſia Catholica fit irregularis.

Concluſio I. Quamuis quis rebaptizetur in Eccleſia Catholica, aut à Catholicis, non eximitur ab illa pæna irregularitatis. *Suarez tom. 3. in tertiam part. D. Thomæ diſp. 31. ſect. 6. verſ. circa rebaptizatum*, & in hoc communitèr conſentiunt ſcribentes, qui intelligunt illum textum in omni generalitate.

7 Explicatur textus in c. qui in qualibet ætate 1. q. 7.

Ratio ex eo deducitur, quod, quamuis ibi dicatur, *alibi, quam in Eccleſia Catholica, aut baptizati, aut rebaptizati ſunt*, illa tamen verba ſint intelligenda ſeruato debito ordine, ſingula ſingulis referendo; duo etenim intendit Pontifex Felix III. in illo capitulo damnare ſub pæna irregularitatis; alterum, ne quis ſuſcipiat Baptiſmum ab Hæreticis; alterum, ne quis rebaptizetur; & ſic ly *baptizati*, refertur ad ly *alibi*, per quod imponitur pæna irregularitatis baptizato ab Hæreticis; ly autem *rebaptizati*, non poteſt reſtrictiuè ſolummodo referri ad ly *alibi*; cæteroqui eadem pæna pro duplici delicto, vtroque certè deformi imponeretur, ac pro ſimplici; nam, ſi Pontifex referret hanc pænam æquè ad Baptizatum ab Hæreticis, & rebaptizatum ab eiſdem priuatiuè quoad Catholicos, pro ſimplici delicto receptionis Baptiſmi ab Hæreticis imponeret irregularitatem, & eandem pro rebaptizatione ab eiſdem, in qua duplex graue delictum conſiſtit, nempè iterationis Baptiſmi quocunque iure vetitæ, & receptionis ab Eccleſiæ hoſtibus, in qua conſiſtit maxima irreuerentia Sacramenti; vnde præſumendum eſt, quod Pontifex ibi ęqualem pęnam ſtatuerit contra recipientes Baptiſmum ab Hæreticis, ac contra rebaptizatos quomodocunque ſint rebaptizati etiam à Catholicis, & in Eccleſia Catholica. Dici etiam poteſt cum *Suarez loc. cit.*, quod ille, qui rebaptizatur in ea actione ita ſe habeat, ac ſi rebaptizaretur extra Eccleſiam. Tandem vbi etiam circa hoc verſaretur ex vi d. textus *in c. qui in qualibet ætate*, aliquod dubium circa intelligentiam, an depoſitio eiuſdem extendatur etiam ad rebaptizationem factam in Eccleſia Catholica, dubium tamen tollitur à *Concil. Cartaginenſi V. c.* 11., & habetur *in c. confirmandum diſt.* 50. Ibi- *Neque vnquam permittendum, vt rebaptizati ad Clericatus gradum promoueantur*. Idem clarius ſecundum expoſitionem à nobis præhabitam habetur *in c. qui in ali-*

Aliæ explicationes eiuſdem textus.

auo

quo diſt. 51., vbi, cum ageretur de qualitatibus, & conditionibus requiſitis in eo, qui debet ad Epiſcopatum promoueri, dicitur, quod non ſunt promouendi, *qui in hæreſi baptizandi ſunt, aut rebaptizati eſſe noſcuntur*, vbi nota, quod diſtinctè ponit baptizationem in hæreſi, & ſub diſiunctione rebaptizationem ſimplicitèr ſine aliquo addito, quod ſufficientèr indicat, rebaptizationem ſecundum ſe importare pænam irregularitatis.

8 Pueri ante vſum rationis rebaptizati non fiunt irregulares

Concluſio II. Rebaptizati, ſi fuerint in ætate nondum rationis capace, non contrahunt hanc irregularitatem *Scotus in quarto diſt. 6. qu. 8., Nauarrus in manuali c. 27. n. 246., Coaruuias in Clem. ſi furioſus in princip. n. 8., Silueſter verb. irregularitas q. 4., Turrecremata in c. qui bis ignorantèr de conſecr. d. 4., & alij communitèr.*

Hæc concluſio ex eo euincitur, quod hæc pæna irregularitatis inducta eſt ob culpam grauem, quæ ſupponitur in illa rebaptizatione, ſed in puero ante vſum rationis non poteſt concipi aliqua culpa, cum ſine voluntario non poſſit eſſe, & voluntarium in puero carente vſu rationis non ſit, nec eſſe poſſit, ergo &c. Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur, illam pænam non imponi ob culpam præciſè, ſed ex diſpoſitione Eccleſiæ propter illam deformitatem, quam in ſe præfert illa rebaptizatio; vnde textus in *d. c. qui in qualibet ætate*, afficit etiã infantes, cum nullam ętatem excludat; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia denegari non poteſt, quin illa irregularitas ſit pæna, quæ propterea exigit culpam; &, ſi valet à conſimili argumentari, vt in hoc genere valet, cum iura pariformitèr procedant in baptizatis ab Hæreticis, & rebaptizatis, ſicuti infantes, qui baptizantur ab Hæreticis non fiunt irregulares, vt habetur *in c. placuit q. 4., & c. qui apud de conſecr. diſt.* 4. ità infantes, qui rebaptizantur, non euadunt irregulares. Nec obſtat textus *in d. c. qui in qualibet ætate*, nam ille intelligendus de qualibet ætate poſt acquiſitum vſum rationis, nam requiritur, vt ſit capax culpæ, & propriæ voluntatis.

9 Non obſtat textus in *d. c. qui in qualibet ætate*, & quarè.

10 Ignorantèr bis baptizatus non contrahit irregularitatem.

Concluſio III. Ignorantèr bis baptizatus non contrahit irregularitatem. In hac conſentiunt omnes, qui fuerunt allegati pro præcedenti concluſione, quidquid ex aduerſo dixerint aliqui Canoniſtæ relati à *Coaruuia in Clem. ſi furioſus in principio num. 8.*, & vlterius *Riccardus in quarto diſt. 6. art. 4. q. 2., Paludanus item in quarto diſt. 6. q. 4. art. 1., D. Antoninus tertia part. tit. 14. c. 13. §. 12.* innixi fundamento textus *in c. qui bis ignorantèr de conſecr. diſt.* 4.

Ratio adducta pro præcedenti concluſione videtur, hanc ipſam efficacitèr euincere; non enim poteſt eſſe grauis illa pæna ſine aliqua culpa. Tota difficultas conſiſtit ſolummodo *in d. c. qui bis ignorantèr*, vbi illa pæna impedimenti ad ſuſcipiendos ordines expreſsè imponitur etiam contra ignorantes. Ad hunc textum varij varias applicant explicationes. Aliqui apud *gloſ. in d. c. qui bis ignorantèr in verb. ordinari*, aſſerunt, illum textum intelligi de ignorantia iuris, quæ non excuſat; ſed hæc explicatio non videtur cohærere cum alia parte eiuſdem textus, vbi dicitur, quod non indigeat ignorantèr rebaptizatus pro eo pænitere; ſi etenim eſſet ignorantia iuris, quæ non excuſat à pæna, nec excuſaret à culpa, pro qua deberet pænitere. Alij apud eandem Gloſam ibidem aſſeruerunt, hanc pænam fuiſſe in odium rebaptizantium olim, quæ hodie ceſſat, cum ignorantia facti omnino excuſet; atque hac explicatione vtitur etiam *Gloſa in c. confirmandum in verb. rebaptizati diſt. 50., Suarez tom. 3. in tertiam part. D. Thomæ diſp. 31. ſect. 6. verſ. ſolet autem*, dicit illum textum *in d. c. qui bis ignorantèr*, per ſe nullam habere auctoritatem, cum non ſit alicuius Pontificis, aut Concilij. Sed hæc explicatio videtur ex eo elidi, quod in d. textu dicitur ſecundum canones ignorantèr rebaptizatum non poſſe ordinari; licet enim ille textus quoad hanc diſpoſitionem non habeat vim ſecundum ſe, videtur tamen efficaciam ſortiri à canonibus, de quibus ibi mentionem facit. Ego in hoc exiſtimo, textum illum, & canones quorum meminit, vtpotè nimium rigorem præſeferentes eſſe contraria conſuetudine abolitos. Fortaſſis tunc quando canones illi, & textus fuerunt conditi, nimium ſerpebat illa prauitas rebaptizationis, quæ varijs prætextibus agebatur, & ideo ad euellendam illius radicem, & vt intercluderetur omnis aditus ad illam, lex illa, ſeu canones fuerunt promulgati, qui poſtea ceſſante illa prauitate per contrariam conſuetudinem ceſſarunt.

11 Explicatur textus in *c. qui bis ignorantèr*.

Explicatio auctoris.

Sed hic oritur difficultas, an dato, quod irregularitas illa non afficiat ignorantèr rebaptizatos, afficiat tamen poſtea illos, ſi poſtquam cognouerint rebaptizationem in ſe ipſis factam, illam ratam habeant, & approbent. Videntur affirmandum, quia illa approbatio de actione ſecundum ſe peccaminoſa non poteſt eſſe, niſi peccaminoſa, &, cum quodamodo habeat vim mandati, retrotrahitur ad tempus, quo poſita eſt illa actio. Nihilominus abſolutè ſentiendum eſt, non contrahere, prout tradidimus *in qq. de ſacris ord. part. 1. de ordin. in communi q. 3. art. 18. n. 16.*, & conſentit nobiſcum *Bonacina de irregul. diſp. 7. q. 3. punct. 3. num. 2.* Rationes pro hoc

12 Ratam habens rebaptizationẽ ignorantèr receptam non fit irregularis.

Google

hoc aſſerto, ſicuti reſponſiones ad obiecta recole ex ijs, quæ ibi dicta ſunt.

ARTICVLVS VIII.

An hanc irregularitatem contrahant etiam patrini concurrentes ad rebaptizationem.

SVMMARIVM.

Sententia docens, hanc irregularitatem non extendi ad patrinos. 1.
Sententia docens extendi. 2.
Verè extenditur remiſſiuè. 3.
Plura præſtant patrini, quam Acolytus miniſtrans. 4.
Patrini contrahunt cognationem, quam non contrahit Acolytus. 5.
Soluuntur rationes contrariæ ſententiæ. 6.

PEndet potiſſimum reſolutio huius difficultatis ex eo, quod habetur in textu *c. 2. de Apoſtatis*, nempè Acolytum, qui miniſtrauit Presbytero rebaptizanti, contrahere impedimentum ad ordines ſuperiores ſuſcipiendos, circa quem textum dubitatur, an illius diſpoſitio reſtringatur præcisè ad Clericum miniſtrantem Sacerdoti, an vero extendatur etiam ad patrinos, & parentes rebaptizandi, ſeu rebaptizati, ſi iſti concurrerint ad rebaptizationem.

1 Sentẽtia docens hanc irregularitatem nõ extendi ad patrinos.

Bonacina *de irregularitate diſp. 7. q. 3. punct. 3. n. 1.*, aſſerit, hanc pænam non eſſe extendendam vltra eos, qui inſeruiunt reiterationi ex officio, & propterea nec ad parentes, nec ad patrinos, eo quia textus ille, cum ſit pœnalis, non eſt ampliandus, ſed coercendus intra terminos, ſecundum quos loquitur; loquitur autem ſolum de Acolyto ſolemniter miniſtrante.

2 Sentẽtia docens extendi.

Ex aduerſo *Vgolinus de irregularitate c. 35. §. 3.*, *Coninchus c. 18. dub. 5.*, *& alij*, ſuſtinent, diſpoſitionem illius textus extendi in fortioribus terminis ad parentes, & patrinos.

3 Verè extenditur remiſſiuè.

Non din immorandum in reſolutione difficultatis ſub hoc titulo comprehenſæ, cum de ea egerimus *in qq. de ſacris ordin. part. 1. de ordin. in communi q. 3. art. 18. n. 24.* Quamobrem retentis ijs, quæ ibi dicta ſunt de extenſione præfati textus etiam quoad parentes rebaptizati, & quoad patrinos, placet nonnulla ex actitatis hic innuere in commodum, & gratiam eorum, quibus fortè præſto eſſe non poteſt Codex de ſacris ordinibus.

Ratio igitur talis extenſionis eſt primò, quia plura præſtant & quidem ex officio, ad quod aſſumpti ſunt patrini, quam Clericus miniſtrans Presbytero rebaptizanti; ſi quidem illi reſpondent, & promittunt pro baptizando, ſi ille ſit infans, illum tenent, & leuant de ſacro fonte, aliaque præſtant, quæ immediatiora ſunt ipſi ſubſtantiæ Baptiſmi, vbi Clericus miniſtrans Sacerdoti baptizanti ad ſummum reſpondet orationibus, quæ à baptizante recitantur, aliaque extrinſeca, & accidentalia miniſteria præſtat, quæ poſſunt præſtari à quocunque alio, ergo, ſi Clericus ex illo extrinſeco, & accidentali miniſterio contrahit irregularitatem, à fortiori patrini, qui præſtant miniſteria magis propria, & accomoda eidem Baptiſmo, debent illam contrahere.

4 Plura præſtant patrini, quam Acolytus miniſtrãs

Secundò, quia patrini æquè contrahunt cognationem ſpiritualem cum baptizato, ac parentibus eiuſdem, ſicuti contrahit ipſe baptizans, non tamen contrahit illam Clericus, qui deſeruit Presbytero baptizanti, nec cum baptizato, nec cum parentibus eius, ergo, ſi hic contrahit impedimentum ad ordines ſuſcipiendos, à fortiori debent illi contrahere.

5 Patrini contrahunt cognationẽ, quam non contrahit Acolytus

Nec obſtant ea, quæ ex Bonacina afferebantur; ſiquidem in primis ad ſolemnitatem Baptiſmi requiritur patrinus potius, quam Clericus miniſtrans baptizanti; vnde, ſi ipſe Bonacina dicit, quod hæc pæna non ſit extendenda vltra eos, qui inſeruiunt ex officio, ſi extenderetur, prout de facto extenditur ad patrinos, non extenderetur vltra eos, qui inſeruiunt ex officio; cum iſti ex proprio officio interueniant, & inſeruiant. Ad illud, quod ſubdit, quod pænalia non ſint extendenda vltra expreſſa, & vltra verborum formam, qua concipiuntur, &, cum ibi fiat ſolum expreſſio de Acolyto miniſtrante, non de patrinis, & parentibus, nec ad iſtos facienda ſit extenſio; reſpondendum eſt, quod, quando in iure prohibente exprimitur ratio prohibitionis, & pænæ per ipſum illatæ comprehendantur ſub eodem omnes, qui ſub tali ratione continentur; cum igitur in *d. c. 2. de Apoſtati*, exprimatur ratio prohibitionis, nempè iniuria, quæ in tali reiteratione fit Sacramento, quæ iniuria magis irrogatur per ipſos patrinos, quam per Acolytum deſeruientem, vtique ſub eadem prohibitione, & pæna intelligendi ſunt comprehenſi.

6 Soluuntur rationes contrariæ ſẽtentiæ.

AR-

ARTICVLVS IX.

An, ſi Baptiſmus ſolemnitèr collatus fuerit inualidus ex defectu ſubſtantiali, ſolemnitates in reiteratione eiuſdem ſint reiterandæ.

SVMMARIVM.

Sententia docens ſolemnitates eſſe reiterandas. 1.
Probabilius non ſunt reiterandæ. 2.
Rationes pro aſſerto, & ſolutiones contrariorum. 3.

1 Sententia docens ſolemnitates eſſe reiterandas.

AFfirmant in hac hypotheſi iterandas eſſe cum iteratione Baptiſmi huiuſmodi ſolemnitates *D. Antoninus tertia part. tit. 13. c. 14. §. 22.*, *Henriquez lib. 2. c. 15. n. 4.*, *Ledeſma 1. part. 4. q. 7. art. 9. dub. 5.*, *Bartholomæus ab Angelo de Sacram. Dialogo 2. §. 69.*, *& alij*, qui ea ratione mouentur, quod non ſubſiſtente ſubſtantia, nec poſſunt ſubſiſtere accidentalia, & acceſſoria, quæ in ipſa fundantur, ſicque non ſubſiſtente Baptiſmo, nec poſſint ſubſiſtere cæremonialia circa ipſum exercita. Sed quamuis hæc opinio ſua probabilitate non careat, & fortaſſis alicubi ſit ità vſu recepta.

2 Probabilius non ſunt reiterandæ.

Nihilominus contraria negatiua probabilior videtur, & amplectenda, quam amplectuntur *Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 31. ſect. 6. verſ. ſed quid, ſi tanta eſt propè fin.*, *Bonacina de Baptiſmo diſp. 2. q. 2. punct. 7. n. 22.* Deducitur ex regula generali in adminiſtratione omnium Sacramentorum, in qua, ſi contingat aliquis defectus ſubſtantialis ſolum ſuppletur id, in quo contingit talis defectus; ſic in quæſtionibus de Euchariſtia docuimus, quod, ſi vel ex parte materiæ, vel formæ contigerit inualiditas, non omnes partes ſacrificij accidentales ſint repetendæ, ſed illa pars ſubſtantialis, in qua defectus contigit.

3 Rationes pro aſſerto, & ſolutiones oppoſitorum.

Adde, quod illæ omnes ſolemnitates fuerunt in ſuo ordine completæ, nec exigant ex neceſſitate eſſe ſimul etiam ſimultate morali cum ſubſtantia eiuſdem Baptiſmi; cum experientia conſtet, conferri ſubſtantiam Baptiſmi, & quandoque non niſi poſt multum temporis ſolemnitates, & cæremonias, quæ proptèr ipſum ſunt inſtitutæ, & ſi illæ poſſunt ſubſequi ipſum Baptiſmum, cur etiam non poterunt præcedere? Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod, quando ſolemnitates; & cæremoniæ ſubſequuntur Baptiſmum, referantur ad ipſum Baptiſmum, in quo poſſunt fundari, cum validus ſit; quando verò præcedunt Baptiſmum in præcedenti Baptiſmo inualido, cum tunc non inueniant ſubſtantiam, in qua fundentur, nec referuntur ad futurum, cum tunc nulla fuerit de eodem cogitatio, non videntur poſſe ſubſiſtere, & propterea ſint repetendæ. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia in primis, ſi hæc ſubſiſterent in Baptiſmo, ſubſiſterent etiam, & deberent habere locum in confectione Sacramenti Euchariſtiæ, quæ, ſi inualida eſſet ex defectu ſubſtantiali, ſiue circa materiam, ſiue circa formam, exigeret etiam repetitionem rituum, & cæremoniarum præcedentium, quod tamen falſum eſt, nec Eccleſia exigit ſupplementum, niſi in eo, in quo fuit defectus; hoc idem contingeret in Sacramento Matrimonij, quod, ſi ex defectu ſubſtantiali eſſet inualidum, & eodem remoto reiteraretur, non exigeret reiterationem benedictionum, vt fatetur *Henriquez lib. 3. c. 2. de Confirmatione num. 1. lit. N.*, vbi loquitur non ſolum de ſolemnitate in Matrimonio, & in Confirmatione, ſed etiam in Baptiſmo, qui tamen in hoc ſibi contrarius eſt, dum *lib. 2. c. 15. num.* 4. docuit in Baptiſmo inualido eſſe repetendas. Deindè ſiue præcedant, ſiue ſubſequantur, potiſſimum, ſi conſiſtant in vnctionibus, & linitione ſaliuæ, & huiuſmodi, recipiuntur in anima tanquam in ſubiecto proprio, in quo poſſunt permanere, & poſtea coniungi cum Baptiſmo valido, quando hic conferretur. Monet tamen hic *Bonacina loc. cit.*, quod, ſi alicubi eſſet in vſu, vt, quando Baptiſmus inualidus reiteraretur, etiam reiterarentur cæremoniæ, & ſolemnitates, poſſit quidem talis vſus ſeruari ſine aliqua ſyndereſi.

ARTICVLVS X.

An, ſi reiterarentur cæremoniæ ſine reiteratione ſubſtantiæ Baptiſmatis, tam reiterans, quam ille, in quem reiterarentur, & Patrini concurrentes contraherent irregularitatem.

SVMMARIVM.

Sententia Suarez, aſſerentis neminem ex concurrentibus ad reiterationem ſolemnitatum præcisè contrahere irregularitatem. 1.
Rationes contrarium ſuadentes. 2.
Suſtinetur ſententia Suarez. 3.
Soluuntur rationes contrariæ ſententiæ. 4.
Regularitèr poteſtas abſoluendi ab hac irregularitate, quando contracta eſt, pertinet

Digitized by Google

ad Romanum Pontificem, 5.
Excipe, quando delictum eſt occultum. 6.
Item, quando qui eam contraxit, ſe recipit in Religionem. 7.
In caſu ingreſſus in Religionem non tollitur ipſo facto, ſed diſpenſatione. 8.
Diſpenſatio poni poteſt à Prælato Religionis. 9.

1 Sententia aſſerens nullum ex his fieri irregularem.

MOuent hanc difficultatem *Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 31. ſect. 6. verſ. ſeptimo inquiri poteſt*, vbi pluribus conſideratis concludit tandem præfatos omnes in titulo non contrahere irregularitatem.

2 Rationes contrariū ſuadentes

Sed aduerſus hanc Suarez opinionem videntur plura militare; & primò textus *in d. c. 2. de Apoſtatis, & Concilium Lateranenſe p. 26. c. 1.* in quo vtroque imponitur irregularitas contra Acolytum, qui miniſtrauit Presbytero rebaptizanti, qui certè Acolytus non concurrit ad ſubſtantialia Baptiſmi, ſed ſolummodo ad cæremonias extrinſecas, & ritus accidentales, ergo, ſi hic per ſolam cooperationem ad reiterationem cæremoniarum contrahit hanc irregularitatem, & reiterans, & ille in quem reiteratur, eandem debet a fortiori contrahere.

Secundò, quia, vt docuimus *in qq. de ſacris ordinib. de ordin. in communi part. 1. quæſt. 3. art. 18. à num. 10. vſque ad num. 15.* Si quis rebaptizet ſcienter eum, quem ſcit validè eſſe baptizatum, quamuis hoc præſtet ſub conditione, nihilominus contrahit irregularitatem, quantumuis tunc ſolummodo iteret ſolemnitates, cum nouerit priorem Baptiſmum eſſe validum; & ſic ſecundus Baptiſmus perindè eſt, ac ſi non eſſet Baptiſmus, ſed ſolum materialis ablutio, ergo iteratio præcisè cæremoniarum, & ſolemnitatum inducit illam irregularitatem.

3 Probabilius nemo cōtrahit.

Siſtendum tamen eſt in ſententia Suarez aſſerentis in reiteratione præcisè cæremoniarum ſine reiteratione ſubſtantiæ Baptiſmi non contrahi irregularitatem. Ratio eſt, quia pœnæ irrogatæ contra principale delictum non intelliguntur illatæ contra acceſſoria, quando iſta ſeparantur ab illo, quia non ſunt extendendæ, & illatæ contra actum non ſunt ampliandæ ad præparatoria ad actum.

Rationes hoc euincentes.

Hinc infert primò idem *Suarez loc. cit.*, quod, ſi quis puerum ritè baptizatum ex metu mortis ſibi illatæ, niſi ipſum rebaptizaret, reiteraret omnes ſolemnitates, & fingeret etiam conferre ſubſtantiam Baptiſmi, quam tamen non conferret, non contraheret illam irregularitatem, quia iteraret ſolum ſolemnitates, non ſubſtantiam Baptiſmi. Secundò, quod in caſu, quo collatus eſſet validè Baptiſmus ſolemnis, & ex incuria Baptizantis aliquæ ſolemnitates fuiſſent omiſſæ, quas poſtea ſuppleret, eandem irregularitatem non contraheret, quia non iteraretur ſubſtantia Baptiſmi.

Nec obſtant, quæ ex aduerſo afferebantur; non primum deſumptum *ex c. 2. de Apoſtatis, & ex Concilio Lateranenſi*, quia ille Acolytus non ſolum cooperatus eſt Presbytero rebaptizanti quoad accidentalia, & cæremonialia, ſed etiam ad rebaptizationem quoad ſubſtantiam, non quia ipſe aliquid operatus ſit circa ſubſtantiam, ſed quia ipſe quodammodo opem contulit quoad eandem ſubſtantiam coadiuuando rebaptizantem, vnde in dicto Concil. Lateranenſi dicitur: *Adſtitit autem huic ſacrilegio adoleſcens Acolytus, & miniſterium exhibuit reſpondendo Presbytero baptizanti, & cooperator extitit rei nefandæ*; res autem nefanda eſt rebaptizatio ſecundum ſubſtantiam; nam licet non concurrat aliquid miniſtrando quoad ſubſtantiam, quia tamen miniſtrat illi actioni morali ad totam illam cooperari cenſetur; Hoc autem non ita ſe habet, quando concurrit ſimpliciter ad cæremonias, & ſolemnitates, quia tunc non concurrit cooperando ſubſtantiæ. 4 Soluuntur rationes contrariæ ſententiæ.

Non ſecundum, quia in eo caſu quo rebaptizet quis, quem certo ſcit eſſe baptizatum, licet hoc præſtet ſub conditione certo tamen iterat in effectu ipſam ſubſtantiam Baptiſmi, nec illa conditio, cum ſit fruſtratoriè appoſita, vtpotè, quod ſciatur certò eſſe baptizatum, qui rebaptizatur ſub illa conditione, non poteſt aliquod operari, ac proindè habetur, ac ſi non eſſet appoſita, & propterea eo modo ſe habet, ac ſi illa rebaptizatio eſſet abſolutè appoſita, quæ proindè cauſat illam irregularitatem.

Hic latè eſſet agendum de poteſtate diſpenſandi ſuper tali irregularitate, quando verè contracta eſſet. Sed ab hoc breuiter me eximo aſſerens regulariter hanc poteſtatem eſſe reſeruatam Romano Pontifici, prout inter cæteros notat *Tabiena in verb. Diſpenſatio num. 13. verſ. decimo quarto*, & ratio eſt, quia in iis, quæ iuris communis ſunt ſolus Pontifex diſpenſat. Dixi, *regulariter*, propter duos caſus ſpecialiter exceptos. Primus eſt, quando delictum, ex quo orta eſt illa irregularitas eſt occultum, nam *ex Concil. Trident. ſeſſ. 24. c. 6.* datur facultas diſpenſandi in omni irregularitate prouenientc ex delicto occulto excepto homicidio voluntario. Secundus eſt, quando quis contracta huiuſmodi irregularitate 5 Regulariter poteſtas diſpenſandi ſuper hanc irregularitatem, quando cōtracta eſt, pertinet ad Pontificem. 6 Excipe, quando delictum eſt occultum.

ſe

Digitized by Google

7 Itẽ quando, qui eã cõtraxit, ſe recipit in Religionem.

ſe reciperet in Religionem, vt habetur *in c. 2. de Apoſtatis*. Ibi- *Niſi ad Religionem tranſire voluerit, vt fauore Religionis ipſius circa eum valeat diſpenſari.*

Sed circa hunc ſecundum caſum oritur hic difficultas, an per ingreſſum in Religionem, & profeſſionem in eadem intelligatur ipſo facto ſublata illa irregularitas, an vero requiratur diſpenſatio, & à quo hæc haberi poſſit, ſuppoſito, quod ſit neceſſaria;

8 Ingreſſus in Religionem indiget diſpenſatione.

Neceſſariam eſſe diſpenſationem, nec ipſo facto auferri illam irregularitatem colligitur ex manifeſtis verbis illius textus *fauore Religionis circa ipſum valeat diſpenſari*; ſi etenim indiget diſpenſari, per præciſum ingreſſum non tollitur. Sed à quo poſſit diſpenſari, in illo textu non exprimitur:

9 Quæ poni poteſt per Prælatum Religionis.

Dicendum tamen eſt, poſſe à Prælato Religionis diſpenſari; nam, ſi indigeret diſpenſatione Pontificis, aliquis Religionis fauor non reſultaret, potiſſimum, cum regularitèr ex Priuilegio in irregularitatibus ſpecialitèr non exceptis Prælati Religionum erga ſuos ſubditos diſpenſent. Atque hæc de Sacramento Baptiſmi dixiſſe ſufficiat. Vtinam, ſicuti per ipſum incorporati ſumus Chriſto in morte, ità intelligamur incorporati, vt cum eodem reſurgamus ad gloriam.

Digitized by Google

PARS III.

IN VNIVERSAS

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS

QVÆSTIONES.

NAtura, quæ eſt rerum omnium parens fæcunda, ita in ſuo ordine procedit, vt viuentibus prius eſſe, poſtea augmentum conferat. Gratia, quæ imitatur naturam, eundem ſeruans ordinem in vita ſpirituali, prius per Baptiſmum regenerationem tribuit, poſtea per confirmationem augmentum: vnde Melchiades Papa in Epiſtola ad Hiſpaniarum Epiſcopos de vtroque hoc Sacramento differens hæc habet, *Spiritus Sanctus, qui ſuper aquas Baptiſmi ſalutifero deſcendit lapſu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præſtat ad gratiam, in Baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt Baptiſmum confirmamur ad pugnam, in Baptiſmo abluimur, poſt Baptiſmum roboramur.* Sequentes nos in doctrina naturæ ordinem, & gratiæ poſt latum ſermonem de regeneratione ſpirituali per Baptiſmum, quæſtiones inſtituimus de augmento ſpirituali per Confirmationem, vt quemadmodum iſtud ad illam in eſſe, ita iſtius ad illius doctrinam conſequatur. Attentos vos volo in ſermone huius Sacramenti, vt à quo robur accipimus per gratiam, cognitionis quoque augmentum per doctrinam nanciſcamur.

QVÆSTIO I.

De Inſtitutione, eſſentia, & neceſſitate huius Sacramenti.

IN hac quæſtione nobis erit præcipuè colluctatio cum Hæreticis, qui vel abſolutè negarunt hoc Sacramentum, cuius erroris auctores fuerunt Græci, vt *Guido Carmelita* teſtatur *lib. de hæreſib.*, licet alij tribuant Nouato, de quo ſcribit *Theodoretus lib. 3. hæret. fab. c. penult.* quem, ſeu quos poſtea ſecuti ſunt Vualdenſes, vt refert *Eneas Siluius de origine Boemorum c. 35.*, & Flagellantes, vt notat *Sanderus lib. 7. de viſib. monarch. Eccleſiæ hæreſ. 165.*, & alij plurimi, de quibus ſcribit *Bellarminus lib. de Confirm.*; vel non fuiſſe inſtitutum à Chriſto Domino, ſed à Melchiade Papa, licet hóc etiam aſſeruerint aliqui Catholici, qui dixerunt, neque à Chriſto Domino, neque ab Apoſtolis fuiſſe inſtitutum, ſed à Concilio Meldenſi ex ſpeciali inſtinctu Spiritus Sancti. Aduerſus hos omnes veritatem Catholicam in hac quæſtione propugnabimus, & ab Hæreticorum erroribus vindicabimus.

ARTICVLVS I.

De inſtitutione Confirmationis.

SVMMARIVM.

Variæ ſententiæ circa auctorem huius Sacramenti. 1.
Euincitur, quod fuerit inſtitutum à Chriſto Domino. 2.
Excluditur opinio ſtatuens fuiſſe inſtitutum à Melchiade Papa, vel à Concilio Meldenſi. 3.
Colligitur inſtitutio huius Sacramenti facta à Chriſto Domino ex promiſſione facta Apoſtolis mittendi Spiritum Sanctum. 4.
Inſtituit non exhibendo, ſed promittendo, & quarè. 5.
Docuit materiam huius Sacramenti in vltima cæna. 6.
Inſtituit, antequam Cælum aſcenderet. 7.
Reijcitur ſententia docens tunc inſtitutum fuiſſe, quando Matthæi 19. oblati fuerunt Chriſto Ieſu pueri, vt eis manus imponeret. 8.
Reijcitur item ſententia docens tunc inſtitutum fuiſſe, quando Ioannis 20. inſufflauit in diſcipulos dicens, Accipite Spiritum Sanctum. 9.
Non fuit inſtitutum in die Pentecoſtes. 10.
Probabilius fuit inſtitutum in vltima cæna. 11.
Vſus tamen eiuſdem fuit reſeruatus poſt aduentum Spiritus Sancti. 12.

EXiſtentia huius Sacramenti ab inſtitutione eiuſdem dignoſcetur. Quamobrem meta præſentis tituli erit inquirere originem, auctorem, tempus, & finem eiuſdem, ex quorum cognitione eluceſcet exiſtentia, & veritas.

Incipiendo ab auctore non defuerunt, qui agnoſcerent Melchiadem Papam, vt mox innuebam; item alij, qui tribuerent Concil. Meldenſi; item alij, qui adſcriberent Apoſtolis, vt notat *D. Thomas q. 72. in tertia part. art. 1. ad primum*. Ipſe verò D. Thomas ibidem cognoſcit auctorem huius Sacramenti Chriſtum Dominum non exhibendo, ſed promittendo, iuxta illud Ioannis 16. *Si non abiero Paraclitus non veniet ad vos, ſi autem abiero, mittam eum ad vos.*

1 Variæ ſententiæ circa auctorem huius Sacramenti

Sed in primis non ſunt audiendi quotquot auctorem alium confirmationis à Chriſto Domino agnoſcunt, quandoquidem de fide eſt, omnia ſeptem Sacramenta nouæ legis ab eodem Chriſto Domino immediatè fuiſſe inſtituta, vt conſtat ex definitione *Concil. Trid. ſeſs. 7. can. 1.* Ibi- *Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non fuiſſe omnia à Chriſto Ieſu Domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura, vel pauciora, quam ſeptem, videlicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pænitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod eorum ſeptem non eſſe verè, & propriè Sacramentum, anathema ſit.* Eadem veritas fuit antecedentèr ad Concil. Trident. definita in *Concil. Mogunt. c. 17.*, *& in Senonenſ. in decret. mor. c. 38.*

2 Euincitur, quod fuerit inſtitutum à Chriſto Domino.

Signantèr, quod non fuerit confirmatio inſtituta à Melchiade Papa, ſicut, nec etiam à Concilio Meldenſi, ex eo euincitur, quod hoc Sacramentum diu ante idem Concilium viguit in Eccleſia Dei, cum de eo meminerint Clemens I., qui immediatè poſt D. Petrum eiuſdem cathedram tenuit, & Fabianus, qui floruit multo tempore ante habitum d. Concil. Meldenſe, & ante Melchiadem Pontificem, nec conſtat, à quo alio fuerit antecedentèr inſtitutum.

3 Non fuit inſtitutũ à Melchiade Papa, nec à Concilio Meldenſi.

Dicendum eſt ergo, Chriſtum Dominum verè inſtituiſſe hoc Sacramentum, quod DD. colligunt ex promiſſione, quam Chriſtus Dominus fecit Apoſtolis mittendi

di

4 Vnde nã colligatur, quod hæc inſtitutio facta ſit à Chriſto Domino.

di Spiritum Sanctum Ioannis 4. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre*, & 16. *Si non abiero, Paraclitus non veniat ad vos, ſi autem abiero, mittam eum ad vos*, & Lucæ 24. *Ego mittam promiſſum Patris &c.*, &, licet omnia hæc verba referantur ad celebrem illam, & viſibilem miſſionem Spiritus Sancti in die Pentecoſtes, referuntur tamen ſimul ad inuiſibilem, quæ fit ſucceſſiuè in omnes fideles per gratiam Spiritus Sancti; vnde *Act.* 8. dicitur: *Cum accepiſſet Samaria verbum Dei per Phylippi prædicationem, miſerunt ad eos Petrum, & Ioannem, qui, cum veniſſent, orauerunt, vt acciperent Spiritum Sanctum, erant enim tantum baptizati in nomine Ieſu, tunc imponebant manus ſuper eos, & accipiebant Spiritum Sanctum*. Per promiſſionem autem Spiritus Sancti ſpecialitèr indicatur confirmatio, quia per hanc augmentum gratiæ accipimus, quod eſt donum Spiritus Sancti.

5 Inſtituit nõ exhibendo, ſed promittendo

Quod, ſi dicas, per illa verba *Ioannis* 14. & 16., & *Luca* 24. fieri ſolum promiſſionem miſſionis Spiritus Sancti, quæ ſecundum ſe abſtrahit à ratione Sacramenti, & propterea ex illis non poſſe argui inſtitutionem eiuſdem; tunc reſpondet *D. Thomas tertia part. q. 72. art. 1. in corpore*, hoc eſſe ſpeciale in Sacramento Confirmationis, quod inſtitutum eſt non exhibendo, ſed promittendo, & hoc fortè ea ratione factum eſt, quia noluit Chriſtus Dominus hoc Sacramentum vim aliquam ſortiri; neque effectum, niſi poſt celebrem illam miſionem, & viſibilem Spiritus Sancti, ita vt iſta eſſet principale ſignũ manifeſtatiuum inuiſibilis gratiæ, quæ poſtea erat per hoc Sacramentum conferenda. Sed, quamuis D. Thomas ibi videatur aſſerere, inſtitutum eſſe ſolummodo promittendo non excluſit tamen inſtructiones, quas Chriſtus Dominus præſtitit; vnde *Fabianus Papa Epiſt. 2. c. 1.* ſcriptum reliquit. *In illa die Dominus Ieſus, poſtquam cænauit cum diſcipulis ſuis, & lauit eorum pedes (ſicut à SS. Apoſtolis Prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſque reliquerunt) chriſma conficere docuit*, quod eſt materia huius Sacramenti, & proindè efficax ratio ex hoc deſumi poteſt, quòd alios ritus in hoc ſeruandos tradiderit.

6 Docuit materiã huius Sacramenti in vltima cæna.

7 Inſtituit antequã Cælum aſcenderet.

Suppoſito iam, quod Chriſtus Dominus Confirmationem inſtituerit, quærtiur modo, quandonam, ſeu pro quo tempore inſtituerit. Hoc tanquam certum arbitror, inſtituiſſe antequam in Cælum aſcenderet, licet non niſi poſt eius aſcenſum, & aduentum Spiritus Sancti in vſu fuerit poſita, & in hoc conſentiunt communitèr, & ſignantèr *Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 32. ſect. 2. verſ. mihi verò certum eſſe videtur*. Ratio eſt quoad primam partem, quia Chriſtus Dominus, antequam Cælos aſcenderet, Eccleſiam quoad principaliora fundauit, & ſtabiliuit, quod principalitèr intelligendum eſt quoad illa Sacramenta, quibus fieri debebat profeſſio fidei, & teſtimonium Ieſu Chriſti exhiberi, ad quod Inſtituta eſt confirmatio, per quam roboramur in fide, & conſtantes reddimur ad teſtimonium de illa præbendum. Accedit, quod, ſi Chriſtus Dominus inſtituiſſet hoc Sacramentum, poſtquam in Cælum aſcendit, ſignum aliquod ſenſibile talis inſtitutionis debuiſſet exhibere, quod nullibi exhibitum legitur; neque omnia, quæ poſtea reuelauit, habent rationem Sacramenti. Accedit ſecundò, quod alia omnia Sacramenta, vt docuimus in præcedenti parte 1. de Sacramentis in genere, fuerunt inſtituta à Chriſto Domino antequam Cęlos aſcenderet, licet de omnibus non facta fuerit mentio in Euangelio, vt videre eſt ſignantèr in Sacramento Extremæ Vnctionis, cuius ſolum meminit D. Iacobus, ergo hoc idem ſentiendum eſt de Confirmatione, cuius plurima ſigna habemus in Euangelio.

8 Non fuit tunc inſtitutum, quando oblati fuerunt Chriſto pueri, vt eis manus imponeret.

Quoad tempus verò, quo ante aſcenſionem in Cælum inſtituit, non eſt certum apud omnes. Aliqui arbitrati fuerunt tunc fuiſſe inſtitutum, quando Matthæi 19. oblati fuerunt Chriſto Domino paruuli, vt manus eis imponeret, & oraret, & cum diſcipuli eos remouere conarentur, dixit Chriſtus, *Sinite paruulos venire ad me; talium enim eſt Regnum Cælorum*. Sed hæc opinio non videtur habere aliquod fundamentum veritatis, cum ibi non inducerentur pueri, vt confirmarentur, ſed vt benedicerentur à Chriſto Domino, vel vt ſanarentur à languoribus ſuis, vt tradunt plures ex SS. PP.; quinimmo, nec tunc erant pueri illi baptizati. Adde, quod ibi nulla facta eſt promiſſio, nec inſtitutum eſſe aliquod ſignum ſenſibile, nec vllum præceptum.

9 Nec item quando inſufflauit in diſcipulos dicens, Accipite Spiritum Sanctum.

Alij dixerunt, tunc inſtitutum fuiſſe, quando poſt Reſurrectionem Ioannis 20. Inſufflauit in diſcipulos dicens; *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, in qua opinione fuiſſe videtur *Scotus in quarto diſt. 7. q. 1. in prima obiectione*. Sed nec hæc opinio videtur ſatis fundata, quia ibi non eſt datus Spiritus Sanctus ad robur in ordine ad profitendam fidem, ſed ad remittenda peccata, vt conſtat ex contextu verborum, nec ibi exhibitum eſt aliquod veſtigium huius Sacramenti.

Alij dixerunt, fuiſſe inſtitutum in die Pentecoſtes, quo die fuerunt Apoſtoli confirmati, & hoc relatiuè ad promiſſio-

10 Nec fuit inſtitutũ in die Pẽtecoſtes.

nem factam à Chriſto Domino Lucæ 24. *Ego mittam promiſſum Patris in vos*, & Ioannis 14., & 15. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre*; ſed neque hæc opinio videtur habere fundamentum veritatis; tum quia ex ſuperius dictis non eſt inſtitutum hoc Sacramentum poſt Christi aſcenſionem; vnde ad ſummum poteſt dici poſita executio eiuſdem, ſed altiori quodam modo à conſueto; tum, quia in tota illa actione nullum apparet ſignum ex ijs, quæ requiruntur ad inſtitutionem Sacramentorum.

11 Probabilius fuit inſtitutũ in vltima cæna.

Quarè probabilius arbitror, fuiſſe inſtitutum in vltima cæna, quia tunc conditum eſt nouum teſtamentum, & tunc inſtituta materia eiuſdem, vt expreſsè de traditione Apoſtolica teſtatur *Fabianus Papa Epiſt. 2. c. 1.* in ſupra recitatis verbis. *In illa die Dominus Ieſus poſtquam cænauit cum diſcipulis ſuis, & lauit eorum pedes (ſicut à Sanctis Apoſtolis Prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſque reliquerunt) chriſma conficere docuit*, pro quo tempore, vt ſupra innuebamus, præſumendum eſt alios ritus præſcripſiſſe, illiſque tradidiſſe.

Quamuis autem tunc inſtitutum intelligatur quoad ſubſtantiam, & quoad inſtructionem Apoſtolorum; vſus tamen eiuſdem non fuit pro eo tempore præ-

12 Vſus tamen fuit reſeruatus poſt aduentũ Spiritus Sancti.

ſcriptus, ſed reſeruatus poſt aduentum Spiritus Sancti, & hoc pluribus rationibus; Primò, quia reſeruata eſt confirmatio Apoſtolorum, vt fieret altiori illo modo in die Pentecoſtes per celebrem illam, & viſibilem miſſionem Spiritus Sancti, & illa eſſet primum veſtigium Confirmationum, quæ erunt per gratiam inuiſibilem a ſignó viſibili in fidelibus poſtea futuræ; congruum autem non erat, vt alij ante Apoſtolos dilectos apprimè Chriſti Domini confirmarentur. Secundò, quia, vt notat *D. Thomas quæſt. 72. art. 1. ad primum*, cum per hoc Sacramentum detur plenitudo Spiritus Sancti, hæc non fuit conferenda ante Chriſti Reſurrectionem, & Aſcenſionem, iuxta illud Ioannis 7. *Nondum erat Spiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus.*

ARTICVLVS II.

An Confirmatio verè, & propriè ſit Sacramentum nouæ legis.

SVMMARIVM.

Error Hæreticorum negantium Confirmationem eſſe Sacramentum. 1.

De fide eſt eſſe verum nouæ legis Sacramentum. 2.

Rationes pro aſſerto, & confutationes aduerſantium. 3.

Promiſſio plenitudinis gratiæ huic Sacramento. 4.

Non intelligitur ſolum de celebri miſſione ſenſibili Spiritus Sancti in die Pentecoſtes, ſed etiam de inuiſibili. 5.

An, & quomodo ſaluaretur ratio Sacramenti primitùs in impoſitione ſimplici manuum. 6.

Altiori quodam ordine tunc obtinebatur effectus Sacramenti, non ratio propria Sacramenti. 7.

Argumenta aduerſantium contra hoc Sacramentum. 8.

Soluitur primum argumentum deductum ex dicto D. Petri. 9.

Oſtenditur, quod per illam manuum impoſitionem non fiat ſimplex approbatio fidei. 10.

Oſtenditur, quod non ſolum gratia gratis data conferantur, ſed etiam gratia habitualis. 11.

Euincitur eſſe Sacramentum ex traditione Apoſtolorum. 12.

Et etiam arguitiuè ex ſacris paginis. 13.

Cur non fuerit aliqua figura huius Sacramenti in lege veteri. 14.

Fuit tamen adumbrata in vnctione Pontificum. 15.

Hoc Sacramentum, quamuis non ſit neceſſarium, eſt tamen valdè vtili. 16.

EX inſtitutione Confirmationis factæ à Chriſto Domino non videtur, efficacitèr probari eandem eſſe Sacramentum nouæ legis; ſiquidem Chriſtus Dominus multa fecit, & docuit, quæ non ſunt Sacramenta. Hinc Hæretici plures, vt ſupra innuebam, & inter cæteros Nouatus, de quo ſcribit *Theodoretus lib. 3. hæretic. fab. c. penult.* quem poſtea ſequuti ſunt Valdenſes, item infames Pauperes de Lugduno, Rutherus, Lutherus, & Caluinus, & alij Sectarij, abſolutè negarunt Confirmationem eſſe Sacramentum, moti duplici ratione, primò, quia de illa nulla facta eſt mentio in ſacris paginis, quinimmo, nec vlla de illo extat figura in veteri teſtamento, ſicuti extant de alijs Sacramentis; Secundò, quia nulla eſt neceſſitas eiuſ-

1 Refertur Hæreticorum error negantium eſſe Sacramentum.

eiuſdem, cum per Baptiſmum regeneremur ad vitam ſpiritualem; per Euchariſtiam augeamur, nutriamur, & conſeruemur. Nihilominus ſit

2 De fide eſſe Sacramentum.

Concluſio. Confirmatio eſt propriè, & verè Sacramentum nouæ legis. In hoc conſentiunt omnes Catholici, & eſt veritas Catholica definita, & ſignanter in *Concil. Florent. in decreto Eugenij, & Trid. ſeſſ. 7. can. 1. & ſeqq.*

3 Probationes aſſerti, & confutationes obiectorum.

Hoc etiam plena ratione euincitur, quia quod eſt inſtitutum in ſigno aliquo ſenſibili, cuique ex Diuina promiſſione indita eſt vis cauſandi effectum ſupernaturalis gratiæ inſtituta debita materia, & forma ad illud ſignum conſtituendum, habet verè, & propriè rationem Sacramenti; ſed hæc omnia habet confirmatio a Chriſto Domino inſtituta; ergo habet verè, & propriè rationem Sacramenti. Maior non videtur pati aliquam difficultatem, cum contineat ea omnia, quæ requiruntur ad rationem Sacramenti, quod eſt ſignum ſenſibile gratiæ inuiſibilis. Minor probatur primò, quod ſit inſtituta in ſigno ſenſibili, quia pro materia eiuſdem inſtitutum eſt chriſma, & licet de hoc non conſtet expreſſè ex ſacris paginis; conſtat tamen ex Apoſtolorum traditione ad hæc vſque tempora perſeuerante, quæ ex alibi dictis habent eandem vim, ac ipſæ ſacræ paginæ, & de hac traditione conſtat ex Epiſt. 2. Fabiani Papæ c. 1. Ibi- *Sicuti à Sanctis Apoſtolis Prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſque reliquerunt.* Quod, ſi dicas nec ibi, nec alibi conſtare de forma hujus confirmationis, tunc dicam non omnia, quæ dicta, & facta ſunt a Chriſto Domino eſſe ſcripta, ſed conſtare ex traditione, vt mox innuebamus. Deindè ex eo, quod materia chriſmatis determinata eſt, videtur implicitè ſaltem determinata etiam forma, quæ debet exprimere vnctionem, cum proprium ſit chriſmatis vngere, vnde ſicuti forma Baptiſmatis, quia verſatur circa aquam, cuius proprium eſt abluere, ſignificat ipſam ablutionem, ita forma confirmationis, quæ verſatur circa chriſma, cuius proprium eſt vngere, debet ſignificare vnctionem.

4 Promiſſio plenitudinis gratiæ huic Sacramento.

Quod deindè tali ſigno ſenſibili indita ſit ex Diuina promiſſione vis cauſatiua effectus ſupernaturalis gratiæ, ex eo euincitur, quod habetur ex relatis textibus Ioannis 14., & 15. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre*, & 16. *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos, ſi autem abiero, mittam eum ad vos.*, & Lucæ 24. *Ego mittam promiſſum Patris ad vos*, qui textus, licet literalitèr procedant de miſſione illa celebri, & viſibili Spiritus Sancti in die Pentecoſtes, extendunt tamen eoſdem communitèr SS.PP., & Theologi etiam ad miſſionem inuiſibilem eiuſdem Spiritus Sancti in fideles per Confirmationem; vnde Actorum 8. habetur, *Cum accepiſſet Samaria verbum Dei per Philippi prædicationem, miſerunt ad eos Petrum, & Ioannem, qui, cum veniſſent, orauerunt, vt acciperent Spiritum Sanctum, erant enim tantum baptizati in nomine Ieſu, tunc imponebant manus ſuper eos, & accipiebant Spiritum Sanctum*; qui textus non poteſt intelligi de illa ſolemni miſſione, & viſibili Spiritus Sancti, ſed tantum de inuiſibili, quæ fiebat per impoſitionem manuum Apoſtolorum. Quod, ſi dicas, non conſtare, quod tunc frontem illorum chriſmate vngerent, adeoque, quod tunc applicarent Sacramentum Confirmationis; ſtatim reſpondebo cum *D. Thoma part. 3. q. 72. art. 2. ad primum*; quod in principio naſcentis Eccleſiæ non ſolum Spiritus Sanctus viſibilitèr deſcendit ſuper capita Apoſtolorum, ſed etiam ſucceſſiuè imponentibus Apoſtolis manus ſuper capita baptizatorum, vt habetur *Actorum 11.* vbi Petrus, *Cum cæpiſſem*, ait, *loqui cecidit Spiritus Sanctus ſuper eos, ſicut, & nos in initio*, vnde ſubdit idem D. Thomas ibid., quod cum tunc apparerent ſigna ſenſibilia diuinitus manifeſtatiua Spiritus Sancti deſcendentis, non erat neceſſaria ſenſibilis materia Sacramentalis. Cæterum non apparentibus alijs ſignis ſenſibilibus vtebantur Apoſtoli balſamo cum certa verborum forma.

5 Non intelligitur ſolum de celebri miſſione viſibili Spiritus Sancti.

Sed hic ſuboritur difficultas, an, quando per impoſitionem manuum Apoſtolorum deſcendebat Spiritus Sanctus ſub aliquo ſenſibili ſigno, verum tunc fieret Sacramentum Confirmationis. Ex eo, quod etiam Apoſtoli ordines conferebant per manuum impoſitionem ſine applicatione alicuius alterius materiæ, & tunc verum conficiebant Sacramentum, videtur etiam aſſerendum, quod per manuum impoſitionem etiam ſine applicatione balſami, & alicuius formæ verum confecerint Sacramentum Confirmationis. Sed non videtur paritas currere, quandoquidem Chriſtus Dominus Sacramentum Ordinis inſtituit in ſigno ſenſibili indeterminato, & in communi, dummodo ſit aptum ſignificare effectum, ad quem datur, & reliquit determinationem talis ſigni Eccleſiæ, & ſic primitus ordo conferebatur per impoſitionem manuum, poſtea ad maiorem expreſſionem fuit pro ſingulis ordinibus determinata materia, & forma; Sacramentum verò Confirmationis inſtituit in determinata materia, nempè in balſamo, vt colligitur *ex Fabiano Papa d. Epiſtola ſecunda ſupra recenſita c. 1.*, adeoque non

6 An, & quomodo primitus in ſimplici manuum impoſitione ſaluaretur ratio Sacramenti

eſt

7 Altiori ordine tunc obtinebatur effectus Sacramẽti, nõ ratio Sacramenti.

eſt in poteſtate Eccleſiæ illam variare. Exiſtimo igitur, quod tunc, quando per manuum impoſitionem Apoſtolorum in aliquo ſigno ſenſibili deſcendebat Spiritus Sanctus altiori quodam modo obtineretur quidem plenitudo Spiritus Sancti, & effectus Sacramenti, non tamen propriè conſtitueretur Sacramentum deficientibus ſubſtantialibus eiuſdem. Quod, ſi non placet hæc reſponſio, dicite, quod tunc Chriſtus Dominus modo quodam ſingulari, & extraordinario voluerit, quod illa manuum Apoſtolicarum impoſitio cum illo ſigno ſenſibili, ſub quo apparebat Spiritus Sanctus, eminentèr ſuppleret defectum materiæ, & formæ conſuetæ, & tunc ad magis firmandam fidem, quæ vix orta erat per illa ſigna extraordinaria, & miraculoſa.

8 Argumẽta Hæreticorum aduerſus hoc Sacramentum.

Aduerſus noſtras probationes, quas ex ſacrarum paginarum teſtimonijs adduximus congerunt Hæretici plura argumenta, quorum primum eſt, quod omnes promiſſiones, quæ factæ ſunt per Chriſtum Dominum *Ioannis* 14. 15., *&* 16., *& Lucæ* 24. impleantur in Baptiſmo, & per Baptiſmum, vt colligitur *ex Actis Apoſtolorum c.* 2. vbi cum D. Petrus dixiſſet. *Hoc eſt, quod dictum eſt per Prophetam Ioel. Et erit in nouiſſimis diebus dicit Dominus effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem*, poſtea ſubdit *Pœnitentiam agite, & baptizatur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus Sancti*, vbi videtis, quod donum Spiritus Sancti atribuit Baptiſmo; Secundum eſt, quod quando Apoſtoli apponebant manus ſuper baptizatos non conferebant eiſdem aliquem effectum Sacramenti ex opere operato, ſed ſolummodo præſtabant aliquam approbationem fidei baptizatorum; Tertium, quia per illam manuum impoſitionem non conferebatur gratia aliqua ſanctificans, ſed ſolummodo dona gratiæ gratis datæ miraculorum, prophetiæ, & ſimilium, quod ex multis capitibus deducebant; primò ex illo *Actorum* 19. *Poſtquam impoſuit Paulus illis manus venit Spiritus Sanctus ſuper illos, loquebanturque linguis, & prophetabant*. Secundò ex eo, quod habet *Teophilactus ad Hebreos* 6. *Per manuum impoſitionem Spiritum accipiebant, vt prophetarent, & miracula ederent; imponente enim ipſis Paulo manus acceperunt Spiritum Sanctum.*

9 Soluitur primum argumẽtum deductũ ex dicto D. Petri.

Sed parum negotij hæc obiecta mihi faceſcunt, quandoquidem, vel non habent fundamentum, niſi in Hæreticorum adinuentis, vel in peruerſa ſacrarum ſcripturarum intelligentia. Ad primum deſumptum ex dicto D. Petri *Actorum* 2. dicendum eſt, illum textum potius nobis fauere, quam obeſſe, ſi benè perpendatur ſeries verborum; Ibi enim primum dicitur, *baptizetur vnuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum*, & poſtea ſubditur, *& accipietis donum Spiritus Sancti*, quæ vltima verba iam ſupponunt Baptiſmum, & ſic hoc donum Spiritus Sancti intelligitur poſt Baptiſmum aduenire, quod nequit eſſe, niſi per Confirmationem. Pro huius noſtræ reſponſionis intelligentia aduerte in iuſtificatione hominis, ſiue fiat per Baptiſmum, ſiue per Sacramentum Pœnitentiæ, ſiue per actus contritionis, ſeu dilectionis Dei ſuper omnia conferri gratiam ſanctificantem virtute horum Sacramentorum, ſeu huiuſmodi actuum independentèr à quocunque alio, cum iuſtificatio ex alibi dictis non habeatur, niſi per formam inhærentem; ſicque in Baptiſmo conſequitur hic effectus, per quem etiam habetur remiſſio peccatorum; dum igitur primo dicitur in illo textu *baptizetur vnuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum*, intelligitur baptizatus tunc conſequi gratiam remiſſiuam tanquam effectum proprium, & diſtinctum eiuſdem Baptiſmi; vnde cum poſtea ſubdatur, *& accipietis donum Spiritus Sancti*, hoc intelligendum eſt de effectu diſtincto ab illo Baptiſmi, qui nequit eſſe, niſi per Sacramentum diſtinctum; Quod autem hæc ſit intelligentia germana illius textus, ex eo euincitur, quod Apoſtoli, antequam reciperent dona Spiritus Sancti iam erant baptizati, & per conſequens iam obtinuerant remiſſionem peccati originalis, & actualium antecedentèr commiſſorum.

10 Euincitur, quod illa manuũ impoſitio nõ ſit ſimplex fidei approbatio.

Ad ſecundum dicendum eſt, eſſe merum figmentum hæreticorum, quod per illam manuum impoſitionem ſolum fieret approbatio fidei baptizatorum; immo talis intelligentia expreſsè repugnat allegatis textibus, in quibus ad earundem manuum impoſitionem conſequebatur effectus Spiritus Sancti aduenientis. Ibi. *Imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*; Ex quibus manifeſtè euincitur, illam manuum impoſitionem non eſſe meram extrinſecam cæremoniam approbationis fidei baptizatorum, ſed eſſe ſignum effectiuum, & cauſatiuum gratiæ, & donorum Spiritus Sancti. Hoc idem clarius euincitur ex eo, quod dicitur de Simone Mago in eiſdem Actis Apoſtolorum. Ibi. *Cum vidiſſet Simon, quia per impoſitionem manus Apoſtolorum daretur Spiritus Sanctus &c.* vbi vides, quod cognouerit Simon per impoſitionem manuum non fieri meram approbationem, ſed verè conferri dona Spiritus Sancti.

Ad tertium dicendum eſt, quod, quamuis tunc conferrentur etiam dona gratiæ

gratis datæ, non propterea tollatur, quin principalitèr tanquam effectus proprius

11 Etiam gratia habitualis conferebatur.

conferretur etiam gratia habitualis ſanctificans, quod ex pluribus textibus euincitur, & primò ex illo Lucæ 24. *Sedete in Ciuitate, donec induamini virtute ex alto*, vbi ſignantèr nota illam particulam, *induamini*, quæ importat non effectum aliquem datum per modum tranſeuntis, ſed per modum inhærentis. Deindè illæ gratiæ gratis datæ non conferebantur tunc indefinitè omnibus, & tamen manus indefinitè omnibus imponebantur, & de omnibus dicitur, quod accipiebant Spiritum Sanctum, ergo potiſſimum gratia ſpiritualis habitualis, & inhærens omnibus conferebatur. Non nego tamen, quin aliquibus ſimul cum gratia habituali conferrentùr etiam aliquæ gratiæ gratis datæ, quas Spiritus Sanctus diſtribuebat prout vellet, & Eccleſiæ expediret; & tunc hoc congruebat ad firmandam Eccleſiam, quæ tunc naſcebatur.

Nec aliquid euincunt rationes, quæ in principio articuli afferebantur, quandoquidem dato etiam, quod de Confirmatione nulla eſſet mentio in ſacris paginis, habetur tamen ſufficiens probatio ex Apoſtolorum, & vniuerſàlis Eccleſiæ traditione, quæ eſt tantæ auctoritatis quantæ eſt ſacra pagina; vnde ex Apoſtolo ad Theſ-

12 Euincitur eſſe Sacramẽtum ex traditione Apoſtolorũ.

ſal. 2. habetur. *Itaque fratres cuſtodite traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolas noſtras*, & *Concilium Trid. ſeſs. 6. c. 1.* aſſerit, quod, qui traditiones contempſerit tum ad fidem, tum ad mores attinentes tanquam à Spiritu Sancto dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia conſeruatas, anathema ſit; hæ enim traditiones ab Apoſtolis, & ſuis ſucceſſoribus venerunt ad nos. Deindè falſum eſt, quod in ſacris paginis nullum appareat veſtigium huius Sacramenti, quandoqui-

13 Et etiam arguitiue ex lege ſcripta.

dem ad illud referuntur verba, *Ioannis 14. 15., & 16., & Lucæ 24.* ſupra relata ſecundum conſenſum SS. PP., & Theologorum; quod etiam clarius habetur Actorum 8. Ibi- *Tunc imponebant manus ſuper eos, & accipiebant Spiritum Sanctum.*

14 Cur non fuerit aliqua figura huius Sacramenti in lege veteri.

Ad illud, quod ſubditur, quod de hoc Sacramento nulla appareat figura, ſicuti reperitur de alijs Sacramentis, dicendum eſt primò cum *D. Thoma tertia part. q. 72. art. primo ad ſecundum*, quod, cum hoc Sacramentum ſit plenitudinis gratiæ, non potuit habere figuram in veteri teſtamento, quia nihil ad perfectum adduxit lex.

15 Fuit adũbrata in vnctione Pontificum.

Secundò idem *D. Thomas in quarto diſt. 7. q. 1. art. 1. quæſtiunc. 1. ad tertium*, aſſerit, quod *hoc Sacramentum fuerit adumbratum in vnctione Pontificum, qua ſignificabatur vnctio Chriſti, à qua hæc vnctio deriuatur*, quod idem aſſerit de alijs myſticis vnctionibus, quæ tunc fiebant.

Ad illud, quod vltimo loco ſubditur, nempè, quod nulla ſit neceſſitas huius Sacramenti, cum regenerationem habeamus à Baptiſmo, augmentum, nutritionem, & conſeruationem ab Euchariſtia; dicendum eſt, quod, quamuis hoc Sacramentum non ſit ſimplicitèr neceſſarium, eſt tamen valdè vtile ad ſpecialem finem, ad quem eſt inſtitutum, nempè ad publicè profitendam fidem, & effectus, qui per ipſum cauſatur, non eſt per modum nutritionis, & augmenti per ipſam acquiſiti, ſed per modum roboris, & cum iure ad actualia auxilia diuerſa, de quibus erit ſermo infrà.

16 Hoc Sacramentum eſt valdè vtile.

ARTICVLVS III.

An, & quomodo hoc Sacramentum ſit neceſſarium.

SVMMARIVM.

Finis duplex, & quinam. 1.
Confirmatio in ordine ad finem principalem non eſt ſimplicitèr neceſſaria. 2.
Multum tamen confert ad eundem finem. 3.
Confert ius ad ſpecialia auxilia ſupernaturalia. 4.
Producit effectum ſupernaturalem. 5.
Et robur, & fortitudinem ad profeſſionem fidei. 6.
In ordine ad alia Sacramenta ſuſcipienda non eſt ſimplicitèr neceſſaria. 7.
Nec ex natura ſua, nec ex aliquo præcepto. 8.
Non includitur aliquod præceptum in fine inſtitutionis eiuſdem. 9.
Plenitudo, quam confert, non eſt ſufficientiæ, ſed abundantiæ. 10.
Non valet argumentum ex paritate Euchariſtiæ. 11.
Non conſtat circa hoc de aliquo Eccleſiæ præcepto. 12.
In ordine ad alia Sacramenta licet non ſit neceſſaria, eſt tamen conueniens. 13.
Ad ordines ſuſcipiendos eſt neceſſaria neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici. 14.
An hoc præceptum obliget ſub graui remiſſinè. 15.
Licet per ſe non ſit Confirmatio neceſſaria ad ſalutem, poteſt tamen quandoque eſſe neceſſaria per accidens. 16.

LOquimur hic de neceſſitate in ordine ad finem, qui finis in hoc duplex eſſe poteſt; alter principalis, & vltimus, qui eſt æterna ſalus, alter minus principalis independens quodamodo à ratione vltimi finis æternæ ſalutis, puta ad conſequendos ordines. Porro hæc neceſſitas poteſt

1 Finis alter principalis, alter minus principalis.

eſſe

eſſe medij, vel ſolum ex iure, & præcepto poſitiuo. Quoad omnes neceſſitates procedit præſens titulus. Pro quo ſit

2 In ordine ad finem principalem non eſt ſimpliciter neceſſaria.

Concluſio I. Confirmatio in ordine ad principalem finem, nempè æternæ ſalutis non eſt ſimpliciter neceſſaria. Conſentit *D. Thomas d. q. 72. art. 1. ad tertium, Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ comment. in d. qu. 22. art. primo, verſ. in ſolut. ad tertium, Toletus lib. 2. c. 24. n. 1. ad fin., Valentia tom. 4. diſp. 5. q. 2. punct. 3., Nauarrus in man. c. 22. nu. 9. verſ. tertiò, & alij communitèr.*

Rationes pro aſſerto.

Probatur. Iuſtificatus quomodocunque ius habet ad æternam gloriam ex Diuina promiſſione, ſed poteſt eſſe iuſtificatus independenter à Sacramento Confirmationis, ergo poteſt independentèr ab illo conſequi æternam gloriam, ergo Sacramentum hoc non eſt ad eandem æternam gloriam ſimplicitèr neceſſarium. Minor probatur, quia infans recipiendo Baptiſmum conſequitur remiſſionem peccati originalis, quæ non poteſt eſſe ſine gratia iuſtificante, & ſi tunc decederet nemine diſceptante conſequeretur æternam beatitudinem, nec tunc intelligeretur confirmatus; item, ſi ſit adultus, & habeat omnia requiſita ad validam, & licitam ſuſceptionem Baptiſmi iſtum recipiendo recipit gratiam remiſſiuam tum originalis, tum actualium ante ipſum Baptiſmum commiſſorum, & eſſet verè iuſtificatus, etiam ſi non reciperet Confirmationem, & ſi tunc decederet conſequeretur æternam ſalutem; quinimmò, ſi ſuperſtes ab eadem iuſtificatione poſt Baptiſmum declinaret per peccata læthalia actualia, adhuc ſine eadem Confirmatione poſſet ſe reducere ad gratiam, ſiue per Sacramentum Pœnitentiæ cum attritione, ſiue per actum proprium formalis contritionis; non etenim confirmatio inſtituta eſt ad remittenda peccata, ergo poteſt quis eſſe iuſtificatus independenter a Sacramento Confirmationis. Hæc procedunt attenta inſtitutione huius Sacramenti, & attento iure Diuino; Quid verò ſentiendum ſit attento iure Eccleſiaſtico dicam infrà.

3 Valdè tamen confert ad eundem finem.

Concluſio II. Confirmatio eſt neceſſaria ad melius eſſe, & facilius conſequendum finem vltimum æternæ beatitudinis. Conſentiunt in hac etiam *D. Thomas, & Suarez loc. cit.*

4 Confert ius ad ſpecialia auxilia.

Ratio ex eo deducitur primò, quod per eandem Confirmationem non ſolum confertur augmentum gratiæ, ſed etiam ius acquiritur ad ſpecialia auxilia, per quæ maius robur confertur ad ſuperandos agones in conflictu fidei, & Religionis Catholicæ; vnde Melchiades Pontifex *d. Epiſt. 2. §. 1.* dicit. *In Baptiſmo abluimur, poſt Baptiſmum roboramur, & ſi continuò tranſituris ſufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen neceſſaria ſunt Confirmationis auxilia. Regeneratio per ſe ſaluat mox in pace beati ſæculi recipiendos; Confirmatio autem armat, & inſtruit ad agones huius ſæculi, & prælia reſeruandos.*

5 Producit effectum ſupernaturalem.

Secundò, quia Sacramentum Confirmationis inſtitutum eſt in ordine ad aliquem effectum ſupernaturalem, & vtique diſtinctum ab effectibus aliorum Sacramentorum, ſecus ſuperfluè eſſet hoc Sacramentum inductum, quod indignum eſt, aſſerere de Chriſto inſtitutore Sacramentorum, qui omnia fortitèr & ſuauitèr diſpoſuit, & ordinauit ad proportionatos fines intentos; ſed effectus omnes ſupernaturales ordinantur, & diſponunt ad æternam gloriam tanquam ad vltimum finem ſupernaturalium, ergo Sacramentum Confirmationis per ſe plurimum confert ad conſequendam eandem æternam gloriam, ſicque eſt neceſſarium ad melius eſſe reſpectu eiuſdem.

6 Robur, & fortitudinem ad profitendam fidem.

Tertiò, quia vita ſpiritualis, & ſupernaturalis per quandam analogicam proportionem comparatur vitæ naturali, vt benè conſiderauit *D. Thomas q. 65. art. 1. in corp.*, ſicuti autem in vita naturali in ordine ad ſe ipſum homo triplicitèr perficitur; primò per generationem, per quam accipit eſſe, & viuere, & huic in vita ſpirituali correſpondet Baptiſmus. Secundò per augmentum, quo aliquis perducitur ad perfectam quantitatem, & virtutem, & huic in vita ſpirituali correſpondet Confirmatio, per quam datur Spiritus Sanctus ad robur. Tertiò per nutritionem, per quam conſeruatur in homine vita, & virtus, & huic in vita ſpirituali correſpondet Euchariſtia. Qua ſuppoſita comparatione ſic ad rem noſtram argumentor: Augmentum, quo homo perducitur ad perfectam quantitatem, & virtutem eſt quoquo modo neceſſarium ad melius eſſe hominis quoad vitam naturalem, ergo augmentum illud, & robur, quod habetur per Sacramentum Confirmationis erit quoquo modo neceſſarium ad melius eſse quoad vitam ſpiritualem, & in ordine ad vltimum finem ſupernaturalem conſequendum.

7 In ordine ad alia Sacramenta ſuſcipiẽda nõ eſt ſimplicitèr neceſſaria.

Concluſio III. Confirmatio in ordine ad alia Sacramenta ſuſcipienda validè, & licitè non eſt ſimplicitèr neceſsaria, eſt tamen cõueniens, & ad melius eſse neceſſaria; In ordine tamen ad ordines ſuſcipiendos eſt neceſsaria neceſſitate præcepti. Prima pars eſt *Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 38. ſect. 1. verſ. quo circa*, & in hoc arbitror communius DD. conſentire. Secunda pars eſt *eiuſdem Sua-*

rez ibi, Reginaldi lib.8. n. 24., Nauarri c.26. n. 9., Coninchi tom. 1. q. 92. art. 8. n. 90., & tom. 2. diſp. 20. dub. 10. n. 102., Bonacinæ de Sacram. Ord. diſp. 8. q. vnica punct. 5. n.9., & aliorum apud ipſum.

8 Nec ex natura ſua, nec ex aliquo præcepto

Ratio primæ partis eſt primò, quia, nec ex ratione aliorum Sacramentorum requiritur, quod ad ipſa præcedat ipſa Confirmatio, nec eſt præcepto Diuino, nec Eccleſiaſtico, ergo ad eorum ſuſceptionem non eſt neceſſaria ſimplicitèr. Antecedens quoad primam partem probatur, quia ſuppoſita exiſtentia regenerationis ſpiritualis per Baptiſmum regeneratus etiam independentèr à robore, quod acquirere poteſt per ſuſceptionem Spiritus Sancti in Confirmatione eſt capax nutritionis ſpiritualis, quę habetur per Euchariſtiam, & medicinæ, qua remoueantur infirmitates ſpirituales inductæ per peccata actualia, quæ medicinæ habentur per Sacramenta Pænitentiæ, & Extremæ Vnctionis, & etiam propagationis in ordine ad bonum communitatis, quæ habetur per Sacramentum Matrimonij, ergo ratione, & ſpectata natura aliorum Sacramentorum non requiritur, quod ad ipſa præcedat Confirmatio.

Probatur idem antecedens quoad ſecundam partem, quia nullibi conſtat de tali præcepto Diuino requirente Confirmationem ante aliorum Sacramentorum ſuſceptionem. Quod, ſi dicas, quod, quamuis expreſsè ſcriptum non reperiatur hoc præceptum Diuinum, nihilominus implicitè includitur in ipſa inſtitutione, & fine eiuſdem; ideo etenim inſtitutum eſt, vt homines per ipſum efficiantur plenè, & perfectè Chriſtiani; nam, quamuis per Baptiſmum naſcantur, ſeu regenerentur Chriſto Domino, remanent tamen infantes in fide iuxta illud Apoſtoli Petri. *Quaſi modo geniti infantes lac concupiſcite*; vnde per Confirmationem perficiuntur, & fiunt quaſi adulti; lex autem Diuina obligat, vt ſimus perfectè Chriſtiani, adeoque obligat ad ſuſcipiendam Confirmationem, per quã efficimur tales. Ad promouendum vim huius inſtantiæ multum conferre poteſt id, quod habet *Melchiades Papa loc. ſupra cit.* Ibi *Morituris ſufficiunt regenerationis beneficia, victuris tamen eſſe neceſſaria Confirmationis auxilia, ideòque ita coniuncta eſſe hæc duo Sacramenta, vt ab inuicem, niſi morte interueniente nullatenus poſſint ſegregari, & vnum ſine altero ritè perfici non poſſe*; Si, inquam, hæc dicas, ſtatim impugnaberis, quia gratis omnino dicitur in ipſa inſtitutione, & fine huius Sacramenti implicitè includi præceptum de illo ſuſcipiendo; nam licet ſit inſtitutum ob plenitudinem, & perfectionem hominis Chriſtiani; non eſt tamen inſtitutum ad ſubſtantiam hominis Chriſtiani, cum hæc habeatur per ſuſceptionem præciſam Baptiſmatis, & illa plenitudo, quæ confertur per Confirmationem, non eſt plenitudo ſufficientiæ, ſed ſolum abundantiæ, quæ propterea non eſt neceſſaria ad ſalutem, & multominus ad ſuſceptionem aliorum Sacramentorum; vnde ad id, quod ſubditur ex Melchiade Pontifice, dicendum eſt ipſius dictum intelligendum eſſe de quadam conuenientia ob maiorem perfectionem, non de neceſſitate; nam, ſi alitèr intelligeretur, ſecundum verborum ſonum, quibus eſt conceptum, ſtatim, ac eſt collatus Baptiſmus eſſet conferenda Confirmatio, cum dicantur hæc duo Sacramenta ita eſſe coniuncta, vt ab inuicem ſeparari non poſſint, nec Baptiſmus eſſet perfectus ſine Confirmatione, quod eſt abſurdum contra communem Eccleſiæ acceptionem, & praxim.

9 Non includitur aliquod præceptũ in fine huius Sacramenti

10 Plenitudo, quam confert non eſt ſufficientiæ, ſed abundãtiæ.

Quod, ſi vlterius vrgeas, quod, ſicuti Chriſtus Dominus inſtituendo Sacramentum Euchariſtiæ eidem adiunxit onus, & præceptum illud ſuſcipiendi, quamuis eius effectus non ſit neceſſarius ad ſalutem, ita valdè credibile ſit, quod in inſtitutione huius Sacramenti addiderit obligationem illud ſuſcipiendi; qua poſita obligatione videtur etiam congruere, quod recipiatur ante alia Sacramenta, vtpotè quod magis coniungitur cum Baptiſmo, illudque quodamodo perficit; Adhuc impugnaberis, quia de Euchariſtia ſumenda expreſſum tradidit præceptum. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem non habebitis vitam in vobis*; de Confirmatione autem nullam adiunxit obligationem; quam certè addidiſſet, ſi voluiſſet.

11 Non valet argumentum ex paritate Euchariſtię.

Probatur idem antecedens quoad tertiam partem, quia nullibi apparet, quod Eccleſia condiderit præceptum de Confirmatione ſumenda, &, ſi condidiſſet, præſcripſiſſet tempus eiuſdem ſumptionis, ſicuti videmus præſcripſiſſe in cæteris omnibus præceptis, vt in præcepto Euchariſtiæ ſumendæ, & confeſſionis habendæ, in auditione ſacri, & in ieiunijs ſeruandis; cum autem nullum tempus præſcripſerit pro ſuſcipienda Confirmatione, arguitur, nec præceptum tradidiſſe de eadem.

12 Eccleſia nullum præceptũ cõſtituit de Confirmatione ſumẽda.

Quod autem ſit conueniens, quod præcedat ſuſceptionem aliorum Sacramentorum, ex eo euincitur, quod ex vna parte ipſa Confirmatio, cum detur in ordine ad fidem profitendam, videtur perficere Baptiſmum, qui eſt Sacramentum fidei, ideoque ex quadam congruentia videtur debere præcedere alia Sacramenta, ſicuti Baptiſmus debet præcedere ex neceſſitate;

13 Eſt conueniens ad alia Sacramenta.

te;

ce; ex alia parte ipſa Confirmatio magis diſponit ſubiectum ad cætera recipienda, ergo conueniens valdè eſt, quod Confirmatio ſuſcipiatur ante alia Sacramenta.

14 **Ad ordines ſuſcipiendos eſt neceſſaria ex præcepto**

Ratio ſecundæ partis deſumitur ex diſpoſitione *Concil. Trident. ſeſſ. 23. c. 4.*, vbi expreſsè habetur, quod *prima tonſura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non acceperint*, quod, ſi hoc verificatur in ordine ad primam tonſuram, quæ ſolummodo eſt diſpoſitio ad ordines, non video, cur non debeat verificari quoad ipſos ordines.

15 **An hoc præceptū obliget ſub graui remiſſiuè.**

Sed hic diſputant DD., an hoc præceptum Tridentini obliget ſub graui, adeo vt, ſi quis ſuſcipiat primam tonſuram, vel aliquem ordinem, qui prius non fuerit confirmatus, peccat læthalitèr, an venialitèr dumtaxat. *Suarez. d. tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 38. ſect. 1. in fine. Sotus in quarto diſt. 7. art. 8. concl. 3., & diſt. 24. q. 1. art. 4., Nauarrus in man. c. 22. num. 9., & alij*, exiſtimant non obligare ſub graui, eo quia in tali diſpoſitione Tridentini, nec aliqua cenſura imponitur, nec verbum aliquod apponitur, ex quo poſſit argui grauitas culpæ. Ex aduerſo *Bonacina de Sacramento Ordinis diſp. 8. q. vnica punct. 5. num. 10. verſ. ſed hoc ego*, quamuis non cognoſcat grauitatem ex pæna, nec ex verbis, quibus Concil. Trident. loquitur, cognoſcit tamen ex grauitate præcepti, & rei præceptæ. In huius dubij reſolutione non immoror; cum de ipſa egerim *in qq. de Sacris Ordinibus part. 1. de ordin. in communi q. 3. art. 18.*, ad quæ vos remitto.

16 **Quandoque poteſt eſſe neceſſaria per accidens.**

Concluſio IV. Quamuis, nec ex vi ipſius inſtitutionis, nec ex vi alicuius præcepti, ſiue Diuini, ſiue Eccleſiaſtici ſit per ſe ſimplicitèr neceſſaria Confirmatio, poteſt tamen quandoque per accidens eſſe neceſſaria; primò ratione contemptus Sacramenti, ſi ex illo omitteretur eiuſdem ſuſceptio, quatenus vilipenderetur, & pro nihilo haberetur; tunc etenim talis omiſſio eſſet grauitèr peccaminoſa, & obuiaret metæ æternæ beatitudinis. Secundò ratione ſcandali, ſi quod ex tali omiſſione obueniret, quod contingeret, ſi dum publicè conferretur omnibus non confirmatis ad illam ſuſcipiendam concurrentibus, ipſe nedum negligeret, ſed ita temere ſe haberet, vt ſpeciem contemptus alijs præberet. Tertiò ratione charitatis erga ſe ipſum, vt ſi quis practicè ſibi ſuaderet, non poſſe ſine hoc Sacramento ſuperare tentationes contra fidem, & verſari in periculo ſuccumbendi, tunc etenim teneretur illud ſuſcipere.

QVÆSTIO II.

De Materia Sacramenti Confirmationis.

INcipimus examinare cauſas intrinſecas huius Sacramenti, & primò ſe ſe offert materia eiuſdem, quæ ex genere ſuo habet formam præcedere. Hæc in iſto Sacramenro, ſicuti in alijs omnibus duplex eſt, altera remota, quæ conſiſtit in rebus, quibus componitur Sacramentum, altera proxima, quæ conſiſtit in actionibus, per quas materia remota conſtituitur in eſſe proximo, & applicatur ſubiecto, in quo debet recipi Sacramenrum, & eius effectus. De vtraque, prout pertinet ad Confirmationem, agendum eſt ſub hoc titulo.

ARTICVLVS I.

Quænam ſit materia remota huius Sacramenti.

SVMMARIVM.

Opinio antiquorum conſtituentium hoc Sacramentum in ſola manuum impoſitione proſcripta quacunque alia re ſenſibili. 1.
Requiritur certa, & determinata materia. 2.
Satisfit rationibus contrarijs. 3.
Quomodo ſaluatur Confirmatio paſſiua Apoſtolorum, & actiua in primordijs Eccleſiæ. 4.
Sententia docens materiam huius Sacramenti eſſe oleum oliuarum, balſamum vero requiri ſolum ex præcepto. 5.
Rationes pro hac ſententia. 6.
Sententia docens non eſſe neceſſe, quod oleum ſit oliuarum. 7.
De fide eſt, quod eſſentialitèr requiratur chriſma tanquam materia. 8.
Chriſma, vt ſit materia apta, debet eſſe confectum ex oleo, & balſamo. 9.
Oleum ſignificat gratiam, balſamum robur alijs communicabile. 10.
Euincitur ex Conciliorum definitionibus, & SS. PP. auctoritatibus. 11.
Commixtio balſami cum oleo eſt de ſubſtantia Sacramenti, non ex mera neceſſitate præcepti Eccleſiæ. 12.
Euincitur ex traditione Apoſtolica. 13.
Materia huius Sacramenti dicitur vnguentum, quod nequit in ſolo oleo conſiſtere. 14.

Cur

Cur potius conſtituuntur ex balſamo, quam ex alio liquore odorifico. 15.
Euincitur etiam ex definitionibus Conciliorum. 16.
Si oleum præcisè adhibeatur erit inepta materia. 17.
Quomodo intelligendum ſit dictum Innocentij III. 18.
Paulus III. non diſpenſauit, vt poſſit alius liquor à balſamo adhiberi, ſed declarauit illum liquorem eſſe balſamum. 19.
Oleum ex neceſſitate debet eſſe oliuarum. 20.
Cur potius oliuarum, quam amigdularum. 21.
Soluuntur argumenta contraria. 22.

1 Rationes ſuadétes nullam rem ſenſibilem eſſe materiam huius Sacramenti

EX eo, quod Apoſtoli receperint plenitudinem Spiritus Sancti, & per conſequens fuerint confirmati ſiue aliqua materia ſenſibill tunc exhibita, & poſtea Apoſtoli alios confirmauerint per ſolam manuum impoſitionem, videtur abſolutè dicendum, vel nullam materiam ſenſibilem ad hoc Sacramentum eſſe neceſſariam, vel ſufficere ſolam manuum impoſitionem. Quod, ſi modo adhibeatur balſamum oleo commixtum, in quo conſiſtit chriſma, non eſt ex vi inſtitutionis huius Sacramenti, ſed ex Eccleſiæ diſpoſitione, quod propterea non videtur poſſe pertinere ad ſubſtantiam, ſed ad quandam cæremoniam ad maiorem ſignificationem effectus, quem habet producere hoc Sacramentum. Huius opinionis fuiſſe antiquos canoniſtas refert *Marſilius in quarto q. 5. art. 1.*

2 Vltra manuum impoſitionem requiritur certa, & determinata materia.

Communis tamen conſenſus in Eccleſia Dei receptus ſine vlla hæſitatione, ſeu contradictione eſt, quod vltra manuum impoſitionem requiratur materia propria ſenſibilis ex vi inſtitutionis Chriſti Domini, & hoc definitum eſt in pluribus *Concilijs, Florent. in decreto Eugenij, & Trid. ſeſ. 7. can. 2.*, & alijs; Nec obſtare poſſunt prædicta de Confirmatione paſſiua Apoſtolorum, quam receperunt in die Pentecoſtes, & actiua, quam in alios habuerunt per ſolam manuum impoſitionem, quandoquidem, vt notat *D. Thomas q. 72. art. 2. in corpore*, quoad paſſiuam ipſorum Confirmationem Chriſtus Dominus poteſtate excellentiæ, qua gaudebat, contulit Apoſtolis rem, ſeu effectum Sacramenti conſiſtentem in plenitudine Spiritus Sancti ſine eodem Sacramento; ſubdit tamen *idem D. Thomas ibidem*, quod licet in confirmatione Apoſtolorum non interuenerit conſueta materia, nempè chriſma, interuenerit alia materia ſenſibilis æquiualens eidem chriſmati, nempè ignis, in cuius forma Spiritus Sanctus apparuit; quoad actiuam vero aliorum confirmationem aſſerit, quod in principio naſcentis Eccleſiæ per impoſitionem manuum Apoſtolorum ſuper baptizatos deſcendebat Spiritus Sanctus in ſignis ſenſibilibus, & tunc Apoſtoli non vtebantur chriſmate, quia non erat neceſſaria materia Sacramentalis, vbi ſenſibilia ſigna miraculosè apparebant, quæ ſupplebant vices eiuſdem materiæ; vbi verò huiuſmodi ſigna non apparebant, tunc adhibebant chriſma.

3 Satisfit rationibus contrarijs.

4 Quomodo ſaluetur Confirmatio paſſiua, & actiua Apoſtolorum in primordijs Eccleſiæ.

Suppoſito igitur, quod ex vi inſtitutionis ſit neceſſaria materia ſenſibilis ad valorem huius Sacramenti quæritur in præſenti, in quonam conſiſtat hæc Sacramentalis materia. Conſentiunt omnes debere eſſe chriſma; ſed, an hoc debeat eſſe confectum ex oleo oliuarum, & balſamo ex neceſſitate Sacramenti, an vero poſſit eſſe ſimpliciter ex oleo oliuarum ſine balſamo, adeout hoc ſolum requiratur ex præcepto, & an poſſit eſſe ex oleo nucum, vel aliarum rerum, diſſident DD. inter ſe.

5 Sentẽtia docens materiã eſſe ſolũ oleum oliuarũ.

Nonnulli ſtatuerunt de neceſſitate Sacramenti eſſe ſolummodo chriſma ex oleo confectum, balſamum verò ſolum requiri ex præcepto; atque huius opinionis fuerunt *Nauarrus c. 22. n. 8.*, *Coarunias lib. 1. var. reſol. c. 10. n. 4.*, *Valentia tom. 4. diſp. 5. q. 1. punct. 2. v. ... quæſtio eſt autem*, *Sotus in quarto diſt. 7. q. 1. art. 2.*, *D. Antoninus tertia part. tit. 14. c. 2.*, & alij. Mouentur primò *ex c. 1. de Sacram. non iterandis*, vbi Innocentius III. interrogatus, an eſſet iterum confirmandus, qui ex errore fuerat delinitus non chriſmate, ſed oleo, reſpondit non eſſe iterandam in eo Confirmationem, ſed cautè ſupplendum, quod incautè fuerat prætermiſſum; vbi nota, quod cum Pontifex dicat, non eſſe iterandum ſufficientèr indicet Sacramentum eſſe validum, & ſolum deficere in aliquo accidentali; nam ſubſtantialia, ſine quibus non poteſt eſſe Sacramentum, non ſupplentur, ſed de nouo cum Sacramento ſunt ponenda, cum Sacramentum prius fuerit inualidum. Secundò ex antiquorum PP. auctoritatibus quos latè refert *Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 33. ſect. 1. verſ. ſecundo principalitèr*. Tertiò ex raritate balſami, & incertitudine, an ſit verum, nec ne; ex Plinio enim refertur *lib. 12. c. 25.* in Iudæa ſolum reperiri vera balſama in duobus hortis, qui ſunt de iure regio, altero viginti iugerum, altero pauciorum; vnde vix concipi poteſt, quomodo ex illis tot balſama ſubminiſtrari poſſent toto orbi; & quando etiam alibi eſſent diſperſa, non tamen poteſt eſſe tanta copia, vt pro omnibus locis ſufficiant. Quo poſito poteſt ſic efformari argumentum pro hac ſententia. Incredibile videtur, quod Deus optimus maximus Sacramentum, quod pro omnibus inſtituit, voluerit inſtituere in materia, quæ non eſt omnibus com-

6 Rationes pro hac ſententia

Digitized by Google

communis, nec præſto poteſt eſſe omnibus, & ſicuti ex ſupradictis Sacramentum Baptiſmi inſtituit potius in aqua, quam in alio liquore, quia illa eſt communis omnibus, & facilè ab omnibus haberi poteſt, ita congruum fuit, vt etiam hoc Sacramentum inſtitueret in materia, quæ omnibus poſſet eſſe præ manibus, qualis non eſt balſamum. Deindè, cum balſamum proprium deferendum ſit à longinquis regionibus, vix poteſt eſſe certitudo, quod verum ſit balſamum; vnde ſemper dubitari poſſet de valore Sacramenti, ſi balſamum eſſet de neceſſitate eiuſdem; vnde referunt aliqui DD., quod, cum in quadam regione Epiſcopus dubitaret de liquore aliundè delato, an eſſet verum balſamum, conſuluit Paulum III., ab eoque petijt, vt poſſet in illo liquore oleo commixto confirmare, & ab eodem ſpeciali fauore obtinuit facultatem, quam non potuiſſet Pontifex concedere, ſi verum balſamum ex neceſſitate Sacramenti requireretur; ergo ſignum eſt, quod verum balſamum non eſt de neceſſitate, & ſubſtantia huius Sacramenti.

7 Sentẽtia docens non eſſe de ſubſtantia huius Sacraméti, quod oleum ſit oliuarũ.

Alij dixerunt non eſſe de ſubſtantia huius Sacramenti, quod oleum, ex quo conficitur chriſma materia eiuſdem, ſit oliuarum, ſed poſſit eſſe expreſſum ex nucibus, vel amigdalis, & hoc propter rationem vltimo loco adductum pro præcedenti opinione, quia ſcilicet non in omnibus locis oleum oliuarum reperitur; vnde congruum fuit, vt Chriſtus Dominus inſtitueret in materia, quæ præſto poſſet eſſe omnibus, & ſic in quocunque oleo indefinitè; vt, vbi oliuarum reperitur, illud adhiberi poſſit; vbi nucum, vel amygdalarum, etiam illud poſſit poni in hoc vſu. Adde, quod hoc Sacramentum inſtitutum eſt per modum vnctionis, quæ æquè eſſe poteſt, vel per oleum oliuarum, vel per illud amygdalarum, vel nucum. Nihilominus ſit

Concluſio I. De fide eſt Chriſma eſſe materiam ſimpliciter neceſſariam ad eſſentiam, & ſubſtantiam Confirmationis. In hoc omnes Catholici conſentiunt.

8 De fide requiritur chriſma.

Expreſsè hæc veritas definita eſt in *Concil. Florent. in decreto Eugenij, & in Trident. ſeſ. 7. cau. 2.*, & euincitur ex communi Eccleſiæ traditione ab Apoſtolis ad hæc vſque tempora prorogata, de qua communitèr teſtantur SS. PP., & Theologi; legitima autem traditio habet æquam vim, ac ſacræ paginæ, vt ſparſim in his, aliiſque quæſtionibus tradidimus.

Euincitur ex definitionibus Conciliorum.

Hinc eruimus chriſma non eſſe ex mera inſtitutione Eccleſiaſtica; ea etenim, quæ ſunt de eſſentia, & ſubſtantia Sacramentorum, ſunt omnino independentia à poteſtate Eccleſiæ, ſed pendent præciſè ab inſtitutore eorundem; ad quem etenim pertinet inſtituere, pertinet etiam ſubſtantialia decernére; Neque obſtat, ſi dicatur, quod Chriſtus Dominus fuit inſtitutor Sacramenti Ordinis, & tamen Eccleſia ſtatuit determinatam materiam, & formam eiuſdem, ergo etiam &c. Non obſtat, inquam, quia Chriſtus Dominus Sacramentum ordinis inſtituit in ſigno ſenſibili indeterminato, quod aptum tamen eſſet ſignificare effectum, & poteſtatem, quæ per illud confertur, vnde Eccleſia ſolum determinauit, quod Chriſtus Dominus reliquit indeterminatum; Sacramentum vero Confirmationis inſtituit in ſigno ſenſibili determinato, vnde non eſt in poteſtate Eccleſiæ illud ſtatuere, determinare, nec in ſubſtantia variare.

Concluſio II. Chriſma, vt ſit materia idonea huius Sacramenti, debet eſſe confectum ex oleo, & balſamo. In hanc etiam communitèr conſentiunt, & ſignantèr *D. Thomas tertia part. q. 72. art. 2. in corp., & in quarto ſentent. diſt. 7. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 2. in corpore, Coninchus in tertiam partem D. Thomæ q. 72. art. 2., Henriquez lib. 2. c. 2., Philarchus ſecunda part. lib. 1. c. 11., Toletus lib. 2. c. 24. n. 2., Pitigianus in quarto diſt. 7. q. 1. art. 3.* 9 Chriſma debet eſſe confectum ex oleo, & balſamo.

Euincitur primò ratione *D. Thomæ d. q. 72. art. 2.* materia Confirmationis debet eſſe talis, vt apta ſit repræſentare principalem effectum eiuſdem, qui eſt plenitudo Spiritus Sancti ad robur ſpirituale, quod conuenit perfectæ ætati; ſed chriſma, quod conficitur ex oleo, & balſamo eſt aptum repræſentare perfectè talem plenitudinem, ergo &c. Minor probatur, quia gratia Spiritus Sancti præſignatur in oleo; vnde Chriſtus Dominus, qui habebat omnem plenitudinem gratiæ Spiritus Sancti in te corporalitèr inhabitantis dicitur vnctus oleo lætitiæ. Rurſus cum per Sacramentum Confirmationis homo in vita ſpirituali, & ſupernaturali conſtituatur, vt adultus comparatiuè ad Baptiſmum, per quem præciſè regeneratur, & in vita ſpirituali conſideratur, vt infans, debet habere robur, per quod ſuas actiones poſſit alijs communicare, & ideo oleo commiſcetur balſamum, per quod ratione fragrantiæ odoris, quam habet, ſignificatur robur, quod accipitur per Spiritum Sanctum alijs communicabile. 10 Oleum ſignificat gratiam, balſamũ robur alijs cõmunicabile.

Euincitur ſecundò ex Concil. Florent. in decreto Eugenij, vbi ſimplicitèr docet materiam huius Sacramenti eſſe chriſma confectum ex oleo, & balſamo, ad quem conſenſum intelligitur relatum *Concil. Trid. d. ſeſs. 7. c. 2.*, dum materiam huius Sacramenti appellat ſimplicitèr chriſma. Confirma- 11 Euincitur Conciliorum definitionibus.

firmatur etiam ex *D. Cipriano ſermone de vnctione Chriſmatis*, vbi habet. *Hodie Sanctum Chriſma conficitur in quo mixtum oleo balſamum Regiæ, & Sacerdotalis gloriæ exprimit vnitatem &c.*, & poſtea ſubdit *huiuſmodi Chriſmate ſanctificari, confirmari, & conſecrari Chriſtianos.*

Hic latè diſputant DD., an balſamum requiratur ex inſtitutione Chriſti, & ſit de ſubſtantia Sacramenti, an vero ſolummodo ex præcepto Eccleſiaſtico, adeout, ſi omittatur, validum conſtituatur Sacramentum, & ſolum reddatur illicitum ob tranſgreſſionem præcepti iuxta ea, quæ retuli in principio huius tituli.

12 Quod oleum ſit mixtum balſamo eſt de neceſſitate Sacramenti.

Concluſio III. Certius eſt, eſſe de ſubſtantia Sacramenti, quod oleum ſit commixtum balſamo, non ſimplicitèr de neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici. *Silueſter verb. Confirmatio q. 1., Toletus lib. 2. c. 24., Suarez tom. 3. in tertiam part. D. Thomæ diſp. 33. ſect. 1. verſ. altera verò pars*, quidquid ex aduerſo dixerint *Caietanus tertia part. q. 72. art. 2., & Sotus in quarto diſt. 7. q. vnica art. 2.*, ſcilicet primus, quod commixtio balſami ſit tantum de præcepto Eccleſiaſtico, nec fuerit in vſu in principio naſcentis Eccleſiæ, cum incredibile videatur pauperimos Epiſcopos habuiſſe balſamum; ſecundus vero, qnod commixtio balſami verè fuerit ex inſtitutione Chriſti Domini, non tamen, vt neceſſariam ad Sacramentum, ſed vt præceptam, vbi poſſit commodè ſeruari.

13 Euincitur ex traditione Apoſtolica.

Colligitur ex traditione vniuerſalis Eccleſię, & praxi eiuſdē, quę traditio ab Apoſtolis manifeſtè euincitur ad nos deriuaſſe; Primò, quia nemo negat, hanc traditionem verè extare, & ſolum aliqui contrariæ ſententiæ aſſertores aſſerunt, originem habuiſſe ab Eccleſia, non ab Apoſtolis; contra quos ex regula *D. Auguſtini lib. 4. de Baptiſmo c. 24.*, quam in hæc verba efformat. *Quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur*, ſic arguo; Hunc vſum commiſcendi balſamum cum oleo eſſe ab Eccleſia vniuerſalitèr receptum manifeſtè conſtat, nec conſtat eſſe ab aliquo generali Concilio inſtitntum, cum fuerit in praxi ante quodcunque generale Concilium, vt colligitur ex *D. Dionyſio c. 4. de Eccleſiaſt. Hierarchia parte ſecunda*, qui floruit ante quodcunque Concilium, quod fuerit celebratum poſt Apoſtolos; Hoc chriſma, quod in confirmatione adhibebatur appellat, *vnguentum, quod nos maximè Diuinos efficit*, & *part. 3.* habet. *Vnguenti, quæ perficiendi vim habet perfuſio, eum qui initiatus eſt ſuauitate odoris fragrantem facit*; hoc autem non habetur per ſimplex oleum, cum hoc per ſe vnguentum non conſtituat, nec præſtat illam odoris fragrantiam; Quod, ſi dicas, ex hoc non euinci, quod determinatè oleo debeat balſamum commiſceri, cum poſſit vnguentum fieri ex oleo, alijſque ingredientibus, & fragrantia poſſit ex alio liquore promanare; ſtatim impugnaberis, quia, vt habet *D. Thomas d. q. 72. art. 2. in corpore*, intelligitur potius illud vnguentum debere eſſe ex balſamo, quam ex alio liquore, quantumuis odorifero, quia balſamum habet præcipuum odorem, & quia etiam incorruptionem præſtat.

14 Materia huius Sacramenti appellatur vnguentū, quod nequit in ſolo oleo conſiſtere.

15 Cur potius conſtituatur ex balſamo, quā ex alio liquore odorifero.

Euincitur etiam concluſio ex ſupra allegato Concil. Florentino in decreto Eugenij, vbi, cum ſtatuiſſet eſſe neceſſariam materiam ad quodlibet Sacramentum, determinatè pro materia Confirmationis ſtatuit chriſma ex oleo, & balſamo confectum; materia autem Sacramentorum eſt ex inſtitutione Chriſti Domini, qui eſt auctor eorundem, & cum tam oleum, quam balſamum eodem modo per Concilium exprimatur, eodem modo vtrumque ex eadem inſtitutione debet eſſe materia, nec eſt aliqua ratio, ob quam ſegregando vnum ab altero primum dici debeat materia ex inſtitutione, & ſecundum non niſi ex præcepto Eccleſiaſtico; quinimmò cum *Fabianus Papa epiſt. 2.* expreſsè dixerint Chriſtum Dominum docuiſſe Apoſtolos conficere chriſma, quod in ſolo oleo non poteſt conſiſtere, & hoc acceptum eſſe à SS. Apoſtolis, manifeſtè indicat conflatum chriſmatis eſſe ex oleo, & balſamo ex inſtitutione eiuſdem Chriſti.

16 Euincitur etiam ex Concilijs.

17 Si oleum præciſè adhibeatur erit inualidū Sacramentum.

Ex his deducitur, quod, ſi qnis fuerit oleo præciſè oliuarum inunctus, non receperit validè hoc Sacramentum, & in hoc videtur conſentire *D. Thomas d. q. 72. art. 2., & in quarto contra Gentes c. 60., & in quarto diſt. 7. qu. 1. art. 2. quæſtiunc. 2., & ibi D. Bonauentura art. 1. q. 2. ad primum*; & hoc confirmat *Concilium Colonienſe in doctrina de hoc Sacramento*, vbi aſſerit balſamum eſſe de eſſentia; Neque obſtat id, quod ſupra dicebatur de reſponſione data ab Innocentio III. ſuper articulo ipſi propoſito, an eſſet iterum confirmandus, qui ex errore delinitus ſolummodò fuerit cum oleo oliuarum, ſcilicet non eſſe iterandam Confirmationem, ſed cautè ſupplendam, quod incautè fuerat prætermiſſum; Non obſtat, inquam, quia ad ſummum Pontifex in eo textu vult non iterandos eſſe ritus, & cæremonias, quæ, ſeu qui fuerunt adhibitæ, ſeu adhibiti in priori vnctione ſine balſamo, ſed Confiemationem poſſe fieri ſine illis, cum iam fuerint adhibitæ, ea proportionali ratione, qua plurimi aſſerunt, quod, ſi Baptiſmus fuerit ſolemni-

18 Quomodo intelligendū ſit decretum Innocentij III.

tèr

tèr collatus, ſed inualidè ratione alicuius defectus ſubſtantialis non ſint poſtea iterandæ ſolemnitates, ſed Baptiſmus priuatim conferendus. Cæterum, dum dicit cautè ſuplendum id, quod incautè fuerit intermiſſum, vel intelligit ſolum adhibendum in illo ſupplemento balſamum, vel illud ſimul cum oleo; ſi hoc ſecundum; iam habemus intentum, quod conferatur tota ſubſtantia huius Sacramenti, & ſic, quod prius collatum fuerit inualidum; cæteroqui Pontifex cogeret Sacramentum irriterabile ritè collatum reiterari, quod non eſt dicendum; ſi intelligit primum; vel in vnctione balſami eſſet forma repetenda; vel non; ſi repetenda, non verificaretur, quia balſamum per ſe ſumptum non eſt chriſma; tum quia vnctio cum ſolo balſamo nunquam fuit adhibenda, nec illi forma applicanda, & propterea non fuit prætermiſſa, nec ſupplenda; ſi non repetenda; eſſet ſolum quædam materialis vnctio, quæ propterea nullum poſſet producere effectum.

19 Paulus III. non diſpenſauit, vt fieri poſſet vnctio in alio liquore à balſamo, ſed declarauit illum liquorem eſſe balſamum.

Nec item officere poteſt id, quod dicitur de conceſſione facta à Paulo III. Epiſcopo, qui eum conſuluit de confirmatione facta, vel facienda cum quodam liquore aliundè illuc translato commixto cum oleo, de quo liquore dubitabatur, an eſſet verum balſamum, cui dicitur Pontifex reſpondiſſe concedens facultatem adhibendi illum liquorem oleo commixtum. Non, inquam, officere poteſt, quia ibi Pontifex non diſpenſauit in materia huius Sacramenti, ſed dumtaxat declarauit illum liquorem eſſe materiam aptam, & idoneam; pro quo aduerte, ex varijs regionibus deferri conſueuiſſe balſama, quæ ratione diuerſitatis coloris videbantur inter ſe diferre, vnde dubitabatur, an eſſent diuerſæ ſpeciei, & vera balſama, quia tamen habebant eandem fragrantiam, & odorem, aliaſque qualitates, Pontifex declarauit ea omnia non obſtante diuerſitate coloris, aliorumque accidentium eſſe aptam materiam huius Sacramenti.

Concluſio IV. Oleum, ex quo conſtare

20 Oleum ex neceſſitate Sacramenti debet eſſe oliuarum.

debet chriſma, debet eſſe oliuarum, nec ſufficit, ſi ſit nucum, aut amigdularum. Conſentiunt *D. Thomas tertia part. q. 72. art. 2. ad tertium, & in quarto diſt. 7. q. 1. art. 2. ad quartum, Suarez. tom. 3. in tertiam part. D. Thomæ diſp. 33. ſect. 1. verſ. dico ergo tertio*, & alij communitèr.

Ratio ex eo deducitur, quia nomine olei ſine aliquo addito ſecundum communem acceptionem venit illud oliuarum, ergo hoc ſolum eſt materia apta, & idonea huius Sacramenti, quandoquidem Chriſtus Dominus inſtituit pro materia huius Sacramenti oleum ſimplicitèr. Conſequentia probatur paritate hoc pacto: Quia Chriſtus Dominus inſtituit pro materia Euchariſtiæ panem ſimplicitèr ſine aliquo addito, intelligitur materia huius Sacramenti panis ſolummodo ex tritico, quia ſolummodo panis ex tritico venit nomine panis ſimplicitèr, reliqui ex alia materia dicuntur tantum panes cum addito, vt tradidimus in quæſtionibus de Euchariſtia, ſed etiam nomine olei ſimplicitèr venit illud ex oliuis, reliqua dicuntur tantum talia cum addito, ergo cum Chriſtus Dominus inſtituerit hoc Sacramentum in materia olei ſimplicitèr debet intelligi ſolummodo de oleo oliuarum.

Ratio ſecundò ex eo deducitur, quod habet *D. Thomas loc. cit.*, quod ſcilicet proprietates olei quibus ſignificatur plenitudo Spiritus Sancti, quæ eſt effectus primarius huius Sacramenti, magis inueniuntur in oleo oliuarum, quam in alijs, ſiquidem, cum oliuæ ſemper vireſcant, virorem, & Spiritus Sancti miſericordiam ſignificant, & internam animi pacem, quam Spiritus Sanctus affert, vnde ad eandem ſignificandam Columba figura Spiritus Sancti in arcam redijt ferens in ore ramum oliuarum ſimbolum pacis inter Deum, & homines.

21 Per oleũ oliuarũ replicatur plenitudo Spiritus Sancti.

Remanet, vt modo ſoluamus argumenta, quæ in principio afferebantur excludentia balſamum ab eſſentia huius Sacramenti, & aſſerentia ſolum eſſe de neceſſitate præcepti; & quidem quoad reſponſionem datam ab Innocentio III. relatam *in c. 1. de Sacram. non iter.*, & ad declarationem Pauli III. ſolutio patet ex ſupradictis. Quoad auctoritates SS. PP. relatas à Suarez dicendum eſt, antiquos PP. ſemper ſumpſiſſe nomine chriſmatis compoſitum ex oleo, & balſamo; quod, ſi quandoque meminerint ſolummodo olei, hoc fuit, quod maior pars chriſmatis eſt oleum, & ſolum modicum balſami commiſceatur, & propterea ſumpta denominatione à potiori parte dixerunt oleum, non tamen excluſerunt balſamum.

Ad illud tandem, quod ſubditur, ſeu

22 Soluuntur argumenta contraria.

ſubdebatur de raritate, & incertitudine balſami, reſpondendum, quod id, quod refert *Plinius loc. cit.* referendum ſit ad antiquiora tempora, cæterum pro tempore, quo inſtitutum eſt hoc Sacramentum præſumendum eſt potiſſimum in Iudæa copiam magnam extitiſſe, ex qua poſſet etiã deferri in alia loca, & ſucceſſiuè adauctam eſſe abundantiã; & experientia ipſa comperitur ad omnia loca deferri, quin etiam modo in has noſtras regiones ex Indijs in magna copia transferuntur; vnde ad argumentum deſumptum ex paritate Baptiſmi, qui inſtitutum eſt in materia

omnibus communi, reſpondet *D. Thomas d. q. 72. art. 2. ad quartum*, commenſurando materiam ad neceſſitatem Sacramentorum; quod, quia Baptiſmus eſt ſummæ neceſſitatis, exigat materiam facilem haberi, & quæ omnibus præſto ſit, quia vero Confirmatio non eſt Sacramentum neceſſitatis, contenta eſſe debet materia, quæ aliundè poſſit transferri; quod etiam poteſt euinci paritate miniſtri, qui in Baptiſmo, quia eſt Sacramentum ſummæ neceſſitatis, poteſt eſſe quilibet, quia verò Confirmatio non eſt Sacramentum neceſſitatis, miniſter eſt all gatus dignitati Epiſcopali, qui non ſemper ſic facilè haberi poteſt. De incertitudine non eſt valdè hæſitandum, nam ſubſtantia eiuſdem melius dignoſcitur ex fragrantia, quam ex colore, & alijs accidentibus, & differentia inter vnum, & alterum deſumpta ex colore eſt merè accidentalis non ſubſtantialis, vt etiam colligere fas erit ex vino inſtituto tanquam materia Euchariſtiæ, quod ſiue fuerit album, ſiue rubrum non variatur in ſpecie, & vtrumque eſt aptum pro tali materia.

Eadem ratione reſpondetur ad id, quod dicebatur de oleo nucum, & Amigdularum, dicendum quippè eſt, quod, quamuis vbique locorum non reperiatur oleum oliuarum, non propterea in locis, in quibus non extant oliuæ, poſſit adhiberi illud nucum, ſeu amygdularum, cum poſſit in ea loca aliundè transferri. Hoc etiam paritate euincitur, nam referunt Hiſtoriographi, quod in Nouergia non naſcantur vites, ex quibus poſſit vinum extrahi, nec tamen ibi dicitur, quod poſſit fieri conſecratio in ceruiſia, ſed vinum debeat pro Euchariſtia aliundè transferri; vnde communitèr dicunt Fabulam eſſe, quod Pontifex diſpenſauerit Nouergijs, vt in ſolo pane poſſint conſecrare, vel in pane, & ceruiſia.

ARTICVLVS II.

An ſit de neceſſitate Sacramenti, vt chriſma ſit nouum, & recens illius anni.

SVMMARIVM.

Concilia præſcribentia chriſma debere eſſe recens illius anni. 1.

Non eſt de neceſſitate Sacramenti, quod chriſma ſit recens, & illius anni. 2.

Non eſt ex inſtitutione Chriſti, nec ex natura, & conditione eiuſdem chriſmatis. 3.

Euincitur paritate olei infirmorum. 4.

Eſt tamen de neceſſitate præcepti. 5.

Euincitur ex pluribus textibus iuris canonici. 6.

Apoſtoli ſtatuerunt chriſma debere eſſe nouum, non promulgarunt hoc eſſe à Chriſto Domino inſtitutum. 7.

Ratio, ob quam ſtatutum eſt chriſma debere eſſe nouum. 8.

Quomodo computandus ſit annus, quo chriſma debet renouari. 9.

HÆc controuerſia excitatur potiſſimum propter definitiones aliquorum Conciliorum, quæ ſtatuunt, huiuſmodi chriſma debere eſſe illius anni, vt ſignantèr *Concilium Carthaginenſe IV. c. 36.*, vbi præcipit Parochis, vt ſingulis annis ante feſta Paſchalia recipiant chriſma à proprijs Epiſcopis, & *Concil. Vaſenſe c. 3., & Toletanum primum c. 12.*, quod idem videtur colligi *ex c. omni tempore de conſecr. diſt. 4., & c. quoniam de ſententia excom. in ſexto*. Sed dubium in hoc verſari poteſt, an ſit de neceſſitate Sacramenti, an vero tantum de neceſſitate præcepti.

1 **Vnde deſumatur ratio dubitandi.**

Concluſio. Non eſt de neceſſitate Sacramenti, quod chriſma ſit nouum, & illius anni, eſt tamen de neceſſitate præcepti. *Paludanus in quarto diſt. 17. q. 1. art. 2. num. 19., Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 33. ſect. 1. verſ. idemque ſtatuitur.*

2 **Non eſt de neceſſitate Sacramenti, quod ſit nouum.**

Ratio ex eo deducitur quoad primam partem, quod illa nouitas, nec eſt ex inſtitatione Chriſti Domini, nec ex mutatione ſubſtantiæ illius materiæ, ſi vetuſta poſt annum adhibeatur, ergo non eſt de neceſſitate Sacramenti, quod chriſma ſit illius anni. Antecedens quoad primam partem ex eo liquet, quod nullibi conſtet, quod Chriſtus Dominus in inſtitutione huius Sacramenti præſcripſerit chriſma cum illa qualitate renouationis ſingulis annis; quoad ſecundam verò ex eo euincitur, quod per lapſum vnius, & alterius anni ſubſtantia chriſmatis non corrumpitur ſubſtantialitèr, ſed ad ſummum accidentalitèr alteratur; Neque poteſt dici, quod ex vetuſtate ceſſet in eodem benedictio, ſeu conſecratio, quia, quouſque perſeuerat ſubſtantia rei, conſecratio in illa re non deſinit, vt videre eſt in alijs omnibus rebus conſecratis.

3 **Nec ex inſtitutione Chriſti, nec ex natura chriſmatis requiritur hæc nouitas.**

Rurſus eodem modo præſcribitur renouatio ſingulis annis olei infirmorum, quo præſcribitur renouatio chriſmatis pro confirmandis, ſed renouatio olei infirmorum ſingulis annis non eſt de neceſſitate Sacramenti, quandoquidem per rituale Romanum præſcribitur, quod, ſi vel ex incuria, vel ex alia cauſa non habeatur oleum renouatum, poſſit vetus adhiberi, & ſi dubitetur de aliqua notabili

4 **Euincitur paritate olei infirmorum.**

bili alteratione, modicum de oleo non benedicto eidem miſceatur, & vngatur infirmus, quod certè non ſubſiſteret, ſi ex neceſſitate Sacramenti requiretur oleum illo anno benedictum, ergo hoc idem ſentiendum eſt de chriſmate pro confirmandis.

Ratio quoad ſecundam partem non ſolum deducitur ex allegatis Concilijs, &

5 Eſt tamẽ de neceſſitate præcepti.

textibus, ſed vlterius ex omnibus Ritualibus Eccleſiaſticis, in quibus præcipitur, vt non adhibeatur chriſma, niſi conſecratum illo anno; vnde etiam *in c. ſi quis de alio de conſecr. diſt. 4.* grauitèr arguitur Parochus, qui tentauit de veteri chriſmate baptizatum vngere; & Concilium Florent. in decreto Eugenij, vbi aſſignans materiam huius Sacramenti, quantum eſt ex vi inſtitutionis eiuſdem, aſſerit eſſe chriſma ex oleo, & balſamo confectum, non tamen aſſerit debere eſſe eodem anno conſecratum; cum igitur conſtat debere eſſe nouum, ſeu illius anni, manifeſtè euincitur

6 Euincitur ex pluribus textibus iuris canonici.

non eſſe ex neceſſitate Sacramenti, quod ſit nouum, & per hoc confirmatur etiam prima pars huius concluſionis, ſed tantum ex neceſſitate præcepti. Adde tandem, quod *Fabianus Papa d. epiſt. 2.* tradidit Apoſtolos docuiſſe non vtendum eſſe chriſmate, niſi vnius anni.

Quod, ſi dicas, ex hoc euinci eſſe de neceſſitate Sacramenti chriſma nouum, ſeu vnius anni, quandoquidem hoc prouenit ex traditione Apoſtolorum; nam, ſicuti vt ſupra diximus ex eo, quod idem Pontifex ibidem dixerit Apoſtolos tradidiſſe Chriſtum in nocte cænæ inſtruxiſſe, ſeu docuiſſe conficere chriſma, diximus ſufficientèr conſtare eſſe de neceſſitate huius Sacramenti, quod chriſma ſit confectum ex oleo, & balſamo, ita ex eo, quod Apoſtoli tradiderint non eſſe adhibendum, niſi chriſma vnius anni, congruè arguendum ſit eſſe de neceſſitate eiuſdem Sacramenti, quod chriſma fuerit illo anno confectum,

7 Apoſtoli ſtatuerunt debere eſſe nouum, non dixerunt hoc eſſe à Chriſto inſtitutũ.

& conſecratum; Si, inquam, hoc dicas; ſtatim impugnaberis; quia ea, quæ tradiderunt Apoſtoli ſunt in duplici differentia; alia quæ præcisè ab eiſdem Apoſtolis ſtatuta ſunt; alia, quæ fuerunt à Chriſto Domino inſtituta, & præcepta; Quoad prima ſunt verè conditores; quoad ſecunda promulgatores: Prima non ſunt de ſubſtantia, & eſſentia Sacramentorum, cum ipſi ex ſe, ſicuti non potuerunt condere Sacramenta, ita, nec ea, quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti. Secunda autem intelliguntur eſſe de neceſſitate, & ſubſtantia Sacramenti. Retenta hac diſtinctione conſideramus verba Fabiani Pontificis, & videbimus, quod chriſma ex oleo, & balſamo ſit de neceſſitate Sacramenti, quod verò ſit nouum, eſſe dumtaxat de neceſſitate præcepti; nam, vbi loquitur de confectione chriſmatis, dicit Chriſtum Dominum docuiſſe Apoſtolos chriſma conficere, *ſicuti à SS. Apoſtolis Prædeceſſores noſtri acceperunt*, vbi vides, Apoſtolos referre inſtitutionem Chriſti Domini, & ſic in hoc ſolum Apoſtoli ſunt promulgatores; vbi vero loquitur, quod chriſma debeat eſſe nouum, ſeu illius anni, dicit, quod *Apoſtoli iubentes docuerunt non amplius, quam vno anno chriſmate vti, atque deinceps nouo frui, & non veteri*, vbi vides, quod Apoſtoli hic non tradunt, quod à Chriſto Domino acceperunt, ſed quod ipſi iubent, & ſtatuerunt.

Si autem quæratur hic ratio, propter quam ſtatutum ſit, quod de anno in annum conficiatur chriſma, & non adhibeatur, niſi chriſma illo anno conſecratum, & vetus concremetur: Dicendum eſt, hoc ea de cauſa ſtatutum eſſe, ne ſi diu detineretur, corrumperetur, vel ſaltem notabilitèr alteraretur, ità vt fragrantiam balſamum amitteret, & ne Parochi, ſi nullo vrgerentur præcepto, negligerent renouari, & ſic contingerent nullitates, vel ſuſpiciones rationabiles nullitatum.

8 Ratio, ob quã ſtatutum eſt chriſma debere eſſe nouum.

Si vlterius quæratur, quomodo computandus ſit annus, quo debeat vetus chriſma cremari, & nouum conſecrari? dicam, non eſſe computandum a duodecim ad duodecim menſes, ſed more Eccleſiaſtico à feria quinta in cæna Domini ad aliam feriam quintam eiuſdem cænæ ſequentis anni, & in hoc conſentiunt omnes SS.PP., & vniuerſa Eccleſia obſeruat.

9 Quomodo computandus ſit annus quo chriſma debet renouari.

ARTICVLVS III.

An æqualis debeat eſſe quantitas balſami, ac olei in confectione chriſmatis.

SVMMARIVM.

Rationes ſuadentes vtriuſque debere eſſe æqualem quantitatem. 1.

Non currit paritas de aqua commiſcenda vino pro conſecratione Calicis, & quarè. 2.

Non requiritur tanta ſubſtantia balſami, quanta olei. 3.

Rationes pro hoc aſſerto. 4.

Materia huius Sacramenti à D. Thoma dicitur oleum balſamatum. 5.

Maioris eſt actiuitatis, & efficaciæ balſamum, ac ſit oleum. 6.

An tanta requiratur balſami quantitas, quanta ſatis ſit, vt communicet Phyſice ſuas qualitates oleo. 7.

Sufficit vt ſit tanta, vt communicet moralitèr ſuas qualitates. 8.

Yy 2 Cum

Digitized by Google

CVm vtrumque, vt dictum eſt, pertineat ad eſſentiam, & ſubſtantiam materiæ Sacramenti Confirmationis, videtur vtrumque debere eſſe æqualis ponderis, & menſuræ, nec vnum præualere in quantitate alteri; quantitas etenim debet correſpondere ſubſtantiæ,& cum æquè primò ſubſtantia vtriuſque requiratur, videtur æqualis vtriuſque ſubſtantia requiri, ideoque etiam æqualis quantitas; nec in hoc videtur currere paritas de aqua vino commiſcenda pro conſecratione ſanguinis, quæ aqua debet eſſe longè minoris quantitatis, ac ſit quantitas vini, quandoquidem commixtio aquæ cum vino pro conſecratione Calicis non eſt de ſubſtantia, ſed tantum de præcepto, quod præceptum etiam determinat modicam aquæ quantitatem; commixtio autem balſami cum oleo pro Confirmatione eſt de ſubſtantia eiuſdem materiæ, & æquè primò vtrumque requiritur. Accedit, quod materia conſecrationis Calicis non dicitur mixtum ex vino, & aqua, ſed vinum ex vite, vnde, vt ſeruetur hæc qualitas, requiritur, quod aqua ſit non tantæ quantitatis, vt quodamodo mutet ſpeciem vini, & propterea eiuſdem aquæ debet eſſe modica quantitas; materia vero Confirmationis non dicitur oleum, ſed chriſma, quod eſt mixtum ex oleo,& balſamo,quodque tranſit quodamodo in tertiam ſubſtantiam; ex quo ſequitur, quod vtraque ſubſtantia debeat eſſe æqualis, nam, ſi eſſet inæqualis, denominatio deberet ſumi ab ea ſubſtantia, quæ in quantitate præualet, & ſic non eſſet chriſma dicendum materia Confirmationis, ſed illa ſubſtantia præualens eo modo, quo materia conſecrationis ſanguinis dicitur vinum non mixtum ex aqua, & vino, quia ſubſtantia vini in quantitate præualet. His tamen non obſtantibus.

1 Rationes ſuadentes debere eſſe æqualem quantitatem.

2 Non currit paritas de aqua miſcenda vino pro cõſecratione.

Dicendum eſt, non requiri tantam ſubſtantiam balſami, quanta eſt ſubſtantia olei, *Dicaſtillus de Sacrament. tom. 1. tract. 3. diſp. vnica dub. 5. nu. 62., Coninchus de Sacram. q. 72. art. 3. dub. 1. num. 39., Diana part. 10. tract. 11. reſol. 13.* Rationes plures pro hoc aſſerto adduco; primò à communi conſenſu SS. PP., qui vocant chriſma oleum potius, quam balſamum, ergo, quia oleum in quantitate præualere debet denominatione deſumpta à maiori parte; cæteroqui, ſi deberet eſſe æqualis vtriuſque quantitas, deberet potius dici balſamum, quam oleum, quia balſamum eſt ſubſtantia perfectioris rationis. Secundò, quia Confirmatio fit per modum vnctionis; quæ principalitèr tribuitur oleo, & vbi dicitur præcisè vnctio ſecundum communem acceptionem intelligitur de oleo, ergo, quia maior pars olei requiritur pro tali vnctione; quinimmo *Dicaſtillus loc. cit.* etiam in ſententia noſtra ſuſtinente balſamum eſſe de ſubſtantia materiæ Confirmationis (ipſe etenim tenet eſſe tantum de præcepto) dicit, quod, ſi balſamum eſſet in maiori quantitate, & haberet ſolum commixtum aliquod olei non ſufficeret ad valorem huius Sacramenti, licet ſufficeret, vt ait, etiam in noſtra ſententia, ſi abſolutè eſſet oleum, & aliquid ſolum balſami haberet. Tertiò, quia ita ſeruat communis praxis, ſecundum quam in confectione chriſmatis modicum balſami maiori quantitati olei commiſcetur; vnde *D. Thomas in quarto diſt. 7. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 2.* dicit materiam huius Sacramenti eſſe *oleum balſamatum*, vbi ponit pro fundamento oleum cum qualificatione balſami, quod denotat oleum eſſe principale volitum in hoc Sacramento.

3 Non requiritur tãta ſubſtantia balſami quanta olei.

4 Rationes pro hoc aſſerto.

5 A D. Thoma materia huius Sacramenti dicitur oleũ balſamatum.

Quartò, quia maioris virtutis, actiuitatis, & efficaciæ eſt balſamum ad ſuos effectus producendos,quam oleum ad ſuos, ſiquidem, vt notat *D. Thomas tertia part. q. 72. art. 2. in corpore. Admiſcetur balſamum propter fragrantiam odoris, quæ redundat ad alios, vnde dicitur ſecunda ad Corinth. 2. Chriſti bonus odor ſumus*, modicum autem balſami ſufficit ad conſtituendam fragrantiam in magna olei quantitate, ergo in ordine ad effectum, qui intenditur, non requiritur tanta balſami quantitas, quanta requiritur olei.

6 Maioris eſt actiuitatis balſamũ, ac ſit oleum.

Sed hic remanet inquirendum dato etiã quod minor quantitas balſami requiratur, quanta debeat eſſe hæc quantitas? In hoc video diſſidium inter *Coninchum de Sacram. q. 72. art. 3. dub. 1. n. 39., & Dicaſtillum de Sacramentis tom. 1. tract. 3. diſp. vnica dub. 5. n. 62.*, dum primùs requirit tantam balſami quantitatem, quanta requiritur, vt poſſit oleum alterare communicando ei ſuas qualitates, & præcipuè odorem, & fragrantiam; ad quod tamen aſſerit, non requiri, vt ſingulæ partes olei contineant formalitèr aliquid balſami, cum ſufficiat, quod contineant virtualitèr virtute qualitatum eidem oleo communicatarum; ſecundus vero aſſerit quidem ſufficere modicam quantitatem balſami pro magna olei copia, ſed non exiſtimat neceſſe eſſe, vt qualitates balſami toti oleo communicentur, & in hoc diſcrepat à Conincho; vnde aſſerit,quod cum balſamum ſit grauius ex genere ſuo oleo, ſi illud in vltima, & inferiori parte vaſis deſcenderit, & iſtud ſupereminéat ad illud, & cum oleo ſupereminenti conferatur Sacramentum Confirmationis, validè conferatur, quantumuis tunc balſamum non communicet ſuas qualitates eidem oleo. Quid iam

7 An requiratur tanta quantitas balſami, vt communicet Phyſicè ſuas qualitates oleo.

iam in hoc concludendum?

Ego arbitror, non eſſe in hoc nimis ſcrupuloſè procedendum, adeout requiratur Phyſicè tanta quantitas, quanta ſufficiat ad communicandas Phyſicè ſuas qualitates ſingulis partibus olei, ſed ſufficiat tanta, quanta ſufficit ad eaſdem communicandas moralitèr, adeo vt ſecundum communem æſtimationem illud conflatum reputetur conſtituere chriſma fragrans balſami odore, quamuis aliqua pars non participaret ſecundum ſe de illa fragrantia; Ratio eſt, quia illa pars vtpotè cum alijs coniuncta ſortiretur conditiones, & qualitates totius; Non admitterem tamen ſine ſcrupulo id, quod aſſerit Dicaſtillus, quod ſcilicet, ſi oleum totalitèr ſepararetur à balſamo, vt contingeret quando totum balſamum eſſet in inferiori parte vaſis, & totum oleum ſupereminerer, poſſet validè conferri Sacramentum Confirmationis ſolum per oleum ſupereminens, quandoquidem cum ſit etiam de ſubſtantia Sacramenti balſamum, prout eſt commixtum cum oleo, in hac hypotheſi hoc non verificaretur, cum tunc oleum, quo fieret vnctio, nihil balſami contineret.

8 Sufficit, vt ſit tãta, vt cõmunicet moralitèr.

ARTICVLVS IV.

An ſit de ſubſtantia Confirmationis, quod chriſma ſit conſecratum, ſeu benedictum.

SVMMARIVM.

Sententia docens non eſſe de neceſſitate Sacramenti, quod chriſma ſit benedictum. 1.
Euincitur paritate aquæ, quæ non ex neceſſitate Sacramenti debet eſſe benedicta. 2.
Item ex eo, quod benedicatur per formam in ipſa collatione Confirmationis. 3.
Probabilius, quinimmo certius ex neceſſitate Sacramenti debet eſſe benedictum. 4.
Chriſtus per ſui contactum non ſanctificauit chriſma, quo vſus non eſt, ſicuti ſanctificauit aquas Iordanis. 5.
Non valet argumentum de materia pænitentiæ, & Matrimonij, & quarè. 6.
Non obſtante, quod Chriſtus Dominus ob ſummam neceſſitatem Baptiſmi inſtituerit in materia vulgari, & communi, voluit tamen aquas per ſuum contactum ſanctificare. 7.
Licet aqua Iordanis reſpectu Chriſti non fuerit Sacramentalis, fuit tamen tanquam materia ordinata ad Sacramentum. 8.
Chriſma, vt materia Confirmationis dicitur ſacrum, ſacro ſanctum. 9.
Nec ſolum eſt tale ratione ſanctificationis, quam recipit à forma Confirmationis, ſed ratione præcedentis benedictionis. 10.
Arguitur Paludanus inconſequentiæ. 11.
Quæ ſunt eſſentialia Sacramento, non pendent ab Eccleſia. 12.
Chriſtus Dominus non præſcripſit quidem cæremonialia talis benedictionis, præſcripſit tamen ſubſtantiam. 13.
In quo conſtat talis ſubſtantia. 14.

DVo circa præſentem titulum poſſunt examinari: Primum, an benedictio, ſeu conſecratio chriſmatis ſit de neceſſitate, ſeu eſſentia Sacramenti; an vero tantum de neceſſitate præcepti. Secundum, an hæc benedictio, ſeu conſecratio debeat eſſe ex neceſſitate ab Epiſcopo, an vero poſſit etiam eſſe à ſimplici Sacerdote. De primo agemus in præſenti articulo, de ſecundo in ſequenti.

1 Sentẽtia docens non eſſe de neceſſitate Sacramenti, quod chriſma ſit benedictum.

Loquendo igitur de primo, ex pluribus capitibus videtur aſſerendum hanc benedictionem, ſeu conſecrationem non eſſe de neceſſitate Sacramenti, ſed ad ſummum de neceſſitate præcepti. Primò, quia ad Sacramẽtum Baptiſmi non requiritur ex neceſſitate eiuſdem, quod materia, nempè aqua ſit benedicta, aut conſecrata, ſed ſolum ex præcepto, quando hoc Sacramentum confertur ſolemnitèr, ergo, nec ad Sacramentum Confirmationis requiritur, quod eius materia, nempè chriſma ſit benedictum, ſeu conſecratum, quia non videtur maior ratio de materia Confirmationis, vt de materia Baptiſmi.

2 Euincitur paritate materiæ Baptiſmatis.

Secundò, quia materia Confirmationis conſecratur in eiuſdem Confirmationis collatione per formam, qua idem Sacramentum confertur, ergo non indiget præcedenti conſecratione. Conſequentia probatur, quia idem non indiget bis conſecrari; Neque obſtat, ſi dicatur, quod materia Euchariſtiæ antequam conſecretur à Sacerdote prius benedicatur, & offeratur, ergo non obſtat, quin materia bis benedicatur, & antecedentèr ſcilicet, & in ipſa collatione per formam Sacramentalem. Non obſtat, inquam, quia illa benedictio Euchariſtiæ, ſeu materiæ eiuſdem, quamuis præmittatur, non eſt de neceſſitate eiuſdem, ſed ſolum ex præcepto. Nihilominus ſit

3 Benedicitur per formam in ipſa collatione Confirmationis.

Concluſio. Probabilius eſt de neceſſitate Sacramenti benedictionem chriſmatis prærequiri ad collationem Confirmationis *Fernandez de Haredia in diſput. mixtis de Sacram. Confirm. diſtinct. 5. part. 3. dub. 1. concl. 1., Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 33. ſect. 2. verſ. in hac re dicendum eſt, & alij communitèr.*

4 Tutius eſt, quod debeat eſſe benedictum.

D. Thomas *tertia part. q. 72. art. 2. art. 3.* hoc medio procedit. Chriſtus Dominus non eſt vſus vnctione chriſmatis, aut olei, ergo chriſma, aut oleum, antequam in colla-

latio-

5 Chriſtus per ſuum contactum non ſanctificauit oleum, ſicuti ſanctificauit aquas.

latione Sacramentorum, ad quæ inſtituta ſunt, adhibeantur, indigent conſecratione, ſeu benedictione, & vtique ex neceſſitate eorundem Sacramentorum. Antecedens ex ſe patet, quia, quantumuis Chriſtus Dominus dicatur vnctus Domini, hoc intelligitur de inuiſibili vnctione, qua eſt vnctus præ conſortibus ſuis, non autem de vnctione aliqua extrinſeca, & Sacramentali, cum nullibi de hac conſtet. Conſequentia probatur, quia omnis materia Sacramenti, qua Chriſtus vſus non eſt, indiget conſecratione, quia non eſt conſecrata eius vſu; qua vero vſus eſt non indiget conſecratione; ſic quia Chriſtus Dominus vſus eſt aquis Iordanis, quibus fuit à Ioanne Baptizatus, & quia vſus eſt pane, & vino in conſecratione in vltima cæna, nec aqua in Baptiſmo, nec panis, nec vinum in Euchariſtia, quantum eſt ex vi Sacramenti, indigent antecedentèr benedici, & conſecrari; quia vero, nec oleo, nec chriſmate vſus eſt, idcircò hæc indigent præuia conſecratione, ſeu benedictione.

6 Non valet argumentum de materia pænitentiæ, & Matrimonij, & quarè.

Neque dicas; Chriſtus Dominus vſus non eſt materia Pænitentiæ, nec Ordinis, nec Matrimonij, & tamen huiuſmodi materiæ non præuiè conſecrantur, ergo ratio D. Thomæ non ſubſiſtit; Contra enim impugnaberis, quia D. Thomas ſolum in illo ratiocinio procedit in materia Sacramentorum, quæ conſiſtit in re ſenſibili, & permanente, cuiuſmodi non ſunt materia Pænitentiæ, Ordinis, & Matrimonij, quæ conſiſtit in actionibus tranſeuntibus, quæ non ſunt capaces conſecrationis, cuiuſmodi ſunt confeſſio peccatorum in Sacramento Pænitentiæ, conſenſus contrahentium in illo Matrimonij, & contactus inſtrumentorum in illo Ordinis, &, ſi in iſto velimus conſiderare aliquod extrinſecum præter ipſum contactum, puta manuum impoſitionem, vel inſtrumenta, quæ traduntur ordinato tangenda, iam iſta ſunt aliquo modo res ſacræ, & Religioſæ, nempè manus Epiſcopales, quæ ſunt conſecratæ, & inſtrumenta etiam, puta Calix, Patena, liber Euangeliorum &c. ſunt quoque modo res ſacræ, & Religioſæ, vel proptèr conſecrationem, quam habuerunt, vel proptèr res, quas continent &c.

Neque vlterius vrgeas contra rationem D. Thomæ, quod, non ideo non requiratur ex neceſſitate Sacramenti conſecratio, ſeu benedictio aquæ pro Baptiſmo, quia Chriſtus vſus eſt aqua, quando baptizatus eſt à Ioanne in Iordane, ſed quia Baptiſmus eſt Sacramentum ſummæ neceſſitatis, qui debet poſſe conferri in quacunque neceſſitate, in qua non ſemper poteſt haberi aqua benedicta, & ideo congruum fuit, vt inſtitueretur in materia communi, & quæ ſemper præſto eſſe poſſet, &, ſicuti proptèr eandem neceſſitatem miniſterium non eſt alligatum certo perſonarum ſtatui, ſed poteſt a quocunque validè conferri, ita congruum fuit, & maximè conſonum Diuinæ clementiæ, vt inſtitueretur in materia communi, & non alligaretur materiæ benedictæ, quæ non ſemper haberi poſſet; Contrà enim adhuc impugnaberis, quia, licet Sacramentum Baptiſmatis congruè, & conſonè ad ſummam Dei clementiam inſtitutum ſit proptèr neceſſitates in materia communi; non ideo tamen voluit omittere, quin ſuo contactu aquas conſecraret, vt ſimul conſuleretur omnium neceſſitati, cum aquæ intelligerentur pro omnibus quoad hunc effectum conſecratæ, & etiam quoquo modo dignitati Sacramenti proptèr vſum, quem Chriſtus habuit in materia eiuſdem.

7 Non obſtante, quod debuit Baptiſmus inſtitui in materia communi, voluit tamen illum ſanctificare

Hoc autem non habetur in materia Confirmationis, quia, ex quo Chriſtus Dominus in ſua perſona hac non eſt vſus, nullam eidem contulit conſecrationem, & propterea maximè æquum fuit, vt ſecerneretur a materia communi, quod fieret aliquo modo ſacra, & Religioſa, quod haberi non poteſt ſine aliqua benedictione, ſeu conſecratione; Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod Chriſtus, & viuus, & mortuus vſus eſt vnctione; viuus, quando in conuiuio Phariſæi vnctus eſt a Magdalena; mortuus, quando eius corpus vnctum eſt a Nicodemo. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia illæ vnctiones fuerunt materialitèr factæ non modo Sacramentali, & ordinato ad aliquem effectum Sacramenti, & propterea &c.

8 Licet aqua Iordanis reſpectu Baptiſmi Chriſti non fuit Sacramentalis, fuit tamē ordinata ad Baptiſmum.

Vrgebis iterum, quod, nec ablutio, quam Chriſtus Dominus recepit a Ioanne in Iordane, fuerit Sacramentalis, cum Baptiſmus Ioannis non eſſet Sacramentum, ſed quædam ablutio quodamodo communis. Sed contra adhuc impugnaberis, quia, licet re vera illa ablutio Chriſti Domini facta à Ioanne non eſſet Sacramentum, nec propriè Sacramentalis, erat tamen quoquo modo ordinata ad ſignificandum Sacramentum, quod tunc iuxta noſtra principia fuit inſtitutum ab ipſo Chriſto, & ad hunc effectum tunc ſanctificauit aquas, vt eſſent materia huius Sacramenti, quod alitèr euenit in allegatis vnctionibus.

9 Chriſma, vt ordinetur tanquā materia ad Confirmationē dicitur ſacrum.

Hæc diximus quoad rationem D. Thomæ. Cæterum alijs rationibus euincitur, quod in chriſmate requiratur præuia conſecratio, vt ſit materia huius Sacramenti; & primò ex Concil. Florent. in decreto Eugenij, vbi pro materia huius Sacramenti aſſignatur Chriſma ex oleo, & balſamo per Epiſcopum benedictum, ex quo euincitur, quod non ſolum oleum, & balſa-

mum

mum ſit materia, ſed etiam benedictio. Secundò ex communi modo loquendi SS. PP. appellantium materiam huius Sacramenti *ſacrum*, *ſacratiſſimum*, vel *Sanctum Chriſma*, & alijs conſimilibus nominibus; Non poteſt autem hoc intelligi de oleo commixto cum balſamo præcisè, quia hoc ſecundum ſe non eſt ſacrum, ſanctum, & ſacroſanctum, & à quolibet poteſt confici. Igitur intelligendum eſt tale ratione præuiæ conſecrationis, per quam ſolummodo conſtituitur in eſſe ſacri, & ſacroſancti &c. Neque dicas, dici tale non ratione conſecrationis præcedentis, ſed ratione ſanctificationis, quam debet recipere per formam Confirmationis in collatione eiuſdem Sacramenti, & in ordine ad effectus, quos per illam debet producere; contra enim impugnaberis; quia, vt benè notat *D. Thomas tertia part. q. 72. art. 3. ad ſecundum*, *Sicuti inſtrumentum accipit virtutem inſtrumentalem dupliciter; primò quando accipit formam inſtrumenti præcisè; ſecundò, quando mouetur à principali agente ad effectum, ita materia huius Sacramenti duplici ſanctificatione indiget; per quarum vnam fit materia propria Sacramenti, per aliam verò applicatur ad effectum*. Sunt formalia verba eiuſdem Sancti Doctoris. Cum igitur SS. PP. vtpotè loquentes non de ipſo Sacramento, ſed de materia eiuſdem, dicant eſſe chriſma ſacrum, ſacroſanctum, & ſanctum, intelligendi ſunt de prima, non de ſecunda ſanctificatione, vnde *Concil. Braccharenſe c. 4.* vocat balſamum benedictum, quod pro ſalute animarum per Spiritus Sancti inuocationem conſecratur.

10 Eſt tale ratione præcedẽtis benedictionis.

Hic non poſſum acquieſcere *Paludano in quarto diſt. 7. q. 1. n. 19., & q. 4. n. 34.*, quem poſtea ſecutus eſt *Capreolus d. diſt. 7. q. 2. ad primum*, qui ex vna parte aſſerit eſſe de neceſſitate huius Sacramenti, vt fiat ex chriſmate conſecrato; ex alia aſſerit, poſſe Eccleſiam diſpenſare, vt Confirmatio fiat ex chriſmate non benedicto, qui Paludanus, vt hoc ſuum dictum probet, ſupponit, quod Chriſtus Dominus inſtituerit, vt confirmatio fieret ex chriſmate conſecrato, vel non conſecrato, prout Eccleſia id præſcriberet, ita tamen, vt illud eſſet eſſentiale, & ſimpliciter neceſſarium, quod Eccleſia præſcriberet. Ad hoc aſſerendum mouetur ex eo, quod illa conſecratio chriſmatis non eſt Sacramentum, ſed præcisè Sacramentale, quod eſt mutabile per Eccleſiam. Non, inquam, poſſum acquieſcere, quia illa duo, quod ſcilicet conſecratio ſit de neceſſitate Sacramenti, & quod poſſit diſpenſari ab Eccleſia adinuicem pugnant; ea etenim, quæ ſunt eſſentialia Sacramenti, ſunt à Chriſto Domino ſtatuta, & determinata, nullaque ratione pendent ex voluntate Eccleſiæ, & ita ſunt neceſſaria, vt ſine illis nequeat Sacramentum ſubſiſtere; & gratis omnino aſſerit Paludanus, quod inſtituerit Chriſtus Dominus ſolum in communi, & diſiunctim, vt confirmatio fieret quoad hanc conſecrationem ſecundum id, quod præſcripſerit Eccleſia, adeout, ſi præſcripſerit, ſit eſſentialis, & neceſſaria, ſi non præſcripſerit, non ſit talis; Gratis, inquam, hoc aſſerit, quia ex communi traditione à primordijs naſcentis Eccleſiæ ad hæc vſque tempora conſtat Chriſtum Dominum inſtituiſſe in materia determinata chriſmatis benedicti, ſeu conſecrati.

11 Arguitur Paludanus incõſequentię

12 Quę ſunt eſſentialia Sacramẽto, non pendent ab Eccleſia.

Sed aduerſus hæc, quæ hic dicuntur, opponi poteſt eum Paludano, ſeu pro eodem, quod Chriſtus Dominus non præſcripſerit aliquam formam cõſecrationis, quæ propterea ſolum inducta eſt ab Eccleſia, & fortaſſis non ſemper fuit eadem ſeruata omnibus temporibus, ergo hæc non eſt de neceſſitate Sacramenti; niſi prout Eccleſia præſcripſerit. Sed contrà, quia, licet Chriſtus Dominus non inſtituerit eandem conſecrationis formam ſecundum omnia cæremonialia, quæ nunc ſeruantur, inſtituit tamen, vt fiat per inuocationem Spiritus Sancti, vt loquitur *Concil. II. Braccharenſe c. 4.*, & cum eo alij SS. PP., & in eodem Concil. dicitur, *Balſamum benedictum, quod pro ſalute animarum per Spiritus Sancti inuocationem conſecratur*; vndę inuocatio Spiritus Sancti erit de eſſentia talis conſecrationis, & Sacramenti Confirmationis vtpotè à Chriſto Domino præſcripta; reliqua vero dumtaxat erunt purè cæremonialia, & ab Eccleſia inſtituta, ſicuti ritus cæterorum Sacramentorum; atque iuxta hunc ſenſum procedit *Sotus in quarto diſt. 7. q. vnica art. 3.*

13 Chriſtus Dominus non præſcripſit quidem cæremonialia, præſcripſit tamen ſubſtantiam.

14 In quo conſiſtat talis ſubſtantia.

ARTICVLVS V.

An ſit de neceſſitate Sacramenti, quod Chriſma ſit benedictum, ſeu conſecratum ab Epiſcopo.

SVMMARIVM.

Dubia emergentia circa titulum. 1.
Non poteſt ſimplex Sacerdos ex vi ſuæ ordinationis validè chriſma conſecrare. 2.
Euincitur ex pluribus Conciliorum definitionibus. 3.
Ex poteſtate collata in ordinatione Sacerdotibus infertur poteſtatem conſecrandi chriſma non eſſe illi addictam. 4.
Non valet in hoc argumentum, ſi poteſt,

quod

Digitized by Google

quod maius eſt, poteſt etiam id, quod minus eſt. 5.
Illuſtratur pluribus exemplis. 6.
Sententia aſſerens ex commiſſione Summi Pontificis, vel etiam proprij Epiſcopi poſſe ſimplicem Sacerdotem conſecrare chriſma. 7.
Fundamenta huius ſententiæ. 8.
Probabilius tamen eſt, ſub cenſura tamen Eccleſiæ, nec ex commiſſione poſſe conſecrare. 9.
Euincitur ex pluribus Concilijs. 10.
Nec Concilium Florentinum, nec Gregorius XIII. aduerſantur noſtro aſſerto. 11.
Nec valet argumentum à commiſſione conferendi Confirmationem ad commiſſionem conſecrandi Chriſma. 12.
Hoc diſcrimen agnouerunt, & Florentinum, & Gregorius. 13.
Simplex Sacerdos habet poteſtatem conferendi Extremam Vnctionem, non tamen conſecrandi oleum. 14.
Nonnullæ congruentiæ hoc euincentes. 15.

1
Rationes dubitandi circa titulum.

SVppoſito iam, quod Chriſma ex neceſſitate Sacramenti debeat eſſe benedictum, ſeu conſecratum, inſurgit modo dubitandum, an eadem neceſſitate requiratur, quod benedictio, ſeu conſecratio ſit ab Epiſcopo, an vero poſſit eſſe à ſimplici Sacerdote, & circa hoc duo etiam dubia inſurgunt; Alterum, an per ſimplicem Sacerdotem validè poſſit fieri hæc benedictio vi ſuæ ordinationis, licet non licitè vigore prohibitionis. Alterum, an ſaltem ſimplex Sacerdos ex ſpeciali conceſſione Summi Pontificis poſſit validè, & licitè hanc benedictionem, ſeu conſecrationem impertiri.

2
Non poteſt ſimplex Sacerdos ex vi ſuæ ordinationis Chriſma conſecrare.

Quoad primum dubium abſolutè ſentiendum eſt, non poſſe ſimplicem Sacerdotem ex vi ſuæ ordinationis præciſè validè Chriſma conſecrare, vt ſit materia apta Sacramento Confirmationis. Conſentiunt communitèr & ſignantèr *D. Thomas tertia part. q. 72. art. 3. poſt argumenta contraria verſ. ſed contra ex Innocentio III., & ad tertium, Coninchus ibid. art. 3. n. 43., Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 33. ſect. 2., Valentia tom. 4. diſp. 5. q. 1. punct. 2. ad finem, Pitigianus in quarto diſt. 7. qu. 1. art. 4. concl. 2., Chamerota de Confirmatione c. 2. dub. 3., &* 5. Eſt tamen directè contra *Caietanum part. 3. q. 72. art. 3.*, qui abſolutè arbitratur Chriſma conſecratum à ſimplici Sacerdote eſſe materiam aptam huius Sacramenti, & mouetur ea ratione, quod ſimplex Sacerdos ex vi ſuæ ordinationis poteſt efficere cõſecrationem longè maiorem, ac ſit illa Chriſmatis ordinati ad Confirmationem, nempè conſecrationem corporis, & ſanguinis Chriſti Domini, quæ eſt maxima omnium Sacramentorum, ergo a fortiori poterit efficere conſecrationem eiuſdem Chriſmatis.

3
Euincitur ex pluribus Conciliorum definitionibus.

Nihilominus aſſertum noſtrum euincitur ex pluribus Conciliorum definitionibus, & primò ex Concil. Florent. in decreto Eugenij, vbi definit materiam huius Sacramenti eſſe *Chriſma ex oleo, & balſamo ab Epiſcopo benedictum*, ex quibus verbis infero, ergo, ſicuti ex neceſſitate Sacramenti eſt commixtio balſami cum oleo, & benedictio, & conſecratio eiuſdem, vt in præcedentibus probauimus, erit etiam ex neceſſitate eiuſdem, quod benedictio ſit Epiſcopalis, cum in computatione materiæ hæc æquè comprehendatur, ac commixtio balſami cum oleo, & benedictio. Secundo ex *Concil. Trident. ſeſſ. 7. de Confirmat. can. 3.*, vbi anathematis damnatur, *qui dixerit ſanctæ Confirmationis miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemlibet ſimplicem Sacerdotem*, &, licet hic canon loquatur ſolummodo de miniſtro conferente Sacramentum Confirmationis, videtur tamen extendendus etiam ad miniſtrum conſecrantem Chriſma, cum SS. PP. de vtroque pariformitèr diſcurrant, quinimmo aliqui ex Theologis ex commiſſione Summi Pontificis aſſerunt ſimplicem Sacerdotem poſſe hoc Sacramentum miniſtrare, negant tamen poſſe Chriſma conſecrare. Tertiò ex Concil. Tolet. 8., Cartaginenſi, Braccherenſi, & alijs relatis à *Sairo lib. 1. de Sacram. in genere c. 3. quæſt. vnica art. 3. verſ. de Sacram., & à Bellarmino lib. de Confirm. c.* 8.

4
Hæc poteſtas nõ eſt affixa ordini Sacerdotali, vt colligitur ex eius ordinatione.

Deindè etiam ratione euincitur, quia conficere, ſeu conſecrare Chriſma pertinet ad poteſtatem ordinis, vt eſt in confeſſo apud omnes, ſed hæc poteſtas non eſt ordinis Sacerdotalis ſimplicitèr, ergo &c. Minor probatur, cum ex communi conſenſu, & praxi, ſecundum quem, & quam non tribuitur hæc poteſtas ſimplicibus Sacerdotibus, nec exercitium eiuſdem conceditur; quinimmò in ipſa ordinatione ſolum confertur poteſtas conficiendi corpus, & ſanguinem Chriſti Domini, & abſoluendi a peccatis, ergo ex vi propriæ ordinationis eiſdem non competit poteſtas conſecrandi hoc Chriſma.

5
Soluitur argumẽtũ Caietani contrarium ſententiæ.

Neque obſtat ratio ſupra adducta à Caietano deducta a maiori ad minus, à conſecratione ſcilicet corporis, & ſanguinis Chriſti Domini, quæ maior eſt omnibus, ad conſecrationem Chriſmatis, quæ minor eſt; Non obſtat, inquam, quia, ſiue loquamur in cauſis Phyſicis, ſiue moralibus, cum habeant virtutem limitatam, & adſtrictam ad certos effectus, virtus eorum non eſt extendenda vltra tales effectus, quantumuis hi ſint minores effectibus,

quos

quos poſſunt producere tales cauſæ; ſic, vt diſcurramus in Phyſicis, maior, & perfectior eſt effectus ratiocinatio, quam volatus, & tamen homo, qui poteſt ratiocinari, non poteſt volare; ſic ignis poteſt generare ignem non tamen aerem, licet hic minus perfectus, ſic etiam homo poteſt generare hominem, non tamen equum, licet hic minor ſit homine in perfectione; Sic, vt diſcurramus in moralibus, maior, & perfectior eſt conſecratio corporis Chriſti, quam conſecratio Eccleſiarum, & altarium, & tamen facultas ad illam conceditur ſimplici Sacerdoti, non ad iſtam: ſic habitus charitatis, qui maior eſt omnibus alijs virtutibus, quamuis directiuè poſſit concurrere ad actus aliarum virtutum, non tamen formalitèr illos poteſt elicere, licet minores ſint actibus charitatis. In hoc igitur conſiderandum eſt, quod in cauſis, & virtutibus limitatis nunquam valere poteſt argumentum à maiori effectu ad minorem, niſi minor includatur in maiori. Cum igitur Chriſtus Dominus Sacramentis alligauerit virtutes determinatas in ordine ad effectus determinatos, huiuſmodi virtutes non ſunt extendendæ vltra ſphæram Sacramentorum, ad quæ alligatæ ſunt; poteſtatem autem conſecrandi Chriſma non Sacerdotio, ſed Epiſcopatui alligauit, vt ex antiqua traditione colligitur, & in continua praxi obſeruatur.

6 Illuſtratur pluribus exemplis.

Quoad ſecundum dubium, an ſcilicet, quantumuis ex vi propriæ ordinationis non poſſit ſimplex Sacerdos Chriſma conſecrare, poſſit tamen hoc efficere ex ſpeciali conceſſione Summi Pontificis, vel etiam proprij Epiſcopi. Non defuerunt aliqui, qui aſſeruerunt per viam diſpenſationis poſſe non ſolum à Romano Pontifice, ſed etiam à proprio Epiſcopo concedi, vt ſimplex Sacerdos poſſit Chriſma conſecrare. Fundamentum deſumunt ex eo, quod habet *Concilium Toletanum 1. can. 30.*, quod ſic loquitur. *Quamuis penè vbique cuſtodiatur, vt abſque Epiſcopo nemo Chriſma conficiat, tamen quia in aliquibus locis, vel Prouincijs Presbyteri dicuntur Chriſma conficere, placuit ex hac die alium, niſi Epiſcopum Chriſma conficere*; ex quibus verbis plura inferunt; & primò non eſſe neceſſarium, vt Chriſma conficiatur ab Epiſcopo, dum dicitur penè vbique cuſtodiri, vt abſque Epiſcopo Chriſma non conficiatur; ſi etenim eſſet ſimplicitèr hoc neceſſarium non penè vbique, ſed vbique abſolutè eſſet obſeruandum; ſecundò ibi non declaratur irritum, quod fieri conſueuit in aliquibus locis, vel Prouincijs, ſed ibi ſolum fit prohibitio, ne impoſterum fiat, ergo non ex neceſſitate Sacramenti, ſed ex præcepto dumtaxat Eccleſiaſtico prouenit, quod Chriſma non poſſit à ſimplici Sacerdote conſecrari, & idcircò non eſt, cur non poſſit ſuper hoc ab Eccleſia fieri diſpenſatio.

7 Sentētia docens ſimplicē Sacerdotem poſſe ex commiſſione cōſecrare.

8 Fundamenta huius ſententiæ.

Sentiendum tamen eſt, probabilius eſſe ſub cenſura tamen Eccleſiæ, neque ex commiſſione Summi Pontificis poſſe ſimplicem Sacerdotem Chriſma conſecrare. Ratio ex eo deducitur, quod habetur in præcitatis Concilijs, poteſtatem ſcilicet conficiendi Chriſma de iure Diuino reſtrictam eſſe ordini Epiſcopali, ergo per poteſtatem inferiorem, hoc eſt Eccleſiaſticam non poteſt extendi ad ordines inferiores, nempè ad Presbyteratum. Antecedens præterquam quod liquet ex allegatis Concilijs euincitur etiam ex Innocentio III. *Epiſt. 1. ad Decenium c. 3., & ex Concil. Tolet. 8. can. 7., & ex Concil. Vormatienſi can. 2.* Ibi- *Chriſma conficere nullus præter Epiſcopum præſumat, nam illi ſoli hæc dignitas conceſſa eſt.* Conſequentia etiam patet, quia Pontifex, & Eccleſia non habent poteſtatem in ijs, quæ iuris Diuini ſunt.

9 Salua Eccleſiæ cēſura probabilius non poteſt.

10 Euincitur ex pluribus Cōcilijs.

Neque ijs, quæ hic dicuntur, obſtare poteſt Concilium Florent. in decreto Eugenij, vbi loquens de miniſtro huius Sacramenti dicit eſſe Epiſcopum, tamen aliquando ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ ſimplicem Sacerdotem illud miniſtraſſe ex Chriſmate per Epiſcopum conſecrato; quod confirmatur ex eo, quod dicitur, nempè Gregorium XIII. conceſſiſſe ſimplicibus Sacerdotibus poteſtatem in India confirmandi Chriſmate ab Epiſcopo conſecrato, quod etiam nos innuimus in quæſtionibus de Sacris Ordinibus, dum de miniſtro eorundem. Quod, ſi nos dicamus, diſpoſitionem Concilij Flor., & Gregorij XIII. referri ſolum ad poteſtatem delegatam miniſtrandi hoc Sacramentum, non autem ad poteſtatem conſecrandi Chriſma, cum in vtraque dicatur, *Chriſmate ab Epiſcopo conſecrato*; reaſſumunt argumentum Aduerſarij hoc pacto: Si poteſt Pontifex committere ſimplici Sacerdoti poteſtatem confirmandi, ergo à fortiori poterit poteſtatem committere conficiendi Chriſma. Conſequentia probatur, tum quia quid maius eſt conficere Sacramentum Confirmationis, ac ſic conficere Chriſma ordinatum ad ipſum Sacramentum conficiendum; tum quia, qui dat, & dare poteſt poteſtatem ad finem dare etiam poteſt poteſtatem ad media neceſſaria ad ipſum finem conſequendum.

11 Nec Cōcilīū Florentinū, nec Gregorius XIII. aduerſantur.

12 Nec valet argumentum à cōmiſſione cōferendi Confirmationē ad commiſſionē cōſecrandi Chriſma.

Attamen reſpondendum eſt, & ad principale obiectum deſumptum ex Concil. Flor., & Gregorio XIII., & ad inſtaurationem inſtantiæ aduerſus reſponſionem

iam datam, quod quidquid ſit de poteſtate collata ſimplicibus Sacerdotibus miniſtrandi hoc Sacramentum, circa quod nos referimus ad ea, quæ diximus *in d. qq. de Sacris Ordinibus*, dum de miniſtro eorundem, non ſubſiſtat argumentum à poteſtate miniſtrandi hoc Sacramentum ad poteſtatem conficiendi Chriſma pro illo;

13 Hoc diſcrimen cognouerunt, & idem Florentinum, & Gregorius.

quod ex multis colligitur; primò ex eiſdem Concil. Flor., & Greg. XIII., qui licet agnoſcant hanc poteſtatem, vel reſpectiuè conferant miniſtrandi hoc Sacramentum, non tamen agnoſcunt, nec conferunt in ordine ad conficiendum Chriſma, dum reſeruatiuè procedendo dicunt *Chriſmate tamen per Epiſcopum confecto; hac vero lege, vt vteretur Chriſmate ab Epiſcopo conſecrato*. Secundò ex communi praxi Eccleſiæ, ſecundum quam ſimplices Sacerdotes conferunt Sacramentum Extremæ Vnctionis, nec tamen ipſi conſecrant oleum, quo fit huiuſmodi vnctio; vnde in *Concil. Cartag. IV. c. 36.* præcipitur Parochis, vt a ſuis Epiſcopis ſingulis annis ante

14 Simplex Sacerdos habet poteſtatē cōferendi Extremam Vnctionem non tamen conſecrandi oleum.

Paſchæ ſolemnitatem Chriſma petant, nec vnquam alicubi legitur, quod data ſit ſimplici Sacerdoti facultas conficiendi Chriſma, ſicuti legitur data confirmandi. Tertiò ex eo, quod habet Fabianus Papa *Epiſt. 2. c. 1.*, vbi dicit, quod Chriſtus Dominus ſolum Apoſtolos docuit conficere Chriſma in vltima cæna; Apoſtolorum autem ſucceſſores ſunt ſolum Epiſcopi. Ad hoc confirmandum plures poſſunt conferre coniecturæ, ob quas Chriſtus Dominus reliquerit poteſtatem Eccleſiæ diſpenſandi ſuper collatione huius Sacramenti, non ſuper confectione Chriſmatis; Prima eſſe poteſt, quia in regionibus remotis poteſt eſſe copia Sacerdotum, non Epiſcoporum, & facilius illuc transferri poteſt Chriſma ab Epiſcopis conſecratum, ac transferri valeant ipſi Epiſcopi. Se-

15 Nonnullæ congruentiæ hoc euincentes.

cunda, quia nemine diſceptante hoc Sacramentum per ſe pertinet ad Epiſcopum, vt omnia allegata Concilia euincunt; vndè videtur omnino expediens, vt in aliquo ſaltem interueniat Epiſcopi auctoritas, & actio, quæ eſſe non poteſt, niſi quoad materiā, quando Sacramentum ex commiſſione fit per ſimplicem Sacerdotem. Ratio horum omnium eſt, quia materia ſubſtantialis quoad eſſentiales conditiones debet eſſe inuariabilis; cum autem materia non conſiſtat in puro conflato ex oleo, & balſamo, cum hoc poſſit fieri à quocunque, ſed exigat abſolutè, & ſimpliciter conſecrationem, quæ ex Concilijs recenſitis debet eſſe Epiſcopalis, hæc ſecundum has omnes conditiones non poteſt variari, adeoque non poteſt committi ſimplici Sacerdoti.

ARTICVLVS VI.

Quænam ſit materia proxima huius Sacramenti.

SVMMARIVM.

Materia proxima Confirmationis eſt vnctio ex Chriſmate. 1.
Euincitur ex dicto Tertulliani. 2.
Ex neceſſitate Sacramenti requiritur, vt vnctio fiat in formam crucis. 3.
Euincitur ex forma huius Sacramenti. 4.
Et ex auctoritatibus SS. PP. 5.
Illa quantitas vnctionis requiritur, & ſufficit, quæ ſufficit ad ſignum crucis imprimendum in parte vngenda. 6.

Sicuti in cæteris Sacramentis duplex aſſignatur materia, altera proxima, altera remota, ita, & hoc Sacramentum in hac parte non eſt à cæteris ſecernendum. Conſiderata iam in præcedentibus materia remota ſecundum omnes ſuas qualitates, & conditiones eſſentiales; proximam nunc aſſumimus examinare; Pro qua recolenda ſunt ea omnia, quæ de cæteris Sacramentis conſiſtentibus in vſu in præcedentibus dicebamus, ſcilicet materiam proximam conſiſtere in actiooibus, per quas materia remota applicatur ſubiecto, cui confertur Sacramentum.

1 Materia proxima eſt vnctio ex Chriſmate.

Hinc dico primò, materiam proximam Confirmationis conſiſtere in vnctione ex Chriſmate facta. *D. Thomas tertia part. q. 72. art. 9.*, *Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 33. ſect. 3. in princip.*, *Valentia tom. 4. diſp. 5. q. 1. punct. 2.*, *Coninchus tertia part. q. 72. art. 3. n. 47.*, *Pitigianus in quarto diſt. 7. q. 1. art. 6.*, *Bellarminus de Confirm. c. 8.*, *& alij communitèr*, Deducitur hoc dictum ex communi regula, ſecundum quam dicitur, quod materia proxima cōnſiſtat in ea actione, per quam remota applicatur ſubiecto, cui confertur Sacramentum; per vnctionē autem Chriſma, quod eſt materia remota, applicatur confirmato, ergo &c. Accedit, quod materia proxima eſt, quæ principalitèr ſignificat effectum, ad quem ordinatur Sacramentum; effectus autem Sacramenti Confirmationis eſt ſanctificatio animæ, per quam munitur plenitudine Spiritus Sancti ad ſpirituale robur pro profeſſione fidei, & ad illuminationem Spiritus Sancti ad veritatem myſteriorum fidei cognoſcendam, & profitendam; hæc autem

2 Euincitur ex dicto Tertulliani.

omnia habentur per ipſam vnctionem, vt habetur ex illo Tertulliani. *Caro ſignatur, vt anima muniatur; Caro vngitur, vt anima conſecretur. Caro manus impoſitione ad vm-*

bratur

bratur, vt anima ſpiritu illuminetur. Accedit ſecundò, quod hoc Sacramentum communitèr a SS. PP., & Concilijs dicitur, *vnctio*, quæ particula certè adaptari non poteſt, niſi actioni per quam conficitur ipſum Sacramentum, & per quam materia remota per formam applicatur ſubiecto, quæ actio ex ſupradictis eſt vltima diſpoſitio, per quam materia remota applicatur ſubiecto.

Conſiderando iam conditiones eſſentiales, quæ poſſunt pertinere ad eandem vnctionem, duo inquirimus; primò qualitatem, & modum eiuſdem vnctionis; Secundò quantitatem eiuſdem vnctionis. Quarè.

3 Ex neceſſitate Sacramenti debet fieri in formâ crucis

Dico ſecundò ex neceſſitate Sacramenti requiri, vt vnctio fiat in formam crucis. Conſentiunt in hoc communitèr, & ſignantèr *D. Thomas tertia part. q. 72. art. 4. ad tertium, Scotus in quarto diſt. 7. q. 1. in definitione huius Sacramenti, & ibi Duraudus q. 2. n. 9., Gabriel art. 1.*, & alij communitèr. Euincitur primò ex verbis formæ. *Signo te ſigno crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis*, quæ verba, cum ſint eſſentialia formæ, indicant per neceſſariam conſequentiam applicationem materiæ debere eſſe ſecundum illum modum, & ritum;

4 Euincitur ex forma huius Sacramenti.

atque iuxta hunc ſenſum procedunt iura, & SS. PP. *Stephanus Papa in c. numquid de conſecrat. diſt. 5.* Ibi *Omnia Chriſmata Sacerdotalis miniſterij crucis figura perficiuntur*, & Conſtantinus Imperator in ſuo edicto ſignificans formam, qua fuit in fide confirmatus, ſcriptum reliquit *Septiformis gratia Sancti Spiritus conſignationem adhibuit beati Chriſmatis vnctione, & vexillum Sanctæ Crucis in mea fronte liniuit dicens ſignet te Deus &c.*

5 Et ex auctoritatibus SS. PP.

Si autem quæratur ratio, ob quam confirmatio fiat per vnctionem in formam crucis, dicam, hanc eſſe, quia per hoc Sacramentum ſpecialius fideles inſigniuntur ſignaculo Chriſti Domini, quod eſt ſignum crucis, eo quod firmantur in eius militia ad pugnandum aduerſus diabolicas poteſtates, & aduerſus hoſtes Chriſti Domini; Nec obſtat, ſi dicatur, quod in Sacramento Baptiſmatis non eſt neceſſe, quod ablutio fiat in formam crucis, adeoque, nec in Sacramento Confirmationis, quod eſt perfectiuum eiuſdem Baptiſmi; Non obſtat, inquam, quia hoc ſignaculum crucis datur perfectis, & adultis in militia Chriſti Domini, non paruulis non aptis ad pugnam, ſicuti in militia Principum datur cingulum militare non incipientibus, ſed veteranis &c.

Dico tertiò. Ea quantitas vnctionis requiritur, & ſufficit, quæ ſufficit ad ſignum crucis imprimendum in parte corporis, in qua fieri debet obſignatio, de qua parte infra agemus, dum de ſubiecto huius Sacramenti. Ratio ex eo deducitur, quia illa vnctio neceſſaria eſt, & ſufficit, quæ ſatis eſt, vt pars deſtinata ad recipiendum hoc Sacramentum, & effectum eiuſdem poſſit dici vncta, ſicuti illa ablutio ſufficit in Baptiſmo, quæ ſatis eſt, vt pars hominis ſubſtantialis poſſit dici abluta, ratione cuius homo dicitur ablutus, ſicuti ratione vnctionis poſſit homo dici vnctus, ſed ad hoc ſufficit, quod frons, quæ eſt pars receptiua Confirmationis dicatur vncta, ergo &c. Hic aduerte cum *Suarez tom. 3. in tertiam part. D. Thomæ diſp. 33. ſect. 4. verſ. circa alteram partem*, quod, ſicuti modica aqua, quia defluit ſufficiens eſt ad Baptiſmum, ita modicum olei, cum ſucceſſiuè fiat vnctio, ſufficiat.

6 Quænam quantitas vnctionis ſufficiat.

ARTICVLVS VIII.

An huiuſmodi vnctio neceſſario fieri debeat pollice manus dexteræ Epiſcopi Confirmantis.

SVMMARIVM.

Duo dubia circa titulum examinanda. 1.
Validum eſſe Sacramentum; ſi vnctio fiat alio digito à pollice dextero omnes ferè conſentiunt. 2.
Non ſic conſentiunt quoad licitum eſſe. 3.
Vtique validum eſſet Sacramentum. 4.
Grauitèr tamen peccaret, qui vteretur alio digito extra neceſſitatem. 5.
Vrgente neceſſitate, nec valente Epiſcopo aliter vngere, non eſſet peccaminoſum, alio digito vti. 6.
Sententia docens vnctionem factam inſtrumento aliquo fore inualidam. 7.
Contraria ſententia de eius valore refertur. 8.
Probabilius foret inualida vnctio, & Sacramentum. 9.
Soluitur argumentum deductum ex canone, ſi quis ſuadente. 10.
Non currit paritas de Extrema Vnctione. 11

SVb hoc titulo duo potiſſimum dubia veniunt examinanda. Primum eſt, an ex neceſſitate Sacramenti, vel præcepti requiratur, vt fiat talis vnctio tali pollice dextero, adeo vt, ſi altero digito fiat inualidè, vel illicitè fiat. Secundum, an requiratur eadem neceſſitate, vt fiat per immediatam manuum impoſitionem miniſtri confirmantis, an vero fieri poſſit mediatè, hoc eſt per aliquod inſtrumentum ligneum, vel per pennam.

1 Rationes dubitandi circa titulum.

Circa primum quoad valorem Sacramenti video omnes ferè DD. conſentientes ſubſiſtere, ſi vnctio fiat alio digito, ſiue ma-

Digitized by Google

manus dexteræ, ſiue ſiniſtræ. Quoad licitum eſſe contendunt DD. inter ſe, dum aliqui volunt peccaminoſum eſſe læthalitèr, alium digitum, ſiue dexteræ manus,

2 Communitèr ſentiunt validum eſſe, ſi vnctio fiat alio digito à pollice dextero.

ſiue ſiniſtræ à pollice dextero adhibere, inter quos *Zambranus de caſib. occurrent. temp. mort. c. 2. dubio primo n. 1.*, quem videtur ſequi *Laiman Theol. mor. lib. 5. tract. 3. c. 2. n. 5.* ad quod duplici ratione mouentur primò, quia ita præſcribitur in Pontificali Romano, & ita ſeruat inueterata Eccleſiæ praxis; ſecundò, quia, vt obſeruat *Durandus lib. 6. Rationalis c. 84.* pollex Epiſcoporum ad hoc in eorum conſecratione conſecratur, & in hoc conſentit etiam *Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 33. ſect. 3. verſ. non omittam circa fin.* Alij vero, inter quos *Nugnus in tertiam partem tom. 1. q. 62. art. 4. difficul. 3. concl. 4.*,

3 Quoad licitum eſſe non conueniunt.

cui adhærere videtur *Diana part. 3. tract. 4. de Sacramentis reſol. 22.* ſentiunt, non eſſe peccaminoſum ſaltem læthalitèr, ſi adhibeatur alius digitus à pollice dextero, quia dato etiam, quod in hoc eſſet præceptum, quia tamen non eſt variatio notabilis, non eſt apta inducere grauem culpam, Ego autem

Dico primò validum fore Sacramentum Confirmationis, ſi fieret alio digito, ſiue manus dexteræ, ſiue ſiniſtræ à pollice

4 Vtique validum eſſet.

dextro. Conſentiunt in hoc magis communitèr, & ſignantèr *Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 33. ſect. 3. in fine*, *Nugnus in tertiam part. tom. 1. q. 62. art. 4. difficult. 5.*, & quotquot ſuſtinent non eſſe peccatum læthale alium digitum adhibere in collatione huius Sacramenti. Ratio ex eo deducitur, quod nullibi conſtet ex ſacris paginis, nec ex aliqua Apoſtolica traditione, quod requiratur vnctio per pollicem manus dexteræ, ſed ſolum dicunt per vnctionem Epiſcopi, vel per manuum impoſitionem; ex alia parte interueniunt omnia, quæ ſunt eſſentialia tum ex parte materiæ, & formæ, tum ex parte miniſtri, ergo non eſt, cur non debeat ſubſiſtere Sacramentum. Nec obſtat, quod in Pontificali Romano præſcribatur, quod fiat pollice manus dexteræ, quia hoc inductum eſt titulo maioris conuenientiæ, & commoditatis, non neceſſitatis pro valore Sacramenti.

5 Grauitèr peccaret, qui vteretur alio digito extra neceſſitatem.

Dico ſecundò probabilius eſſe, adhibentem alium digitum, ſiue manus dexteræ, ſiue ſiniſtræ à pollice dextero ſine neceſſitate, & cauſa vrgente grauitèr peccare. In hoc conſentiunt *Zambranus Laiman, Durandus, & Suarez loc. cit.* Ratio eſt, quia non ſolum hoc præſcribitur in Pontificali Romano, quod non ſolum in hoc eſt directiuum, ſed etiam præceptiuum, & eſt res grauis, & in Eccleſia ſeruata, & præſcripta in ritu conferendi hoc Sacramentum, ergo nequit hoc tranſgredi ſine graui noxa, quod à fortiori euinceretur, ſi verum eſſet, vt probabile eſt, quod ideo talis pollex in conſecratione Epiſcopi ad hunc effectum inungatur, vt tradit *Durandus loc. cit.*

Dico tertiò vrgente neceſſitate, nec valente Epiſcopo pollicem manus dexteræ 6

6 Vrgente neceſſitate, nec valente Epiſcopo aliter vngere non eſſet peccaminoſum.

adhibere, eo quia ille pollex ab eius manu abſciſſus eſt, poterit inculpabilitèr alio digito hoc Sacramentum conferre. Hoc aſſertum apud neminem vidi; arbitror tamen recta ratione inniti, quæ eſt huiuſmodi. Quod adhibendus ſit pollex manus dexteræ, nec eſt ex neceſſitate Sacramenti, nec ex iure Diuino, ſed dumtaxat ex iure poſitiuo Eccleſiaſtico, quod aliqui volunt eſſe ſolummodo directiuum, licet nos aſſeramus eſſe præceptiuum, ſed præcepta mera poſitiua Eccleſiaſtica vrgente neceſſitate, vel propria, vel aliena non obligant; non enim Eccleſia intelligitur obligare cum maximo diſcrimine, ergo vrgente tali neceſſitate poterit conferri Confirmatio inculpabilitèr alio digito à pollice

Soluitur inſtantia oppoſita.

dextero. Neque dicas, hæc ad ſummum valere, quando Sacramentum, quod conferendum eſt, eſt neceſſitatis, cuiuſmodi non eſt illud Confirmationis, cum ſine illo poſſit quiſque ſaluari; Contrà enim impugnaberis, quia licet non ſit Sacramentum neceſſitatis, eſt tamen maximæ vtilitatis, ad quod propterea ius quis habet, cum vigore eiuſdem poſſit ſuperare graues tentationes, vel in extremo, vel alio agone, & propterea &c.

Circa ſecundum dubium in principio articuli excitatum diſcrepant inter ſe DD. 7

7 Sententia docens vnctionē factam inſtrumento aliquo fore inualidam.

dum *Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 33. ſect. 3. in fine*, *Laiman in Theologia mor. lib. 5. tract. 3. c. 2. n. 3.*, *Reginaldus tom. 2. lib. 28. c. 2. n. 10.*, *Filliutius tom. 1. tract. 3. c. 1. n. 17.*, *Nugnus in tertiam partem D. Thomæ tom. 1. q. 72. art. 4. concluſione 2.* aſſerunt hoc Sacramentum collatum medio aliquo inſtrumento ligneo, vel ferreo, vel penna eſſe omnino inualidum, eo quia requiratur ex vi eiuſdem inſtitutionis immediata manuum impoſitio iuxta ſæpius repetita in Actis Apoſtolorum, *tunc imponebant illis manus, & accipiebant Spiritum Sanctum*. E contrario *Fernandez de Heredia in diſputationibus de Sacram. Confirmat. difficult. 5. part. 5. dub. vnico num. 2.* relatus à *Diana part. 3. tract. 4. de Sacramentis reſol. 28.* aſſerit eſſe validum, quantumuis fiat medio inſtrumento ſiue coniuncto, ſiue ſeparato cum ſint omnia requiſita, ſiue ex parte materiæ, ſiue ex parte formæ, ſiue ex parte miniſtri; nec poteſt dici deeſſe manuum impoſitionem,

cum

Digitized by Google

8 Contraria ſententia de eius valore refertur.

cum hæc ſit medio illo inſtrumento, ratione cuius diei poteſt manus impoſita ea proportionali ratione, qua dicuntur manus violentæ imponi in Clericum, ſi imponantur medio baculo, ſeu lapide, iuxta textum *can. ſi quis ſuadente*. Addi poteſt in Confirmationem huius ſententiæ id, quod tradunt *Chapeauille de Sacram. Extrema Vnct. qu. 34., Siluius in tertiam part. q. 32. art. 3., Diana part. 3. tract. 4. de Sacram. reſol. 167.*, nempè Extremam Vnctionem tempore peſtis conferri poſſe virga oblonga oleo ſacro tincta; ex quo euincitur, non eſſe de neceſſitate Sacramenti, quod fiat immediatè manus contactu, ergo, nec erit de neceſſitate Sacramenti Confirmationis, quod fiat vnctio immediatè manus contactu, cum videatur par ratio de vtroque.

9 Probabilius foret inualida vnctio, & Sacramentum.

Probabilius arbitror, quod non ſubſiſteret Sacramentum Confirmationis, ſi vnctio fieret non per immediatam manuum impoſitionem, ſed mediante aliquo inſtrumento. Conſentiunt omnes pro prima ſententia allegati. Ratio eſt, quia manus impoſitio ſemper fuit eſſentialis, & de neceſſitate Confirmationis, ſiue fuerit per eandem ſimplicitèr, ſiue vnctione, vt fieri ſecundum aliquos conſueuit pro aliquo tempore ab Apoſtolis, ſiue fiat, vt de præſenti, & pro omni tempore poſt Apoſtolos per vnctionem Chriſmatis, in qua indiuiſibilitèr ſtat manus impoſitio; quod autem eſt de neceſſitate Sacramenti, debet intelligi formalitèr, & immediatè, non per æquipollens, & mediatè, cum ſe habeat per modum formæ, ergo illa impoſitio debet eſſe per formalem, & immediatam attactum manus ad partem corporis inungendam.

10 Soluitur argumentum deductum ex can. *ſi quis ſuadente*.

Neque obſtant, quæ pro contraria ſententia afferebantur; Non primum deductum *ex c. ſi quis ſuadente* de iniectione manuum violentarum in Clericum, quæ ad effectum, ad quem conditus eſt ille canon, verificatur, quantumuis non immediatè, & formalitèr inijciantur illæ manus, ſed mediante baculo, vel lapide. Non obſtant, inquam, quia per illum textum, quamuis conceptum ſub terminis iniectionis manuum violentarum intelligitur ſub pæna excommunicationis prohiberi quæcunque violenta iniuria, & læſio Clericorum, cum hoc redundet in ſpretum ſtatus Clericalis; Quod, ſi facta fuerit expreſſio iniectionis manuum violentarum, hoc fuit, quia regularitèr, & vt plurimum huiuſmodi iniuriæ, & læſiones fiunt per manus; cæterum ſiue fiat per pedes, ſiue per baculum, ſiue per lapidem, ſiue alio modo cum ſemper reſultet violenta iniuria, ſemper hæc cadit ſub diſpoſitione illius canonis, & iniuria ipſa eſt, quæ intelligitur prohiberi ſub illis pænis; in caſu autem impoſitionis manus in vnctione ſacri Chriſmatis hæc intelligitur tanquam eſſentialis conditio ex ipſa inſtitutione, adeoque debet eſſe determinata, formalis, propria, & immediata.

11 Non currit paritas de extrema vnctione.

Non ſecundum deſumptum à paritate Vnctionis Extremæ, quæ dicitur fieri poſſe medio aliquo inſtrumento ligneo, vel argenteo pro tempore peſtis graſſantis, quia de eſſentia iſtius non eſt manuum impoſitio cum dicatur ſolummodo *inducant Presbyteros vngentes eos &c.* quæ vnctio æquè eſſe poteſt ſiue per manus, ſiue per aliquod inſtrumentum; ſicuti, quia in Sacramento Baptiſmatis dicitur *baptizantes eos*, poteſt conferri idem Baptiſmus, ſiue per immerſionem, in qua baptizans tenet puerum proprijs manibus, quando immergit, vel per infuſionem, in qua proprijs manibus ipſum non tenet, ſed effundit aquam ſuper ipſum, qui baptizatur.

RTICVLVS VIII.

An de neceſſitate huius Sacramenti requiratur præter Chriſmatis vnctionem alia manuum impoſitio.

SVMMARIVM.

Dubia examinanda circa titulum. 1.
Sententia docens Apoſtolos nunquam confirmaſſe per vnctionem. 2.
Et ſolum poſt Concilium Meldenſe incæpiſſe morem vnctionis. Ibid.
Falſum eſt, quod incæperit poſt Concilium Meldenſe. 3.
Incertum, quod Apoſtoli ſolam adhibuerint manuum impoſitionem. 4.
Suppoſito, quod tunc adhibuerint ſolam manuum impoſitionem, an verè contulerint Sacramentum remiſſiuè. 5.
Sententia docens Apoſtolos non confirmaſſe, niſi per ſacram vnctionem. 6.
Sententia docens Apoſtolos aliquando confirmaſſe per ſolam manuum impoſitionem, aliquando per vnctionem. 7.
Ad valorem Sacramenti Confirmationis non eſt neceſſaria alia manuum impoſitio diſtincta à ſacra vnctione. 8.

1 Rationes dubitandi circa titulum.

ORitur potiſſimum hæc difficultas ex ijs, quæ dicuntur facta ab Apoſtolis *Actorum* c. 8., & 9., vbi legitur tradidiſſe hoc Sacramentum ſola manuum impoſitione abſque vlla vnctione, aut Chriſmate; ex quo videtur hæc manuum impoſitio eſſe ſimplicitèr neceſſaria, vel per ſe ſolam, vel ſaltem tanquam pars eſſentialis

lis

Digitized by Google

lis eiuſdem; vnde hic pro huius difficultatis explanatione plura remanent inquirenda, & primò, an Apoſtoli re vera tradiderint hoc Sacramentum ſine vlla vnctione per ſolam manuum impoſitionem, & hoc dato, an tunc verum confecerint Sacramentum iuxta inſtitutionem Chriſti Domini; Secundò, an verè etiam inunxerint. Tertiò ex ſuppoſitione, quod verè inunxerint, an manus-impoſitio fuerit diſtincta ab ipſa vnctione, an vero in eadem ſolum conſtiterit. Quartò, an modo vltra ipſam vnctionem requiratur alia manuum impoſitio ex neceſſitate Sacramenti.

2 Sentẽtia docens, Apoſtolos nunquam cõfirmaſſe per vnctionem.

In ordine ad primum non defuerunt aliqui, qui aſſeruerunt Apoſtolos nunquam adhibuiſſe vnctionem, ſed ſemper ſolam manuum impoſitionem; atque huius opinionis fuerunt *Alenſis quarta part. q. 24. memb. 1., & 2., D. Bonauentura in quarto diſt. 7. art. 1. q. 1., & 2.*, quinimmo Alenſis hunc morem confirmandi per ſolam manuum impoſitionem extendit etiam ad alios Epiſcopos poſt Apoſtolos in primitiua Eccleſia, & aſſerit hunc morem ceſſaſſe ſolum poſt Concilium Meldenſe. Sed hæc opinio in aliquo falſa eſt, in aliquo incerta, in aliquo probabilis.

Et ſolum poſt Cõcilium Meldenſe incæpiſſe morem vnctionis.

Falſa eſt in eo, quod aſſerit, poſt Apoſtolos perſeueraſſe morem confirmandi vſque ad Concilium Meldenſe per ſolam manuum impoſitionem, quandoquidem *Fabianus Pontifex Epiſt. 2.* teſtatur morem confirmandi per vnctionem Chriſmatis incæpiſſe ab Apoſtolis, & ſemper cuſtoditum in Eccleſia.

3 Falſum eſt, quod incæpe-rit ſolum poſt Cõcilium Meldenſe.

Ibi. *Sicut à Sanctis Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus accepimus, hoc Sancta Romana Eccleſia, & Antiochena à temporibus Apoſtolorum cuſtodit, & Hieroſolimorum, & Epheſianorum tenet.* De hoc etiam teſtatur *D. Dionyſius de Eccleſiaſtica Hierarchia c. 4.*, qui multo tempore floruit ante Concilium Meldenſe; Incerta eſt in eo, quod dicit Apoſtolos ſemper ſolum manuum impoſitionem adhibuiſſe, nunquam tamen vnctionem; quia licet, nec in Euangelio, nec in Actis Apoſtolorum legatur, quod Apoſtoli confirmauerint per ſacram vnctionem, non dicitur tamen, quod nunquam hoc fecerint,

4 Incertum eſt, quod Apoſtoli adhibuerint ſolã manuum impoſitionem.

quinimmo ex eo, quod *Fabianus Papa in d. Epiſt. 2.* dixerit Chriſtum Dominum in vltima cæna docuiſſe Apoſtolos conficere Chriſma, argui conuenientèr poteſt, quod ipſi Apoſtoli documentum a Chriſto datum aliquando ſaltem in executione poſuerint, vt opere oſtenderent, quod viſu, & aure didicerunt, & confirmarent exemplo, quod alij ex inſtitutione Chriſti enunciauerunt; Probabilis eſt in eo, quod dicit, quod Apoſtoli confirmauerint per ſolam manuum impoſitionem, quia, cum tunc Spiritus Sanctus viſibilitèr ad confirmandam Eccleſiam deſcenderet, vt pluribus in locis Actorum legitur, non videbatur tunc neceſſarium, quod effectus eiuſdem inuiſibilitèr poneretur.

5 An per ſolum manuum impoſitionem contulerint Sacramentum remiſſiuè.

Sed, an tunc per illam præciſam manuum impoſitionem conſtitueretur verum Confirmationis Sacramẽtum a Chriſto Domino inſtitutum non auderem affirmare, cum non interuenerint eſſentialia ab eodem inſtituta ad valorem huius Sacramenti. Dici tamen poſſet, quod effectus Sacramenti poneretur, quia per illam manuum impoſitionem conſequebantur fideles viſibilitèr id, quod modo inuiſibilitèr conſequuntur.

6 Sentẽtia docens, Apoſtolos non confirmaſſe, niſi per ſacram vnctionem.

In ordine ad ſecundum non defuerunt etiam aliqui, inter quos *Bellarminus lib. 2. de Sacrament. Confirm. c. 9.*, qui docuerunt, nec Apoſtolos, nec alium quemquam confirmaſſe, niſi per vnctionem Sacri Chriſmatis. Quod, ſi dicatur ex Actis Apoſtolorum conſtare, quod *Apoſtoli imponebant manus ſuper eos, & accipiebant Spiritum Sanctum*; tunc reſpondent, quod, vel illa manuum impoſitio non erat propriè Sacramentum, quantumuis per illam ex ſpeciali Dei diſpoſitione conferretur effectus Sacramenti, vel quod non erat diſtincta ab ipſa Chriſmatis vnctione, iuxta quem ſecundum ſenſum videtur procedere *Valdenſis tom. 2. de Sacram. c. 113.* Ibi. *Nemo igitur dicat, qui vult eſſe fidelis, quod Sacramentum Confirmationis fiebat ſine vnctione per ſolam manus impoſitionem à Chriſto, & Apoſtolis; non enim minus manus imponit, qui vngendo imponit*; in quem ſenſum abijt *Innocentius III. in c. vlt. §. penult. de ſacra vnctione*, dum dixit: *Per frontis Chriſmationem manus impoſitio ſignificatur, quæ alio nomine Confirmatio dicitur*

7 Sentẽtia docens Apoſtolos aliquando confirmaſſe per ſolã manuũ impoſitionẽ aliquando per vnctionem.

In ordine ad tertium aliqui dixerunt, aliquando Apoſtolos ſola manuum impoſitione confirmaſſe, aliquando etiam vnctione; atque iuxta hunc ſenſum procedere videtur *D. Thomas tertia part. q. 72. art. 2. ad primum, & art. 4. ad primum*; Quando autem facta fuit per ſolam manuum impoſitionem tunc non collatum eſt Sacramentum propriè ſumptum, vt inſtitutum à Chriſto Domino, ſed ſpeciali quodam priuilegio conceſſum Apoſtolis, vt illo medio cõferrent effectum Sacramenti; Quando vero facta fuit per vnctionem, tunc dicendum eſt, non fuiſſe factam manuum impoſitionem, vt diſtinctam ab ipſa vnctione, vel ſi poſita fuit, fuit appoſita non tanquam eſſentialis actio, ſed tanquam quidam cæremonialis ritus.

Amplector hunc tertium dicendi modum, qui non eſt valdè abſonus à ſecundo,

& iuxta

& iuxta hunc reſoluendo principale quæſitum in principio articuli expoſitum, dico, non eſſe ad valorem Sacramenti Confirmationis neceſſariam aliam manuum impoſitionem diſtinctam ab ea, quæ apponitur in ipſa vnctione, & iuxta hunc ſenſum procedit *Suarez tom. 3. in tertiam part. Diui Thomæ diſp. 33. ſect. 4. verſ. atque ita etiam.*

8 Ad valorē huius Sacramēti nō requiritur alia manuū impoſitio diſtincta ab illa, qua fit vnctio.

Ratio eſt, quia iuxta hunc ſenſum ſeruantur omnia, quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti iuxta inſtitutionem Chriſti Domini, nec diuerſitas eſt ſubſtantialis inter ritum, qui modo ſeruatur in collatione huius Sacramenti, & modum, qui ſeruatus eſt ab Apoſtolis, quando verè illi contulerunt hoc Sacramentum, ſiquidem, quando verè hoc contulerunt, præſtiterunt per veram vnctionem, in qua continebatur illa manuum impoſitio, quod pluribus SS. PP. auctoritatibus euincitur; Primò *Fabiani Pontificis d. Epiſt. 2.*, vbi aſſerit Apoſtolos non ſolum docuiſſe, ſed etiam ſeruaſſe morem conſecrandi Chriſma ſingulis annis. Secundò *D. Auguſtini 15. de Trinit. c. 28.*, vbi dicit Eccleſiam modo in ſuis Præpoſitis ſeruare morem, quem ſeruabant Apoſtoli; dum igitur modo Eccleſiæ Præpoſiti ſeruent morem confirmandi per ſacram vnctionem, ſentiendum videtur, quod hic mos ſeruatus fuerit etiam ab Apoſtolis, cæteroqui incongruè diceretur, quod Prælati ſeruent morem Apoſtolorum, ſi iſti non confirmaſſent per vnctionem. Tertiò *D. Cipriani Epiſt. 73.*, vbi aſſerit, quod ſuo tempore ſeruabatur in Eccleſia ritus, quo Petrus, & Ioannes *Actorum* 8. confirmabant. Ibi- *Quod nunc quoque æpud nos geritur, vt qui in Eccleſia baptizantur, Præpoſitis Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem, & manus impoſitionem Spiritum Sanctum conſequantur & ſignaculo dominico conſignentur.* Certum autem eſt, quod tempore D. Cipriani confirmatio conferebatur per vnctionem.

QVÆSTIO III.

De cauſa materiali ſubiectiua huius Sacramenti.

Qvamuis cauſa materialis ſubiectiua non ſit intrinſeca Sacramento, quod ſolum conſtituitur per materiam propriam, & formam, nihilominus, quia in ſe ipſa recipit Sacramentum, & effectum eiuſdem quando eſt rectè diſpoſita, placuit eius notitiam non diſiungere à notitia materiæ propriæ. Igitur in hac quæſtione diſcurrendo per omnes hominum ſtatus, ad quos ſolum Sacramenta diriguntur, inquiremus primò, quinam ſint capaces Sacramenti Confirmationis quoad validum eſſe, quinam idonei ad ipſum, & eius effectum recipiendum, quænam conditiones requirantur, vt intelligantur perfectè diſpoſiti, & ſimilia.

ARTICVLVS I.

An ſolus, & omnis homo viator ſit capax huius Sacramenti.

SVMMARIVM.

Solus homo viator eſt capax huius Sacramenti. 1.
Omnis homo viator, qui ſit baptizatus, eſt capax huius Sacramenti. 2.
Chriſtus ipſum ordinauit ad omnes ſine vlla exceptione. 3.
Apoſtoli indefinitè omnes confirmabant. 4.
Eſt complementum baptiſmatis ordinatum ad fidem, quam omnes Chriſtiani debent profiteri. 5.
Baptiſmus ex neceſſitate prærequiritur. 6.
Obiecta deſumpta ex eo, quod in primordijs Eccleſiæ plures receperint Spiritum Sanctum, qui adhuc non erant baptizati. 7.
Licet receperint Spiritus Sancti gratiam, non receperunt tamen Sacramentum. 8.
Apoſtoli eminentiori quodam modo ex ſpeciali priuilegio receperunt Sacramentum. 9.
Explicatur dictum D. Petri. 10.

Conclusio I. Solus homo viator eſt capax Sacramenti Confirmationis. In hanc conſentiunt omnes Theologi, & SS. PP., nec diu immorandum in eius probatio-

1 Solus homo viator eſt capax huius Sacramēti.

batione, cum per ſe nota videatur attenta inſtitutione, & fine, ad quem Confirmatio eſt ordinata, quod ſic breuitèr oſtendo. Sacramenta omnia nouæ legis inſtituta ſunt tanquam media, vel neceſſaria, vel ſaltem vtilia ad vitam perfectam ſpiritualem in ordine gratiæ inducendam, & æternam vitam conſequendam, & hæc ordinata ſunt ad homines, ad quorum ſalutem Deus homo factus eſt, vt homines redimeret, ergo, quia ſunt ordinata ad homines, & ad eorum ſalutem, & non ad Angelos, ſoli homines ſunt capaces eorundem, & ſic etiam Sacramenti Confirmationis; quia vero ſunt media ordinata ad perfectum, ſeu vltimum finem conſequendum, non poſſunt afficere, niſi eos, qui ſunt in via ad eundem finem, non in termino, qui iam finem illum conſecuti ſunt, nempè viatores.

Rationes pro aſſerto.

2 Omnis homo viator baptizatus eſt capax.

Concluſio II. Omnis homo viator, qui ſit baptizatus, eſt capax huius Sacramenti. Eſt etiam hæc communis, eamque expreſsè docet D. Thomas *quoad ly omnis homo tertia part. q. 72. art.* 8., & quoad ly *Baptizatus eadem q. 72. art. 6.*

Probatur quoad primam partem, ſcilicet *omnis homo*, primò, quia Chriſtus Dominus Auctor Sacramentorum proptèr nos homines, & proptèr noſtram ſalutem deſcendit de Cælis, & non limitatè quoad aliquos, ſed indefinitè quoad omnes, & media ordinauit, quibus homines non ſolum ſimplicitèr, ſed etiam facilitèr conſequi poſſent eandem ſalutem, ergo, cum pro omnibus inſtituerit aliqua Sacramenta, quæ directè ordinantur ad eandem ſalutem, omnes quoad illa recipienda erunt capaces; huiuſmodi autem eſt inter cætera Sacramentum Confirmationis, quod eſt tanquam perfectio Baptiſmatis, quod ſicuti eſt inſtitutum pro omnibus, ita, & Confirmatio debet intelligi pro omnibus inſtituta, vt ſint in eadem ſerie perfectiuum, & perfectibile. Dixi, *aliqua Sacramenta pro omnibus*; non etenim negauerim inſtituiſſe aliqua alia Sacramenta, quæ ſint alligata certo perſonarum ſtatui, cuiuſmodi eſt Sacramentum Ordinis, quod fœminis non poteſt conferri.

3 Chriſtus ipſum ordinauit ad omnes.

Secundò ex eo euincitur, quod legitur in Actis Apoſtolorum, nempè abſolutè ſine vlla prorſus limitatione, vel exceptione Apoſtolos impoſuiſſe manus ſuper baptizatos non diſtinguentes inter maſculos, & fæminas, nec inter adultos, & paruulos, nec inter Hæbreos, & Gentiles vnde *in c. 1. de conſecr. diſt.* 5. habetur, *Omnes Fideles per manus impoſitionem Epiſcoporum Spiritum Sanctum poſt Baptiſmum accipere debent.*

4 Apoſtoli omnes indefinitè confirmabant.

Tertiò quia omnes baptizati profiteri debent fidem, ad quam ſe obligarunt in Baptiſmo, ergo omnes capaces ſunt recipiendi media, per quæ recipere poſſint robur ad eandem fidem conſtantius, & firmius profitendam; Confirmatio autem datur ad robur fidei, vtſupra ſparſim diximus. Confirmatur, quia Chriſtus Dominus exigit, vt homines non ſolum ſimplicitèr, & quoad neceſſe eſſe ſint Chriſtiani, vt conſequi poſſint vitam æternam, ſed etiam quoad congruum, & vtilius eſſe ſint plenè Chriſtiani, in quo ſtatu cóſtituuntur per Sacramentum Confirmationis, vt habetur *in d. c.* 1. *de conſecrat. diſt.* 5., vbi Vrbanus Papa aſſerit, quod omnes fideles per manus Epiſcoporum debeant accipere Spiritum Sanctum, *vt plenè Chriſtiani inueniantur*, ergo, cum omnes fieri poſſint perfectè Chriſtiani, omnes ſunt capaces Confirmationis, nec præſumendum eſt, quod Chriſtus Dominus, qui voluit omnes Chriſtianos, voluerit aliquem perſonarum ſtatum excludere a perfectione Chriſtiani.

5 Eſt complementum Baptiſmatis, & ordinatum ad fidem, quã omnes debẽt profiteri.

Probatur quoad ſecundam partem ſcilicet quoad ly *Baptizatus*, primò, quia nullus eſt capax Sacramentorum Eccleſiæ, qui intra eandem Eccleſia non fuerit per Baptiſmi ianuam ingreſſus, cum ipſe Baptiſmus ſit ianua omnium Sacramentorum, ergo non baptizatus non eſt capax Sacramenti Confirmationis. Secundò ex eo, quod dictum fuit *in præcedenti part.* 1. *huius vol. q. 7. art.* 2. nempè Baptiſmum per caractherem conſtituere in ſubiecto in quo recipitur, poteutiam paſſiuam ad alia Sacramenta recipienda, ergo ſine eodem Baptiſmo non poteſt quis eſſe capax Sacramenti Confirmationis, & aliorum. Tertiò *ex c.* 1., *& vlt. de Presbyt. non baptiz.*, vbi dicitur, quod ordo collatus alicui non præcedente in eodem Baptiſmo non ſit Ordo, nec Sacramentum, ergo neque Confirmatio collata ante Baptiſmum erit vera Confirmatio, nec validum Sacramentum.

6 Baptiſmus ex neceſſitate prærequiritur.

Quod, ſi dicas, quod *in Actis Apoſtolorum c.* 10. legatur, quod per impoſitionem manuum Apoſtolorum Spiritus Sanctus deſcenderit ſuper eos, qui nondum erant baptizati, quæ certè miſſio Spiritus Sancti viſibilis vim habebat veræ Confirmationis; quod ex pluribus euincitur; primò, quia vlla viſibilis miſſio Spiritus Sancti correſpondebat miſſioni Spiritus Sancti in Apoſtolos in die Pentecoſtes, per quam certè fuerunt confirmati. Secundò, quia illi, in quos Spiritus Sanctus deſcenderat, fuerunt baptizati, non tamen confirmati, ergo, quia valida ſupponebatur Confirmatio facta per illam miſſionem Spiritus Sancti. Tertiò, quia D. Petrus ibidem dixit de illis hominibus, quod *acceperint Spiri-*

7 Quomodo verificetur, quod in primordijs Eccleſiæ plures receperint Spiritũ Sanctum ante Baptiſmum.

Spiritum Sanctum ſicut, & nos, ex quibus infertur, quod, ſicuti Apoſtoli per miſſionem viſibilem Spiritus Sancti fuerunt confirmati, ita, & illi homines. Si, inquam, hæc dicas; Statim impugnaberis, quia dato, quod verè Spiritus Sanctus ibi deſcenderit ſuper eos, qui nondum baptizati erant, damus etiam quod illi receperint gratiam Spiritus Sancti, negamus autem, quod verum receperint Sacramentum, & quod illa gratia fuerit Sacramentalis, quamuis haberet, ſeu habere poſſet effectus Sacramentalis, cum non interuenerint eſſentialia requiſita ad hoc Sacramentum; vnde illa miſſio fuit ſpeciale donum, & extraordinarium ad magis in naſcente Eccleſia ſtabiliendam fidem, nec tunc præſumi poteſt caractherem Confirmationis fuiſſe in illis hominibus non baptizatis impreſſum, cum in illis non eſſet caracther Baptiſmi impreſſus, qui eſt fundamentum cæterorum.

8 Licet receperint Spiritus Sancti gratiam non receperunt tamen Sacramentum.

Ad illud, quod primo loco dicitur, quod illi homines non baptizati per illam miſſionem viſibilem Spiritus Sancti fuerint confirmati, ſicut Apoſtoli in die Pentecoſtes, dicendum eſt in primis pleroſque aſſerere Apoſtolos verè recepiſſe plenitudinem Spiritus Sancti, non tamen Sacramentum inſtitutum à Chriſto Domino; vnde ex hoc non validum deſumitur fundamentum ad probandum, quod illi homines non baptizati verum Sacramentum receperint, quamuis receperint dona Spiritus Sancti. Deindè dici poſſet, quod eminentiori quodam modo ex ſpeciali priuilegio fuerit Sacramentum collatum Apoſtolis, per quod dicantur fuiſſe confirmati, cum iam eſſent baptizati, quod non ita congruè affirmari poteſt de illis hominibus non baptizatis, qui quamuis receperint dona Spiritus Sancti, non tamen poſſunt dici Sacramentum Confirmationis recepiſſe, cum nec fuerint baptizati, nec merita Apoſtolorum habuerint ad recipiendum Sacramentum illo eminentiori modo.

9 Apoſtoli eminentiori quodam modo ex ſpeciali priuilegio receperunt Sacramentum.

Ad illud, quod ſecundo loco dictum fuit, quod poſtea baptizati fuerint, non tamen confirmati, dicendum eſt hoc non conſtare, quod poſtea non fuerint confirmati; Dato deindè, quod poſtea non fuerint confirmati, non ſequitur ex hoc, quod per illam miſſionem Spiritus Sancti viſibilem redditi fuerint incapaces recipiendi hoc Sacramentum, cum non conſtet in illa viſibili miſſione recepiſſe caractherem, quinimmo certum videatur, quod non receperint, cum antecedentèr non habuerint illum Baptiſmi.

10 Explicatur dictũ D. Petri.

Ad illud tandem, quod ſubditur ex Diuo Petro, quod ſcilicet illi homines *acceperint Spiritum Sanctum ſicut & nos*, dicendum eſt, quod verè receperint quoad ſubſtantiam, non autem quoad modum ex ſuppoſitione, quod Apoſtoli receperint Sacramentalitèr; vnde ly *ſicut* non importat omnem identitatem in omnibus, ſed in aliquibus, in eo ſignantèr, quod receperint gratiam Spiritus Sancti, ſicuti receperunt Apoſtoli, non in eo, quod receperint Sacramentalitèr.

ARTICVLVS II.

An pueri ante vſum rationis poſſint validè, & licitè cum effectu recipere hoc Sacramentum.

SVMMARIVM.

Opinio D. Thomæ aſſerentis pueros ante vſum rationis poſſe validè, & licitè recipere hoc Sacramentum. 1.
Soluitur argumentum oppoſitum. 2.
Quantum eſt ex ſe ſunt verè capaces. 3.
An miniſter poſſit illis licitè conferre. 4.
Rationes ſuadentes poſſe attento iure naturali licitè conferre. 5.
Rationes ſuadentes, nec conuenientèr, nec licitè poſſe conferre. 6.
Iura, & rationes ſuadentia de iure poſitiuo Eccleſiaſtico non poſſe conferre. 7.
Attento præcisè iure naturali non eſſet damnandus conferens, ſi illud conferret pueris ante vſum rationis. 8.
Magis tamen congruum foret, ſi differret. 9.
Attento iure poſitiuo regularitèr non eſt conferendum ante ſeptennium. 10.
Rationes ſuadentes, quod collatio facta ante ſeptennium ſine cauſa ſit peccaminoſa lethalitèr. 11.
Sententia negans cum ſuis rationibus. 12.
Probabilius nulla cauſa exiſtente induceret in conferente grauem culpam. 13.
Intellige, niſi conſuetudo aliter obtinuiſſet. 14.
Vel alia cauſa vrgeret. 15.

Diuus Thomas *in quarto diſt. 7. q. 3. art. 2. quæſtiunc. 2. in corpore, & tertia part. q. 72. art. 8. ad ſecundum*, abſolutè exiſtimat, non ſolum poſſe conferri pueris Sacramentum Confirmationis, ſed etiam conuenientèr conferri addita etiam ratione, quod ætas corporalis non præiudicat animæ, quinimmo cum infantis ætas non patiatur fictionem, non poteſt aliquid ponere, per quod impediatur, ſeu impediri poſſit eiuſdem Sacramenti effectus, & ſucceſſiuè reſpondet cuidam obiecto, quod contra fieri poteſt, nempè puerum ante vſum rationis non poſſe fidem profiteri, nec pro illa pugnare; reſpondet, inquam, quod licet durante puerili

1 Ex Diuo Thoma ſunt capaces huius Sacramenti, & fructus.

2 Soluitur argumentum oppoſitum

Digitized by Google

ætate, nec profiteri poſſit fidem, nec pro illa pugnare, per Confirmationem tamen reddatur idoneus pro tempore perfectæ ætatis ad illa munera obeunda; & hoc confirmari poteſt ex eo, quod etiam in collatione Baptiſmatis conferantur pueris præter habitum fidei alia dona ſupernaturalia, quibus tamen vti non poſſunt, niſi cum peruenerint ad vſum rationis.

3 Quantũ eſt ex ſe, ſunt verè capaces.

Ex his D. Thomæ auctoritatibus abſolutè infertur, pueros ante vſum rationis eſſe capaces non ſolum validæ, ſed etiam licitæ, & fructuoſæ ſuſceptionis huius Sacramenti, cum ad hoc non requiratur aliqua poſitiua diſpoſitio per actus propriæ voluntatis, nec per eoſdem poni poſſit fictio impeditiua valoris, & fructus. Quamobrem difficultas reducitur ſolum ad inueſtigandum, an miniſter huius Sacramenti poſſit licitè illud conferre, & an expediens ſit, quod quandoque illud conferat, antequam pueri perueniant ad vſum rationis, cuius reſolutio pendere poteſt, vel attento iure naturali, vel poſitiuo Eccleſiaſtico.

4 An miniſter poſſit illis licitè conferre.

Et quidem rem conſiderando attento præcisè iure naturali congruentiæ pro vtraque parte plurimæ videntur vrgere. Pro parte, quod licitum, & conueniens ſit etiam in infantili ætate poſt Baptiſmum hoc Sacramentum conferre hæ militant; Primò, quia, vt notat *D. Bonauentura in quarto diſt. 7. art. 3. q. 1. in reſol. tit.* prudentis ducis munus eſt armare ſuos milites ante pugnam, & ante læſionem; ſed pugna, licita, & læſiones immediatè incipiunt in ipſa acquiſitione vſus rationis, ergo attenta natura rei conueniens eſt, quod conferatur Sacramentum Confirmationis, per quod confirmatus tanquam miles Chriſti roboretur ad pugnam, qua paſſiones, & Dæmones militant aduerſus animam. Secundò ratione *D. Thomæ in quarto diſt. 7. q. 3. art. 2. quæſtiunc. 2.*, quia ſcilicet infantilis ætas non eſt capax fictionis, per quam impediri poſſit effectus huius Sacramenti, & ſic certius in tali ætate huiuſmodi effectus acquiritur, quam in ætate adulta, & propterea conuenientius in tali ętate Confirmatio videtur eidem conferenda. Tertiò, quia vtilius eſt homini ſtatim, ac renatus eſt Chriſto per Baptiſmum, fieri plenè, & perfectè Chriſtianus, quam talem perfectionem poſt tempus acquirere, cum poſſit contingere, quod ante acquiſitum vſum rationis decedat; qua in hypotheſi maiorem gloriæ gradum acquireret, ſi eſſet confirmatus.

5 Rationes ſuadentes poſſe licitè cõferre.

Pro parte vero negante conueniens eſſe, vt conferatur ante vſum rationis perfectè acquiſitum attento præcisè iure naturali hæ vrgent rationes. Primò, quia dilatio collationis huius Sacramenti magis confert ad maiorem eiuſdem Sacramenti venerationem, & ad maiorem vtilitatem ſuſcipientis, ergo magis conueniens eſt, vt differatur vſque ad perfectè acquiſitum vſum rationis, quam quod conferatur in infantili ætate. Antecedens quoad primam partem probatur, quia maior eſt reuerentia Sacramenti, vt quis ad illud accedat per propriam fidem, & diſpoſitionem per proprios actus, quam per alienam fidem; quando autem confirmatur poſt plenè acquiſitum vſum rationis, accedit per propriam fidem, & per proprios actus, ergo confert ad maiorem Sacramenti reuerentiam, quod hoc Sacramentum conferatur poſt acquiſitum vſum rationis. Rurſus idem antecedens probatur quoad ſecundam partem, quia quando quis peruenit ad vſum rationis poteſt per proprios actus ſe diſponere ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum, ergo ex opere operato maiorem gratiam acquirere, ſicque eidem vtilius eſt, quod recipiat poſt vſum rationis, quam antecedentèr ad ipſum, cum antecedentèr non acquireret, niſi quid minimum gratiæ. Secundò, quia valdè expedire videtur, quando aliundè neceſſitas non vrget, vt recipientes Sacramenta intelligant, & percipiant quid erga illos agatur, ad quod vſus rationis requiritur. Tertiò, quia per Confirmationem fit renouatio fidei, quæ congruentius fieri debet per proprios actus, cum prima profeſſio in Baptiſmo facta ſit per alienos.

6 Rationes ſuadentes, nec licitè, nec conuenientèr poſſe cõferre.

Loquendo verò attento iure poſitiuo Eccleſiaſtico videtur abſolutè aſſerendum requiri ſaltem perfectum vſum rationis in ſuſcipiente, adeout licitè nequeat ante illum eidem conferri. Primò *ex c. vt ieiuni de conſecrat. diſt. 5.*, vbi ſic legitur. Vt ieiuni ad Confirmationem veniant perfectæ ætatis, vbi Gloſa vult ex diſpoſitione iuris poſitiui requiri in ſuſcipiente ſaltem ætatem duodecim annorum. Secundò ex Catechiſmo Romano edito iuſſu Pij Quinti, qui requirit in ſuſcipiente ſaltem ſeptennium, & in multorum ſententia videtur in hoc eſſe præceptiuus; atque hoc idem videtur ſtatuere *Concil. Colonienſe part. 7. c. 9.* Tertiò ex Pontificali Romano, quod præcipit, vt confirmandus ſciat doctrinam Chriſtianam, vt conferatur confirmatio ieiuno, & impingatur ei alapha ad recordationẽ, quæ omnia videntur in ſuſcipiente exigere vſum rationis. Tandẽ communis vſus, & conſuetudo, quæ vim legis habet non ſcriptæ, obtinuit, vt ante vſum rationis pueris non conferatur, & Concil. Mediolanenſe I. prohibet confirmari pueros ante vſum rationis.

7 Iura, & rationes ſuadentia de iure poſitiuo Eccleſiaſtico non poſſe licitè cõferre.

Concluſio I. Attento præcisè iure naturali

turali

8 Attento iure præciſè naturali licitè conferret.

turali ne quidem leuis culpæ damnarem conferentem Confirmationem pueris ante vſum rationis, nec differentem conferre vſque ad ætatem completam; congruentius tamen fore crederem, ſi Confirmatio differratur vſque ad vſum rationis. In hanc videtur conſentire *Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 35. ſect. 2. verſ. vtraque ex his opinionibus*. Ratio eſt, quia congruentiæ pro vtraque parte videntur ingerere prudens iudicium ſiſtendi tutè, & licitè in alterutra illarum, & cum verſemur non in coarctatiuis, ſed in facultatiuis in ordine ad maiorem, vel minorem conuenientiam, & congruitatem non poteſt eſſe aliqua culpa, ſi in aliquam ex his partibus propendatur potiſſimum, ſi vtraque ſit æquè probabilis.

9 Magis congruũ foret, ſi differret.

Quia verò hoc non eſt Sacramentum neceſſitatis, ſicuti eſt illud Baptiſmi, cum ſine illo poſsit haberi ſalus, quando contingeret ſine Confirmatione quemquam decedere, magis conferret ad dignitatem, & venerationem Sacramenti, & vtilitatem ſuſcipientis, vt eius collatio differretur vſque ad vſum rationis, & hanc maiorem conuenientiam cognouit etiam Eccleſia, dum ſtatuit pluribus in locis, quod non conferatur, niſi poſt ſeptennium; quod ſtatutum videtur fundari in æquitate naturali.

10 Regularitèr attento iure poſitiuo non eſt conferendum ante ſeptennium.

Concluſio II. Attento iure poſitiuo Eccleſiaſtico, vbi conſuetudo alitèr non viget, & alia cauſa non vrgeat, Sacramentum Confirmationis non eſt conferendum ante ſeptennium ætatis ſuſcipientis. Colligitur ex allegatis iuribus tum *in c. vt ieiuni de conſecrat. diſt. 5.* tum ex Catechiſmo Romano, tum ex Pontificali, tum ex communi praxi vbique recepta; quæ omnia certè ſimul collecta inferunt obligationem.

11 Sentẽtia docens collationem factam ante ſeptennium inducere culpam læthalem

Hic diſputant DD., an huiuſmodi iura talem inducant obligationem, vt, ſi antecedentèr ad ſeptennium hoc Sacramentum ſine cauſa conferatur, contrahatur per conferentem noxa læthalis. Affirmant plerique, quia arbitrantur tam Catechiſmum, quam Pontificale Romanum non ſolum eſſe directiua, ſed etiam præceptiua, & referri ad textum *in d. c. vt ieiuni de conſecrat. diſt. 5.*, & communem praxim habere vim legis obligantis ſub graui. Negant tamen obligare ſub graui *Magnus in tertiam part. D. Thomæ quæſt. 72. art. 8. concl. 4., Diana part. 3. tract. 4. de Sacram. reſol. 19. verſ. ſed quæres*, qui his rationibus mouentur; primò, quia DD., qui aſſerunt hoc Sacramentum non eſſe conferendum ante ſeptennium, hoc aſſerunt ſub terminis conuenientiæ, non neceſſitatis; ſecundò, quia, ſi quæ ratio vrgeret pro graui culpa, ea eſſet, quia recipiens ante ſeptennium non haberet diſpoſitionem ad recipiendum, ſed hæc ratio nihil euincit, cum ad hoc Sacramentum validè, & licitè recipiendum ſufficiat diſpoſitio negatiua, quod ſcilicet non ſit impedimentum, ſeu obex ad effectum eiuſdem conſequendum. Addi etiam poteſt, quod olim omnibus ſtatim poſt Baptiſmum conferebatur Sacramentum Confirmationis cuiuſcunque conditionis, & ſtatus eſſent, vnde *Auguſtinus tract. 6. in epiſt. primam Ioannis* ſcripſit: *Quando impoſuimus manus iſtis infantibus attendit vnuſquiſque veſtrum verum linguis loquerentur*.

12 Sentẽtia negans cum ſuis rationibus.

13 Probabilius nulla cauſa exiſtente eſſet gravitèr peccaminoſa.

Probabilius ego arbitror nulla cauſa exiſtente, quæ moueat ante talem ætatem ad conferendam Confirmationem, non eximi conferentem à graui culpa, ſi ante illam conferat; proptèr allegata iura, quæ arbitror eſſe præceptiua; Nec obſtant, quæ ex aduerſo afferebantur; non primum, quia DD., qui loquuntur ſub terminis ſolum conuenientiæ, procedunt conſiderato præciſè iure naturali, non poſitiuo Eccleſiaſtico; Non ſecundum proptèr eandem rationem; non tertium, quia antiquitus ideo poſt Baptiſmum conferebatur Sacramentum Confirmationis, quia tunc conſueuit non conferri Baptiſmus, niſi in Paſchate, & Pentecoſte, vnde conueniens fuit, vt tunc conferretur Confirmatio, ne illo temporis interuallo, ſi decederent baptizati, priuarentur Sacramento Confirmationis.

14 Niſi cõſuetudo alitèr obtinuiſſet.

Dixi in concluſione, *vbi conſuetudo alitèr non viget*; ſi enim hæc obtinuiſſet in aliqua regione, vt conferretur ante ſeptennium, non negarem ibi poſſe licitè ante illud tempus conferri, quia conſuetudo legitimè recepta habet vim derogandi legi poſitiuæ.

15 Vel alia cauſa vrgeret.

Dixi, *vbi alia cauſa non vrget*; non enim negauerim in aliquibus caſibus poſſe licitè hoc Sacramentum conferri ante talem ætatem; & primò, ſi certo conſtaret in aliquo acceleratum eſſe vſum rationis; ideo etenim præſcribitur ſeptennium, quia in illo præſumitur vſus rationis acquiri, qui, ſi præueniat, iam tunc confert, quidquid iura requirunt, vt hoc Sacramentum conferatur. Secundò, ſi non confirmatus, niſi confirmaretur ante ſeptennium diu non eſſet habiturus commodum hoc Sacramentum recipiendi. Tertiò, ſi puer ſit in mortis periculo, & opportunè illud conſequi poſſit. Hæc colligo ex *Laiman in Theologia mor. lib. 5. tract. 3. c. 5. n. 2.*

Digitized by Google

ARTICVLVS III.

An Amentes, & Furioſi ſint capaces validæ, & licitæ ſuſceptionis Confirmationis.

SVMMARIVM.

Perpetuò amentes, & furioſi ſunt capaces huius Sacramenti, & fructus eiuſdem. 1.
Computantur pro paruulis ante vſum rationis. 2.
Soluitur argumentum oppoſitum. 3.
Cur pueris regularitèr non ſit conferendum ante vſum rationis, & perpetuo amentibus ſit conferendum, ſeu poſſit conferri, cum non poſſint vti ratione. 4.
Amentes, qui gauiſi ſunt vſu rationis, & petierunt Confirmationem, vel voluntatem eiuſdem exhibuerunt poſſunt in amentia confirmari. 5.
Secus, ſi non petierint, nec voluntatem exhibuerint. 6.
Non videtur ſufficere voluntas interpretatiua. 7.
Soluitur aliud obiectum fundatum in eadem voluntate interpretatiua. 8.
Non eſt tamen damnanda contraria ſententia tanquam improbabilis. 9.
Non conſtante, quod inciderint in amentiam in ſtatu peccati lethalis non eſt ex hoc capite eiſdem neganda Confirmatio. 10.

HIc recolendi ſunt diuerſi Amentium, & Furioſorum ſtatus, de quibus egimus *in præcedenti part. II. q. 3. art. 1. sect. 8.* in ordine ad quos omnes dirimendus eſt præſens titulus. Quibus ad mentem reuocatis.

1 Perpetuò amentes ſunt capaces huius Sacraméti; & fructus eiuſdem.

Dico primò, perpetuo Amentes, & Furioſi baptizati ſunt capaces huius Sacramenti, & effectus eiuſdem. *Suarez tom. 3. in tertiam part. D. Thomæ diſp. 35. sect. 2. verſ. dicendum nihilominus eſt, Nugnus in tertiam part. q. 72. art. 8. concl. 7., Laiman. Theol. mor. lib. 5. tract. 3. c. 5. n. 3., Conninchus de Sacram. q. 72. art. 8. n. 83., Villalobos in ſumma tom. 1. tract. 6. difficult. 6. n. 2.* quidquid ex aduerſo dixerint *Sotus in quarto diſt. 7. q. vnica art. 8., Ledeſma in ſumma tom. 1. de Sacram. Confirm. c. 7. in fine, & alij*, volentes conferendum illis non eſſe, quia hoc Sacramentum datur, vt ſuſcipientes poſſint fortitèr pugnare aduerſus hoſtes ſpirituales; Amentes autem, & perpetuo furioſi non ſunt capaces talis pugnæ.

2 Euincitur paritate infantium.

Ratio ex eo deducitur, quod non minus iſti ſint capaces Confirmationis, ac fructus eiuſdem, ac ſint capaces Baptiſmi, & cum iſti, quantum ad rationis vſum, computentur pro paruulis, ſicuti iſti poſſunt recipere eandem Confirmationem, & effectum eiuſdem, ita non eſt, cur, & illi non poſſint recipere, &, ſicuti in paruulis non requiritur aliqua diſpoſitio poſitiua per proprios actus, ſed ſufficit negatiua, quatenus in iſtis non eſt obex ad gratiam, ita in Amentibus, & perpetuo Furioſis non requiritur eadem poſitiua diſpoſitio, ſed ſufficit negatiua, qualis in ipſis reperitur poſt Baptiſmum.

3 Soluitur inſtantia oppoſita huic paritati.

Neque dicas, diſparem eſſe rationem in perpetuo Amentibus, & Furioſis, ac ſit in paruulis, quandoquidem in iſtis licet actu non ſit vigor ad pugnam, qui eſt principalis effectus huius Sacramenti, eſt ſpes, quod erit in actu exercito, dum peruenerint ad vſum rationis; in perpetuo autem Amentibus, & Furioſis, nec in re, nec in ſpe poteſt talis vigor conſiderari, ideoque non eſt eiſdem Sacramentum, per quod confertur ille vigor, conferendum; contra enim impugnaberis; quia licet hoc Sacramentum conferatur ad robur ſpirituale, & ad vigorem pugnæ ſpiritualis, habet tamen ex genere ſuo, vt Sacramentum conferre gratiam ſpiritualem, ſeu augmentum eiuſdem, quod ſecundum ſe aptum eſt illud robur, & vigorem conferre, prout confert in actu primò; quod, ſi poſtea non conferat in actu ſecundò, & quoad exercitium, hoc non eſt defectu virtutis eiuſdem Sacramenti, ſed defectu ſubiecti, quod tamen acquirit augmentum gratiæ, & ius ad maiorem gloriam. Accedit, quod etiam in Baptiſmo eiſdem cum gratia ſupernaturali conferantur alia dona ſupernaturalia, quæ comitantur eandem gratiam, quorum vſu non gaudent non defectu eorundem, ſed ex defectu propriæ actiuitatis.

4 Cur pueris ante vſum rationis nō ſit conferendum poſſit tamen conferri perpetuo amentibus.

Quod, ſi vlterius vrgeas, quod in præcedenti titulo dictum fuerit regularitèr loquendo non eſſe conferendam Confirmationem pueris ante vſum rationis ſic diſponentibus iuribus allegatis; ex quo videtur ſequi, quod nunquam ſit conferendum perpetuo Amentibus, & Furioſis, cum nunquam habituri ſint eundem rationis vſum, cum videatur quoad iſtos eadem ratio vrgere pro omni tempore, quæ vrget pro infantibus pro tempore, quo nundum acquiſierunt vſum rationis. Contra adhuc impugnaberis, quia infantibus ante vſum rationis non denegatur abſolutè hoc Sacramentum, nam, ſi conſtituantur in periculo mortis poteſt iuxta ſupra dicta eiſdem conferri, ſed ſolum, quando iuſta cauſa non vrget tunc conferendi, ſolum differtur, & hoc ad maiorem reuerentiam Sacramenti, & ad maiorem vtilitatem recipientis; hæc autem non poſ-

Digitized by Google

poſſunt conſiderari in perpetuò amentibus, & furioſis, in quibus non poteſt ſperari diſpoſitio aliqua poſitiua futura, ideoque non eſt, cur non poſſit eiſdem pro quocuoque tempore apto conferri; cum pro quocunque tempore habeaot illam diſpoſitionem negatiuam, hoc eſt negationem obicis ad gratiam, quam habent infantes pro tempore infantiæ.

5 *Si amentes fuerint quandoque ſanæ mentis, & tunc petierint ſunt confirmādi.*

Dico ſecuodò. Si Amentes, & Furioſi noo fuerint tales à natiuitate, ſed pro aliquo tempore gauiſi fueriot vſu rationis, & poſtea in Amentiam, & furorem inciderint, & pro tempore vſus rationis Coofirmationem petierint, vel voluntatem ſenſibilitèr exhibuerint illam recipiendi, poſſunt confirmari, ſi verò, nec petierint, nec voluntatem illam exhibuerint probabile eſt, quod ooo debeat conferri. Conſonat cum ijs, quæ docuimus *in præcedenti part. 11. de Baptiſmo q. 3. art. 1. ſect. 8. concl. 2.*; ex quibus deducendæ ſuot rationes pro iſta concluſione quoad omnes partes; ſicuti enim io Baptiſmo quoad adultos requiritur in eiſdem voluntas, ſeu intentio ſaltem habitualis illum recipiendi, & computaotur pro adultis illi, qui gauiſi ſuot pro aliquo tempore vſu rationis, ita, & hæc voluntas habitualis requiritur in adulto ſuſcepturo Coofirmationem, quæ voluotas ſuppooitur in eo habitualitèr, & moralitèr perſeuerare, qui eandem Confirmationem petijt, ſeu voluntatem exhibuit recipiendi.

6 *Secus, ſi non petierint, nec voluntatem exhibuerint.*

Ex aduerſo cum perſeuerauerint in perfecto vſu rationis pro aliquo tempore, nec petierint, nec voluntatem exhibuerint recipiendi, probabile eſt, quod oequeat cooferri, cum nullum eorum ſignum dederit; propter quam rationem ibidem aſſeruimus noo conferendum Baptiſmum ijs, qui tempore ſanæ mentis, nec petierunt, nec voluntatem recipieodi exhibueruot.

7 *Non videtur ſufficere voluntas interpretatiua.*

Neque dieas primò cum *Suarez diſp. 35. ſect. 2. verſ. ſecundo de Amentibus*:, *Nugno in tertiam part. q. 72. art. 8. concl. 7.*, *Diana part. 3. tract. 4. reſol. 20. verſ. & hæc omnia*, præſumi in ijs, qui habuerunt vſum rationis voluntatem interpretatiuam ſuſcipiendi omnia Sacramenta, ae propterea etiam iſtud Confirmationis tempore opportuno, quæ voluntas videtur ſufficiens ad valorem, & effectum eiuſdem Sacramenti; Contrà etiam impuguaberis, quia illa voluntas joterpretatiua non videtur ſufficere, cum æquè poſſit coniuogi cum actu præcedenti, & cum negatione eiuſdem; vode eſt ſolum voluotas indifferens, quæ oon ſufficit ad valorem, & fructum Sacramenti in adultis in quibus requiritur determinata voluntas, ſiue actu, ſiue io virtute actuum præcedentium perſeuerans.

8 *Soluitur aliud obiectum fundatū in eadem voluntate interpretatiua.*

Neque dicas ſecundò, diuerſam eſſe rationem in Baptiſmo, ae in Confirmatione, quandoquidem aote Baptiſmum oon poteſt eſſe præſumptio, quod quis intenderit velle alia Sacramenta recipere, cum hactenus ad legem Chriſti non ſe obligauerit; poſt Baptiſmum autem, cum fidem Chriſti Domini amplexus fuerit, intelligitur voluiſſe omoia, quæ ex Chriſti ioſtitutione, vel ſibi neceſſaria ſunt, vel vtilia ad ſalutem, adeoque etiam Sacramentum Coofirmationis; Contrà enim impugnaberis, quia, quaotumuis ſit maius fundamentum præſumptionis voluntatis recipiendi Confirmationem poſt Baptiſmum, quam voluntatis recipiendi ipſum ante ſuſceptionem eiuſdem; Nihilominus illa præſumptio maior oon eſt ſufficiens, vt eidem poſſit conferri Confirmatio, cum noo importet intentionem habitualem, ſed ſolum ioterpretatiuam, quæ poteſt eſſe, & ooo eſſe.

9 *Non eſt tamen damnanda contraria ſententia tanquam improbabilis.*

Quamuis autem hæc, quæ diximus in hac ſecuoda parte, quaodo ſcilicet pro tempore ſanæ meotis noo petieriot, nec voluntatem exhibuerint recipiendi Confirmationem plurimum habeant probabilitatis, non oegauerim tamen contrariam ſenteotiam magis piam eſſe, & poſſe ſine aliquo ſcrupulo executioni mandari, ſicuti in praxi mandatur quoad Sacramentum Extremæ Vnctionis, quando quis inopioato fato ſenſibus deſtituitur, nec poteſt alia Sacramenta recipere, & non petierit, nec exhibuerit voluntatem illud recipiendi proptèr voluntatem præſumptam, & interpretatiuam, quam præſumitur habere; nec in hoc currit paritas de Saeramento Pænitentiæ, quod non videtur validè, & licitè poſſe conferri, niſi ſenſibilitèr exhibuerit ſigna pænitentiæ; non currit, inquam, quia io Saeramento Pænitentiæ dolor ſenſibilis eſt pars eſſentialis eiuſdem, quæ, ſi ooo adſit, validum non poteſt conſtitui Saeramentum, & in Saeramento Pæoitentiæ oon ſolum requiritur iotentio habitualis illud recipiendi quantum eſt ex parte recipientis, ſed etiam dolor, qui ſe tenet ex parte materiæ; vbi in Sacramento Confirmationis ſolum requiritur iotentio illam ſuſcipiendi, quæ quantum ad conferentem, vt licitè poſſit conferre, videtur ſufficere ioterpretatiua, cum ex alia parte ſint omnia requiſita tum ex parte materiæ, tum ex parte formæ, tum ex parte miniſtri conferentis.

10 *Non cōſtante, quod inciderint in amentiam in ſtatu gratiæ non eſt illis neganda Confirmatio.*

Dico tertiò. Non cooſtaote, quod inciderint in amentiam in ſtatu peccati læthalis, poteſt eiſdem cooferri Sacramentum Confirmationis. Conſeotiunt in hoc *Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ d. diſp. 35. ſect. 2. verſ. ſecundo de amentibus*,

Laiman

Laiman Theol. mor. lib. 5. tract. 3. c. 5. n. 3., Nugnus in tertia part. q. 72. art. 8. concl. 7. Ratio ex eo deducitur, quia quiſque ſupponitur bonus, niſi conſtet de eius malitia, ergo exiſtentibus alijs omnibus conditionibus, & non conſtante de malitia lapſi in amentiam, & furorem poteſt eidem conferri Sacramentum Confirmationis; & ex his poteſt deduci etiam probabilitas opinionis, quam magis piam aſſeruimus, nempè, quod, ſi qui incidit in amentiam, & non petierit Confirmationem, poſſit confirmari proptèr præſumptam, & interpretatiuam eius voluntatem.

ARTICVLVS IV.

An proximus morti poſſit confirmari.

SVMMARIVM.

Vndenam deſumatur motiuum huius quæſtionis. 1.
Adhuc proximi morti poſſunt confirmari. 2.
Confirmatio datur ad pugnam ſimul, & ad augmentum gratiæ. 3.
Soluitur fundamentum, ex quo deſumpta eſt ratio dubitandi. 4.
Nec obſtat, quod non ſit in vſu pro illo tempore conferre. 5.
Conferri poteſt fæminis. 6.
Etiam mutis à natiuitate. 7.

1 Motiuũ præſentis controuerſiæ. TRribuit occaſionem huius quæſiti, & reſolutionis eiuſdem *D. Thomas tertia part. q. 72. art. 8. arg. 4.*, quod contra ea efformat, vbi deſumpto fundamento ex Melchiade Papa aſſerente. *Et ſi victuris neceſſaria ſint Confirmationis auxilia, at continuò tranſituris ſufficiant regenerationis beneficia*; ex quibus verbis ſibi obijciendo inferre videtur, quod illi, qui poſt Baptiſmum acquiſita per eum innocentia perſeuerauerint vſque ad mortem non ſint confirmandi per mortem, cum non poſſint amplius peccare, cum non ſint amplius in ſtatu pugnæ, ad quam armat confirmatio, adeoque &c. Nihilominus ſit

2 Proximi morti poſſunt confirmari. Concluſio. Adhuc proximi morti, & conſtituti in eiuſdem periculo poſſunt confirmari *D. Thomas loc. cit. ad quartum, Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 35. ſect. 2. in fine, D. Bonauentura in quarto diſt. 7. art. 3. quæſt. 1., & alij communitèr.*

3 Confirmatio datur etiam ad augmentum gratiæ. Euincitur primò ex *Vgone lib. 2. de Sacram. part. 7.* vbi ſic habet. *Omnino periculoſum eſſet, ſi ab hac vita ſine Confirmatione migrare contingeret, & ita morienti etiam opportunum eſt.* Deindè etiam ratione ſupra attacta conuincitur, quia Confirmatio non ſolum datur ad pugnam, ſed etiam ad augmentum gratiæ, quæ, ſi fuerit in ſubiecto apto ad eandem pugnam illi confert robur, & fortitudinem ad vincendum, ſi vero in ſubiecto non amplius apto ad pugnam ius ad maiorem gloriam inde conſequendam, ergo etiam conſtitutis in articulo mortis opportunè poterit conferri Sacramentum Confirmationis.

Neque obeſſe poteſt id, quod ſibi obijciebat D. Thomas, quia Melchiades Papa per verba ſupra allegata ſolum indicat non eſſe neceſſariam Confirmationem proximè tranſituris, quibus propterea dicit ſufficere regenerationis beneficia, non autem tollit capacitatem ad illam, & ad illius effectum quoad augmentum ad gratiam; nec magis quid releuat, quod non ſit proximus morti in ſtatu pugnæ, cum iam ſit ferè in termino. Non magis, inquam, releuat, tum quia poteſt magis prodeſſe in illo extremo agone ad ſuperandas fraudes Dæmonum, tum quia quamuis non prodeſſet ad pugnam, prodeſſet tamen ad augendam gratiam, & ius ad maius gloriæ augmentum. 4 Soluitur fundamentum pro ratione dubitandi.

Nec vlterius obeſſe poteſt, quod non ſit in vſu; quod pro illo mortis articulo conferatur confirmatio, ſed dumtaxat extrema vnctio; Non, inquam, obeſſe, quia, quod regularitèr non conferatur confirmatio extremè laborantibus, non eſt, quia non ſit opportunum, & conueniens, & vtile, quod conferatur, ſed quia non poteſt commodè fieri, & cum debita ſolemnitate, nec ſemper haberi poteſt opportunitas habendi Epiſcopos, ad quos ſpectat illam conferre. 5 Nec obſtat, quod non ſit in vſu.

Ex his, quæ dicta ſunt in hoc articulo, & in præcedentibus inferri etiam poteſt primò, quod hoc Sacramentũ non ſit ſexui fæmineo denegandum, quantumuis etenim hoc Sacramentum ordinetur ad pugnam, quæ non videtur fæminis poſſe competere, cum fragiles ſint, & imbecilles; nihilominus cum pugna, ad quam armat confirmatio, non ſit materialis, ſed ſpiritualis, quæ eſt communis fæminis, & maſculis, æquè illæ indigent robore ad debellandos hoſtes ſpirituales, ac iſti; quinimmò experientia compertum eſt, pleraſque fæminas in pugna fidei plures viciſſe tirannos, & virilem fortitudinem ſuperaſſe. 6 Conferri poteſt fæminis.

Inferri poteſt ſecundò, quod etiam mutis à natiuitate poſſit opportunè hoc Sacramentum conferri, quia licet detur ad liberam Chriſti confeſſionem, quam muti habere non poſſunt; nihilominus hæc confeſſio non ſolum ore fieri poteſt, ſed etiam corde, & opere non ſolum exercen- 7 Etiam mutis à natiuitate poteſt conferri.

do

do actiones ad ipſam fidem pertinentes, ſed etiam tolerando paſſiones proptèr eandem, &, ſi vlterius requireretur maior ſenſibilis expreſſio, hæc exhiberi poſſet per nutus, & exteriora ſigna.

ARTICVLVS V.

Vtrum neceſſario in Sacramento Confirmationis vnctio Chriſmatis fieri debeat in fronte.

SVMMARIVM.

Iura vetantia Sacerdoti baptizanti vngere in fronte, & quarè. 1.
Ex neceſſitate Sacramenti vnctio debet fieri in fronte. 2.
Euincitur ex SS. PP., & Pontificum Sanctionibus. 3.
Cur potius in fronte, quam in alijs partibus. 4.
Ratio D. Thomæ maximè commendatur. 5.

1 Ob quam rationem Sacerdos Baptizãs vetetur vngere in fronte

IN Sacramento Baptiſmatis ſignantèr ſtatuitur, quod vnctio fiat in ſummo vertice capitis, & non in fronte, quia frons debet ſignari Chriſmate in Confirmatione, quod expreſsè tradidit *Rabanus de inſtit. Cleric. lib. 1. c. 3.* Ibi *Signatur baptizatus Chriſmate in ſummitate capitis per Sacerdotem; Per Pontificem vero in fronte;* ex quibus oritur hic dubitandum, an ſit de neceſſitate Sacramenti, quod huiuſmodi vnctio fiat in fronte, an ſolummodo de neceſſitate præcepti. Quo in dubio *Ledeſma q. 72. art. 9.* aſſerit eſſe ſolummodo de neceſſitate præcepti. Nihilominus ſit

2 Ex neceſſitate Sacramenti vnctio debet fieri in frõte.

Concluſio. Ex neceſſitate Sacramenti vnctio fieri debet in fronte, quæ propterea eſt ſubiectum immediatum, & proximum huius Sacramenti. In hoc conſentiunt *Scotus in quarto diſt. 7. q. 1. in definitione huius Sacramenti, & ibi Durandus q. 2. n. 9., Suarez tom. 3. in tertiam part. D. Thomæ diſp. 33. ſect. 3. verſ. circa alteram partem*, & alij magis communitèr quibus adherere videtur *D. Thomas tertia part. q. 72. art. 9. in corpore*, quamuis ibi non exprimat eſſe de neceſſitate Sacramenti, ſed ſolum, quod neceſſarium ſit, vt fiat in ipſa fronte; rationes tamen, quas ibi adducit, videntur inferre neceſſitatem Sacramenti.

3 Euincitur ex SS. PP., & Pontificũ ſanctionibus.

Hoc pluribus SS. PP. auctoritatibus euinci poteſt, & Pontificum ſanctionibus. *Innocentij I. Epiſt. 1. c. 3.*, vbi ait, *non licere Presbyteris frontem ex eodem oleo, hoc eſt Chriſmate ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis*, vbi duo ſignificat, vnum pertinens ad rem præſentem, quod ſcilicet ſignatio non fiat in fronte per Presbyteros, cum ibi facienda ſit per Epiſcopum in Confirmatione, quod denotat ſubiectum proprium Sacramenti; alterum pertinens ad miniſtrum, qui ſolus eſt Epiſcopus, quod idem confirmauit *Gregorius lib. 3. epiſt. 9.* Ibi *Presbyteri baptizatos infantes ſignare in fronte Chriſmate non præſumat.* Neque æſtimandum eſt, has, & ſimiles auctoritates procedere dumtaxat de neceſſitate præcepti, cum nullus in ſacris paginis ſit aſſignabilis textus, qui indicet hanc neceſſitatem oriri ab ipſa inſtitutione; Non, inquam, hoc æſtimandum eſt, quia, quantumuis nullus ſit textus expreſſus, qui talem neceſſitatem indicet, eſt tamen communis, & inueterata traditio, quæ æquiualet ſacris paginis, quæ hoc ſemper tenuit tanquam a Chriſto Domino inſtitutum, & propterea tanquam de neceſſitate Sacramenti, & quamuis inualuerit in aliquibus regionibus teſte *Diana part. 9. tract. 8. reſol. 30.*, vt fierent vnctiones etiam in alijs corporis partibus, hoc tamen non tollit, quin vnctio in fronte ſit propria, & eſſentialis; vnde reliquæ erant dumtaxat acceſſoriæ, & pertinentes ad ritum dumtaxat ceræmonialem in illis regionibus.

Si autem quæratur ratio, ob quam potius in fronte ex neceſſitate huius Sacramenti facienda ſit huiuſmodi vnctio, quam in alia parte corporis, cum potiſſimum videantur vrgere rationes pro alijs partibus, puta pro corde, cum hoc Sacramentum detur ad robur ſpirituale, quod in eodem corde reſidet, vel pro ore, cum detur ad confeſſionem fidei, *ore autem confeſſio fit ad ſalutem*. Tunc dicam cum Concilio Florentino in decreto Eugenij. *Ideo in fronte, vbi verecundia, ſed eo eſt confirmandus inungitur, ne Chriſti nomen confiteri erubeſcat, & præcipuè crucem eius, quæ Iudæis eſt ſcandalum, Gentibus autem ſtultitia ſecundum Apoſtolum, propter quod crucis ſignatur.* Clarius hoc idem explicans *D. Thomas tertia part. q. 72. art. 9. in corpore*, dicit, quod ideo inſtitutum ſit, vt vnctio fiat in fronte, primò, quia æquum eſt, vt ſignum, quo quis ſit miles Chriſti, conſtituatur in loco manifeſto; inter cætera autem membra corporis frons eſt magis manifeſta; ſecundò, quia quis poteſt impediri à libera Chriſti confeſſione, & proptèr erubeſcentiam, & proptèr timorem, & ideo ad euellendas has paſſiones, ſit vnctio in fronte, quia in ea oſtenditur, & erubeſcentia per ruborem, & triſtitia per pallorem; & hinc reſpondere poſſumus ad ea, quæ dicebantur pro corde, & pro ore; & primò ad id, quod pro corde aſſeritur, dicendum eſt re vera fortitudinem in corde reſidere, manifeſtatur tamen in fronte; cum autem hoc

4 Cur potius in fronte, quam in alijs partibus.

5 Ratio D. Thomæ maximè cõmendatur.

Sacra-

Digitized by Google

Sacramentum detur ad manifeſtandam fortitudinem coram alijs, debet potius in loco, in quo manifeſtatur imprimi, quam in loco, in quo reſidet; ſecundò ad id, quod dicitur pro ore, aſſerendum eſt hoc Sacramentum dari ad tollendum quodcunque impedimentum, quo poſſit tolli libera confeſſio fidei Chriſti Domini in adiutorium Sacramenti Baptiſmi, quod obligat ad eandem fidem profitendam, quæ profeſſio, cum poſſit quoquo modo impediri, vel proptèr erubeſcentiam, vel proptèr timorem, ideo ad tollenda hæc impedimenta inſtitutum eſt hoc Sacramentum Confirmationis, vt ſignantèr fieret in fronte, in qua hæc paſſionum ſigna apparent.

ARTICVLVS VI.

An neceſſe ſit, vt vnctio in Confirmatione fiat in formam crucis.

SVMMARIVM.

Sententia docens, non eſſe de eſſentia, quod vnctio fiat in formam crucis. 1.
Verius eſt de eſſentia, & neceſſitate. 2.
Euincitur ex forma eiuſdem. 3.
Rationes contrariæ euelluntur. 4.
Non actio praeuia, ſed ipſa vnctio debet fieri in formam crucis. 5.
Imprimitur ſignaculum permanens, quod fieri debet per quid aliquo modo permanens. 6.

1 Sentētia docens non eſſe de eſſentia huius Sacramenti.

QVamuis regularitèr omnes proptèr formam huius Sacramenti, qua dicitur. *Conſigno te ſigno crucis, & confirmo Chriſmate ſalutis*, aſſerant eſſe de eſſentia eiuſdem ſignaculum in formam crucis, non tamen omnes conueniunt in eo, quod ſit de eſſentia eiuſdem, quod ipſa vnctio fiat in formam crucis; aliqui enim aſſerunt, quod Epiſcopus confirmans poſſit prius pollice nudo formare ſignum crucis in fronte confirmandi, & deindè pollice vncto ſignare eandem frontem non efformando tunc in eadem ſignum crucis, cum efformauerit illud in præcedenti actione; & hoc videtur magis cohærere cum eadem forma, in qua, ſeu per quam indicantur illæ duæ actiones, cum in eadem dicatur prius *Conſigno te ſigno crucis*, quæ eſt actio præcedens, & poſtea ſubdatur, & *confirmo te Chriſmate ſalutis*, quæ eſt actio ſubſequens, & in hac ſolum ſignificatur vnctio, & iuxta hunc ſenſum videtur etiam locutus *D. Ambroſius lib. 6. de Sacramentis c. 2.* Ibi-*Vnxit te Deus ſignauit Dominus ideſt Chriſtus.* His tamen non obſtantibus ſit.

2 Eſt tamē de neceſſitate Sacramenti

Concluſio. De neceſſitate huius Sacramenti eſt, vt vnctio in fronte fiat in formam crucis. Conſentit *D. Thomas tertia part. q. 72. art. 4. ad tertium, cui adhæret Suarez diſp. 33. ſect. 3. in primo verſ.*, & hic teſtatur de communi SS. PP., & Theologorum conſenſu; hocque etiam nos ſupra docuimus.

3 Euincitur ex forma eiuſdem.

Probatur. Eſſentialis ratio materiæ proximæ cuiuſcunque Sacramenti potiſſimum exprimitur per verba eſſentialia formæ, per quam conſtituitur Sacramentum; ſed per verba formæ exprimitur vnctio non quomodocunque, ſed in formam crucis, ergo eadem vnctio in formam crucis eſt eſſentialis materia proxima huius Sacrrmenti. Minor euincitur ex eo, quod in forma dicitur, *conſigno te ſigno crucis*.

4 Rationes contrariæ euelluntur.

Neque obſtant, quæ in contrarium ſupra adducebantur, quia, quod illæ duæ actiones ponantur, nempè *te conſigno ſigno crucis, & confirmo Chriſmate ſalutis*, non eſt ad effectum ſignificandi, quod per vnam diuiſibilitèr ponatur ſignum crucis, & per aliam vnctio, quaſi, quod ſint actiones deſtinatæ ad ſignificandos diuerſos effectus, vna ſcilicet impreſſionem ſignaculi Chriſti Domini, altera ſalutem, ſed ad ſignificandum adæquatum effectum eiuſdem Sacramenti, vt notat *D. Thomas tertia part. q. 72. art. 4. ad tertium*, vbi aſſignans diſcrimen inter formam Baptiſmi, & Confirmationis aſſerit, quod in verbo *baptizandi*, poteſt intelligi, & materia, quæ eſt aqua abluens, & effectus ſalutis, cum ipſa ablutio ex genere ſuo habeat effectum mundandi à macula; in verbo vero *confirmandi*, non intelligitur talis effectus, & ideo in eadem forma clarè exprimitur vtrumque, & Chriſma, quod eſt materia remota, & ſalus in illis verbis, *Chriſmate ſalutis*; vnde communis praxis, quæ ſupponitur fundari in traditione, obtinuit, vt Epiſcopus confirmans prius veſtiat quodamodo pollicem Chriſmate, & vna, & eadem actione vngendo ſcilicet frontem confirmandi proferat omnia illa verba ſignificatiua adæquati effectus; & iuxta hunc ſenſum procedunt communitèr SS. PP., dum dicunt ipſam ſignationem fieri Chriſmate in formam crucis, ſignantèr *D. Dionyſius c. 2. de Eccleſ. Hierarc. part. 2.* vbi loquens de Epiſcopo confirmante dicit, *Qui vnguento, quod maximè diuinos efficit, eum*, ideſt confirmandum *ſignat*, vbi vides, quod ſignatio, quæ intelligitur eſſe in formam crucis fit in ipſa vnctione vnguenti.

5 Ipſa vnctio non præuia actio debet fieri in formā crucis.

Hinc probatur vlterius noſtra concluſio; ſignaculum crucis, quod ponitur in fronte confirmandi deſignat effectum militiæ permanentis ſub vexillis Chriſti Domini,

6 Signaculum crucis debet imprimi per actionem importátem permanentiam.

mini, quæ debet perſeuerare in milite obſignato, ergo debet fieri per aliquod, quod habeat ſignificare eandem perſeuerantiam; hoc autem non eſt ſignum crucis, quod fiat pollice nudo, quod, cum importet actionem tranſeuntem, nihilque relinquat, nec imprimat, non eſt aptum ſignificare eandem, ergo debet fieri per ipſam vnctionem formalitèr, per quam ſignum in fronte imprimitur.

ARTICVLVS VII.

Quænam diſpoſitiones requirantur in ſubiecto Confirmationis ad validè, & cum effectu ipſam recipiendam.

SVMMARIVM.

Prærequiritur Baptiſmus. 1.
In pueris ante vſum rationis non eſt neceſſaria aliqua praua diſpoſitio. 2.
In adultis prærequiritur intentio ſaltem habitualis. 3.
An ſufficiat intentio interpretatiua remiſſiuè. 4.
Prærequiritur item fides de myſterijs reuelatis. 5.
Ad effectum huius Sacramenti prærequiritur in ſuſcipiente effectus ſtatus gratiæ. 6.
In eo, qui ſibi conſcius eſt peccati læthalis prærequiritur tutius confeſſio Sacramentalis. 7.
In aliquo tamen caſu ſufficere poteſt contritio. 8.

1 Prærequiritur Baptiſmus.

NOn eſt dubitandum, quod in eodem prærequiratur Baptiſmus, cum ſine illo ſubiectum non ſit capax aliorum Sacramentorum; eſt etenim ille ianua ad illa, & confert potentiam paſſiuam ad eadem recipienda. Nec eſt dubitandum, quod in pueris, qui nondum conſecuti ſunt vſum rationis non requiratur aliqua poſitiua diſpoſitio per proprios actus, cum eoſdem nequeant elicere. Quamobrem

2 In pueris non requiritur aliqua poſitiua diſpoſitio.

titulus reducitur ad baptizatos, & adultos, ſeu gaudentes plene vſu rationis; circa quos plura poſſunt inquiri; & primò, an in eiſdem ad recipiendum effectum prærequiratur fides. Secundò, an ad valorem eiuſdem prærequiratur in ſuſcipiente intentio ipſum ſuſcipiendi, & quænam. Tertiò, an requiratur ſtatus gratiæ, vt effectum eiuſdem poſſit recipere, & alia huiuſmodi. Incipiendo à ſecundo.

Dico primò; quoad huiuſmodi intentionem recolenda eſſe tum ea, quæ diximus *in præcedenti parte 1. huius voluminis q. 4. art. 3.*, tum in hac *eadem quæſtione art. 3. diſt. 2.*, vbi, quamuis aſſeruerimus requiri intentionem ſaltem habitualem ad validè recipiendum hoc Sacramentum conſiſtentem in eo, quod antecedentèr ad amentiam quis illud petierit, vel ſaltem exhibuerit voluntatem illud recipiendi; nihilominus poſtea diximus, magis piam eſſe, & tuto exequibilem ſententiam aſſerentem ſufficere voluntatem interpretatiuam, & implicitam conſiſtentem in eo, quod quis poſt ſuſceptum liberè, & voluntariè Baptiſmum perſeuerauerit fidelitèr in Religione Catholica, & Chriſtiana opera exercuerit adimplendo legem; tunc enim præſumitur voluntatem habuiſſe opportuno tempore hoc Sacramentum recipiendi.

3 In adultis prærequiritur intentio, ſaltem habitualis.

4 An ſufficiat intétio interpretatiua remiſſiuè.

5 Prærequiritur item fides de myſterijs reuelatis.

Dico ſecundò. Ad recipiendum effectum huius Sacramenti requiritur in recipiente fides de miſterijs reuelatis. In hanc communitèr conſentiunt, & ratio eſt, quia fides eſt fundamentum cuiuſcunque actionis meritoriæ, & ſine fide non poſſumus Deo placere, & per conſeqnens, nec conſequi eius gratiam, ergo, vt Sacramentum in ſuſcipiente producat ſuos effectus, exigit in eodem fidem, per quam reddatur capax eos recipiendi; non etenim gratia poteſt compati cum infidelitate, nec poteſt quiſquam eſſe amicus Dei per gratiam, qui eſt eidem inimicus per infidelitatem.

6 Prærequiritur etiam ſtatus gratiæ.

Dico tertiò. Etiam ad conſequendum effectum eiuſdem Confirmationis requiritur in ſuſcipiente ſtatus gratiæ. In hac etiam communitèr conſentiunt. Ratio eſt, quia hoc Sacramentum vtpotè viuorum non habet producere primam gratiam, cum ſupponat vitam ſpiritualem in ſuſcipiente, ſed dumtaxat ſecundam, hoc eſt augmentum eiuſdem, ergo, vbi non eſt in eodem gratia, non poteſt eandem producere; non enim poteſt eſſe ſecunda gratia ſine prima, nec prima poteſt ab eodem produci. Aduerte tamen, quod hoc dictum procedit quoad effectum gratiæ, & donorum ſupernaturalium, quæ eandem gratiam comitantur; non procedit autem quoad effectum caractheris, quia, cum hic non repugnet cum peccato, poteſt produci etiam in ſubiecto peccatis obnoxio, dummodo ſint alia ſubſtantialitèr requiſita ad valorem eiuſdem.

7 In eo, qui ſibi conſcius eſt peccati læthalis potius eſt remediũ Sacramétalis confeſſionis.

Sed hic oritur difficultas, an in eo, qui ſibi conſcius eſt peccati læthalis ad recipiendum effectum gratiæ; & donorum ſupernaturalium eandem gratiam comitantium, prærequiratur ad ſuſceptionem huius Sacramenti confeſſio Sacramentalis, an vero ſufficiat contritio cum voto eiuſdem confeſſionis ſuo tempore habendæ. In hoc arbitrarer, quod, ſi talis ſibi conſcius peccati læthalis poſſet commodè

Digitized by Google

Confeſſionem Sacramentalem præmittere, vtique teneretur illam præmittere, tum ad certiùs ſibi conſulendum de congrua diſpoſitione, cum certus eſſe non poſſit de actu contritionis veræ; tum ad adimplendum præceptum Eccleſiaſticum præmittendæ confeſſionis reſpectu illorum, qui ſibi conſcij ſunt læthalium ad ſuſceptionem Sacramentorum. Quod, ſi ſupponas, huic pro tempore, quo confertur confirmatio, non habere copiam Confeſſarij, & ſi tunc eandem Confirmationem non reciperet, vix poſſet ſperare, ſe alias recepturum; tunc non incongruè crederem, præmiſſa contritione poſſe recipere, quia licet hoc Sacramentum non ſit neceſſitatis, eſt tamen maximæ vtilitatis, qua poteſt nolle priuari.

8 In aliquo tamen caſu ſufficere poteſt contritio.

QVÆSTIO IV.

De forma Sacramenti Confirmationis.

POtiſsima ratio conſtitutiua huius Sacramenti eſt forma, quæ tribuit determinationem materiæ, eandemque applicat ad effectum, ad quē inſtitutum eſt, quemque expreſsè ſignificat. De hac in præſenti quæſtione latè agemus inquirentes, in quo conſiſtat, à quo fuerit inſtituta, an aliquam admittere poſsit alterationem; An omnes particulæ eius formæ ſint eſſentiales; an inuocatio expreſſa Sanctiſsimæ Trinitatis ſit de eſſentia eiuſdem, adeout, ſi omittatur, irrita ſit eiuſdem collatio, ſicuti ſine iſta irrita eſt collatio Baptiſmi, & alia his ſimilia.

ARTICVLVS I.

Quænam ſit forma huius Sacramenti, & an ſit conueniens.

SVMMARIVM.

Exponitur conſueta forma huius Sacramenti. 1.
Nonnulla obiecta contra hanc formam. 2.
Ex eo, quod alicubi pro ly Chriſmate ſalutis dicatur Chriſmate ſanctificationis non variatur ſignificatio ſubſtantialitèr. 3.
An varietur ſubſtantialitèr, ſi dicatur; confirmetur ſeruus Chriſti remiſſiuè. 4.
Illa duo verba, conſigno, & confirmo, *non important ſuperſluitatem.* 5.
Confirmatio vtpotè complementum Baptiſmi debet quid aliud importare. 6.

COnſueta Eccleſiæ forma conſiſtit in his verbis. *Signo te ſigno crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; in qua forma exprimitur perſona miniſtri per ly *ſigno, & confirmo*, conceptum in perſona prima, quod propterea importat perſonam proferentis, & confirmantis; item actio eiuſdem per eadem verba; item ſubiectum, in quod recipitur eadem forma, & effectus eiuſdem per ly *Te*; quia verò per ly *ſigno, & confirmo*, non exprimitur materia remota huius Sacramenti, nec explicitè, nec implicitè; ſicuti in forma Baptiſmatis exprimitur eadem materia, quæ habetur per ly *Baptizo*, ſeu abluo, quod eſt proprium aquæ, ideo eadem materia remota expreſsè apponitur per ly *Chriſmate*; Item importatur effectus, ad quem inſtitutum eſt hoc Sacramentum per ly *ſalutis*. Additur tandem *ſigno crucis*, & inuocatio expreſſa Sanctiſſimæ Trinitatis, per quorum primum exprimitur modus, quo fieri debet vnctio, & principale agens huius Sacramenti, nempè Sanctiſſima Trinitas. An autem hæc expreſſa inuocatio Sanctiſſimæ Trinitatis ſit de eſſentia huius Sacramenti, ſicuti diximus eſſe de eſſentia Baptiſmi, latè infra examinabimus.

1 Exponitur, & explicatur forma huius Sacramenti.

Difficultates nonnullæ circa particulas aliquas huius formæ hic inſurgunt, quæ videntur illam reddere minus conuenientem, vel ſuperfluam. Prima eſt, quia non eadem forma ſeruatur ab omnibus, cum plures dicant confirmo te non Chriſmate ſalutis, ſed ſanctificationis; alij, confirmetur ſeruus Chriſti Chriſmate ſalutis, alij alitèr; forma autem vtpotè ſignificans eſſentiam rei vnica debet eſſe, ſicuti vnica eſt res, quam ſignificat. Secunda eſt, quia illa verba. Conſigno te, & confirmo important ſuperfluitatem; per vnicum dumtaxat habetur quidquid per vtrumque ſignificatur; qui enim diceret: *Conſigno te ſigno crucis Chriſmate ſalutis. In nomine Patris &c.*, vel diceret. *Confirmo te ſigno crucis Chriſmate &c.* idem diceret, quod modo dicitur: *Conſigno te ſigno crucis, & confirmo Chriſmate ſalutis &c.* ergo alterum illorum verborum eſt ſuperfluum. Tertia, quia Confirmatio ex ipſa vi nominis importat perfectionem, & complementum Baptiſmatis, ergo debet eidem conformari; in Baptiſmo autem, nec fit expreſſio caractheris, nec mentio crucis, quantumuis per ipſum homo Chriſto commoriatur, quinimmo, nec in eiuſdem Baptiſmi forma fit commemoratio ſalutis, quan-

2 Nonnulla obiecta contra hanc formam.

Digitized by Google

quantumuis ſit neceſſarius ſimplicitèr ad ſalutem, ergo, nec eſt neceſſe, quod hæc omnia exprimantur in forma Confirmationis, adeoque in iſtis eſt ſuperflua. Sed facilè his omnibus occurrimus.

3 Ex eo, quod alicubi dicatur Chriſmate ſanctificationis nō variatur ſubſtantialitèr.

Ad primum dicendum eſt, variationem in forma, ſi qua eſt, in diuerſis regionibus eſſe ad ſummum materialem, & accidentalem, & quoad ſonum verborum, non autem formalem, & ſubſtantialem, & quoad ſignificationem; ſic licet in aliquibus regionibus pro ly *Chriſmate ſalutis*, dicatur Chriſmate ſanctificationis, non variatur ſignificatio, ſed ſolum ponitur cauſa pro effectu, cum ipſa ſanctificatio ſit cauſa ſalutis. Ad illud, quod ſubditur de forma, qua dicitur, *Confirmetur ſeruus Chriſti*, eſt diſſenſio inter DD., an ſit valida, cum per illam non exprimatur cauſa miniſterialis, & licet aliqui ſtatuant, ſubſiſtere formam Baptiſmi, ſi dicatur, Baptizetur ſeruus Chriſti, id tamen negant de forma Confirmationis, ſi dicatur, Confirmetur ſeruus Chriſti; ſed de hoc agemus infra vberius, dum de variatione formæ.

4 An varietur ſubſtantialitèr, ſi dicatur Confirmetur ſeruus Chriſti remiſſiuè.

Ad ſecundam dicendum eſt, per vnum tantum ex illis verbis non haberi expreſsè, & formalitèr integrum ſenſum, & perfectam ſignificationem illius formæ; pro cuius clariori intelligentia recole ea, quæ ſupra dicebamus, vnctionem in formam crucis eſſe de neceſſitate eiuſdem vnctionis; vnde, ſi quis diceret, *Conſigno te Chriſmate ſalutis*, quamuis ſignificaret actionem, quam ipſe exercet, non ſignificaret tamen modum actionis, qui neceſſarius eſt; Quod, ſi dicas exprimendum eſſe illum modum actionis, ſed poſſe omitti illud verbum, *Confirmo*, dicendo, *conſigno te ſigno crucis, & Chriſmate ſalutis*, ſtatim impugnaberis, quia omiſſo illo verbo, *Confirmo*, non exprimeretur effectus, ad quem principalitèr inſtitutum eſt hoc Sacramentum, qui effectus eſt Confirmatio in fide, & robur ad eandem profitendam. Quod, ſi vlterius repetas, quod dato, quod ad illum effectum debeat exprimi illlud verbum confirmo, poſſit tamen omitti illud aliud *Conſigno*, & dici *confirmo te ſigno crucis, & Chriſmate ſalutis*, quia hoc verbum *confirmo*, vnitum cum illa actione, quæ exercetur in collatione huius Sacramenti importat ſaltem implicitè vnctionem, per quam fit illa conſignatio; Contrà adhuc impugnaberis; nam, licet per illum modum dicendi importetur ipſa vnctio, vt res quædam, non importatur tamen actio miniſtri, per quam fit illa vnctio. Cæterum, quod vtrumque requiratur manifeſtis auctoritatibus, & definitionibus Conciliorum euincitur, & primò ex Concilio Florentino in decreto Eugenij, vbi vtrumque verbum expreſsè apponitur. Secundò ex verbis *D. Pauli 2. ad Corinthios 1. Qui confirmat nos, & vnxit nos Deus, qui, & ſignauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris*, quæ verba referri ad ſignificandum hoc Sacramentum aſſerunt Theodoretus, & Anſelmus in illum textum ſcribentes.

5 Explicatur quomodo nullum ex illis duobus verbis, *conſigno, & confirmo*, ſit ſuperfluum.

6 Ratio diuerſitatis in hoc inter Baptiſmum, & Confirmationē.

Ad tertiam dicendum eſt, quod ideo, quia hoc Sacramentum eſt perfectio, & complementum Baptiſmi, debeat quid ſupra ipſum Baptiſmum importare; cum igitur Baptiſmus, vt notat *D. Thomas tertia part. q. 72. art. 4. ad tertium*, ſit regeneratio ad vitam ſpiritualem, qua homo viuit in ſe ipſo, & Confirmatio ſit quoddam robur, quo non ſolum confirmatus roboratur in ſe ipſo, ſed fortis conſtituitur ad pugnandum contra alios, ideo illius virtus per vnum dumtaxat actum exprimitur, iſtius autem virtus, cum non ſolum ſit ad interiorem ſignificationem, ſed etiam ad exteriorem pugnam ſpiritualem per plures quodammodo actus debet exprimi, & ſic ſignificari caracther, per quem conſtituitur miles Chriſti, & crux, quæ eſt vexillum, ſub quo vincitur &c.

ARTICVLVS II.

A quo ſit inſtituta huiuſmodi forma.

SVMMARIVM.

Rationes ſuadentes inſtitutam eſſe ab Eccleſia. 1.
Secundum ſubſtantiam inſtituta eſt à Chriſto Domino. 2.
Ab eo inſtitutæ ſunt partes eſſentiales, à quo inſtitutum eſt Sacramentum. 3.
Sacramentum Ordinis inſtituit in ſigno ſenſibili indeterminato, non ſic Sacramentum Confirmationis. 4.
Ex eo, quod de tali forma non fiat expreſſa mentio in ſacris paginis, non bene arguitur, quod non ſit inſtituta à Chriſto Domino. 5.
Argumentum negatiuum, quod aliqui ex antiquis PP. non meminerint huius formæ, nihil euincit. 6.
Apoſtoli per ſimplicem manuum impoſitionem effectum Sacramenti ex ſpeciali priuilegio conferebant, non ipſum Sacramentum. 7.

1 Rationes ſuadẽtes inſtitutā eſſe ab Eccleſia;

MOuet hanc difficultatem ſibimet ipſi obijciendo primo loco *D. Thomas tertia part. quæſt. 72. art. 4.*, dum dicit, vſum Sacramentorum in nos deriuari à Chriſto Domino, & ab Apoſtolis; nullibi autem legitur Chriſtum Dominum inſti-

tuiſſe hanc formam, neque Apoſtolos eandem adhibuiſſe, cum ſolum Spiritus Sancti gratiam per manuum impoſitionem concederent; ex quibus videtur congruè inferri fuiſſe dumtaxat inſtitutam ab Eccleſia, quæ propterea Sacramentalis non eſt, cum ad eum ſolummodo pertineat partes eſſentiales Sacramentorum inſtituere, ad quem pertinet eadem Sacramenta condere, qui ſolus eſt Chriſtus Dominus. His tamen non obſtantibus ſit

2 Secundũ ſubſtantiam inſtituta eſt à Chriſto Domino.

Concluſio. Hæc forma non ab Eccleſia, ſed à Chriſto Domino immediatè inſtituta eſt. Conſentiunt omnes, & ſignantèr *D. Thomas tertia part. q. 72. art. 4. ad primum, Suarez diſp. 33. ſect. 5. verſ. ad rationem dubitandi*.

Ratio eſt, quam mox attigimus, nempè hoc Sacramentum inſtitutum fuiſſe immediatè à Chriſto Domino, ergo, & materia, & forma conſtitutiua eiuſdem fuerunt à Chriſto Domino inſtituta. Antecedens non patitur difficultatem, cum ex *Concil. Trident. ſeſs. 7. de Sacramentis in genere can.* 1. definitum ſit, omnia ſeptem Sacramenta nouæ legis inſtituta fuiſſe à Chriſto Domino, quod etiam ex aliorum Conciliorum definitionibus liquet. Conſequentia probatur, quia ad eum pertinet partes eſſentiales Sacramenti inſtituere, ad quem pertinet ipſum Sacramentum condere, ergo, cum Sacramentum hoc fuerit immediatè à Chriſto Domino inſtitutum, dicendæ ſunt etiam partes eſſentiales conſtitutiuæ eiuſdem ab eodem inſtitutæ.

3 Ex inſtitutione totius arguitur inſtitutio partium eſſentialiũ.

Neque dicas, primò etiam Sacramentum Ordinis fuiſſe immediatè à Chriſto Domino inſtitutum, & tamen materia, & forma eiuſdem fuerunt ab Eccleſia inſtitutæ, quæ ſunt partes eſſentiales eiuſdem, ergo ex eo, quod hoc etiam fuerit inſtitutum, non tollitur, quin partes eiuſdem poſſint ab Eccleſia eſſe inſtitutæ; Contrà enim impugnaberis, quia quoad Sacramentum Ordinis dicendum eſt Chriſtum Dominum illud inſtituiſſe etiam ſecundum partes eſſentiales in ſigno ſenſibili apto manifeſtare poteſtatem, & effectum, qui per ipſum conferuntur, ſed indeterminatè, relinquendo Eccleſiæ determinationem, vt latè oſtendimus in qq. de Sacris Ordinibus; vnde quoad ſubſtautiam partes illæ à Chriſto Domino dicuntur, & dici debent inſtitutæ, & ſolum ab Eccleſia determinatæ quoad res, & verba relatiuè ad inſtitutionem Chriſti Domini; Quoad Sacramentum vero Confirmationis, ſicuti Chriſtus Dominus non ſolum inſtituit Sacramentum, ſed etiam deſignauit determinatam materiam, cum in vltima cæna teſte *Fabiano Papa Epiſt. 2. c. 1.* Chriſtus Dominus docuerit Apoſtolos conficere Chriſma, & hoc fert communis traditio, quæ ab Apoſtolis emananit, vtſupra SS. PP. teſtimonijs, & Conciliorum definitionibus probauimus, non eſt dubitandum, quod formam etiam eidem materiæ proportionatam inſtituerit.

4 Diuerſitas inter Sacramentum Ordinis, & Confirmationis.

Neque dicas ſecundò iuxta id, quod innuebamus in principio articuli, quod de talis inſtitutione formæ, vt à Chriſto Domino præſcriptæ, nullibi ex ſacris paginis reſultet, ergo non ab eodem Chriſto, ſed ab Eccleſia intelligitur inſtituta; Contrà adhuc impugnaberis; quia non omnia, quæ Chriſtus Dominus fecit, & dixit ſcripta ſunt in ſacris paginis, ſed ad nos traslata ſunt ex Apoſtolorum traditione, quæ tantam vim habet, ac habeant ſacræ paginæ, vt ſparſim in præcedentibus probauimus; De hac autem Apoſtolorum traditione conſtat ex continua Eccleſiæ obſeruantia, quæ, cum non habeat initium ab aliquo Pontifice, nec generali Concilio, præſumitur, quinimmo certo dignoſcitur emanaſſe ab Apoſtolis ex regula, quam conſtituit *D. Auguſtinus lib 4. de Baptiſmo c. 24.* Ibi *Quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur*.

5 Licet nõ conſtet ex ſacris paginis, conſtat ex traditione Apoſtolorum.

Neque vrgeas tertiò, hanc formam non reperiri deſcriptam apud antiquos PP., quorum aliqui, quamuis de ea meminerint, non tamen meminerunt ſecundum completum tenorem, quo modo Eccleſia vtitur, ergo ſignum eſt, quod ea, qua modo vtimur, non eſſe ex Chriſti Domini inſtitutione; Contrà adhuc impugnaberis, quia, quod antiqui PP., vel non meminerint, vel mancè meminerint, non eſt, quia eam perfectam non habuerint ex Apoſtolis, ſed, vel quia, vt aſſerit *Innocentius I. Epiſt. 1. c. 3.* Antiqui PP. arbitrabantur non expedire vulgo prodere occulta noſtræ fidei ſine magna cauſa, & neceſſitate, vel quia ibi non expreſsè, & ex profeſſo agerent de tali forma, vnde ſolum inſinuabant ſub communi nomine deprecationis.

6 Argumẽtum negatiuum, quod aliqui ex antiquis PP. non meminerint huius formæ non vrget.

Neque tandem dicas quartò iuxta ea, quæ in ratione dubitandi in principio dicebantur, nempè Apoſtolos nunquam hanc formam adhibuiſſe, ſed ſolummodo confirmaſſe per manuum impoſitionem; incredibile autem videtur eos tradidiſſe, & promulgaſſe poſteris, quod ipſi nunquam exercuerunt; contrà adhuc impugnaberis, quia, vt benè notat *D. Thomas d. q. 72. art. 4. in reſp. ad primum*, Apoſtoli miniſterium ſuum duobus modis adhibuerunt, primò per impoſitionem manuum ſimplicitèr, quo in caſu viſibilibus ſignis miraculosè à Deo effectis conferebant plenitu-

7 Apoſtoli per ſimplicem manuum impoſitionem effectum Sacramẽti non ipſum Sacramentum conferebant.

nitu-

nitudinem Spiritus Sancti, & tuoc effectum conferebant modo extraordinario; non ipſum Sacramentum; nec tunc neceſſaria erat materia, & forma; ſecundò tanquam miniſtri Sacramentorum verum, & proprium Sacramentum conferebant, & tunc materia, & forma iuxta Chriſti inſtitutionem vtebantur, quæ poſtea ſucceſſoribus tradiderunt, & promulgarunt; nec obſtat, ſi dicatur non cooſtare, quod hoc ſecuodo modo proprio confirmandi vſi fuerint, quia, ſicuti non omnia, quæ Chriſtus Dominus fecit, & dixit ſcripta ſunr ita, nec omnia, quæ Apoſtoli dixerunt, & fecerunt.

ARTICVLVS III.

An expreſſa inuocatio Sanctiſſimæ Trioitatis ſit de ſubſtantia, & eſſentia huius formæ.

SVMMARIVM.

Rationes ſuadentes expreſſam inuocationem Sanctiſſimæ Trinitatis non eſſe de neceſſitate Sacramenti. 1.
Verè eſt de neceſſitate eiuſdem. 2.
Rationes ſuadentes aſſertum. 3.
Euincitur etiam ex Concilio Florentino. 4.
Non valet argumentum deſumptum à forma Sacramenti Pænitentiæ, in qua talis inuocatio expreſſa non eſt neceſſaria. 5.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 6.

1 **Rationes ſuadētes non eſſe de neceſſitate Sacramenti**

DVm loqueremur de forma Baptiſmatis, diximus inuocationem expreſſam Sanctiſſimæ Trinitatis eſſe de neceſſitate eiuſdem, adeo vt, ſi illa omitteretur non validum conſtitueretur Sacramentum, addita etiam ratione, quia, cum Baptiſmus ſit Sacramentum fidei, vt paſſim loquuntur SS. PP., debet in eodem fundameotum eiuſdem fidei exprimi; ex hoc autem videtur ſequi, quod, cum iam in Baptiſmo poſitum ſit hoc fundamentum per huiuſmodi expreſſam inuocationem, non ſit neceſſe illud ponere in Sacramento Confirmationis, ſicuti, nec ponitur in cæteris Sacramentis, taoquam de eſſentia. His tamen non obſtantibus ſit

2 **Verè eſt de neceſſitate eiuſdem.**

Concluſio. Inuocatio expreſſa Sanctiſſimæ Trinitatis eſt eſſentialis in forma Sacramenti Confirmationis *D. Thomas tertia part. q. 72. art. 4., Suarez diſp. 33. ſect. 5. verſ. ſecundo dubitari poteſt, Petrus Ledeſma de Sacram. Confirmat. c. 3. verſ. tercera concl., Bartholomæus ab Angelo Dial. 3. §. 17., Coninchus tertia part. q. 72. art. 4. num. 66., Filliutius tract. 3. c. 1. quæſt. 11. num. 22., & alij magis communitèr.*

3 **Rationes ſuadētes aſſertum.**

Ratio eo eo deſumitur, quod Confirmatio data eſt ad robur fidei, quantum ad eam ſtabiliendam in corde, & quantum ad liberè eam profitendam in ore, ergo, ſicuti, quia fides per Baptiſmum figitur in baptizato neceſſaria eſt expreſsa inuocatio Saoctiſſimæ Trioitatis, quæ eſt fundamentum eiuſdem fidei, ita, quia per Confirmationem eadem fides ſtabilitur oō ſolum quoad ſanctificationem internam Confirmati, ſed etiam quoad externam profeſſionem eiuſdem, erit neceſſaria eadem expreſſa inuocatio. Rurſus Confirmatio eſt perfectio, & quaſi complementum Baptiſmi, vt paſſim loquuntur SS. PP., ergo tanquam perfectio debet conformari ſuo perfectibili; ſed de eſſentia formæ Baptiſimalis eſt oeceſſaria expreſſio Sanctiſſimæ Trinitatis, ergo erit etiam hæc neceſſaria tali neceſſitate reſpectu formæ Confirmationis.

4 **Euincitur etiam ex Concil. Florent.**

Ad hæc omoia confirmanda confert plurimum Coneilium Florentinum in decreto Eugenij, vbi pro forma eſſentiali huius Sacramenti cum cæteris verbis eiuſdem formæ ponitur eadem expreſſio Sanctiſſimæ Trinitatis. Neque arbitrandum eſt, talem inuocationem poni ſolummodo per modum cuiuſdam deprecationis, non eſſentialis, eo modo, quo in forma Sacramenti Pænitentiæ etiam eadem inuocatio ponitur, dum regularitèr dicitur: *Ego te abſoluo à peccatis tuis. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, quæ tamen neceſſaria noo eſt; Non, inquam, arbitrandum eſt, quia in Sacramento Pænitentiæ, nec hæc expreſſa inuocatio declaratur neceſſaria per Eccleſiam, nec eſt talis ex fine, ad quem inſtitutum eſt hoc Sacrameotum; non ex primo capite; cum Concilium Tridentinum, & alia omnia Concilia, & SS. PP. auctoritates ſolum pro neceſſaria forma cooſtituant illa verba. *Ego abſoluo te à peccatis tuis*, quin immo aliqui, & quidem non incoogruè ſtatuunt ſufficere illa verba, *Abſoluo te &c.*, quod, ſi alia inconſueta forma apponaotur, ſunt præcisè ad maiorem expreſſionem; non ex ſecundo capite, quia Sacramentum Pænitentiæ inſtitutum eſt ad relaxationem peccatorum, non ad profeſſionem fidei; In Sacramento vero Confirmationis, & Eccleſia declarat, vt ſigoantèr io alligato Concil. Florent., eſſe illam inuocationem neceſſariam, & finis eiuſdem, qui eſt profeſſio fidei explicita, eandem importat.

5 **Nō valet argumētum deſumptū à forma pœnitentiæ, & quarè.**

6 **Soluuntur rationes oppoſitæ.**

Neque obſtat, quod dicebatur ſcilicet in Baptiſmo fixum eſſe in baptizato quodamodo myſterium Trinitatis, adeoque non eſſe neceſſe, quod repetatur in Confirmatione. Non obſtat, ioquam, quia, cum Confirmatio ſit inſtituta ad roboran-

dam

dam fidem, quæ in Baptiſmo ſuſcepta eſt, & ad eam profitendam exigit etiam, vt eius principale miſterium magis in eodem firmetur, quod non requiritur in alijs Sacramentis, cum non dentur ad eiuſdem fidei firmitatem, & profeſſionem.

ARTICVLVS IV.

An præfata forma admittere poſſit aliquam mutationem.

SVMMARIVM.

Mutatio altera ſubſtantialis, altera accidentalis, & quid vtraque. 1.

Ennmerantur mutationes ſubſtantiales circa hanc formam remiſſiuè. 2.

Recenſentur etiam plures accidentales, quæ non irritant. 3.

Sententia Suarez aſſerentis, quod, ſi pro ly confirmo te Chriſmate ſalutis, *dicatur,* vngo te *non eſſet validum Sacramentum.* 4.

Contrarium ſtatuitur, ſi addantur aliæ particulæ Chriſmate ſalutis. 5.

Forma concepta ſub his terminis, Conſignetur ſeruus Chriſti &c. *eſſet valida, non tamen licita.* 6.

Concepta ſub his terminis, conſignet te Chriſtus &c. *probabilius eſſet inualida.* 7.

Recolenda ſunt, quæ diximus circa formam aliorum Sacramentorum in quæſtionibus de Sacramentis in genere, circa quam duplex conſiderari poteſt mutatio, altera ſubſtantialis, per quam mutatur ſignificatio, altera accidentalis, in qua retenta eadem ſignificatione ſolum mutatur modus ſignificandi; Prima irritat Sacramentum; non ita ſecunda, licet hæc inducere poſſit aliquam noxam in mutante maiorem, vel minorem, prout mutatio eſt magis, & minus notabilis. Hæc, quæ dicta ſunt in vniuerſum, applicari poſſunt, & formæ huius Sacramenti, circa quam, ſi variatur ſignificatio, irritatur Sacramentum, ſi vero ſolum modus ſignificandi non redditur irritum licet, quoquo modo illicitum.

1 Mutatio duplex, altera ſubſtantialis, altera accidentalis, & quid vtraque.

Diſcurrendo iam per mutationes, quæ poſſunt circa hanc formam contingere, erit primo ſubſtantialis mutatio, ſi omittatur alterum ex his verbis, *conſigno, &* *confirmo*; item, ſi illud *ſigno crucis*, quamuis ponantur omnia alia verba, vel etiam illud *Chriſmate ſalutis*, iuxta rationes ſupra appoſitas; erit etiam mutatio ſubſtantialis, ſi omittatur inuocatio expreſſa Santiſſimæ Trinitatis, quamuis loco eiuſdem dicatur in nomine Chriſti, vel etiam in communi nomine Trinitatis iuxta ea, quæ diximus in præcedenti part. 2., dum de forma Baptiſmi; Item, ſi omittatur illud *te*, quia ſine illo non ſignificatur ſubiectum, in quo recipitur Sacramentum, & effectus eiuſdem, quod tamen neceſſarium eſt, ſicut neceſſarium eſt in forma Baptiſmi.

2 Recēſentur mutationes ſubſtantiales, & irritantes circa hāc formam.

Ex aduerſo erit tantum mutatio accidentalis, ſi dicatur, *confirmo dominationem tuam*, pro ly *Te*, vel ſi dicatur, *Nos confirmamus te*, quia illa propoſitio in ſenſu plurali reſoluitur in ſingularem propter ſingularitatem miniſtri, qui actionem illam exercet, & ſolum denotat quandam excellentiam perſonæ, ſeu miniſtri Confirmantis. Item, ſi pro ly *Confirmo te Chriſmate ſalutis*, dicatur *Chriſmo te Chriſmate ſalutis*, quia vtrumque hoc verbum habet eandem ſignificationem; ſed, an in hypotheſi huius mutationis neceſſe ſit, quod addatur illa particula, *Chriſmate*, videtur negandum, eo quia verbum *Chriſmo*, videtur illam includere, cum non ſolum importet Confirmationem ſimplicitèr, ſed etiam eandem per Chriſma, ſicuti quando in forma Baptiſmi dicitur, *Abluo*, ſeu *baptizo*, non eſt neceſſe exprimere aquam, quia hæc includitur in verbo *abluo*, cum proprium ſit aquæ abluere, & verbum *Chriſmo*, magis explicitè importat Chriſma, ac verbum *abluo* aquam. Sed licet hoc veritatem habeat, quia tamen eſt neceſſaria expreſſio ſalutis, videtur aliquo modo exprimenda, quod fieri poteſt per additionem huius verbi *in ſalutem*. Dici etiam poſſet, quod, ſi omittatur illud verbum ſalutis, vel in ſalutem, poſſit eſſe validum Sacramentum, quia illæ particulæ apponuntur ad ſignificandum effectum huius Sacramenti, qui tamen ſufficienter ſignificatur per ly *confirmo, vel chriſmo*, quod non ſolum importat exteriorem actionem vnctionis, ſed etiam internam animæ ſanctificationem.

3 Recēſentur etiam plures accidentales, quæ non irritant.

Dubiæ quæſtionis circa hunc titulum ſunt tria. Primum eſt, an, ſi pro ly *Confirmo te Chriſmate ſalutis*, dicatur, *vngo te Chriſmate ſalutis* ſit validum Sacramentum. Secundum, an ſubſiſtat, ſi dicatur, *Obſignetur ſeruus Chriſti ſigno crucis, & confirmetur Chriſmate ſalutis*. Tertium, an item ſubſiſtat, ſi dicatur, *Conſignet te Chriſtus ſigno crucis, & confirmet Chriſmate ſalutis*.

Dubia aliqua examinanda.

Quoad primum *Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 33. ſect. 5. verſ. nihilominus dicendum in fine*, ſentit non ſubſiſtere Sacramentum, quia ly *vngo*, importat mutationem ſubſtantialem, ſignificat enim ſolummodo externam vnctionem, vbi ly *confirmo*, vltra illam exteriorem actionem importat internam animæ ſanctificationem;

4 Sentētia Suarez aſſerentis inualidū fore Sacramentū, ſi pro ly *confirmo*, diceretur *vngo*.

Digitized by Google

nem; Nihilominus, ſi adderetur illi verbo *vngo*, alia ſubſequens particula *Chriſmate ſalutis, ſeu ſanctificationis*, arbitrarer ſubſiſtere Sacramentum, quia illa ſignificatio interioris ſanctificationis, quæ deeſſet verbo, *vngo*, importaretur per ſubſequentes particulas *Chriſmate ſanctificationis, ſeu ſalutis*, & ſic nihil deeſſet de integro ſenſu illius formæ.

5 Contrarium ſtatuitur.

Quoad ſecundum *Nugnus in tertiam partem D. Thomæ q. 72. art. 4. difficult. 1.*, aſſerit, quod, quamuis Græcis conceſſum ſit in Sacramento Baptiſmi vti hac forma *Baptizetur ſeruus Chriſti &c.* non tamen eiſdem conceſſum ſit in Sacramento Confirmationis vti iſta, *Conſignetur ſigno crucis ſeruus Chriſti &c.* non aſſignans tamen rationem diſcriminis; ex quo videtur inferri, quod ille ſentiat non fore validum Sacramentum Confirmationis collatum ſub illa forma; quamuis ſit validum illud Baptiſmi, ſi fiat ſub illa forma *Baptizetur ſeruus Chriſti*. Sed, ſi perpendatur id, quod aſſerit Nugnus, manifeſte apparebit ipſum non loqui de valore Sacramenti, ſed dumtaxat de illicita eius collatione, quod arguit ex eo, quod illa forma, nec ſit Græcis conceſſa, quamuis eiſdem ſimilis forma conceſſa ſit in Sacramento Baptiſmatis. Abſolutè ſentio, fore validum Sacramentum, illicitam tamen eius collationem. Fundamentum deſumo ex ijs, quæ dixi de Sacramento Baptiſmi, cuius valorem agnoui, quantumuis forma fuerit, ſeu ſit poſita ſub his terminis *Baptizetur ſeruus Chriſti*, ergo etiam erit validum Sacramentum Confirmationis collatum ſub hac forma *Conſignetur ſeruus Chriſti &c.* Non etenim in hoc percipio diſcrimen aliquod. Quomobrem recolenda ſunt, quæ dixi *part. 2. huius volum. q. 4. art. 2. concl. 1.*, dum de forma Baptiſmi, quam adhibent Græci, vbi etiam ſoluta fuerunt omnia argumenta deducta ex eo, quod in illa forma non exprimatur perſona baptizantis, quæ etiam poſſunt opponi quoad hanc formam in Sacramento Confirmationis, & hic per applicationem transferenda; non enim vacat illa hic repetere.

6 Forma concepta ſub his terminis, obſignetur ſeruus Chriſti, eſſet valida, non tamen licita.

Quoad tertium probabile arbitror, illam mutationem, qua diceretur *Conſignet te Chriſtus ſigno crucis*, eſſe ſubſtantialem, & irritare Sacramentum. Conſonat cum ijs, quæ diximus *in præcedenti part. 2. q. 4. art. 2. concl. 1. verſ. ſolum aliquid negotij*, vbi, quod non ſubſiſtat forma Baptiſmi concepta ſub his terminis, *Baptizet te Deus*, cum formæ videatur reſiſtere, quod in tali forma non exprimatur actio miniſtri, & tota refundatur in Deum; quod idem ob paritatem rationis videtur congruè applicari formæ Confirmationis. Accedit, quod talis forma ſub allatis terminis eſt concepta modo deprecatiuo, non indicatiuo, quod non videtur congruere alijs Sacramentis ab illo Extremæ Vnctionis.

7 Concepta ſub his terminis cõſignet te Chriſtus eſt inualida.

QVÆSTIO V.

De Miniſtro huius Sacramenti.

Hactenus de cauſis intrinſecis conſtitutiuis huius Sacramenti; Nunc de extrinſeca miniſteriali, & efficienti, quæ ſecundum aliquos duplex eſſe poteſt, altera ex officio, altera ex commiſſione. Vtraque ſub examine in hac quæſtione ponetur, cuius vtriuſque poteſtatem, conditiones, & diſpoſitiones ad hoc munus ritè, & licitè obeundum requiſitas diſquiremus; Sed quia quoquo modo ex diſpoſitione Eccleſiaſtica concurrere debet ad collationem huius Sacramenti patrinus vnus, vel fortè etiam duo, ideo etiam de iſto, ſeu de iſtis nonnulla ſub hac eadem quæſtione peragemus.

ARTICVLVS I.

Quinam ſit miniſter ex officio in hoc Sacramento.

SVMMARIVM.

Hæreticorum errores aſſerentium quemlibet Sacerdotem ex vi ſuæ ordinationis eſſe miniſtrum huius Sacramenti. 1.
Scholaſtici aſſerentes Epiſcopum eſſe miniſtrum ordinarium neceſſitate præcepti, non Sacramenti. 2.
Rationes, quibus innituntur. 3.
Solus Epiſcopus eſt ex officio miniſter ordinarius huius Sacramenti tam neceſſitate præcepti, quam Sacramenti. 4.
Enucitur expreſsè ex Concil. Trid. 5.
Ex Euſebio Papa. 6.
Ex actis Apoſtolorum. 7.
Ex alijs Pontificum, & Conciliorum definitionibus. 8.
Rationes coniecturales, ob quas Chriſtus alligauit hoc officium Epiſcopis. 9.
Explicatur dictum D. Gregorij, vt non obſtans noſtro aſſerto. 10.
Conſuetudo Sacerdotum Egiptiorum erat fundata in errore. 11.
Explicantur nonnulla Conciliorum dicta. 12.

Dixi

DIxi, *ex officio*, nam vtrum quis alius ex cõmiſſione Summi Pontificis poſſit hoc munus exercere, dicam in ſequentibus articulis. Ex eo item, quod dixerim *ex officio*, intelligo non ſolum de miniſtro ordinario neceſſitate præcepti, ſed etiam de eodem neceſſitate Sacramenti. Circa hunc titulum inuenio nonnullorum hæreticorum errores, & nonnullorum Scholaſticorum inter ſe diſcrepantias.

1 Hæreticorum errores aſſerentium quemlibet Sacerdotẽ ex vi ſuæ ordinationis eſſe miniſtrum.

Quoad Hæreticos Wiclephus auſus eſt aſſerere, quemlibet ſimplicem Sacerdotem eſſe ſufficientem miniſtrum huius Sacramenti ex vi officij Sacerdotalis, prout refert *Valdenſis tom. 2. de Sacram. c. 114.*, quem poſtea ſecutus eſt *Armatanus lib. 11. de quæſtionibus Armenorum cap. 4.* Sed hic error damnatus fuit *in Concil. Conſtant. ſeſſ. 8.*, quod omnes errores eiuſdem Wiclephi anathematizauit, & inter cæteros præſentem, qui eſt in numero vigeſimus octauus. Nos vlterius in eiuſdem confutatione non immorabimur, cum ipſius falſitas ex infra ſparſim dicendis apparebit.

2 Scholaſtici aſſerentes Epiſcopũ eſſe miniſtrum ordinarium neceſſitate præcepti non Sacramenti.

Quoad Scholaſticos non defuerunt aliqui, inter quos *Durandus in quarto diſt. 7. q. 3.*, *& ibi Scotus q. 1.*, *& Caietanus in tertiam partem D. Thomæ q. 72. art. 11.*, qui aſſeruerunt, Epiſcopum eſſe quidem miniſtrum ordinarium neceſſitate præcepti, non neceſſitate Sacramenti, Durandus tamen non ita abſolutè procedit in hoc, ſed aſſerit eſſe rem dubiam. Ad hoc ſuum intentum comprobandum referunt primo id, quod Gregorius Papa ſcribit Ianuario Epiſcopo *lib. 3. Epiſtolarum epiſt. 16. in fine*. Vbi Presbyteris concedit, quod deficientibus Epiſcopis poſſint baptizatos in frontibus Chriſmate tangere; ſi autem eſſet hoc munus ex neceſſitate Sacramenti pertinens ad ſolos Epiſcopus, non potuiſſet Pontifex hanc facultatem ſimplicibus Presbyteris concedere.

Secundò referunt id, quod aſſerit *Auguſtinus in lib. 9. qq. noui, & veteris teſtament. c. 101.*, nempè *in Alexandria, & per totam Egiptum, ſi deſit Epiſcopus, conſignet Presbyter*; & ad hoc maximè etiam confert, quod habet D. Hieronymus Dialogo contra Luciferianos. Ibi- *Non ad legis neceſſitatem, ſed ad Sacerdotis honorem pertinere, quod baptizati deferantur ad Epiſcopos, vt illis manus imponant*, ergo ex mente D. Hieronymi, quod Epiſcopus confirmet, non eſt ex neceſſitate Sacramenti, quinimmo, nec legis.

3 Rationes quibus innituntur.

Tertiò referunt Cõcilium Toletanum I. c. 20. vbi habetur ſtatutum eſt Diaconos non Chriſmate, ſed Presbyterum abſente Epiſcopo, præſente vero nonniſi ab ipſo fuerit præceptum, quod idem habetur in *Concil. Arauſicano I. can. 2.*, *& in c. omni tempore de conſecr. diſt. 4.*, & in alijs locis ſacrorum canonum, & SS. PP. auctoritatibus, quæ omnia indicant illud munus non eſſe neceſſarium Epiſcoporum neceſſitate Sacramenti, ſed ad ſummum præcepti. His tamen non obſtantibus ſit

4 Solus Epiſcopus eſt miniſter ordinarius ex officio.

Concluſio. Solum Epiſcopum eſſe ex officio proprio miniſtrum ordinarium huius Sacramenti non ſolum neceſſitate præcepti, ſed etiam Sacramenti. Conſentiunt communitèr, & ſignantèr *D. Thomas tertia part. q. 72. art. 11. in corp.*, *Suarez diſp. 36. ſect. 1. verſ. dicendum eſt*, *& verſ. dico ſecundo*, *& alij*.

5 Euincitur expreſsè ex Concilio Tridentino.

Expreſsè conuincitur primò ex *Concil. Trident. ſeſs. 7. de Sacrament. c. 3.*, vbi hæc expreſsè habet. *Si quis dixerit Sanctæ Confirmationis ordinarium miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemuis ſimplicem Sacerdotem, anathema ſit*, quod idem prius ſtatuerat Concil. Florent. in decreto Eugenij.

6 Ex Euſebio Papa.

Secundò ex Euſebio Papa Epiſt. 3. ad Epiſcop. Tuſciæ, & Campaniæ, prout refert *D. Thomas loc. cit.*, vbi ſic ſcribit. *Manus impoſitionis Sacramentum magna veneratione tenendum eſt, quod ab alijs perfici non poteſt, niſi à Summis Sacerdotibus, nec tempore Apoſtolorum ab alijs, quam ab ipſis Apoſtolis legitur, aut ſcitur permiſſum eſſe, nec ab alijs, quam qui eorum locum tenent vnquam perfici poteſt, aut fieri debet, nam, ſi aliter præſumptum fuerit, irritum habeatur, & vacuum, nec inter Eccleſiaſtica vnquam reputabitur Sacramenta*.

7 Ex Actis Apoſtolorum.

Hinc legimus *Act. 8.*, *& 19.*, quod cum fideles, & Samaria recepiſsēt verbum Dei, & baptizati à Philippo, & alijs, qui non erant Epiſcopi, illuc fuerint miſſi Apoſtoli, vt illos confirmarent. Ex quibus manifeſtè eruitur hoc munus ex neceſſitate Sacramenti eſſe ordinarium Epiſcoporum; cæteroqui fruſtra dixiſſet Euſebius Pontifex, quod collatum ab alijs eſſet irritum, & vacuum, nec inter Eccleſiaſtica Sacramenta reputaretur; ſi etenim hoc ſolum eſſet ex præcepto, eſſet ad ſummum illicitè collatum non inualidè. Item non fuiſſet neceſſe, quod Apoſtoli mitterentur Samariam, vt baptizatos confirmarent, quia quantum pertinet ad neceſſitatem Sacramenti potuiſſent ſimplices Sacerdotes confirmare, nec tunc aderat aliquod præceptum, quod tali muneri obſiſteret.

8 Ex alijs Pontificum, & Concil. definitionibus.

Tertiò ex alijs Pontificum ſanctionibus, & SS. PP. auctoritatibus, Meluadis Papæ, qui ita ſcriptum reliquit de hoc Sacramento Confirmationis. *A maioribus fit, id eſt Summis Pontificibus, à minoribus perfici non poteſt. Concil. Trid. ſeſs. 23. c. 4.*, vbi aſſignans functiones proprias Epiſcoporum

porum

porum enumerat inter cæteras collationem Confirmationis, & dicit illarum poteſtatem reliquos inferioris ordinis nullam habere, & *eadem ſeſs. can. 7.* damnat anathemate, qui in hoc fecerit communem illam poteſtatem Presbyteris ſimplicibus.

Ratio fundamentalis huius concluſionis, & omnium allegatorum iurium non aliundè deſumenda eſt, quam ex Chriſti Domini inſtitutione, de qua licet non conſtet ex ſacris paginis, conſtat tamen ex Apoſtolica traditione, ex praxi in vniuerſa Eccleſia recepta, ex Conciliorum definitionibus, ex SS. PP. auctoritatibus, quibus obſiſtere, nedum eſſet temerarium, ſed Hæreticum etiam, cum *Concil. Trident. d. ſeſs. 7. can. 3.* anathematizet, qui contrarium dixerit.

Si autem quæratur ratio, ob quam Chriſtus Dominus ita inſtituerit, & alligauerit hoc munus tanquam ordinarium Epiſcopis; Dicam certam, & infallibilem non poſſe aſſignari; nam, quæ ſunt Dei, & à libera eius voluntate pendentia, nemo nouit, niſi Spiritus Dei, & cui voluerit idem Spiritus reuelare; cognoſcitur autem certò ex Diuina reuelatione per traditionem nobis manifeſtatam, quod Chriſtus Dominus hanc poteſtatem ordinariam alligauerit Epiſcopis; ratio autem, ob quam ita inſtituerit, ex eadem reuelatione non cognoſcitur; poſſunt tamen aliquæ rationes probabiles, & coniecturales excogitari; quarum prima illa eſt,

9 Rationes coniecturales, ob quas Chriſtus Dominus hoc officium alligauit Epiſcopis.

quam adducit *D. Thomas tertia part. q. 72. art. 11. in corpore*, aſſerens hoc Sacramentum eſſe quaſi vltimam conſummationem Sacramenti Baptiſmi, per quam perficitur opus ſpirituale Deo dicatum; ſicuti autem, cum opus materiale, & artificiale perficitur, materia diſponitur per inferiores artifices, & forma vltima inducitur per Superiorem, ita, cum opus ſpirituale perficitur per inferiores miniſtros medio Baptiſmo materia diſponitur, & plenitudo Spiritus Sancti, quæ eſt forma conſummatiua, & perfectiua per ſupremos debet induci, vt ſeruetur in ordine gratiæ ordinatio, quæ ſeruatur in ordine artis. Secunda eſt, quam adducit *D. Bonauentura in quarto diſt. 7. art. 1. q. 3. in reſolut.* dicens, ad Epiſcopos tanquam Apoſtolorum ſucceſſores, & Prælatos in Eccleſia principales pertinere inferiores in gradu ſuo ſtatuere, & collocare in ordine, & tanquam murum ſe opponere quibuſcunque obuiantibus, & ideo ipſi ſoli ordines faciunt, & corroborant.

Aliæ cōgruentiæ.

Addit idem D. Bonauentura, quod, cum hoc Sacramentum ſit plenitudinis Spiritus Sancti, exigat in miniſtrante plenitudinem auctoritatis, quæ reſidet in ſolis Epiſcopis, non in alijs inferioribus. Tertia eſt, quam adducit *Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 36. ſect. 1. verſ. dicendum eſt tamen*, dicens, Epiſcopum comparari ad Fideles, ſicut Dux exercitus ad ſuos milites; cum autem ſpectet ad ducem milites recipere, & conſignare, ita ad Epiſcopum &c.

10 D. Gregorius nō cōſtituit Presbyteros miniſtros ordinarios huius Sacramenti, ſed delegauit.

Iam reſpondendum eſt oppoſita. Ad primum deſumptum a D. Gregorio in Epiſtola ad Ianuarium Epiſcopum, dicendum eſt cum *D. Thoma loc. cit. ad primum*, ibi Pontificem non conſtituiſſe Presbyteros ordinarios miniſtros huius Sacramenti, nec declaraſſe eiſe tales, ſed de plenitudine poteſtatis in ipſo reſidentis conceſſit, vt tanquam delegati poſſent illud miniſtrare, ſicut legitur alios Pontifices conceſſiſſe ſimplicibus Sacerdotibus poſſe conferre ordines minores; per hoc tamen non tollitur, quin hæc poteſtas ſit propria, & ordinaria Epiſcoporum.

11 Cōſuetudo Egyptiorum erat fundata in errore.

Ad ſecundum relatum à D. Auguſtino de conſuetudine Egiptiorum, ſecundum quam Presbyteri abſente Epiſcopo baptizatos confirmabant, dicendum eſt eos erraſſe in fide; exiſtimabant eiſe non adeſſe Sacramentum Confirmationis à Chriſto Domino inſtitutum, ſed illam vnctionem, quæ fieri conſueuit, eſſe ſolum quandam cæremonialem ritum, quem propterea adaptabant non ſolum Presbyteris, ſed etiam Diaconis, vt notauit *Vualdenſis tom. 2. de Sacram. c.* 114. vnde ex hac conſuetudine nil inferri poteſt, quod obſiſtat ſano ſenſui noſtræ concluſionis. Ad illud, quod ſubditur ex D. Hieronymo Dialog. contra Luciferianos, dicendum eſt ex illius verbis non argui, quod de iure Diuino, & ex neceſſitate Sacramenti non competat auctoritas ordinaria Epiſcopis confirmandi, ſed ſolummodo, quod lex non obligat ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum, & ideo dixit non ad legis neceſſitatem.

12 Explicatur nonnulla Cōciliorum dicta.

Ad tertium deſumptum ex Concil. Tolet. 1. alijſque textibus, ſeu Conciliorū, ſeu iuris canonici dicendum eſt ibi non eſſe ſermonem de Sacramento Confirmationis, ſed de cæremoniali vnctione, quæ fit in vertice, ſeu ſummitate capitis poſt Baptiſmum; nec obſtat, quod hæc cæremonialis vnctio non ſit interdicta Presbyteris, quibus, ſicut de iure ordinario competit baptizare ſolemnitèr, competit etiam ex officio peragere omnes cæremonias, quæ ad eius ſolemnitatem pertinent; vnde non eſſet, cur in eiſdem textibus diceretur, quod non poſſint vngere, niſi abſente Epiſcopo, vel de eius licentia, & mandato, ſi fuerit præſens, cum illam cæremonialem functionem etiam præſen-

te Epiſcopo ex proprio officio poſſent exercere; Igitur textus illi ſunt intelligendi de vnctione Chriſmatis in fronte per Sacramentum Confirmacionis; Non obſtat, inquam, quia, vt notat *Vgo de Sancto Victore lib. 2. de Sacrament. part. 7. c. 3.*, *Primis temporibus omnis vnctio Chriſmatis per ſolos Pontifices fiebat, ſed poſtquam inſtitutum eſt, vt baptizatum Sacerdos in vertice liniat, conſignatio tamen frontis ſolis Pontificibus reſeruatur*; vnde tunc erat vetita Presbyteris illa vnctio cæremonialis in ſummitate capitis, quæ poſtmodum fuit illis conceſſa, & ſic tunc dicebatur, quod vnctio illa non fieret, niſi abſente Epiſcopo, vel de eius licentia; Quapropter ex his non poteſt inferri, quod abſente eodem Epiſcopo poſſent Presbyteri confirmare.

ARTICVLVS II.

An omnes Epiſcopi poſſint Confirmare.

SVMMARIVM.

Varij Epiſcoporum ſtatus. 1.

Epiſcopus ſimplicitèr electus, & Confirmatus non eſt miniſter ordinarius huius Sacramenti. 2.

Poteſtas ordinaria confirmandi dependet eſſentialiter à conſecratione Epiſcopi. 3.

Epiſcopus conſecratus, ſed ſuſpenſus, vel excommunicatus poteſt validè hoc Sacramentum conferre. 4.

Euincitur ex Concil. Trident. 5.

Poteſtas ordinis Epiſcopalis eſt inamiſſibilis. 6.

Euincitur etiam auctoritate D. Auguſtini. 7.

Referuntur aliqua argumenta contraria deducta ex dictis SS. PP., & Pontificum. 8.

Explicantur huiuſmodi dicta, vt non obſtantia noſtro aſſerto. 9.

Nequeunt licitè Epiſcopi excommunicati, & ſuſpenſi conferre hoc Sacramentum. 10.

Infirmo periclitante ad mortem, & anxie petente confirmari ſententia docens poſſe licitè ab Epiſcopo illis notis affecto confirmari. 11.

Probabilius non poteſt licitè. 12.

Recipiens ignorantèr hoc Sacramentum ab Epiſcopo talibus notis affecto recipit & Sacramentum, & rem Sacramenti. 13.

Recipiens ſcientèr illicitè recipit, & nouum peccatum committit. 14.

Excipe, niſi recipiat ab excommunicato tolerato. 15.

1 Varij Epiſcoporum ſtatus.

SOlos Epiſcopos ex officio, & poteſtate ordinaria confirmare in præcedenti articulo ſatis oſtendimus; nunc inueſtigandum eſt, an omnes Epiſcopi poſſint indefinitè hoc Sacramentum conferre. Pro quo aduertendum eſt, Epiſcopos, vel poſſe eſſe ſolummodo electos, vel etiam corfimatos, vel conſecratos. Rurſus, an aliqua nota afficiantur, vel ſuſpenſionis, vel interdicti, vel excommunicationis, vel depoſitionis, vel irregularitatis. Rurſus, an ſint Hæretici, vel Sciſmatici: De his enim omnibus poteſt procedere præſens titulus.

Concluſio I. Epiſcopus ſimplicitèr electus, & confirmatus, non tamen conſecratus non eſt Miniſter ordinarius huius Sacramenti. Conſonat cum ijs, quæ tradidimus *in qq. de Sacramenti Ordinis part. 1. q. 2. art. 3.*, vbi quod Epiſcopus præcisè electus, & confirmatus, non tamen conſecratus non poſſit ordines conferre, ex quo poteſt deduci, quod etiam nequeat confirmare, quandoquidem non minus eſt annexa ordini Epiſcopali de iure ordinario poteſtas conferendi ordines, ac confirmandi baptizatos, vt colligitur ex *Concil. Trident. ſeſs. 23. c. 4.*

2 Epiſcopus præcisè electus, & cõfirmatus non poteſt hoc Sacramētum conferre.

Ratio eſt, quia non minus alligata eſt poteſtas conferendi ordines ordini Epiſcopali, ac poteſtas conferendi Confirmationis Sacramentum, ſed poteſtas conferendi ordines dependet eſſentialitèr tanquam à principjo a caracthere Epiſcopali, vt habetur *in c. inter corporalem de transl. Epiſc.*, ergo quouſque non fuerit caracther Epiſcopalis impreſſus, non poterit Epiſcopus conferre ordines, ergo, nec confirmare, ſed caracther non imprimitur, niſi in conſecratione, ergo ante eandem non poterit Epiſcopus confirmare, ſicuti, nec conferre ordines. Hic tamen aduerte, quod, dum dico, qnod non poſſit Epiſcopus, vel ordines conferre, vel confirmare, niſi accepto caracthere per conſecrationem, non intelligo de caracthere propriè, & ſimplicitèr ſumpto, cum ex dictis *in qq. de Sacris Ordinibus part. 1. de ordin. in communi q. 1. art. 3.* Epiſcopatus propriè non ſit ordo diſtinctus à Sacerdotio, nec imprimat ſpecialem caractherem, ſed de quadam ampliatione caractheris Sacerdotalis, quæ fit per conſecrationem modo loco citato explicato.

3 Poteſtas ordinaria confirmandi dependet eſſentialitèr à cõſecratione Epiſcopi.

Concluſio II. Epiſcopus etiam ſuſpenſus, excommunicatus, irregularis, Sciſmaticus, & Hæreticus poteſt validè confirmare. Et contra plures Hæreticos, quos retuli *part. 1. huius vol. de Sacrament. in genere q. 3. art. 4. aſſert. 1. per totum*, vbi concluſio noſtra latè probata fuit, & Conciliorum definitionibus, & rationibus, & à contrarijs vindicata. Recole, quæ ibi dicta ſunt, & etiam, quæ actitata ſunt *in qq. de Sacris Ordin. part. 1. de ordin. in communi q. 2. art. 3.* Inſuper

4 Epiſcopus excommunicatus poteſt validè confirmare.

Adde

5 Euincitur ex Concil. Trident.

Adde primò *Concil. Trident. ſeſs. 7. can. 12. de Sacram. in genere*, vbi anathematizat eum, qui dixerit miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modo omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, ſeruauerit, non conferre, aut conficere Sacramentum; ex ſuperius autem dictis manifeſtè conſtat Epiſcopum eſſe miniſtrum ordinarium huius Sacramenti; Neque obſtat, ſi dicatur, diuerſam eſſe rationem de miniſtro exiſtente in peccato læthali, ac de miniſtro præciſo ab Eccleſia per excommunicationem, ſciſma, & hæreſim, cum per huiuſmodi notas priuentur quacunque poteſtate Eccleſiaſtica; Non obſtat, inquam, quia per huiuſmodi notas priuantur ad ſummum quacunque poteſtate iuriſdictionis, non poteſtate ordinis, quæ ſemper remanet cum caracthere, qui omnino indelebilis; Confirmatio autem quoad validam collationem non dependet à poteſtate iuriſdictionis, vt dicam in ſequenti articulo, ſed dumtaxat a poteſtate ordinis. Hinc

Adde ſecundò. Poteſtas conferendi Sacramentum prouenit a caracthere, qui imprimitur, ſeu ampliatur, vel ſecundum eſſe Phyſicum, vel ſecundum eſſe morale in conſecratione Epiſcopi, vel, ſi nolis caracthcrem imprimi, in quadam poteſtate, quæ ſecundum communem omnium conſenſum inamiſſibilis eſt, & indelebilis, ſed hic caracther, ſeu ampliatio, ſeu poteſtas non poteſt auferri, nec per irregularitatem, nec per ſciſma, nec per hæreſim, ergo, nec poteſtas validè conferendi Sacramentum Confirmationis; Quod, ſi dicas,

6 Poteſtas ordinis eſt inamiſſibilis.

quod, quamuis non tollatur poteſtas ordinis per huiuſmodi notas, tollatur tamen vſus huius poteſtatis, qui propterea vſus, ſi fiat, erit inualidus; contra impugnaberis, quia extante poteſtate ſecundum ſe ſufficienti cum omnibus eſſentialitèr requiſitis impedimentum vſus poteſt quidem actionem reddere illicitam, non tamen inualidam; non enim non poteſt ſequi actus poſita cauſa neceſſaria cum omnibus requiſitis. Dixi, *poteſtate ſecundum ſe ſufficienti*, qualis in hoc eſt poteſtas ordinis ad differentiam poteſtatis, quæ requiritur in adminiſtratione Sacramenti Pænitentiæ, in qua, cum fiat per modum iudicij, non ſolum requiritur poteſtas ordinis, ſed etiam iuriſdictionis, vt probauimus in quæſtionibus de pænitentia.

7 Euincitur etiam auctoritate D. Auguſtini,

Adde tertiò, *Auguſtinum lib. 5. de Baptiſmo c. 20.*, vbi ſic habet. *Sicuti ſanctificatur oleum ad verba, quæ procedunt ex ore homicidæ, ita etiam ſanctificatur in Hæreticorum altari, quia nullis hominum ſalſitatibus impeditur Deus, quo minus ſuis Sacramentis adeſſe dignetur*. Hinc efficax argumentum deduco ad rem præſentem confirmandam. Poteſtas, quæ immediatè prouenit a Deo, non poteſt per poteſtatem creatam auferri, nec ſuſpendi quoad exercitium validum, ſed poteſtas confirmandi intelligitur à Deo collata Epiſcopis, ergo non poteſt ſuſpendi ab Eccleſia neque per cenſuras, neque per depoſitionem, ſeu degradationem, neque proptèr hæreſim, in quam Epiſcopi inciderint.

Neque obeſſe poſſunt, quæ ex SS. PP., & Concilijs congerunt nonnulli Scholaſtici ad probandum inane eſſe, quidquid agitur per Epiſcopos talibus notis affectos, & primò adducunt *Innocentium I. Epiſt. 18. c.3.*, vbi loquens de Hæreticis ſic loquitur. 8 Referuntur argumenta aduerſantia deducta ex dictis SS. PP.

Eis ſolum baptiſma ratum eſſe permittimus, & poſtea loquens de Confirmatione ſic ſubdit. *Nec dare Spiritus Sancti plenitudinem poſſunt, quam per impietatis ſuæ perfidiam perdiderunt*. Secundò Euſebium Papam Epiſtola 3. circa finem, vbi aſſerit, *quod omnes Hæretici, quicunque Dei gratia conuertuntur, & in Sanctæ Trinitatis nomine credentes baptizati ſunt Romanæ Eccleſiæ regulam tenentes per manus impoſitionem reconciliari debeant*, vnde aſſerunt, quod ita per antiquam conſuetudinem in Eccleſia Dei fuit obſeruantum, vt Hæretici, dum ad fidem conuertuntur per manuum impoſitionem reconcilientur, quod indicat à Catholicis Epiſcopis dumtaxat hoc Sacramentum conferendum eſſe, & cum hic mos indefinitè ſeruaretur quoad omnes conuerſos ad fidem, quorum aliqui poterant eſſe ab Hæreticis confirmati, ſufficientèr infert Confirmationem ab eiſdem collatam prorſus inualidam eſſe, ſecus incongruè, & contra omnia iura reiteraretur. Hoc idem videtur ſtatuiſſe *Concil. Arelat. I. can. 8. c. 11. c. 17.*, quod etiam plures alij SS. PP. firmarunt addita etiam ratione, quod Spiritus Sancti plenitudo, quæ confertur per hoc Sacramentum, extra Eccleſiam dari non poſſit, cum Hæretici ſint eiuſdem omnino incapaces.

Non, inquam, obeſſe poſſunt, nam SS. PP., & Concilia loc. citatis non loquuntur de Sacramento Confirmationis, ſed, vt notat *Suarez d. diſp. 36. ſect. 6. verſ. ad rationem dubitandi* de quadam manuum impoſitione reconciliatiua, quæ erat functio omnino diſtincta ab actione, qua confertur hoc Sacramentum, quod ex multis euincitur, primò, quia in ea non adhibebatur Chriſma; Secundò, quia *Innocentius I. epiſt. 22. c. 4.* aſſerit Clericos ab hæreſi conuerſos ad fidem conſueuiſſe admitti ad communionem laicam per manuum impoſitionem, quod intelligit de impoſitione purgatiua, & reconciliatiua

9 Explicatur huiuſmodi dicta, vt nō aduerſātia.

per pænitentiam; Nec ſubſiſtit ratio adducta, quia ſolum euincit, quod per Epiſcopos Hæreticos non conferatur effectus huius Sacramenti, non autem, quod non conferatur validè Sacramentum ipſum.

10 Nequeát Epiſcopi excõmunicati, & ſuſpenſi licitè cõferre hoc Sacramentum.

Concluſio III. Non poſſunt licitè, ſeu non niſi cum graui peccato ſacrilegij Epiſcopi huiuſmodi notis affecti conferre hoc Sacramentum Confirmationis. Arbitror omnes in hoc conſentire ex generali regula, quod ſancta ſint ſanctè pertractanda, & vltra ſic

Probatur, quia, vel huiuſmodi Epiſcopi intelliguntur adhuc labè læthali infecti, ob quam contraxerunt pænas illas cenſurarum, depoſitionis, irregularitatis, & degradationis, vel tali labè intelliguntur ſoluti remanentibus dumtaxat huiuſmodi cenſuris, ſeu notis; ſi primum aſſeratur; iam iniquè conficiunt, & conferunt hoc Sacramentum, cum requiratur ad licitam confectionem, & collationem ſtatus gratiæ; ſi ſecundum; iam tranſgrediuntur in re graui præceptum Eccleſiæ, quæ eiſdem interdicit vſum Sacramentorum, ergo ſemper grauitèr peccant.

11 Infirmo periclitante ad mortem, & anxie petente cõfirmari ſententia docẽs Epiſcopũ illis notis affectum poſſe licitè confirmare.

Hic oritur difficultas, an vrgente periculo mortis in non confirmato, qui Confirmationem anxiè petit, excuſarentur à graui noxa ſacrilegij Epiſcopi huiuſmodi notis affecti, ſi illum confirmarent. Ratio dubitandi ex vna parte videtur vrgere pro licita confectione, & collatione, quia ſcilicet in illo caſu neceſſitatis videtur ceſſare quodcunque impedimentum Eccleſiaſticum; ſicuti ceſſat quoad collationem Baptiſmatis, & Pænitentiæ; non enim præſumitur, quod Eccleſia pia Mater in illo ſtatu neceſſitatis velit priuare periclitantem beneficio illius Sacramenti, quo poſſit in illo extremo agone pugnare, & vincere infenſos animæ hoſtes, qui in illo exerunt omnes ſuas vires. Ex alia parte, cum hoc non ſit Sacramentum neceſſitatis, nec ius aliquod, ſiue Diuinum, ſiue humanum compellat illud recipere, non videtur illa vtilitas, quam non confirmatus poſſet recipere in receptione eiuſdem Sacramenti, debere præualere reuerentiæ debitæ eidem Sacramento, nec ceſſare interdictum Eccleſiaſticum priuans affectos huiuſmodi notis vſu actiuo, & paſſiuo Sacramentorum. Quid iam in hoc couchudendum?

12 Probabilius non poteſt licitè.

Probabilius arbitror, non poſſe illud conferre proptèr rationes mox adductas, cum non ſit Sacramentum neceſſarium, nec neceſſitate Sacramenti, nec neceſſitate præcepti; & Eccleſia ſolum indulget, quod proptèr neceſſitatem poſſint Sacramenta Baptiſmatis, & Pænitentiæ conferri, quæ neceſſitas non eſt in hac hypotheſi.

13 Recipiẽs ignorantèr hoc Sacramẽtum ab Epiſcopo his notis affecto validè, & licitè recipit.

Concluſio IV. Recipiens ignorantèr hoc Sacramentum ab Epiſcopo huiuſmodi notis affecto recipit, & Sacramentum, & rem Sacramenti, & effectum ipſius; ſi verò recipiat ſcientèr à degradato, depoſito, Hæretico, & Sciſmatico non ſolum non recipit effectum Sacramenti, ſed nouum peccatum committit; ſi verò recipiat ab excommunicato tolerato, & non nominatim denuntiato recipit effectum eiuſdem Sacramenti, non vero, ſi recipiat ab excommunicato vitando, & nominatim denuntiato. Ferè in vniuerſum in hoc conſentit *D. Thomas tertia part. q. 64. art. 6. ad ſecundum*, *Reginaldus lib. 30. tract. 2. num.* 190.

Ratio, proptèr quam recipiens hoc Sacramentum ab Epiſcopo talibus notis affecto ignorantèr conſequatur etiam effectum huius Sacramenti, ex eo deducitur, quod, quantum ſe tenet ex parte recipientis, ſunt omnia eſſentialitèr requiſita ad validam, & licitam eiuſdem ſuſceptionem, cum ipſe intelligatur rectè diſpoſitus, nec ex parte eiuſdem ſit aliquis obex, non enim ipſe communicat cum prauitate miniſtri, cum ipſum prauum non exiſtimet, & ſtante ignorantia nulla volunteriatas, in qua conſiſtit peccatum, poteſt conſiderari in ipſo, ergo non eſt, cur non debeat, & Sacramentum, & rem Sacramenti recipere; nec prauitas miniſtri poteſt Sacramento, vel ſuſcipienti obeſſe, cum Sacramentum non habeat ſanctitatem à miniſtro, ſed à Deo, & peccatum vnius in alium ignorantem non refundatur.

14 Recipiẽs ſcientèr illicitè recipit, & nouum peccatũ cõmittit.

Ratio, proptèr quam non conſequitur effectum Sacramenti, quinimmò contrahit nouum peccatum recipiens ſcientèr Sacramentum Confirmationis ab Epiſcopo degradato, depoſito, Hæretico, & Sciſmatico ex eo deducitur, quod communicat eius peccato, quod etiam verificatur, quando ſcientèr illud recipit ab excommunicato non tolerato, & nominatim denuntiato, quia tunc non ſolum ipſi excommunicato interdictum eſt communicare cum alijs, ſed etiam alijs communicare cum ipſo potiſſimum in Diuinis.

15 Excipe niſi recipiat ab excõmunicato tolerato.

Ratio tandem, proptèr quam recipiens ſcientèr ab excommunicato tolerato recipiat non ſolum Sacramentum, ſed etiam rem Sacramenti, ex eo deducitur, quod habet *D. Thomas loc. cit.*, ſcilicet ſic recipientem recipere Sacramentum ab eodem, vt à miniſtro Eccleſiæ, non in quantum eſt talis perſona, ſed in quantum eſt miniſter Eccleſiæ, & ideo, quandiù ab Eccleſia toleratur in miniſterio, ille, qui ab eo ſuſcipit, non communicat peccato eius, ſed communicat Eccleſiæ, quæ eum tanquam

mini-

miniſtrum exhibet. Sunt formalia verba eiuſdem S. Doctoris; Hinc Concilium Conſtantienſe ſub Martino V. in extrauag., quæ incipit. *Ad euitanda ſcandala* ſolum prohibet communicare cum excommunicatis vitandis non autem cum toleratis.

ARTICVLVS III.

An Epiſcopi conſecrati poſſint omnes confirmare.

SVMMARIVM.

Articuli examinandi circa titulum. 1.
Non requiritur iuriſdictio, ſicuti in pænitentia. 2.
Epiſcopus in propria Diæceſi poteſt licitè confirmare ſubditos alterius Diæceſis. 3.
Ex præſumpta voluntate proprij Epiſcopi. 4.
Euincitur ex paritate confeſſionis Sacramentalis. 5.
Nec currit paritas de Baptiſmo, & quarè. 6.
Epiſcopus extra propriam Diæceſam, nec ſubditos illius Diæceſis, nec proprios poteſt confirmare ſine facultate Epiſcopi illius Diæceſis. 7.
Euincitur ex declaratione Sacræ Congregationis. 8.
Argumentum deductum ex eadem declaratione ſolutum. 9.
Epiſcopus poteſt confirmare Clericum alienum, qui ad ſe accedit pro ordinatione cum literis dimmiſſorijs proprij Epiſcopi, quamuis in illis nulla fiat mentio Confirmationis. 10.
Concedens finem intelligitur concedere media ad finem. 11.
Extraneus extra generalem Confirmationem accedens ad Epiſcopum alienum, & petens ſpecialitèr ab eo confirmari non eſſet confirmandus. 12.
Ratio, cur poſſit in generali Confirmatione, non ſit in priuata. 13.

1 Rationes dubitãdi circa titulum.

PRocedit hic titulus potiſſimum in ordine ad extraneos non ſubiectos Epiſcopo ordinanti; circa quem titulum plura veniunt examinanda. Primò, an Epiſcopus Diæceſis poſſit confirmare ſubditos alterius Diæceſis aduenientes in propriam. Secundò, an exiſtens in aliena Diæceſi poſſit in eadem confirmare ſuos, vel ſubditos illius Diæceſis, in qua tanquam aduena reperitur. Tertiò, an Epiſcopus poſſit confirmare ſubditam alterius Diæceſis afferentem literas dimmiſſorias ſui Epiſcopi, vt ordinetur, quando in eiſdem literis dimmiſſorijs non fit mentio de Confirmatione conferenda.

Ad validè conferendum hoc Sacramentum non requiri poteſtatem iuriſdictionis, firmant communitèr ſcribentes, & inter cæteros *Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 36. ſect. 1. in principio*, ad differentiam Sacramenti Pœnitentiæ, quod cum adminiſtretur per modum iudicij emendatiui, vtique in iudicante exigit iuriſdictionem, vel ordinariam, vel delegatam. Difficultas igitur quoad omnes caſus propoſitos reducitur ad hoc, an licitè poſſit exteris conferri ab Epiſcopo loci, vel ab Epiſcopo alterius loci extra propriam Diæceſim.

2 Non requiritur iuriſdictio, ſicuti in pænitentia.

Concluſio I. Epiſcopus in propria Diæceſi poteſt licitè confirmare ſubditos alterius Diæceſis. *Genuenſis in man. Prælatorum c. 54. n. 7.*, *Barboſa de poteſt. Epiſcopi part. 2. alleg. 30. n. 12.*, *Diana part. 3. reſol. 24. verſ. adde etiam*, & alij plures quos allegat *Barboſa loc. cit.* quidquid ex aduerſo dixerint *Bonacina de Sacramentis diſp. 3. q. vnica punct. 2. nu. 10.*, *Petrus Ledeſma in ſumma tract. de Sacram. Confirmat. c. 9. pag. 45. verſ. ſeptima concl.*, *Bartholomæus ab Angelo Dialog. 3. §. 62.*, qui ea ratione mouentur, quia ſic confirmans exteros poneret falcem in meſſem alienam, & ſicuti Parochus non poteſt etiam in propria Eccleſia Parochiali baptizare alterius Pareciæ ſubditum, ita nec Epiſcopus videtur poſſe alterius Diæceſis ſubditum confirmare ſine licentia proprij Epiſcopi. Nihilominus

3 Epiſcopus in propria Diæceſi poteſt cõfirmare ſubditos alterius.

Probatur concluſio primò communi praxi Eccleſiæ a nemine reprobata, ſecundum quam Epiſcopo in propria Diæceſi confirmanti ſuos ſubditos ſe præſentant alieni, & ab eodem Sacramentum Confirmationis recipiunt, nec vllus eſt, qui damnet alicuius culpæ, & cenſuræ Epiſcopum ordinantem, nec exteros ab eodem ordinatos, & hinc eruitur alia ratio fundata in rationabilitèr præſumpta voluntate propriorum Epiſcoporum, qui, ſi ægrè ferrent huiuſmodi collationes factas ſuis ſubditis, vtique reclamarent, cum eaſdem non poſſint ignorare; quinimmo ex eo, quod ſciant, & taceant, videntur eas ratas habere.

4 Ex præſumpta volũtate proprij Epiſcopi.

Probatur ſecundò, ſubditi alterius Diæceſis accedentes ad hanc Mediolanenſem poſſunt licitè Confeſſionem Sacramentalem habere, & abſolutionem recipere, vel ab ipſo Archiepiſcopo, vel a Confeſſario approbato iſtius Diæceſis nemine diſceptante, ergo a fortiori poterunt ab ipſo Archiepiſcopo recipere Sacramentũ Confirmationis. Conſequentia probatur, quia ad recipiendam abſolutionem Sacramentalem non ſolum in abſoluente requiritur poteſtas ordinis, ſed etiam poteſtas iuriſdictionis, vbi ad conferendum Sacramen-

5 Euincitur ex paritate cõfeſſionis Sacramẽtalis.

tum

Digitized by Google

tum Confirmationis, ſaltem quoad validum eſſe, poteſtas iuriſdictionis non requiritur, ergo, ſi poteſt validè, & licitè recipere in hac Diæceſi abſolutionem Sacramentalem, poterit etiam recipere, & quidem à fortiori Sacramentum Confirmationis.

Nec obſtare poteſt id, quod dicebatur
6 de Sacramento Baptiſmi, quia in primis non ita verum eſt, vt ſupponitur, quod, ſi filius natus ſit in alterius Parœcia maximè diſſita, vel in aliena Diæceſi non poſſit a Parocho, in cuius Parochia natus eſt, baptizari. Deindè dato etiam aſſumpto non currit paritas de Baptiſmo, ac de Confirmatione, quandoquidem vſus non obtinuit, vt baptizandus ab alio baptizetur a proprio Parocho, quinimmo iura ſtatuunt pænas contra baptizantes ſolemnitèr alienos ſine licentia proprij Parochi; vſus autem obtinuit, quod confirmandi confirmentur etiam extra propriam Diæceſim, nec Prælati proprij hoc ſcientes ſuper hoc reclamant, nec iura aliquas pænas conſtituunt, nec contra confirmantes, nec contra confirmatos.

Nec currit paritas de Baptiſmo, & quatè.

Concluſio II. Epiſcopus extra propriam
7 Diæceſim ſine facultate Epiſcopi illius Diæceſis, nec poteſt ſuos ſubditos, nec ſubditos illius Diæceſis confirmare *Henriquez lib. 3. c. 6. n. 6., Emanuel Sà verb. Confirmatio n. 3., Camerota de Confirm. c. 7. dub. 3., Bonacina de Sacram. diſp. 3. q. vnica punct. 2. num. 11., Suarez diſp. 38. ſect. 2. in fine.*

Extra propriá Diçceſim nequit confirmare.

Ratio ex eo deducitur, quia nullus extra proprium territorium poteſt actiones
8 iuriſdictionales exercere, nec in alienos ſubditos; vnde teſte *Bonacina loc. cit.* Sacra Congregatio Cardinalium Sacri Concilij Trident. interpretum expreſsè cauet ſub pæna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ, ne vllus Epiſcopus in alterius Diæceſi Pontificalia exerceat abſque ordinarij loci expreſſa licentia; denegari autem non poteſt, quod conferre ſolemnitèr Sacramentum Confirmationis ſit actus, & functio Pontificalis.

Euincitur ex declaratione Sacræ Congregationis.

Dices, in eodem decreto Sacræ Congregationis dicitur etiam, quod nullus Epiſcopus exerceat Pontificalia in perſonas al-
9 teri Ordinario ſubiectas, & tamen in præcedenti concluſione dictum eſt, quod alienos ſubditos poſſit licitè, & impunè confirmare, ergo eadem declaratio, vel in toto ſeruanda eſt, &, ſic non poterit alienos confirmare, vel in nullo, & ſic poterit etiam extra propriam Diæceſim, & ſuos, & alienos confirmare. Sed contra, quia declaratio Sacræ Congregationis in eodem contextu, quo prohibet Epiſcopos exercere Pontificalia extra propriam Diçceſim prohibet, & ſuos, & alienos confirmare ſemper intelligendo extra propriam Diæceſim. Deindè vſus iam inualuit ſcientibus proprijs Prælatis, & non contradicentibus, vt alieni ab Epiſcopo exercente Pontificalia in propria Diçceſi confirmentur; nunquam tamen vſus obtinuit, vt Epiſcopus extra propriam Diæceſim ſine facultate Epiſcopi loci Pontificalia exerceat, & confirmet ſiue ſuos, ſiue alienos.

Argumẽtum deductum ex eadẽ declaratione diſſolutum.

Concluſio III. Epiſcopus, qui ordinare debet alienum cum dimmiſſorijs Epiſcopi ordinandi, quantumuis in ijſdem dimmiſſorijs nulla fiat mentio, nec facultas quoad Confirmationem, poteſt licitè, & impunè prius illum confirmare, ſi non eſt confirmatus, & ſucceſſiuè ordinare *Laiman lib. 5. tract. 3. c. 6. n. 2., Fagundez præcept. 5. lib. 3. c. num. 9., Zambranus de caſ. occur. in art. mort. c. 2. n. 3.* Videtur ſufficientèr euinci hæc concluſio ex ijs, quæ dicta ſunt in prima concluſione, ſi enim Epiſcopus in propria Diæceſi poteſt confirmare alienos ſubditos, non erit, cur non poſſit in eadem confirmare exterum, quem cum dimmiſſorijs proprij Epiſcopi poteſt ordinare; ſed quia de hoc poteſt eſſe ſpecialis ratio dubitandi, vt mox ſubdam; ideo pro nunc ad probationem iuxta tenorem præſentis caſus

10 *Epiſcopus poteſt confirmare Clericum alienum, qui ad ſe accedit cum dimiſſorijs proprij Epiſcopi in quibus nulla fit mentio de Confirmatione.*

Sic procedo. Epiſcopus proprius dimittens ſubditum ſuum cum dimmiſſorijs ad alienum Epiſcopum pro ordinatione facultatem eidem præſtat ordinandi illum ſuum ſubditum, ergo, & intelligitur facultatem facere illum confirmandi, ſi non eſt confirmatus. Conſequentia probatur, quia, qui concedit facultatem ad finem, intelligitur etiam concedere facultatem ad media, quæ ſunt neceſſaria ad eundem finem conſequendum; ex diſpoſitione autem Concilij Trident. confirmatio eſt præmittenda ad primam tonſuram tanquam medium magis diſponens ad ordines ſuſcipiendos, & vtilitèr exercendos.

11 *Concedens finẽ intelligitur concedere media ad finem.*

Hic ex occaſione eorum, quæ dicta ſunt in prima concluſione, & eorum, quæ mox inſinuata ſunt de eo, qui cum literis dimmiſſorijs proprij Epiſcopi acceſſit ad alienum pro ordinatione, oritur ratio dubitandi, an quando diximus, quod Epiſcopus in propria Diæceſi poſſit alienos confirmare, hoc intelligendum ſit ſolummodo in generali Confirmatione, qua ſuos confirmat, & cum ſuis accedunt etiam exteri; an vero etiam in particulari, quando perſonæ particulares exteræ accedunt ad alienum, & ſpecialitèr ab eo petunt confirmari. Quando particulares accedunt cum dimmiſſorijs proprij Epiſcopi, vt ordinentur; iam ex dictis patet, hos poſſe ab eodem prius confirmari ex rationabi-

12 *Alienus extra generalem Confirmationẽ accedens pro Confirmatione non eſt de facili confirmandus.*

litèr

litèr præſumpta voluntate proprij Epiſcopi, qui, ex quo conceſſit facultatem ad finem, intelligitur etiam conceſſiſſe ad media prærequiſita ad talem finem; vnde difficultas ſolummodo reducitur quoad eos, qui ſine vllis dimmiſſorijs, & ſine vllo veſtigio voluntatis proprij Epiſcopi petunt Confirmationem ab alieno Epiſcopo extra generalem Confirmationem; circa quam difficultatem non facilè concederem alieno Epiſcopo poſſe ſibi non ſubditum confirmare; tum quia in hoc non ita facilè poteſt præſumi voluntas proprij Epiſcopi, quinimmò haberetur ſuſpicio, quod ſic petens velit ſe ſubtrahere à proprio Epiſcopo, cum æquè facilè ab ipſo poſſet petere Confirmationem, ſicuti ab alieno; tum quia fruſtra inſudarent DD. in inquirendo, an alienus Epiſcopus poſſit confirmare non ſuos ante ordinationem, qui acceſſerunt cum dimmiſſorijs ſui Epiſcopi, ſi indifferentèr omnes exteros ad ſe accedentes, & ſpecialitèr petentes ab ipſo Confirmationem poſſet licitè confirmare.

13 Ratio, cur poſſit in generali Confirmatione, non poſſe in priuata.

Quod, ſi quæratur, cur in generali Confirmatione poſſit non ſuos confirmare, non autem in particulari ad petitionem ipſorum? Tunc dicam, hoc fundari in præſumpta voluntate proprij Epiſcopi, qui, cum tunc temporis non teneat generales Confirmationes non præſumitur inuitus, quod ſui ſubditi gaudeant beneficio eiſdem præſtando per alium Epiſcopum generalitèr confirmantem in ſua Diæceſi; quinimmò Epiſcopus confirmans poteſt præſumere, quod ſubditi alterius acceſſerint cum voluntate ſaltem implicita, & interpretatiua ſui ordinarij, qui, ſi noluiſſet, interdixiſſet; Quando autem particularis extra tempus generalis Confirmationis accederet ad alienum Epiſcopum pro Confirmatione, non poſſet præſumi de voluntate proprij Epiſcopi, quin potius ſuſpicio, quod accederet ad declinandum a proprio Epiſcopo; ideo &c.

ARTICVLVS IV.

De obligationibus miniſtri Confirmationis ex officio.

SVMMARIVM.

Obligationes aliquæ circa ſubſtantiam, aliæ circa modum. 1.

Epiſcopus tenetur ſub graui aliquoties opportunis temporibus generales Confirmationes habere. 2.

Nec obſtat, quod ſubditi non obligentur aliquo præcepto hoc Sacramentum recipere. 3.

Quænam teneatur Epiſcopus ſeruare quoad materiam. 4.

Quænam quoad formam. 5.

Quænam quoad Sacramentum iam collatum. 6.

Quænam quoad ritus. 7.

Obligationes eiuſdem miniſtri Ordinarij, ſeu ex officio, vel poſſunt eſſe quoad ipſam collationem, vel quoad modum collationis. Circa ipſam collationem inquiretur, an Epiſcopi teneantur pro aliquo tempore in ſua Diæceſi Confirmationes generales habere, & pro quonam. Circa modum plura etiam inquirentur, alia circa materiam, alia circa formam, alia circa ipſum Sacramentum, alia circa diſpoſitionem miniſtri, alia circa ritus, & cæremonias in ipſius collatione adhibendos, ſeu adhibendas.

1 Obligationes aliæ circa ſubſtantiam, aliæ circa modum.

2 Epiſcopus tenetur ſub graui aliquando Confirmationē tenere.

Quoad ipſam collationem abſolutè aſſero, teneri Epiſcopum ſub graui aliquoties opportunis temporibus in ſua Diæceſi generales Confirmationes habere. *Angelus verb. Confirmationis Sacramentum nu. 1., Silueſter verb. Confirmatio Diuina n. 2., Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 38. ſect. 2. in princip., & alij communitèr.* Ratio ex eo deducitur, quod ad hoc munus Epiſcopus ſpecialitèr deputatur in ordine ad beneficium, & vtilitatem ſuorum ſubditorum, cum alius ab ipſo in ſua Diæceſi non poſſit hoc munus præſtare, ergo tenebitur aliquoties opportunis temporibus hoc munus exercere, cæteroqui ſubditi deſtituerentur tanta vtilitate, ad quam percipiendam ius habent ex Diuina inſtitutione.

3 Nec obſtat, quod ſubditi non obligentur ad recipiēdam.

Neque obeſſe poteſt id, quod in præcedentibus dicebamus, nempè non teneri ſubditos, nec ex iure Diuino, nec Eccleſiaſtico hoc Sacramentum percipere, adeout, ſi illud omittant ſine contemptu, neutiquam peccēt, ergo, nec ſub graui tenebuntur Epiſcopi hoc munus exercere; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia licet ſubditi non habeant onus illud recipiendi, habent tamen ius, vt ipſis conferatur, & licet Epiſcopi non obligentur pro aliquo determinato tempore illud conferre, tenentur tamen quandoque conferre habito reſpectu ad ſubditorum egeſtates, & ad tempus, quo antecedentèr habita fuerit generalis confirmatio. Deindè ipſi Epiſcopi Epiſcopales reditus, & emolumenta percipiunt, vt Pontificalia exerceant non ſolum ad neceſſitates populorum, ſed etiam ad eorum vtilitates. Si autem quæratur, pro quonā tempore determinatè teneantur huiuſmodi generales Confirmationes habere; tunc dicam, quod, cum hoc tempus non ſit ad Eccleſia determinatum, nil certi poſſit ſtatui; cum autem non videatur conferen-

rendum, regularitèr loquendo, niſi ijs, qui iam aſſecuti fuerint vſum rationis arbitrarer ſaltem de ſeptennio in ſeptennium eſſe conferendum; nam ſupponendum eſt, quod in fine ſeptennij omnes apti illud receperint, & quod deindè in alio ſeptennio alij recipiant, ſed hæc non eſt certa regula. Conſuetudine receptum eſt, vt Epiſcopi in viſitatione cuiuſcunque loci in eodem habeant generalem Confirmationem.

4 Quænam teneatur Epiſcopus ſeruare quoad materiã.

Quoad modum collationis, prout pertinet ad materiam, ſeruare tenentur præceptum, vt adhibeant Chriſma illo anno confectum, & conſecratum, nam adhibere vetus ſine neceſſitate eſſet graue peccatum, vt conſtat ex *Fabiano Papa Epiſt.2.*, *& ex c. ſi quis de alio de Conſecrat. diſt. 4.*, qui textus licet procedat de vnctione Chriſmatis, quæ fit in Baptiſmate, fortiori tamen iure procedunt in vnctione eiuſdem, quæ fit per Confirmationem, cum hæc ſit verum Sacramentum, illa nonniſi quoddam Sacramentale, & cæremoniale.

5 Quænam quoad formam.

Prout pertinet ad formam, debent ſeruare præſcriptam, & conſuetam in Eccleſia ſeruari, adeout, ſi eam varient in ſignificatione formali, irritum conſtituant Sacramentum, ſi accidentalitèr tantum in modo ſignificandi illicitè conſtituant.

6 Quænam quoad Sacramentum iam collatum.

Prout attinet ad Sacramentum, tenetur, quando iam validè collatum eſt, illud non iterare, cum hoc Sacramentum vtpotè imprimens caractherem ſit irriterabile: Si vero ſit dubium, quod fuerit collatum, aut validè collatum, tunc non poterit, niſi ſub conditione conferre. Sed, an, ſi iteret abſolutè, vel etiam conditionatè, quando certum eſt, quod prima confirmatio fuerit valida contrahat aliquam cenſuram, vel irregularitatem, dicam infra, dum de caracthere huius Sacramenti.

7 Quænam quoad ritus.

Quoad ritus, & cæremonias adhibendos, ſeu adhibendas in collatione huius Sacramenti, agam latè in ſequenti quæſtione: Tandem quoad diſpoſitiones ex parte conferentis requiſitas mox ſubdo.

ARTICVLVS V.

De diſpoſitionibus requiſitis ex parte miniſtri.

SVMMARIVM.

Exponuntur ea, quæ communia ſunt huic, & cæteris Sacramentis quoad huiuſmodi diſpoſitiones. 1.

Rationes ſuadentes miniſtrum in collatione huius Sacramenti debere eſſe ieiunum. 2.

Non requiritur ieiunium in conferente, niſi ex quadam congruitate. 3.

Soluuntur rationes contrariæ. 4.

NOn diù immorandum in diſcuſſione præſentis articuli ſtantibus ijs, quæ in præcedentibus diximus, dum de diſpoſitionibus requiſitis ex parte miniſtri Sacramentorum, dum de Sacramentis in genere, & de miniſtro ſingulorum Sacramentorum in ſingulis eorum quæſtionibus. Ne tamen omittamus penitùs ea, quæ ad miniſtrum Confirmationis pertinent, placet hic nonnulla apponere.

1 Exponũtur ea, quę communia sũt huic, & cæteris Sacramẽtis quoad huiuſmodi diſpoſitiones.

Quæ ſunt communia huic, & cæteris miniſtris aliorum Sacramentorum prius breuitèr exponam; deindè aliqua ſubdam, quæ ſpecialitèr ad huius Sacramenti miniſtrum videntur poſſe pertinere, ſeu ſaltem dubia ſunt, an pertineant. Primum igitur commune eſt, quod debeat habere intentionem ſaltem virtualem conferendi Sacramentum, & hæc pertinent ad validum eſſe huius Sacramenti, ſicut, & cæterorum, vt videre eſt ex ijs, quæ docuimus in qq. de Sacram. in genere. Secundum, quod debeat eſſe in ſtatu gratiæ, cum ſit miniſter conſecratus, & ad hoc munus deputatus, qui propterea debet dignè illud exercere, ne contrahat noxam ſacrilegij ſancta indignè tractando. Hæc diſpoſitio non eſt quidem neceſſaria ad valorem Sacramenti, eſt tamen neceſſaria ad dignam eiuſdem confectionem, & collationem. Tertium (ſed hoc requiritur tantum ad melius, & congruentius eſſe) quod in exercitio eiuſdem decentiam quandam externam exhibeat, & internam quandam deuotionem habeat.

2 Rationes ſuadẽtes miniſtrũ debere ieiunum hoc Sacramentum conferre.

Dubiæ quæſtionis eſt, & hoc ſpecialitèr in ordine ad hoc Sacramentum, an miniſter conferens ſit ieiunus, ſicuti requiritur in confectione, & ſumptione Euchariſtiæ. Motiuum huius difficultatis præbet textus *in c. vt ieiuni de conſecratione diſt. 5.*, vbi ſic legitur. *Vt ieiuni ad Confirmationem veniant perfectæ ætatis*, quod licet videatur comprehendere ſolum recipientes hoc Sacramentum, videtur tamen extendi etiam

ad

ad conferentes, & vbi ex hoc capite nolemus extendere diſpoſitionem ad eoſdem miniſtros conferentes, extenditur tamen à ſeqq. *c. vt Epiſcopi de conſecrat. d. diſt. 5.* Ibi- *Vt Epiſcopi non niſi ieiuni per impoſitionem manuum Spiritum Sanctum tradant.* Rurſus *ita etiam traditionem Spiritus Sancti à ieiunis Pontificibus conuenit celebrari.* Nihilominus

3 **Non requiritur ieiunium in conferente, niſi ex quadã congruitate.**

Sentiendum eſt, non niſi ex conuenientia, & congruitate requiri, vt Epiſcopus ieiunus conferat hoc Sacramentum *Henriquez lib. 2. c. 5. n. 6., Angelus verb. Confirmatio num. 6., & 7., D. Antoninus tertia part. tit. 14. c. 14., Toletus lib. 2. c. 24. n. 7., Graffius ſecunda part. lib. 1. c. 15. num. 12., & 14., Vinaldus de Confirm. c. 4. nu. 6., & c. 6. n. 2.,* & alij magis communitèr. Hoc ſuadet communis praxis, ſecundum quam hoc Sacramentum confertur ab Epiſcopis in Veſperis, pro quo tempore, nec ipſi Epiſcopi, nec recipientes intelliguntur, ſeu præſumuntur ieiuni; nec obſtant allegati textus *in c. vt ieiuni, & c. vt Epiſcopi de conſecrat. diſt. 5.*, quia illi textus inſerunt conſilium, & non præceptum; cum in eiſdem dicatur *conuenit celebrari*, vbi ly *conuenit*, importat congruitatem, non infert neceſſitatem; vbi autem velles perſiſtere, textus illos inſerre neceſſitatem, dic eſſe contraria conſuetudine abolitos, nec amplius eſſe in viridi obſeruantia.

4 **Soluuntur rationes contrariæ.**

ARTICVLVS VI.

An ſimplex Sacerdos ex commiſſione Summi Pontificis poſſit confirmare.

SVMMARIVM.

Rationes ſuadentes, non poſſe committi hoc munus ſimplici Sacerdoti. 1.

Rationes ſuadentes poſſe ex commiſſione Summi Pontificis. 2.

Abſolutè poteſt. 3.

Confirmare non habet proximam relationem ad vltimum finem intentum in inſtitutione Ordinum. 4.

Euincitur ex Concil. Trid. 5.

Eluduntur reſponſiones, quæ dantur ab aliquibus ad conceſſiones factas à Romanis Pontificibus remiſſiuè. 6.

Concilium Florentinum requirens miniſtrum loquitur, vel de miniſtro ex officio, vel ex commiſſione. 7.

Munus confirmandi ex officio dependet eſſentialitèr ab Ordine Epiſcopali, non ſic munus confirmandi ex commiſſione. 8.

SI coadunentur ſimul, quæ ſparſim in præcedentibus diximus, reſolutio tituli erit magis implexa, & ardua. Pro parte negante poſſe fieri hanc commiſſionem à Romano Pontifice ſimplici Sacerdoti facit id, quod ex Concil. Florentino aſſeruimus *in quæſt. de Sacramentis in genere*, nempè omnia Sacramenta perfici tribus, nempè materia, forma, & miniſtro coniunctim cum eo, quod in primo articulo huius quæſtionis probauimus, nempè ex inſtitutione Chriſti Domini ſolum miniſtrum ordinarium Confirmationis eſſe Epiſcopum: Ex quibus poteſt formari argumentum efficax in hanc formam. Deficientibus eſſentialitèr requiſitis ad Sacramentum, Sacramentum ipſum non poteſt in ſubſtantia ſubſiſtere, nec Pontifex poteſt ſupplere eſſentialia, quæ deficiunt; ſed deficiente Epiſcopo deficit vnum ex eſſentialitèr requiſitis, cum æquè miniſter proprius requiratur ad valorem Sacramenti, ac materia, & forma, vt conſtat ex eodem Concil. Flor., ergo &c.

1 **Rationes ſuadentes non poſſe etiã ex cõmiſſione Põtificis ſimplicẽ Sacerdotem confirmare.**

Secundò pro eadem parte negante recolenda ſunt, quæ diximus ſupra, actum ſcilicet collationis huius Sacramenti eſſentialitèr dependere à caracthere Epiſcopali, adeout, ſi Epiſcopus non fuerit conſecratus, cum per ſolam conſecrationem ipſi caracther imprimatur, non poſſit hoc Sacramentum conferre, ergo hic actus alteri inferiori Epiſcopo non poterit committi; atque iuxta hæc principia procedunt *Durandus in quarto diſt. 7. q. 3., & 4., Adrianus in quarto in materia Confirmationis art. 3., Caſtro lib. de hæreſib. verb. Confirmatio, & alij.*

Pro parte affirmante ſtant, quæ ſupra retulimus ex *D. Thoma tertia part. qu. 72. art. 11. ad primum*, nempè Summum Pontificem habere plenitudinem poteſtatis, ſecundum quam poteſt conferre Presbyteris poteſtatem aliquos Ordines cõferendi, & etiam hoc Sacramentum Confirmationis, vbi etiam aſſerit, D. Gregorium de facto conceſſiſſe. Secundò ea, quæ diximus *de Sacris Ordin. part. 1. de ord. in communi q. 2. art. 2. num. 10.*, vbi *ex D. Ambroſio in c. 4. Epiſt. ad Ephesios*, retulimus ex Pontificis conceſſione Sacerdotes Egipti abſente Epiſcopo Confirmationis Sacramentum contuliſſe, quod etiam confirmat *Gratianus in c. peruenit diſt. 95.*, vbi refert Sacerdotes Sardiniæ ex conceſſione Gregorij I. hoc munus confirmandi exercuiſſe.

2 **Rationes ſuadẽtes poſſe ex commiſſione Sũmi Pontificis.**

Ab his, quæ pro hac ſecunda parte affirmante dicuntur, non recedimus, ſed abſolutè aſſerimus, poſſe Presbyteris ſimplicibus conferri hoc munus confirmandi; in quo etiam conſentiunt *D. Thomas loc. cit., Alenſis quarta par. q. 28. memb. 1. art. 3. §. 2., D. Antoninus tertia part. tit. 14. c. 14.*

3 **Abſolutè poteſt cõmitti.**

§. 6., *Nauarrus in man. c.22. §.8.*, *Coaruuias lib. 1. var. c.* 10. Pro clariori elucidatione huius noſtræ opinionis, & ſolutione contrariarum rationum recole, quæ diximus *d. part. 1. de ordin. in communi qu. 2. art. 2. n. 7.*, nempè ea, quæ Ordinis ſunt eſſe in duplici differentia; alia, quæ habent immediatam, & proximam relationem ad finem vltimum, & principalem intentum à Chriſto Domino in inſtitutione Ordinum, qui finis eſt conſtitutio Chriſti Domini ſub ſpeciebus Euchariſticis; alia, quæ non habent illam immediatam, & proximam relationem ad eundem finem.

4 **Confirmare nõ habet proximã relationẽ ad finem principalem intẽtũ à Chriſto Domino in inſtitutione Ordinum.**

Ad ea, quæ ſunt Ordinis primo modo reducuntur Ordines ſacri, qui ideo dicuntur ſacri, quia proximius accedunt ad ſanctitatem ſubſtantialem; ad ea vero, qui ſunt Ordinis ſecundo modo reducuntur Ordines minores, & etiam collatio Sacramenti Confirmationis. Quæ pertinent ad Ordinem Epiſcopalem primo modo, non ſunt communicabilia alijs etiam ex priuilegio, & ſic alteri ab Epiſcopo non poteſt conferri, nec committi initiare alios Ordinibus ſacris; quæ verò ad ipſum pertinent ſecundo modo, vtique de plenitudine poteſtatis Pontificiæ poſſunt ex ſpeciali conceſſione committi alijs, nempè ſimplicibus Sacerdotibus; atque iuxta hanc diſtinctionem videntur procedere *D. Thomas in addit. ad tertiam partem qu. 38. art. 1. ad tertium, & D. Bonauentura in quarto diſt. 25. art. 1. q. 1. in reſolut.*, & ſic, cum conferre Ordines minores, & confirmare non habeant illam immediatam relationem &c. vtique auctoritate Pontificia poteſt Sacerdotibus inferioribus committi. Exempla etiam adducta de conceſſionibus factis à Romanis Pontificibus ſimplicibus Sacerdotibus confirmandi noſtrum ſenſum manifeſtè, & concludentèr euincunt, quibus adde Concilium Florentinum in decreto Eugenij, vbi, poſtquam dixerat ſolum Epiſcopum poſſe conferre Sacramentum Confirmationis, ſubdidit *Legitur tamen aliquando per ſedis Apoſtolicæ diſpenſationem ex rationabili, & vrgente admodum cauſa ſimplicem Sacerdotem Chriſmate per Epiſcopum confecto hoc adminiſtraſſe Confirmationis Sacramentum.*

5 **Euincitur ex Concil. Florent.**

6 **Eluduntur exceptiones contra conceſſiones factas à Romanis Pontificibus.**

Plures adhibent reſponſiones contrariæ ſententiæ aſſertores ad has Pontificum conceſſiones aſſerentes, vel in hoc Pontifices concedentes, tanquam priuatos DD. erraſſe, vel ſolummodo conniuiſſe, non conceſſiſſe, vel non locutos fuiſſe de Sacramento Confirmationis, ſed de aliqua alia cæremoniali vnctione, vel non intellexiſſe de ſimplicibus Sacerdotibus, ſed de conſecratis Epiſcopis, qui tamen non habebant iuriſdictionem Epiſcopalem, cum vnus eſſet tunc tantum deputatus ad munera Epiſcopalia exercenda. Sed has omnes reſponſiones eludit *Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 36. ſect. 2. ferè per totum*, ad quem vos remitto.

Tota igitur difficultas reducitur ad ſolutionem contrariarum rationum.

7 **Conciliũ Florent. loquitur, vel de miniſtro ex officio, vel ex cõmiſſione.**

Ad primam deductam ex Concil. Florentino aſſerente tria eſſe neceſſaria ad valorem Sacramentorum, materiã ſcilicet, formam, & miniſtrum, dicendum eſt rectè procedere, ſed ibi loquitur de miniſtro, non diſtinguens de miniſtro ordinario, & de miniſtro commiſſionis, & quamuis aſſeruerit, ſolum Epiſcopum eſſe miniſtrum ordinarium huius Sacramenti, non tamen negauit, alium poſſe eſſe miniſtrum commiſſionis; quinimmò ex eo, quod aſſeruerit aliquando ex diſpenſatione ſedis Apoſtolicæ ſimplices Sacerdotes hoc Sacramentum adminiſtraſſe, videtur optimè cognouiſſe hoc ex indulto poſſe præſtari.

Ad ſecundum dicendum, eſt hoc munus ordinarium confirmandi dependere eſſentialitèr à caracthere Epiſcopali, non autem munus illud conferendi ex commiſſione, cum hoc poſſit pendere ex ſuprema poteſtate, & hoc ex vi inſtitutionis Chriſti Domini, qui, quamuis hoc munus ex officio, & tanquam ordinarium alligauerit Ordini Epiſcopali, non intelligitur tamen ita eius exercitium reſtrixiſſe eiſdem Epiſcopis, vt non poſſit ſimplicibus Sacerdotibus ex poteſtate ſuprema Summorum Pontificum committi, quod ſatis euincitur ex ſubſequentibus Pontificum conceſſionibus, & Conciliorum approbationibus; vnde Concil. Flor. in allegatis verbis. *Legitur tamen aliquãdo &c.* vbi cum non damnet huiuſmodi conceſſiones, illas videtur approbare; & *Concilium Senonenſe in decretis morum c. 38.* ſolum in confirmantibus tunc temporis dubitat de conceſſione, non de poteſtate conferendi hanc facultatem confirmandi. Ibi- *Quod, ſi qui ſint, qui contendant ſibi competere hanc facultatem ex priuilegio, volumus, quod quam primum fuerint requiſiti à ſuffraganeis noſtris de priuilegio fidem facere teneantur.*

8 **Munus confirmandi ex cõmiſſione non pendet eſſentialitèr ab Ordine Epiſcopali.**

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS VII.

An alijs à Sacerdotibus ex priuilegio poſſit committi hoc munus confirmandi.

SVMMARIVM.

Rationes ſuadentes ex commiſſione Pontificis hoc munus poſſe competere Diaconis, alijſque Clericis inferioribus. 1.
Sententia etiam extendens ad Laicos. 2.
Poteſtas confirmandi etiam ex commiſſione non poteſt competere inferioribus Sacerdoti. 3.
Rationes, ob quas nequeat hoc munus committi Diaconis, alijſque inferioribus. 4.
Nunquam hæc poteſtas fuit commiſſa Diaconis. 5.
Multominus poteſt committi Laicis. 6.
Eliditur dictum Gloſæ aſſerentis, poſſe quemlibet illud Sacramentum conferre, quod recepit. 7.

1 Sentẽtia aſſerens hoc munus à Põtifice demandari Clericis inferioribus.

NOn defuerunt, qui aſſererent, quod, cum hoc munus confirmandi ex ſpeciali commiſſione non pendeat a caracthere Epiſcopali, poſſit non ſolum à poteſtate ſuprema Romani Pontificis committi ſimplicibus Sacerdotibus, ſed etiam Diaconis, alijſque Clericis inferioribus, & hanc ſententiam *Silueſter verb. Confirmatio Diuina q. 1.* tribuit *Gloſæ in c. quanto de conſuet.*; ſed immerito, quia Gloſa ibidem ſolum loquitur de ſimplici Sacerdote; congruentius tribuiſſet *eidem Gloſæ in c. maiores de conſecrat. diſt. 5.*

2 Sentẽtia etiam extendens ad Laicos.

Alij vlterius progredientes extenderunt, hanc poteſtatem confirmandi ex commiſſione poſſe competere etiam laicis, dummodò, & ipſi fuerint confirmati; atque huius opinionis fuerunt *Gloſa in d. c. maiores de conſecr. diſt. 5., Summa Angelica verb. conſecrat. Sacramentum*; non enim exiſtimant ad huiuſmodi deputationem maiorem caractherem requiri, ac deputatus in ſe ipſo habeat. His tamen non obſtantibus ſit

3 Non poteſt extẽdi vltra Sacerdotes.

Concluſio. Poteſtas confirmandi etiam ex commiſſione Romani Pontificis non poteſt competere alijs, qui ſint Sacerdoti inferiores in ordine, & multo minus Laicis, quantumuis iſti fuerint confirmati. *D. Thomas in quarto diſt. 7. q. 3. art. 1. quæſtiunc. 3., Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 36. ſect. 2. verſ. dico ſecundo.*

Ratio ex eo deducitur primò, quia, quod ſimplices Sacerdotes ex commiſſione Summi Pontificis poſſint hoc munus confirmandi exercere eſt ex inſtitutione Chriſti Domini manifeſtata per facta, & conceſſiones Pontificum, ac definitiones Conciliorum, ſed, nec ex Pontificum conceſſionibus, nec per Concilia conſtat, hanc poteſtatem competere Diaconis, alijſque Clericis inferioribus, ergo Diaconi, alijque inferiores neque etiam ex commiſſione poſſunt hoc munus validè exercere.

4 Rationes ob quas hoc munus non poſſit cõmitti Diaconis alijſque inferioribus.

Secundò, quia Diaconi ex vi proprij muneris, & ex officio nequeunt ſolemnitèr baptizare, & hoc ad ſummum poſſunt ex commiſſione Epiſcopi, vel Sacerdotis, cum eiſdem per ordinationem ſolum conferatur potentia, & capacitas, vt poſſint ad hoc munus deputari, & ideo in forma eiuſdem exprimitur talis poteſtas; non exprimitur autem poteſtas conferendi Confirmationis Sacramentum, ergo, quia ad hoc munus non habilitantur; Neque dicas, hoc argumentum nil penitus euinceret, nam, ſi quid euinceret, euinceret etiam hanc poteſtatem, vt poſſint delegari, non competere Presbyteris, cum in forma eorundem conſecratoria non exprimatur hæc poteſtas confirmandi; Contra enim impugnaberis, quia in forma conſecratoria Sacerdotum non exprimitur etiam poteſtas baptizandi, nec conferendi Extremam Vnctionem, & tamen hæc poteſtas eiſdem confertur implicitè ex eo, quod eiſdem conferatur poteſtas in id, quod maius eſt, nempè in corpus reale Chriſti Domini, vnde non eſt, cur non conferatur ſimul, & ſemel in corpus miſticum quoad ea, quæ non ſunt ſpecialitèr reſeruata ordini Epiſcopali; hæc autem non verificantur in ordine ad Diaconos, qui, cum non habeant poteſtatem ex vi propriæ ordinationis in corpus reale Chriſti Domini, ſi quam acquirunt poteſtatem in corpus miſticum, debet congruè exprimi in eorum ordinatione; cum autem exprimatur ſolum poteſtas, ratione cuius poſſunt deputari ad Baptiſmum conferendum, non autem poteſtas, qua poſſint deputari ad Confirmationem conferendam, ideo illa, non iſta poteſt eiſdem competere.

5 Nunquã hæc poteſtas fuit commiſſa Diaconis.

Tertiò ex eo euincitur, quod nullibi legitur, quod hoc munus fuerit ab aliquo Summo Pontifice, vel Concilio commiſſum Diaconis, alijſque Clericis inferioribus; ex quo duo infero; primum, quod ex Chriſti inſtitutione non ſit conceſſum, quod hoc munus poſſit demandari Diaconis, alijſque Clericis inferioribus, cum ea, quæ ex Chriſti inſtitutione habentur, debeant nobis innoteſcere, vel ex ſacris paginis, vel ex Apoſtolicis traditionibus, vel Pontificum, & Conciliorum definitionibus; ex nullo autem ex his nobis innoteſcit, quod ex inſtitutione Chriſti hoc munus poſſit eiſdem Diaconis, alijſque

inferioribus demandari; Secundum, quod cum Pontifices nunquam hoc munus eiſdem commiſerint, vtique cognouerint ſe non poſſe illud committere.

6 Minus poteſt committi Laicis.

Ex his, quæ hactenus dicta ſunt, à fortiori deducitur, hoc munus non poſſe Laicis demandari; Neque hic audienda eſt *Gloſa in c. maiores de conſecrat. diſt. 5.*, quæ extendens hanc poteſtatem, vt conferibilem etiam Laicis, ſtatuit hanc regulam. Quemlibet ex facultate Pontificis poſſe deputari ad miniſtrandum illud Sacramentum, quod ipſe ſuſcepit. Non, inquam, audienda eſt, quia hæc regula eſt omni iure erronea, & falſa; nam, ſi vera eſſet, Sacerdos poſſet ordinare Sacerdotem, Diaconus Diaconum; e conuerſo Sacerdos, ſeu Parochus, qui non recepit Extremam Vnctionem non poſſet eandem alijs conferre. Quamobrem dicendum eſt, miniſtrum non conferre Sacramentum virtute Sacramenti, quod ipſe recepit, ſed ratione poteſtatis ad illud miniſterium ſibi conceſſæ, quæ poteſtas in ſuſceptione Confirmationis nõ eſt collata confirmato.

7 Eliditur dictum Gloſæ, quod poſſit quis conferre Sacramẽtũ, quod recepit.

ARTICVLVS VIII.

An Epiſcopus in ſua Diæceſi poſſit committere ſimplici Sacerdoti munus confirmandi.

SVMMARIVM.

Rationes, & iura ſuadentia, poſſe Epiſcopum in ſua Diæceſi committere munus confirmandi ſimplici Sacerdoti. 1.
Abſolutè non poteſt. 2.
Nullibi conſtat de hac poteſtate. 3.
Concilia allegata non loquuntur de collatione Sacramenti Confirmationis, ſed de quadam vnctione cæremoniali. 4.
Quomodo intelligendi ſint alij textus, ſi afferantur. 5.
Soluuntur rationes oppoſita. 6.

1 Iura ſuadentia poſſe Epiſcopũ in ſua Diæceſi hoc munus committere ſimplici Sacerdoti.

EX pluribus textibus Conciliorum, ſeu iuris canonici videtur ſufficientèr euinci Presbyteros de mandato Epiſcopi poſſe hoc Sacramentum conferre; In Concil. Tolet. 1. etenim dicitur. *Statutum eſt Diaconum non chriſmare, ſed Presbyterum abſente Epicopo, præſente vero non, niſi ab ipſo fuerit præceptum*, quod idem dicitur in Concil. Arauſic. I. can. 2. Ibi- *Hæreticos in magno diſcrimine poſitos, ſi Catholici eſſe deſiderant, ſi deeſſet Epiſcopus, à Presbyteris cum Chriſmate, & benedictione conſignari placet.* Ruſus *in c. omni tempore de conſecr. diſt. 4.* habetur. *Presbyter præſente Epiſcopo non ſignet infantes, niſi fortè ab Epiſcopo illi fuerit præceptum*; quod etiam videtur euinci ex alijs conſimilibus textibus, in quibus duo videntur ſtatui; primum, quod facit ad rem præſentem, poſſe ſimplices Sacerdotes de commiſſione, & præcepto Epiſcopi confirmare. Secundum quaſi à iure hoc munus Sacerdotibus competere, & ſolum impediri præſente Epiſcopo, vel ſine eius mandato, quod infert ſolum neceſſitate præcepti non poſſe ſimplices Sacerdotes confirmare; ſed hoc ſecundum confutatum eſt in præcedentibus; Quamobrem de primo ſolummodo hic agendum eſt. Pro quo ſit

2 Non poteſt abſolutè committere.

Concluſio. Epiſcopus non poteſt hoc munus confirmandi committere ſimplicibus Sacerdotibus ſuæ Diæceſis. Videtur in hoc conſentire *D. Thomas tertia part. q. 72. art. 11. ad primum*, dum aſſerit hanc poteſtatem committendi Sacerdotibus hoc munus confirmandi competere Summo Pontifici de plenitudine poteſtatis, quæ poteſtatis plenitudo non competit ſolis Epiſcopis. Id ipſum ſentit *Paludanus in quarto diſt. 7. q. 4. n. 20., Suarez diſp. 36. ſect. 2. verſ. ſecunda pars eodem modo, & alij communitèr.* Eſt tamen contra nonnullos, qui arbitrantes tantum eſſe poteſtatem in Epiſcopo in ſua Diæceſi, quanta eſt in Pontifice in toto orbe, dixerunt, quod, ſicuti Pontifex in toto orbe poteſt committere hoc munus ſimplicibus Sacerdotibus, ita poſſit Epiſcopus illud demandare Sacerdotibus ſuæ Diæceſis in ordine ad ſuos ſubditos.

3 Nullibi conſtat de hac poteſtate.

Probatur primò concluſio. De hac facultate Epiſcoporum committendi hoc munus ſimplicibus Sacerdotibus, nec ex ſacris paginis, nec ex traditione legitima, nec ex declarationibus Summorum Pontificum, nec Conciliorum reſultat, ergo, ſiue aliquo iuris fundamento eiſdem tribuitur. Antecedens quoad primam, & ſecundam partem patet, quia non eſt aſſignabilis textus Euangelicus, nec canonicus, qui hanc facultatem eiſdem tribuat; nec de hoc poteſt eſſe traditio, cum potius contrarium conſtet ex contrario vſu; Quoad tertiam item, & quartam partem ex eadem ratione reſultat, cum non ſit aſſignabile, vbi hoc definiant.

Dices reſultare ex omnibus allegatis textibus in principio huius articuli, ex quibus habetur, quod Presbyteri de mandato Epiſcopi hoc munus exercuerint, & hoc Sacramentum miniſtrauerint. Sed contrà: Nullus ex allegatis textibus hoc euincit; non primus deſumptus ex Concil. Tolet. I., quia, vt in præcedentibus innuebamus, non eſt ſermo de Sacramento Confirmationis, ſed de vnctione cæremoniali in ſummo vertice capitis baptizati,

zati,

4 Concilia non loquuntur de vnctione Cōfirmationis, ſed de vnctione cæremoniali.

zati, quæ tunc prohibebatur ſimplicibus Sacerdotibus, & ideo ibi dicitur, quod hoc permittatur ſimplicibus Sacerdotibus abſente Epiſcopo, vel eodem præſente, nonniſi ipſe Epiſcopus mandatum dederit, quod non facit ad rem noſtram; Non ſecundus ex Concil. Arauſic. I., quia ibi etiam non eſt ſermo de Sacramento Confirmationis, ſed de quadam vnctione reconciliatiua, quæ illis temporibus erat in vſu, cum Hæretici ad fidem conuerterentur; tunc etenim Epiſcopi in ſignum reconciliationis vnctiones in eorum capitibus adhibebant indefinitè quoad omnes conuerſos ſine vlla prorſus exceptione, an fuerint necne confirmati, quod manifeſtè indicat, illam vnctionem non fuiſſe Sacramentalem, ſeu Sacramentum Confirmationis, quod eſt irriterabile; Hæc igitur vnctio ibi permittitur ſimplicibus Presbyteris abſente Epiſcopo, vel eo præſente non niſi cum eius licentia, & præcepto. Non tertius deſumptus *ex c. omni tempore de conſecrat. diſt.4.*, quia etiam ille textus non loquitur de vnctione, quæ fiat in Sacramento Confirmationis, ſed de vnctione, quæ fit in ſummitate capitis poſt Baptiſmum, & ideo ibi dicitur Presbyter non ſignet *infantes*, præſente Epiſcopo, quod non videtur poſſe intelligi de Sacramento Confirmationis, quod non conferebatur infantibus, vt conſtat ex *c. vt ieiuni de conſecr. diſt. 5.* vbi dicitur, quod confirmandi debeant eſſe perfectæ ætatis, & vbi aduerſarij vellent perſiſtere, quod ille textus intelligendus eſſet de Sacramento Confirmationis, hoc incongruum ſequeretur, quod Presbyteri non poſſent præſente Epiſcopo confirmare infantes, vel non niſi cum eius mandato; poſſent vero eo præſente, & ſine eius licentia confirmare adultos, cum exceptio fiat ſolummodò quoad infantes.

5 Quomodo intelligendi ſint alij textus, ſi afferantur.

Si alijs textus afferantur, quibus videatur euinci, quod Presbyteri de facultate Epiſcopi poſſint ſignare, vel intelligendi ſunt de ſignatione, quæ fiat per quandam cæremonialem vnctionem, non de ea, quæ fit per Sacramentum Confirmationis, vel, ſi intelligendi ſunt de Sacramento Confirmationis, non referantur ad ſimplices Sacerdotes, ſed ad Sacerdotes, qui ſimul erant Epiſcopi, licet nullam haberent iuriſdictionem. Pro cuius intelligentia ſcias, pro aliquo tempore antiquo conſueuiſſe, vt qui ordinarentur Sacerdotes ſimul conſecrarentur Epiſcopi, qui tamen non exercebant Pontificalia, nec iuriſdictionem, niſi de licentia vnius, qui alijs omnibus præficiebatur, de qua conſuetudine meminit *Scotus in quarto diſt. 7. q. 1.*; iſti vero, cum eſſent conſecrati, de licentia Principalis in eadem Diæceſi, qui per antonomaſiam dicebatur Epiſcopus, confirmabant; vnde non verificaretur, quod ſimplices Sacerdotes de licentia Epiſcopi hoc munus exercerent.

Probatur ſecundò concluſio, quia innegabile eſt, quod poteſtas ordinaria conferendi Sacramentum Confirmationis ex vi inſtitutionis, & ex iure Diuino competat ſolis Epiſcopis, & ſi quæ fieri poteſt extenſio, intelligenda ſit facta eiſdem facultas ex vi eiuſdem inſtitutionis; ſed hæc facultas extenſionis per commiſſionem nullibi conſtat facta Epiſcopis, ſed dumtaxat Romano Pontifici, cum de iſto tantum dicatur per Concil. Florentinum in decreto Eugenij. *Legitur tamen aliquando per Apoſtolicæ ſedis diſpenſationem ex rationabili, & vrgente admodum cauſa ſimplicem Sacerdotem Chriſmate per Epiſcopum confecto hoc adminiſtraſſe Confirmationis Sacramentum*; nullibi autem hoc legitur de diſpenſatione Epiſcopi.

6 Soluuntur rationes oppoſitæ.

Neque obſtant, quæ ex aduerſo afferebantur, ſcilicet Epiſcopum tantam habere poteſtatem in ſua Diæceſi, quantam habet Pontifex in toto orbe; Non obſtant, inquam, quia hoc aſſumptum eſt apertè erroneum; quot etenim competunt Summo Pontifici in toto orbe, quæ non competunt Epiſcopis in ſuis reſpectiuè Diæceſibus? Quot diſpenſationes elargitur Pontifex, quas nequit Epiſcopus elargiri? Interpretari ius Diuinum in quæſtionibus fidei pertinet ad Pontificem, quod non pertinet ad Epiſcopum.

ARTICVLVS IX.

An non confirmatus poſſit Sacramentum Confirmationis conferre.

SVMMARIVM.

Exponitur ſenſus tituli. 1.
Vndenam deſumatur ratio dubitandi. 2.
Epiſcopus conſecratus, qui non recepit Sacramentum Confirmationis poteſt validè confirmare. 3.
Poteſtas confirmandi non pendet à Confirmatione præuia, ſed à poteſtate Ordinis. 4.
Soluuntur aliquæ inſtantiæ. 5.
Nec Epiſcopus confirmans ante ſuſceptam Confirmationem grauitèr peccat. 6.
Confirmatio non prærequiritur ſub graui ad ſuſceptionem Ordinum. 7.
Non currit paritas de Epiſcopo conſecrato ante ſuſceptionem Ordinum minorum, & quarè. 8.
Etiam ſimplex Sacerdos non confirmatus ex commiſſione Pontificis confirmans non grauiter peccat. 9.
Soluitur inſtantia oppoſita. 10.

Sup-

1 *Explicatur ſēſus tituli.*

SVppono, quod quis fuerit aſſumptus ad Epiſcopalem dignitatem, & conſecratus Epiſcopus, qui tamen antecedentèr Sacramentum Confirmationis non receperat. Rurſus, quod Romanus Pontifex ex aliqua rationali, & vrgente admodum cauſa commiſerit ſimplicibus Sacerdotibus alicuius regionis munus confirmandi populos illarum regionum, prout de facto fertur Gregorius Papa commiſiſſe Sacerdotibus Sardiniæ, & quod aliqui ex Sacerdotibus illius, vel illarum regionum, non fuerint confirmati, & tunc quæro, an ille Epiſcopus ſic aſſumptus ſine Confirmatione, & ille Sacerdos, qui non eſt confirmatus, poſſit ille ex officio, iſte ex commiſſione validè, & licitè confirmare.

2 *Vndenā deſumatur ratio dubitādi.*

Mouent hac difficultatem ea quæ tradidimus in quæſtionibus de ſacris ordinibus *part. 1. de ord. in communi q. 2. art. 3.* vbi retulimus opinionem *Suarez de cenſur. diſp. 31. ſect. 1.* aſſerentis, quod, ſi Epiſcopus, qui ante conſecrationem non recepit aliquos ordines minores, non poſſit poſtea eiſdem nondum receptis illos ordines quos non recepit, alijs conferre, & nos ibi innuimus, quod, quamuis illos validè conferret, non conferret tamen licitè. Ex quibus a paritate procedendo videtur poſſe ad rem noſtram inferri, quod, ſi non receperit ante conſecrationem Sacramentum Confirmationis, eodem nondum recepto non poſſit ſaltem licitè illud alijs conferre; non enim minus ſpectat ad ordinem Epiſcopalem confirmare, ac ordines conferre. His tamen minimè obſtantibus

3 *Epiſcopus conſecratus, qui non fuit confirmatus poteſt validè confirmare.*

Dico primò, quod Epiſcopus conſecratus, qui non recepit Sacramentum Confirmationis, poſſit eodem etiam adhuc non recepto validè alios confirmare. Conſentiunt in his terminis de Sacramento Confirmationis non recepto *Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 36. ſect. 2. verſ. ſecunda ſententia*, vbi allegat *D. Thomam tertia part. q. 72. art. 11. ad primum*; & in terminis conſimilibus de ordinibus minoribus non receptis ante conſecrationem *Vaſquez tom. 3. in tertiam part. D. Thomæ diſp. 243. n. 24., Molfeſius in ſumma tract. 2. c. 17. n. 5., Marchinus tract. 1. de Sacramento Ord. in communi part. 2. c. 19.* Ratio ex eo deducitur, quod miniſter non confert illud Sacramentum virtute alterius ſimilis Sacramenti, quod ipſe recepit, ſed virtute poteſtatis, quæ ipſi confertur in conſecratione Epiſcopali, ergo, ſi fuerit verè conſecratus Epiſcopus, quantumuis non receperit Sacramentum Confirmationis, poterit virtute poteſtatis ſibi collatæ illud validè conferre alijs; Nec obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod dare, ſeu conferre non poſſit id, quod ipſe non habet, ergo eum non habeat, ſeu habuerit Sacramentum Confirmationis, illud alteri conferre non poterit; Non obſtat, inquam, primò, quia ad hoc, vt quis conferat Sacramenta, non eſt neceſſe, quod illa prius ipſe receperit, ſic Sacerdos validè, & licitè confert Sacramentum Extremæ Vnctionis, & aſſiſtit Matrimonijs, quamuis illa Sacramenta ipſe non receperit. Secundò, quia, quamuis Epiſcopus conſecratus non habeat formaliter Sacramentum Confirmationis, habet tamen eminentèr ratione caractheris Epiſcopalis. Adde, quod poteſtas confirmandi non datur per caractherem Confirmationis, ſed per caractherem Epiſcopalem, qui eſt independens ab illo Confirmationis.

4 *Poteſtas confirmandi oritur dependentèr à caractere Epiſcopali.*

5 *Soluuntur aliquæ inſtantiæ.*

6 *Nec Epiſcopus ſic confirmans grauitèr peccat.*

Dico ſecundò. Si Epiſcopus, qui ante conſecrationem non recepit Sacramentum Confirmationis, eo adhuc non recepto confirmaret, probabilius grauitèr non peccaret. In hoc arbitror DD. magis communitèr conuenire. Ratio ex eo deducitur, quia Sacramentum Confirmationis, nec ex neceſſitate Sacramenti, nec ex neceſſitate præcepti eſt neceſſario prærequiſitum ad ſuſceptionem ordinum, nec defectus eiuſdem inducit aliquam pænam in ſuſcipiente ſine illo ordines; nam quamuis Concilium Trident. *ſeſs. 23. de reform. c. 4.* dicat, non eſſe initiandos prima tonſura, qui Confirmationis Sacramentum non receperint; hoc communitèr intelligunt de neceſſitate conuenientiæ, non præcepti; & cum ibi, nec alibi inducatur aliqua pæna, non eſt, cur non poſſint ordinibus initiati illorum munera ſine aliqua labe exercere.

7 *Confirmatio nō prerequiritur ad Ordines, niſi ex congruētia.*

8 *Non currit paritas de Epiſcopo cōſecrato ante Ordinum ſuſceptionem.*

Neque obſtare poteſt, ſi dicatur iuxta ea, quæ diximus de Sacris Ordin. *d. part. 1. de ord. in communi q. 2. art. 3.*, quod, ſi Epiſcopus fuerit conſecratus per ſaltum, antequam ordines minores non ſuſceptos antea ſuſceperit, ordines, quos non recepit alijs conferat, illicitè conferat, ergo etiam, ſi non confirmatus confirmet, illicitè confirmabit: Non, inquam, obſtare poteſt, quia diuerſa eſt omnino ratio de ordinato per ſaltum, & de ordinato non confirmato, nam primus eſt ordinatus contra omnem iuris diſpoſitionem grauitèr præcipientis, & ſub pænis, ne quis ad maiores promoueatur non ſuſceptis minoribus ordinibus; ſecundus autem, nec ſub graui prohibetur, nec ſub pænis, vt ſuſcipiat Ordines ante Confirmationem, ideoque ille adminiſtrando in Ordine, quem non ſuſcepit, grauitèr peccat, quia ad hoc grauitèr prohibetur, & ſub pænis, non ſic iſte, qui tantum tenetur ex congruentia, & non ex præcepto.

Ex his, quæ hactenus dicta ſunt, colligitur,

9 Etiam ſimplex Sacerdos non confirmatus ex commiſſione Pōtificis confirmans nō grauitèr peccat.

gitur, quod etiam ſimplex Sacerdos à Romano Pontifice deputatus ex ſpeciali commiſſione ad miniſtrandum hoc Sacramentum oon grauitèr peccet, ſi exerceat illud munus non ſuſcepto prius Sacramento Confirmationis, cum hoc ſolum prærequiratur ex congruitate, non ex neceſſitate; Neque dicas in hoc non currere paritatem de Epiſcopo non confirmato confirmante, ac de ſimplici Sacerdote ex commiſſione Pontificis confirmante non confirmato; quandoquidem primus habet caracthèrem Epiſcopalis ordinis per quem confertur poteſtas confirmandi; ſecundus autem non habet talem poteſtatem ex vi proprij ordinis, ſed ſolum ex commiſſione Romani Pontificis, quæ non debet præſumi extendi, quaodo Sacerdos non eſt confirmatus; Contrà enim impugnaberis,

10 Soluitur argumētum oppoſitum.

quia, cum poteſtas confirmandi non dependeat à caracthere Confirmationis habitæ à miniſtro confirmante, & cum Pontifex habeat poteſtatem committendi ſimplicibus Sacerdotibus hoc munus, parum referre poteſt, quod miniſter, ſiue ſit talis ex officio, ſiue ex commiſſione, fuerit confirmatus, cum vterque conferat per poteſtatem à Chriſto Domino prouenientem, licet vna ſit immediata, altera ſolum mediata, & neutra dependeat a caracthere Confirmationis præcedentis in ipſo miniſtro.

ARTICVLVS X.

An ad hoc Saeramentum ſolemnitèr conferendum requiratur Patrinus, & an hic debeat eſſe vnus, vel plures eſſe poſſint.

SVMMARIVM.

Patrinus non eſt neceſſarius neceſſitate Sacramenti. 1.

Mos adhibendi Patrinum eſt antiquiſſimus in Eccleſia Dei. 2.

An hic mos obliget ſub graui variæ ſententiæ. 3.

Probabilius obligat ſub graui. 4.

Vnus tantum, vel vnus, & vna debet admitti. 5.

Fæmina poteſt eſſe ſuſceptrix maſculi etiam adulti in hoc Sacramento. 6.

SUb hac quæſtione de miniſtro Confirmationis agimus de Patrino; non quia ipſe ſit miniſter proprius huius Sacramenti, ſed quia quoquo modo concurrit ad ipſum conferendum. Id iam, quod hoc quærimus, eſt, an Patrinus requiratur, & qua neceſſitate, &, an vnus debeat eſſe, an poſſint eſſe plures.

1 Non requiritur neceſſitate Sacramenti.

Non requiri Patrinum ex neceſſitate Sacramenti eſt certo certius, cum ſit ſolummodò quædam cæremonia ab Eccleſia inſtituta, quæ propterea non poteſt conferre ad valorem Sacramenti, cum eſſentialia eiuſdem ſolum dependeant à Chriſto Domino, & fuerint ab eodem inſtituta. Difficultas ſolummodò reducitur ad hoc, an ſit neceſſarius, ſeu requiratur ex neceſſitate præcepti.

2 Mos adhibēdi Patrinum eſt antiquiſſimus

Conſtat antiquiſſimum eſſe morem Eccleſiæ, vt huiuſmodi Patrinus adhibeatur in Sacramento Confirmationis, vt conſtat *ex c. in Catechiſmo de conſecrat. diſt. 4.*, vbi cum dicatur, non eſſe conſuetudinem Eccleſiæ Romanæ, vt idem admittatur in Patrinum Confirmationis, qui fuit Patrinus io Baptiſmo, vtique infert in Confirmatione conſueuiſſe Patrinum adhiberi, & *ex c. ſequenti de conſecrat. d. diſt. 4.*, vbi dicitur vnum debere eſſe dumtaxat Patrinum in hoc Sacramento ſicut, & in Baptiſmo. Sed, an hæc conſuetudo inducat obligationem ſub graui, vbi alia lex ſcripta non haberetur, video DD. inter ſe diſcrepantes

3 An hic mos, ſeu cōſuetudo obliget ſub graui variæ ſententiæ.

Silueſter verb. Confirmatio Diuina n. 5. aſſerit peccare eum, qui non coofirmatus tenet confirmandum, ex quo videtur etiam deduci peccari, ſi non adhibeatur in hoc Sacramento Patrinus. *D. Thomas loc. cit.* tenet non confirmatum non debere tenere confirmandum, ſed non explicat, an hoc ſit peccatum, & an læthale, vel veniale, Suarez *tom. 3. in tertiam partem comment. in q. 72. art. 10. in fine*, aſſerit eſſe læthale non ſolum, ſi non confirmatus teneat confirmandum, ſed etiam (quod magis ad rem noſtram facit) ſi omittatur in Confirmatione Patrinus, quia eſt cæremonia præſcripta, & vtique grauis, cuius omiſſio propterea non poteſt eſſe, niſi grauitèr peccaminoſa. Hanc Suareſij opinionem arbitror eſſe valdè probabilem non ſolum, quia talis cæremonia ita diu infallibilitèr in Eccleſia ſeruata habet vim legis obligantis, & cum ſit grauis, vtique ſub graui, cum inducat graues effectus cognationis ſpiritualis, & impedimenti ad matrimonia, ſed etiam, quia datur ad indigentiam confirmandi, qui, cum in vita ſpirituali computetur, vt infans, indiget

4 Probabilius obligat ſub graui.

inſtructore, ſeu eruditore, vt loquitur *Diuus Thomas loco citato in corpore*; tum quia inſtitutus eſt non ſolum, vt ſignificet confirmandum eſſe tyronem in ſpirituali malitia, ideoque Indigere ductore, vt mox inſinuabam, ſed etiam ad ipſum obligandum ad hoc miniſterium inſtruendi; tum tandem quia hic pertinet ad ſolemnitatem huius Sacramenti, cuius defectus propterea, cum valdè minueret de eadem ſolem-

nitate

nitate ab Eccleſia præſcripta multum demeret de reuerentia debita Sacramento.

Quoad ſecundam partem tituli videtur aſſerendum, vnum tantum debere eſſe ſuſceptorem in Sacramento Confirmationis, prout habetur in iuribus aſſignatis *à Suarez loc. mox cit.* Sed cum *Concilium Trident. ſeſſ. 24. de reformat. Matrimonij c. 2.* dicat debere eſſe vnum ſolummodo, vel vnam, vel ad ſummum vnum, & vnam, ideo duo ideſt maſculus, & fæmina poſſunt admitti, & licet ibi Concilium videatur ſolummodo loqui de ſuſceptoribus in Baptiſmo, in fine tamen eiuſdem capitis extendit etiam ad ſuſceptores in Sacramento Confirmationis.

5 Vnus tantum, vel ad ſummũ vnus, & vna debet admitti.

Hic excitat dubium *D. Thomas d. q. 72. art. 10. in tertio argumento*, quod contra ſe efformat, an fæmina poſſit eſſe ſuſceptrix maſculi maximè adulti in Sacramento Confirmationis, & motiuum dubij ex eo deſumit, quod, cum hoc Sacramentum detur ad robur, non videtur hoc munus fæminæ in ordine ad maſculum conferendum, cum robur potius in maſculo, quam in fæmina conſideretur. Nihilominus ipſe D. Thomas concludit, etiam fæminam poſſe deputari in ſuſceptricem maſculi addita etiam ratione, quia *cum in Chriſto Ieſu non ſit maſculus, & fæmina, vt habetur ad Coloſ. 3.* ideo non ſit conſideranda hæc qualitas, & conditio fæmineitatis. Sed quidquid ſit de neceſſitate, de congruitate tamen arbitrarer, in Confirmatione maſculi maximè adulti fæminam non eſſe adhibendam, tum quia fæmina non videtur apta ad erudiendos viros; tum quia poteſt eſſe noxia frequens conſuetudo inter maſculum maxime adultum, & fæminam, propter quam rationem arbitrarer, non valdè congruere maſculum adhiberi in ſuſceptorem fæminæ adultæ.

6 Fæmina poteſt eſſe ſuſceptrix maſculi in hoc Sacraméto.

ARTICVLVS XI.

An Patrinus ſub graui teneatur in myſterijs fidei, & in bonis moribus inſtruere ſuſceptum.

SVMMARIVM.

Sententia docens, adhiberi ſolum ad ornatum, nec teneri inſtruere. 1.
Rationes pro hac ſententia. 2.
Sententia docens, contrahere obligationem inſtruendi. 3.
Rationes pro hac ſententia. 4.
Verè contrahit obligationem in actu primo ex vi muneris. 5.
In actu ſecundo excuſatur ab executione, niſi in certis caſibus. 6.
Rationes pro obligatione in actu primo. 7.
Soluuntur rationes contrariæ ſententiæ. 8.
Rationes excuſantes ab executione talis oneris. 9.

PRocedit titulus de onere, an ſcilicet conſurgat ex illo munere, quod præſtat Patrinus in ſuſceptione confirmandi, an vero non conſurgat, quatenus ſolum adhibeatur ad ornatum Sacramenti, non ad aliquod miniſterium, ad quod obligetur. Quoad executionem namque eiuſdem oneris vix videtur poſſe eſſe obligatio, cum modo in Eccleſia Dei ope Parochorum, parentum educationibus, concionatorum documentis, & inſtructionibus, apertis catholicæ doctrinæ paleſtris erudiantur in fide catholica, & bonis moribus, vt non videantur indigere miniſterio Patrinorum; vnde ad ſummum videtur vigere hæc obligatio executionis, quando in infidelium partibus baptizati, & confirmati educarentur, vel vrgente aliqua graui neceſſitate indigerent tali miniſterio.

Siſtendo igitur in illo onere *Coninchus de Sacram. qu. 72. art. 10., Layman Theol. mor. lib. 5. tract. 3. c. 6. n. 1., & alij plures*, ſentiunt, Patrinum in hoc Sacramento non contrahere obligationem inſtruendi confirmatum, qui propterea ſentire videntur, aſſumi dumtaxat Patrinos in confirmatione ob ſolum ornatum Sacramenti, non ad aliquod miniſterium. Ad hoc pluribus rationibus mouentur; primò, quia de hac obligatione nullibi conſtat in textibus iuris canonici, nec ex Pontificum ſanctionibus, nec Conciliorum definitionibus, nec aliqua traditione, nec SS. PP. auctoritatibus. Secundò, quia ad hoc onus iam intelliguntur deputati Patrini in Baptiſmo; vnde iura, quæ loquuntur de hoc onere, procedunt dumtaxat de Patrinis Baptiſmi, non extenduntur ad illos Confirmationis. Tertiò, quia confirmandi regularitèr ſunt adulti, qui propterea non videntur indigere Patrinorum miniſterio.

1 Sentẽtia docens adhiberi ſolum ad ornatum, nec teneri inſtruere.

2 Rationes pro hac ſentẽtia.

Ex aduerſo *Siluius in tertia part. q. 72. art. 10.* abſolutè ſentit, Patrinum etiam Confirmationis contrahere hanc obligationem inſtruendi. Rationes etiam plures pro hac ſententia vrgent; quarum prima eſt illa, quam adducit *D. Thomas d. q. 72. art. 10. in corp.*, vbi ſtatuens, quod dum quis confirmatur, debeat ab alio teneri, adducit hanc rationem, quod, cum *confirmati aſſumantur ad pugnam ſpiritualem, indigent eruditoribus, quibus inſtruantur de ijs, quæ pertinent ad finem certaminis*. Ecce quomodo D. Thomas agnoſcit Patrinum ad eum finem aſſumi, vt inſtruat filium ſuum ſpiritualem ad pugnam aduerſus hoſtes ſpirituales. Secunda, quia Patrinus etiam

3 Sentẽtia docens contrahere obligationẽ inſtruendi.

4 Rationes pro hac ſentẽtia.

Con-

Confirmationis dicitur in iure *in c. in Baptiſmate de conſerr. diſtinct. 4.* Pater ſpiritualis; ſicuti autem Pater carualis tenetur filios protrahere ad vitam perfectam corporalem, ita, & Pater ſpiritualis tenetur filios ſpirituales perficere in vita ſpirituali, quod fit per inſtructionem in miſterijs fidei, & informationem in bonis moribus. Tertia, quia in Pontificali Romano præcipitur, vt Patrinus Confirmationis teneatur confirmatum informare bonis moribus, & operibus.

5 In actu primo verè contrahit hāc obligationē.

Concluſio. Patrinus Confirmationis, quantum eſt ex vi muneris, quod præſtat in illa ſuſceptione, obligatur ad inſtruendum confirmatum in fide, & bonis moribus; actualis vero executio talis oneris modo non vrget, niſi pro aliquo caſu neceſſitatis, quo ſuſceptus ſit in periculo deficiendi a fide, vel alijs auxilijs deſtituatur. In hanc videtur inclinare *Suarez tom. 3. in tertiam part. D. Thomæ comment. in q. 72. art. 10. verſ. dubium autem eſſe poteſt*, vbi, licet videatur ſentire, quod obligatio in ſuſcipiente non contrahatur,

6 In actu ſecundo excuſatur ab executione, niſi in certis caſibus.

excipit tamen in caſu, quo intercederet aliqua neceſſitas, qui, ſi rectè perpendatur, poteſt reduci ad ſanum ſenſum concluſionis noſtræ intelligendo, quod ad executionem non poſſit obligari, niſi vrgente neceſſitate. Per hanc noſtram concluſionem in his terminis conceptam arbitror, vtramque expoſitam ſententiam poſſe conciliari, intelligendo primam quoad executionem; ſecundam quoad onus.

7 Rationes pro obligatione in actu primo.

Prima pars ſufficientèr euincitur ex rationibus pro ſecunda ſententia adductis, quibus adde, quod ea, quæ ſufficiunt naſcenti in vita ſpirituali, non videntur ſufficere adulto in eadem, nec, quæ ſufficiunt pro fide in ſe ipſo recipienda, ſufficiant ad eam palam profitendam; vnde iura Eccleſiaſtica præcipiunt, quod Patrinus adhibitus in Baptiſmo non ſit adhibendus in Confirmatione, per quod vidētur innuere, maioribus auxilijs indigere confirmandus, ac baptizatus ſimplicitèr, ergo Patrinus in Confirmatione obligatur ad corroborandum ipſum confirmatum in vita ſpirituali.

8 Soluuntur rationes contrariæ ſētentiæ.

Nec obſtant, quæ ex aduerſo pro contraria ſententia afferebantur; non primum; nam in primis in Pontificali Romano ſatis euincitur talis obligatio, cum in eodem dicatur obligari Patrinum ad informandum confirmatum bonis moribus, quod, cum procedat cum terminis obligationis, videtur eſſe præceptiuum, non merè directiuum. Deindè cum æquè requiratur Patrinus in Confirmatione, ac in Baptiſmo, licet in iure præcipiente neceſſitatem illum adhibendi in Confirmationem non exprimantur obligationes, intelliguntur tamen eædem eſſe, ſeu naſci in Confirmatione, quæ naſcuntur in Baptiſmo. Non ſecundum, quia iura agnoſcunt vltra neceſſitatem Patrini in Baptiſmo indigentiam etiam in Confirmatione, quia ſtatuunt, quod iſte debeat eſſe diuerſus ab illo. Deindè plura videntur requiri ad palam profitendam fidem, quam ad illam nutriendam in ſe ipſo: Non tertium, quia, quamuis ſint adulti in vita corporali, ſunt tamen velut infantes in vita ſpirituali, & tanquam tyrones in militia aduerſus poteſtates, & hoſtes ſpirituales.

Secunda pars ex eo euincitur, quod, quāuis illud onus ortum ſit ex ipſa ſuſceptione in Sacramento Confirmationis, executio tamen eiuſdem non videtur vrgere, quando finis à iure intentus ſufficientèr aliundè habetur; ſed extantibus inſtructionibus, quæ modo in Eccleſia Dei habentur per Parocorum opera, educationem parentum, promulgationem fidei, & documenta morum, quæ vbique fiunt à concionatoribus, per erudimenta, quæ præſtantur per cultores catholicæ doctrinæ, habetur ſufficiens inſtructio, quæ præſtari deberet à Patrinis, ſi illa non eſſet, ergo &c. Stante tamen illo onere, ſi caſus contingeret, quo ſuſcepti indigerent Patrinorum ope, & auxilio ad profitendam fidem Catholicam, vtique tenerentur illam præſtare, vt in caſibus ſupra allegatis. 9 Rationes excuſantes ab executione talis oneris.

ARTICVLVS XII.

An Patrini Confirmationis contrahant cognationem ſpiritualem, & cum quibus.

SVMMARIVM.

Cum illis perſonis contrahitur ſolum cognatio in Sacramento Confirmationis, quæ contrahitur in Baptiſmo. 1.
An hæc cognatio contrahatur inter Patrinos, & confirmantem. 2.
Rationes ſuadentes non contrahi. 3.
Rationes ſuadentes contrahi. 4.
Verè non contrahitur. 5.
Rationes hoc euincentes. 6.
Soluuntur rationes contrariæ ſententiæ. 7.
Ratio, ob quam contrahitur hæc cognatio inter Patrinos, & Patrem, & Matrem confirmati, & non inter eoſdem Patrinos, & confirmantem. 8.

NOn eſt diu immorandum in diſcuſſione huius tituli, cum eius reſolutio haberi poſſit ex ijs, quæ habita ſunt *in præcedenti part. II. de Baptiſmo q. 6. art. 9.* additis ijs, quæ habet *Concil. Trident. ſeſ. 24.* de

Digitized by Google

de reformat. Matrim., vbi, poſtquam plura moderatum eſt ex antiquis iuribus circa hanc cognationem ſpiritualem, quæ oritur ex Sacramento Baptiſmatis, ſtatuit, quod in eodem contrahatur ſolum inter tenentem, & Patrem, & Matrem baptizati, & ipſum baptizatum, nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique Patrem, & Matrem; & deindè loquens de cognatione reſultante ex Sacramento Confirmationis ſubdit. *Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur confirmantem, & confirmatum, illiuſque Patrem, & Matrem, ac tenentem non egrediatur, omnibus inter alias perſonas huius ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ablatis.*

1 Eadem cognatio cōtrahitur in Confirmatione, quæ contrahitur in Baptiſmo.

Difficultas ſolummodo aliqua verſari poteſt in eo, an inter tenentem, & baptizantem, ſeu confirmantem contrahatur hæc cognatio ſpiritualis, & ex eo oritur, quod, dum Concilium loquitur de cognatione conſurgente ex Baptiſmo videtur comparare ſolum tenentes ad ipſum baptizatum, & Patrem, & Matrem eiuſdem, deindè babtizantem ad ipſum baptizatum, & eius Parentes, nec vllam facit comparationem teneutium ad ipſum baptizantem; Rurſus, dum loquitur de cognatione conſurgente ex Confirmatione, dicit contrahi inter confirmantem, & confirmatum, illiuſque Patrem, & Matrem, & tenentem, & illos ſic enumeratos non egredi, vbi etiam videtur comparare ipſum tenentem ad confirmatum, & illius Patrem, & Matrem, non autem ad ipſum confirmantem, quinimmò ex eo, quod ipſum Concilium ſubtrahat ipſam cognationem ſpiritualem inter ſuſceptores, ſi fuerint vnus, & vna, vt permittit ipſum Concilium, videtur etiam ſubtrahere inter ipſum tenentem, & confirmantem, cum tam ſuſceptores inter ſe comparati, quam ſuſceptor comparatus ad confirmantem non conſtituant, niſi compaternitatem, quæ videtur ab eodem Concilio ſubtracta.

2 An hæc cognatio cōtrahatur inter Patrinos, & confirmantem.

3 Rationes ſuadētes non contrahere.

Nihilominus ex eo, quod tenentes contrahant hanc cognationem ſpiritualem non ſolum cum ipſo confirmato, ſed etiam cum Patre, & Matre einſdem, cum quibus eſt compaternitas, ita videntur eandem etiam contrahere cum ipſo baptizante, ſeu confirmante, cum non videatur diſpar ratio.

4 Rationes ſuadētes contrahi.

Siſtendum tamen eſt in opinione, quod non contrahatur hæc cognatio ſpiritualis inter ipſum tenentem, & confirmantem, quod videtur etiam ſentire *Bonacina de impedimentis Matrimonij q. 3. punct. 5. §. 2. n. 2.*, dum numerans perſonas, inter quas hæc cognatio contrahitur in Baptiſmo, aſſerit contrahi inter baptizatum, & baptizantem, inter ſuſceptores, & baptizatum inter baptizantem, & Patrem, & Matrem naturalem baptizati, & inter ſuſceptores, & Patrem, & Matrem baptizati, & hanc dicit eſſe diſpoſitionem *Concil. Trident. d. ſeſs. 24. de reform. Matrimonij c. 2.* nullamque ibi facit comparationem inter ſuſceptores, & baptizantem, ergo, quia iuxta diſpoſitionem eiuſdem Concilij inter eundem baptizantem, & tenentes non intelligitur contrahi eadem cognatio ſpiritualis; & ea, quæ dicuntur de huiuſmodi cognatione, quoad Sacramentum Baptiſmi, æquè intelligenda ſunt de eodem in ordine ad Sacramentum Confirmationis, potiſſimum cum ex eodem Concilio habeatur, quod vltra perſonas ibi expreſſas non fiat extenſio huiuſmodi cognationis. Cæterum, quod in eodem Concilio Tridentino non fiat extenſio expreſſa inter tenentes, & baptizantem, ſeu confirmantem expreſſe apparet textum legenti; nam primò, dum loquitur de Baptiſmo ponit vnum, vel vnam, ſeu vnum, & vnam in ordine ad baptizatum, & Patrem, & Matrem eiuſdem, ſecundò baptizantem in ordine ad baptizatum, baptizatique Patrem, & Matrem cum particula excluſiua *tantum*; de tenente autem comparatiuè ad baptizantem nihil ponit, ergo inter eoſdem cognationem excludit. Quod, ſi hæc verificantur in Baptiſmo, non video, cur non debeant verificari etiam in Confirmatione, cum pariformitèr Concilium in vtroque procedat.

5 Verè non contrahitur.

6 Rationes hoc euincentes.

Nec obſtant, quæ dicebantur pro parte contraria de tenente comparatiuè ad Patrem, & Matrem baptizati, ſeu confirmati, cum quibus conſtituitur compaternitas, ſicuti hæc videtur conſtitui inter ipſum tenentem, & baptizantem; Non obſtant, inquam, quia inter tenentem, & Patrem, & Matrem baptizati, ſeu confirmati fit expreſſa mentio, & comprehenſio in eodem Concilio Tridentino; nec comprehenſio autem, nec mentio inter tenentem, & baptizantem, ſeu confirmantem fit per idem Concilium, quinimmo expreſſa excluſio, cum reſtringat cognationem inter perſonas ibi expreſſas, & excludat quaſcunque alias. Si autem quæratur ratio, propter quam Concilium comprehendat tenentem, & Patrem, & Matrem confirmati, ſeu baptizati, excludat vero tenentem, & baptizantem, ſeu confirmantem, dicam eam eſſe, quia Pater, & Mater baptizati, ſeu confirmati propter communicationem ſanguinis, quam habent cum ipſo baptizato, & confirmato computantur tanquam quid vnum cum eodem; ideoque tenens contrahendo cognationem cum filio baptizato, ſeu confirmato contrahit etiam cum eodem Pa-

7 Soluuntur rationes contrariæ.

8 Ratio ob quā contrahitur inter Patrinos, & Patrem, & Matrē cōfirmati non inter Patrinos, & confirmantem.

tre,

Digitized by Google

tre, & Matre; baptizatus autem, ſeu confirmatus nullam habet communicationem cum baptizante, ideoque idem tenens contrahendo cognationem cum ipſo baptizato, ſeu confirmato non contrahit illam cum eodem baptizante.

ARTICVLVS XIII.

An non confirmatus tenens confirmandum contrahat cum eodem cognationem ſpiritualem.

SVMMARIVM.

Non baptizatus tenens baptizandum in Baptiſmo non contrahit cognationem. 1.
Sententia docens, non confirmatum tenentem confirmandum non contrahere hanc cognationem. 2.
Rationes ſuadentes verè contrahere. 3.
Probabilius non contrahit. 4.
Eſſet illegitimus ſuſceptor. 5.
Soluuntur rationes contrariæ ſententiæ. 6.
Non confirmatus tenens confirmandum, an contrahat grauem culpam remiſſiuè. 7.

1 Nõ baptizatus tenens in Baptiſmo non cõtrahit cognationem.

NOn baptizatum tenentem in Baptiſmo baptizandum, vel in Confirmatione confirmandum non contrahere hanc cognationem ſpiritualem, videtur certum, quia, cum huiuſmodi cognatio inducta ſit dumtaxat de iure Eccleſiaſtico, non videtur poſſe afficere nõ baptizatum, cum hic non ſubdatur legibus Eccleſiæ. Quamobrem in hoc non videtur currere paritas de non confirmato tenente confirmandum, cum ille vtpotè baptizatus ſit ſuppoſitus iuribus, & legibus Eccleſiaſticis. Ex alio igitur capite inquirendum eſt, an contrahat, vel non contrahat, & quanam ratione.

2 Sentẽtia docens nõ confirmatũ tenentem cõfirmãdum non contrahere.

Non contrahere hanc cognationem aſſerunt *Suarez tom. 3. in tertiam partem Diui Thomæ comment. in q. 72. art. 10. verſ. dubium autem eſſe poteſt*, vbi citat *Victoriam in ſumma verb. confirmatio n. 52., Angelum eod. verb. n. 11., Tabienam eodem §. 7., Aſtenſem tit. 7. art. 8.* Idipſum ſentiunt *Conincbus de Sacrament. q. 72. art. 10. n. 94., Nugnus item in tertia part. q. 72. art. 10.*; cuius opinionis rationes infra expendam in expoſitione propriæ ſententiæ.

3 Rationes ſuadentes verè contrahere.

Ex aduerſo eandem contrahere ſuſtinent *Silueſter verbo Matrimonium* 8. *qu. 7. num. 12., Sotus in quarto diſt. 42. q. 1. art. 3., Siluius in tertia part. q. 72. art.* 10. contra *Dianam part. 3. tract. 4. reſol. 21. verſ. eſt valdè probabile*, & alios allegatos pro prima ſententia. Rationes huius ſententiæ ex eo deducuntur primò, quod baptizatus, quantumuis non confirmatus, eſt capax huius cognationis ſpiritualis, quam propterea exercens munera a iure præſcripta ad eam acquirendam non eſt, cur non debeat eam contrahere. Secundò, quia ex ſuperius dictis Epiſcopus non confirmatus, dummodo fuerit conſecratus, validè confirmat, nec eſt, cur non debeat contrahere hanc cognationem, ergo Patrinus non confirmatus, dummodo fuerit baptizatus, tenens confirmandum debet, & ipſe contrahere eandem cognationem, cum exerceat munus, ex quo oritur illa cognatio. Nihilominus ſit

Concluſio conformis priori ſententiæ, quod non confirmatus tenens confirmandum non contrahat cognationem ſpiritualem. 4 Probabilius non cõtrahit.

Probatur primò *ex c. in baptiſmate de conſecratione diſt.* 4., vbi æquè excluditur à ſuſcipiendo in baptiſmate, qui non eſt baptizatus, ac à ſuſcipiendo in confirmatione, qui non eſt confirmatus; quo ſuppoſito ad rem noſtram ſic arguo; illegitimus ſuſceptor tenendo non contrahit cognationem ſpiritualem, quia perindè eſt, ac ſi non teneat, cum ſolum materialitèr teneat, ſed ex eo, quod a iure non confirmatus excludatur ab hoc munere, non eſt legitimus ſuſceptor, ergo non contrahit hanc cognationem ſpiritualem. 5 Eſſet illegitimus ſuſceptor

Probatur ſecundò. Ad contrahendam hanc cognationem ſpiritualem non ſufficit, quod tenens habeat capacitatem ad illam contrahendam, ſed requiritur, vt exerceat illud munus, ex quo oritur illa cognatio tanquam legitimus ſuſceptor non excluſus, ſed talis non eſt non confirmatus, ergo non confirmatus non contrahit eandem cognitionem non quidem ex incapacitate illam contrahendi, ſed defectu muneris legitimè præſtiti &c.

Nec aliquid releuant rationes pro contraria ſententia adductæ; non prima deducta ex capacitate, quia iam euacuata remanet ex mox dictis in ſecunda probatione; nec quidquam etiam euincunt ea, quæ ſubduntur; licet enim exerceat illud munus, ex quo oritur illa cognatio, non exercet tamen, niſi materialitèr, & non vt legitimus ſuſceptor, cum excludatur à iure ab hoc munere; non ſecunda deducta à Miniſtro, ſeu Epiſcopo non confirmato, quia ex dictis poteſtas confirmandi non dependet à Sacramento Confirmationis, quod ipſe Epiſcopus antecedentèr habuerit, ſed a caracthere Epiſcopali, per quem eidem confertur poteſtas confirmandi, nec ipſe Epiſcopus non confirmatus excluditur à iure ab hoc munere confirmandi, ſicuti excluditur non confirmatus à munere tenendi in Confirmatione; quarè 6 Soluuntur rationes contrariæ ſẽtentiæ.

ille eſt legitimus miniſter, non ſic iſte legitimus ſuſceptor.

7 An non confirmatus tenens cōfirmandū peccet remiſſiuè.

Hic excitant DD. quæſtionem, an, quamuis non confirmatus tenens confirmandum non contrahat hanc cognationem ſpiritualem, grauitèr tamen peccet ſic tenendo. Nos in hac non ſiſtimus, cum de ea nonnulla ſupra dixerimus. Hic tantum addo *Nugnum in tertia part. qu. 72. art. 10., Suarez d. comment. q. 72. art. 10., Siluium tertia part. q. 72. art.* 10. docere eſſe peccatum læthale, quia eſt tranſgreſſio legis Eccleſiaſticæ in re graui.

ARTICVLVS XIV.

An idem, qui fuit Patrinus in Baptiſmo, poſſit eſſe eiuſdem Patrinus in Confirmatione, & an contraheret aliam, & diſtinctam cognationem.

SVMMARIVM.

Textus, ex quo deſumitur ratio dubitandi. 1.
Articuli examinandi circa talem textum, & titulum. 2.
Si idem, qui ſuſcepit in Baptiſmo, ſuſciperet etiam in Confirmatione, validè ſuſciperet. 3.
Textus in c. in catechiſmo *non procedit excluſiuè.* 4.
Non valet argumentum à non confirmato ad eum, qui tenuit in Baptiſmo. 5.
Probabilius non grauitèr peccaret tenens in Confirmatione, quem tenuit in Baptiſmo. 6.
Sic tenens contraheret nouam cognationem. 7.
In impetratione diſpenſationis vtraque cognatio eſſet exprimenda. 8.

1 Textus, ex quo deſumitur ratio dubitādi.

IN *c. in catechiſmo de conſecratione diſt.* 4. dicitur, quod idem poſſit eſſe Patrinus in catechiſmo, & in Confirmatione, ſi neceſſitas id poſtulet, dicit tamen non eſſe conſuetudinem Eccleſiæ Romanæ, vt idem ad vtrumque munus admittatur, ſed ſinguli ſingulis referantur; Ex hoc textu plura pullulant dubia, quorum primum eſt, an, ſi non ſit neceſſitas, & idem adhibeatur, validè hic ſuſcipiat, & exerceat tale munus. Secundum, an contrahat grauem noxam, ſi extra neceſſitatem idem munus exerceat in Confirmatione, quod exercuit in Baptiſmo. Tertium, an ſic tenendo in Confirmatione contrahat nouam, & diſtinctam cognationem ſpiritualem. Quartum, an ſi contrahere vellet cum confirmato, ſeu confirmata, quem, ſeu quam tenuit in vtroque Sacramento, indigeat duplici diſpenſatione, ſeu ſaltem teneatur in petitione diſpenſationis exprimere vtramque cognationem, ſeu cognationem du-

2 Articuli examinādi circa talem textum, & titulū.

plicitèr contractam, & per ſuſceptionem in Baptiſmo, & per eandem in Confirmatione.

3 Si idem, qui ſuſcepit in Baptiſmo ſuſciperet in Cōfirmatione, validè ſuſciperet.

In ordine ad primum dicendum eſt, validè ſuſcipere, & propriè exercere munus ſuſceptoris. Ratio ex eo deduci poteſt, quia textus, qui videtur obſiſtere vtrique huic muneri reſpectu eiuſdem, ſolum videtur inducere quandam congruitatem non importare neceſſitatem; quinimmo ex eo, quod dicat, quod, ſi neceſſitas hoc poſtulet, poſſit quis vtrumque munus præſtare, habilitatem ad vtrumque in eodem cognoſcit, dum eundem non repellit; Neque dicas, cognoſcere tantum habilitatem in eodem, dum id neceſſitas poſtulat, ergo ceſſante neceſſitate eundem inhabilem reputat, ergo, ſi extra neceſſitatem teneat vtpotè inhabilis, inualidè tenebit; contrà enim impugnaberis, quia, cum textus ille *in c. in catechiſmo de conſecrat. diſt.* 4. non procedat taxatiuè, ſeu excluſiuè dicendo non poſſe eſſe Patrinum in catechiſmo, & chriſmate, niſi id neceſſitas poſtulet, ſed affirmatiuè, & demonſtatiuè dicens, quod idem poſſit eſſe Patrinus in vtroque, ſi id neceſſitas poſtulet, videtur ſolummodò id aſſerere de congruo, non de neceſſe, cum ipſum extra illam neceſſitatem non excludat; vnde ex illo textu ſolum inferri poteſt, quod, ſi neceſſitas poſtulet, congruè poſſit munus illud exercere, ſi vero id neceſſitas non poſtulet, non poſſit congruè, non autem, quod non poſſit validè.

4 Textus in *c. in catechiſmo* non procedit excluſiuè.

Dices, ſi non confirmatus teneat confirmandum, non ſolum incongruè tenet, ſed etiam inualidè, quia a iuribus arcetur ab hoc munere, ergo etiam, qui tenuit in Baptiſmate, ſi teneat etiam in Confirmatione, non ſolum incongruè tenebit, ſed etiam inualidè, niſi neceſſitas ipſum excuſet, cum extra talem neceſſitatem ab eodem iure arceatur. Sed contrà, quia non confirmatus abſolutè, & ſimplicitèr arcetur ab hoc munere; qui autem tenuit in Baptiſmo, non abſolutè, & terminis importantibus excluſionem arcetur, ſed modificatè, & ſub terminis importantibus tantum congruitatem, quod etiam euincitur ex eo, quod DD. plures agnoſcant graue peccatum in non confirmato tenente confirmandum, quod peccatum non cognoſcunt in eo, qui, cum antea tenuerit aliquem in Baptiſmo, teneat etiam poſtea in Confirmatione, quod certè connotat non confirmatum tenere illegitimè, & inualidè, non verò illegitimè, & inualidè tenere in Confirmatione eum, qui prius tenuit in Baptiſmo, nam, ſi inualidè teneret, non eximeretur a graui culpa. Adde, quod non ita vrget finis, ob quem qui tenuit in Bap-

5 Non valet argumentum à non cōfirmato ad eum, qui tenuit in Baptiſmo, & quarè.

Digitized by Google

Baptiſmo arcetur à ſuſceptione in Confirmatione, ſicut vrget finis, ob quem iura prohibent, ne non confirmatus teneat alterum in Confirmatione, ſiquidem, cum aſſumatur Patrinus tanquam adiutorium imbecillis, & debilis in vita ſpirituali, & in myſterijs fidei, quod adiutorium debet eſſe magis firmum, vt valeat infirmum ſuſtinere, ſi non habeat in ſe robur ſpirituale in Confirmatione ſuſcepta, non poteſt alteri eſſe adiutorium, &, cum ipſe non ſit firmatus in vita ſpirituali, & in fide, non poteſt alterum corroborare in fide, nec eundem inſtruere; qui autem alterum tenuit in Baptiſmate, cum ſupponatur confirmatus, iam ſupponitur eſſe firmus in fide, & vita ſpirituali, & poteſt eidem baptizato adiutorium præſtare etiam in Confirmatione, cum habeat ea, quæ ad hoc requiruntur, quod, ſi non admittatur in Confirmatione extra neceſſitatem, hoc non eſt ex incapacitate ad hoc munus præſtandum, ſed ex quadam congruitate, vt confirmatus habeat plura adiutoria, quæ tamen non ſunt neceſſaria, cum modo aliundè vbique habeantur inſtructores.

6 Probabilius non grauitèr peccaret tenens in Confirmatione quem tenuit in Baptiſmo.

In ordine ad ſecundum ſentiendum eſt, non grauitèr ſaltem peccaturum, qui teneret in Confirmatione eum, quem antea tenuerat in Baptiſmo etiam extra caſum neceſſitatis *Bartholomæus ab Angelo in exam. confeſ. Dialog. 3. §. 45., Diana part. 3. tract. 4. reſol. 21. verſ. tertio nota*. Ratio ex eo deducitur, quod mox dicebamus, quod ſcilicet hoc non prohibeatur ſub graui, ſed dumtaxat de congruo, nec grauitèr lædatur finis, ob quem iura requirunt diſtinctas perſonas ad vtrumque hoc munus obeundum, qui finis eſt, vt quis habeat plures inſtructores, & eruditores, quibus facilius inſtruatur in vita ſpirituali, & in myſterijs fidei, quæ debet profiteri; ſed hic finis haberi poteſt ſimplicitèr per vnum inſtructorem, licet fortè non ita facilè. Adde, quod modo Patrini vix ſe ingerunt in huiuſmodi inſtructionibus, cum alitèr baptizati, & confirmati vberimè erudiantur, ergo &c.

7 Sic tenẽs cõtraheret nouã cognationem.

In ordine ad tertium abſolutè aſſero, quod, ſi etiam extra neceſſitatem, qui alterum tenuit in Baptiſmo, teneret etiam in Confirmatione, contraheret nouam cognationem ſpiritualem. In hanc tenentur conſentire quotquot aſſerunt validè tenere in Confirmatione. Ratio ex eo deducitur, quod in hoc interuenirent omnia, quæ requiruntur ad eandem cognationem contrahendam; nempè capacitas ad illam, & munera validè exercita, per quæ contrahitur; validè etenim ſupponitur illud munus præſtare, cum abſolutè à iuribus non arceatur, vt ſupra.

In ordine tandem ad quartum ſentiendum eſt, in impetratione diſpenſationis ad contrahendum Matrimonium cum confirmato, vel parentibus eius exprimendam eſſe vtramque cognationem, vel cognationem contractam in Baptiſmo ſimul & Confirmatione. Ratio eſt clara, quia, cum duplex contracta fuerit, & vtique ex duplici titulo omnino diſtincto, per diſpenſationem ſuper vna non tollitur altera, ergo ad obtinendam diſpenſationem ſuper vtraque in impetratione vtraque exprimenda erit, cæteroqui diſpenſatio non extendetur ad vtramque. 8 In impetratione diſpenſationis vtraque cognatio eſset exprimẽda.

QVÆSTIO VI.

De Ritibus, & cæremonijs Sacramenti Confirmationis.

MAximè decet, vt Sacramentum hoc, per quod confertur plenitudo Spiritus Sancti, comitem habeat in ſua collatione, nedum internam animarum conferentium, & ſuſcipientium diſpoſitionem, ſed externum etiam functionum, & cæremoniarum apparatum, quo reuerentia, nedum Sacramento debita, ſed & fidelium pietas erga ipſum excitetur. De hoc rituum, & cæremoniarum apparatu hic peragendum, quæ deſumi debent ex circunſtantijs ſe tenentibus, vel ex parte conferentis, ſiue recipientis, ſiue ex parte loci, ſiue ex parte temporis, ſiue ex parte modi, quarum aliæ ſunt præcedentes, aliæ comitantes, aliæ ſubſequentes, à quibus omnibus maiori, qua potero, breuitate, & claritate, me expediam.

ARTICVLVS I.

De ritibus, & cæremonijs, quæ fiunt in confectione Chriſmatis.

SVMMARIVM.

Enumerantur cæremoniæ, quæ pertinent ad materiam. 1.
Prima eſt benedictio balſami ſeparatim ab oleo. 2.
Secunda benedictio olei, & quomodo hæc fiat. 3.
Tertia commixtio balſami, & olei, & quomodo hoc fiat. 4.

Quarta

Quarta eſt, circa tempus, quo fieri debet Chriſma. 5.
Quinta circa locum. 6.

1 Recenſẽtur ſex cæremoniæ, quæ pertinent ad materiam.

CUm partes ad eſſentiam totius pertineant, ita cæremoniæ, quæ ad partes ſpectant, referri debent ad ornatum, & reuerentiam totius. Hinc acturi de cæremonijs, quæ pertinent ad Confirmationis Sacramentum incipimus ab illis, quæ pertinent ad materiam eiuſdem conficiendam. Quinque, vel ſex enumerantur in Pontificali, quas iam expono.

2 Prima eſt benedictio balſami ſeparatim ab oleo.

Prima eſt, qua Epiſcopus balſamum ſeparatim exiſtens ab oleo benedicit præmiſſis nonnullis orationibus, & deprecationibus, & ſignis cum benedictione crucis manu factæ. Irrident Hæretici has cæremonias, & tanquam ſuperſtitioſas damnant. Sed in quonam poteſt in hac benedictione ſuperſtitio conſiſtere? Certè tam orationes, quam ſigna crucis apta ſunt ad rerum ſanctificationem.

3 Benedictio olei, & quomodo hæc fiat.

Secunda eſt benedictio olei, quæ fit conſimilibus orationibus, & ſignis, hoc addito, quod, antequam Epiſcopus oleum benedicat, accedit ad vas, in quo illud continetur, & ſufflat ſuper os eiuſdem vaſis, quod etiam præſtant duodecim Sacerdotes poſt illum. Hanc quoque actionem ſuperſtitioſam vocant Hæretici, & ridiculam. Sed, ſi recolerent, quod præſtitit Chriſtus Dominus *Ioannis* 20. dum inſufflauit in diſcipulos, eiſque tradidit Spiritum Sanctum ceſſarent a deriſione; ſi etenim inſufflando eos ſanctificauit, cur Epiſcopi ſine labe ſuperſtitionis non poterunt per illum halitum oleum ſanctificare.

4 Cõmixtio balſami, & olei, & quibus ritibus hæc fiat.

Tertia eſt, quod facta benedictione balſami, & olei, Epiſcopus vtrumque commiſcet fundens balſamum in vas olei, & dicens. *Hæc commixtio liquorum fiat omnibus ex ea perunctis propitiatio, & cuſtodia ſalutaris in ſæcula ſæculorum*; & per hoc perficitur Chriſma, quod eſt materia remota huius Sacramenti. Facta hac commixtione Epiſcopus Chriſma ſic confectum ſalutat, & reueretur dicens, *Salue Sanctum Chriſma*, quod ter repetit oſculando per ſingulas vices labrum ampullæ, in quo Chriſma continetur. Hic magis riſus attolunt Hæretici contemnentes hunc ritum, vt repletum inſania, & redolentem idololatriam, cum res inanimes ſint incapaces ſalutationis paſſiuæ, & adorationis. Verum ipſi ſunt cachinis excipiendi eo, quod metientes res nimis materialitèr iuxta materialem eorum captum non referunt actionem ad eum, qui in illo cultu adoratur, & colitur. Certè nos veneramur crucem tanquam inſtrumentum paſſionis Chriſti Domini, eamque ſalutamus. *O Crux aue ſpes vnica. Salue Crux pretioſa*, ſed hæc veneratio, & ſalutatio refertur ad eum, cuius crux eſt inſtrumentum, qui per illam repræſentatur, in quo nulla ſuperſtitio, nullaque labes idololatriæ dignoſcitur.

5 Quonam tempore fieri debeat Chriſma, & benedictio eiuſdem.

Quarta eſt extrinſeca, quæ reſpicit tempus, in quo facienda eſt huiuſmodi Chriſmatis confectio, quod aliqui indefinitum relinquunt determinandum arbitrio Epiſcopi, quod deſumunt ex textu *in c. omni tempore de conſecrat. diſt.* 4. Ibi- *omni tempore licere Epiſcopo Chriſma conficere*. Verum vſus inualuit, vt non niſi feria V. in cæna Domini conficiatur, & hic vſus fundatur in traditione, de qua loquitur Damaſus Papa, & D. Ciprianus, ſecundum quam dicitur, quod Chriſtus Dominus illa die docuerit Apoſtolos Chriſma conficere, vnde in *Concil. Meldenſi c.* 46. expreſsè præcipitur, vt *nemo ſacrum Chriſma, niſi in quinta feria maioris hebdomadæ conficere præſumat*.

6 Et quonã in loco.

Quinta etiam eſt extrinſeca ſe tenens ex parte loci, & ſecundum hanc hæc confectio Chriſmatis haberi nequit, niſi in Eccleſia, & in Presbyterio, vt præcipitur in Pontificali Romano, & hoc exigit grauitas, & decentia actionis, quæ cæremonia adeo viget in Eccleſia Dei, vt ſi Eccleſia vacet, vel Epiſcopus non poſſit illud conficere, niſi omiſſo hoc ritu, debeat abſtinere ab illa confectione, & Chriſma tunc erit aliundè deferendum confectum ab alio Epiſcopo, & diſtribuendum, vbi opus fuerit.

ARTICVLVS II.

Quinam ritus requirantur ex parte Epiſcopi confirmatis.

SVMMARIVM.

Alij præcedentes, alij concomitantes, alij ſubſequentes. 1.
Prærequiritur apparatus ſacrarum veſtium. 2.
Grauitè peccaret Epiſcopus, ſi ſine illis confirmaret. 3.
Potius omittenda eſt confirmatio, quam habenda ſine ſacris veſtibus. 4.
Ieiunium modo non requiritur ex præcepto, ſed ex congruentia. 5.
Ritus concomitantes referuntur. 6.
Referuntur ritus ſubſequentes in particulari. 7.

1 Alij prænij, alij concomitantes, alij ſubſequẽtes.

RItus ſeruandi ab Epiſcopo in collatione huius Sacramenti alij ſunt antecedentes, & præuij, alij concomitantes, alij ſubſequentes, quos modo inquirimus.

Inter

Digitized by Google

2 Prærequiritur apparatus ſacrarum veſtium.

Inter præcedentes, ſeu præuios numeratur primò, quod ſacris veſtibus debeat indui iuxta præſcriptum Pontificalis Romani, & hoc ſpectat ad ornatum, & reuerentiam debitam Sacramento. Sed, an hic apparatus ſacrarum veſtium in Epiſcopo ita ſit neceſſarius, vt, ſi omittatur, inducat noxam læthalem, vel, ſi non habeantur ſacræ veſtes, potius ſit omittenda confirmatio, quam habenda ſine illis eo modo, quo diximus in quæſtionibus de Sacrificio Miſſæ, quod etiam vrgente neceſſitate communicandi infirmum ad mortem periclitantem non poſſit Sacrificium ipſum confici ſine ſactis veſtibus.

3 Grauitèr peccaret Epiſcopus, ſi cōfirmaret ſine ſacris veſtibus.

Exiſtimat *Diana part. 7. tract. 10. reſol. 31.* læthalitèr peccare Epiſcopum, ſi non indutus ſacris veſtibus hoc Sacramentum conferret, & quidem non incongrua ratione videtur procedere, quandoquidem hoc præſcribit non ſolum inueterata conſuetudo indiſpenſabilitèr ſeruata, ſed etiam Pontificale Romanum, & ita etiam videtur exigere dignitas, excellentia, & reuerentia debita Sacramento; ex quo etiam infero, quod non extantibus ſacris veſtibus potius ſit omittenda confirmatio, quam habenda ſine illis, cum non ſit Sacramentum neceſſitatis.

4 Potius omittēda eſt confirmatio, quam habenda ſine illis.

5 Ieiunium non præ requiritur ex neceſſitate.

Secundò, quod Epiſcopus debeat hoc Sacramentum conferre ſeruato ieiunio, vt habetur in Concilio Aurelianenſi relato *in c. vt Epiſcopi de conſecrat. diſt. 4., & in Concil. Meldenſi.* Sed hoc modo non videtur eſſe ſub præcepto, ſed ad ſummum ex conſilio, & congruentia, cum iam conſuetudine inductum ſit, vt etiam à prandio, ſeu poſt prandium, maximè vbi confirmatio eſt generalis, & maxima copia eſt confirmandorum, conferatur; Monet tamen *D. Thomas tertia part. q. 72. art. 12. ad ſecundum*, quod vbi congruè obſeruari poteſt, vt fiat à ieiuno, conuenientius ſit, vt ita fiat. De hoc ſupra nonnulla attigimus.

6 Ritus cōcomitantes referuntur.

Inter concomitantes iſti ritus habentur, vt obſignatio debeat fieri in fronte, & in formam crucis, ſed iſti non ſunt propriè ritus accidentales, ſed ſubſtantiales, cum ex ſupra dictis pertineant ad ſubſtantiam Sacramenti; item, vt præmittat preces, & benedictiones, quæ præſcribuntur in Pontificali Romano.

7 Referuntur ritus ſubſequētes in particulari.

Inter ſubſequentes eſt, vt leuitèr impingat alapam in maxilla confirmati, & hoc ad duplicem finem primò, vt ipſe confirmatus recordetur, ſe hoc Sacramentum recepiſſe, ne ex obliuione in eodem iteretur. Secundò, vt cognoſcat confirmatus ſe debere pati iniurias pro fide Chriſtiana profitenda, vt notauit *Sotus in quarto diſt. 7. q. vnica art. 8.* Item, vt poſt linitam Chriſmate frontem confirmati eam ligare faciat linea vitta, quouſque Chriſma exſiccetur, vel abſtergatur; & ſecundum Vgonem, vt refert *D. Thomas in quarto diſt. 7. q. 3. art. 3. quæſtiun. 2. ad tertium*, mos erat, vt confirmatus maneret ſub quadam diſciplina cuſtodiendi Chriſma ad ſeptem dies, vt ſcilicet ante illos non lauaret caput propter ſeptem dona Spiritus Sancti, & quia etiam Eccleſia ſeptem diebus aduentum Spiritus Sancti in diſcipulos celebrat. Sunt formalia verba eiuſdem Sancti Doctoris. Sed hic mos cuſtodiendi hanc diſciplinam non lauandi caput per ſeptem dies, non eſt amplius in vſu.

Hic agendum eſſet de ritibus, qui pertinent ad confirmatum, ſeu confirmandum, ſeu pertinere poſſint, an ſcilicet debeat eſſe ieiunus, an in ſtatu gratiæ, an cum aliqua diſpoſitione, ſiue interna, ſiue externa, ſiue ſpirituali, ſiue corporali debeat ad hoc Sacramentum accedere, ſed quia de his, vel actum eſt in præcedentibus, vel non amplius ſunt in vſu, ideo hic non ſiſtimus.

ARTICVLVS III.

De ritibus, qui requiruntur circa tempus, & locum.

SVMMARIVM.

Antiquitus collatio ſolemnis Baptiſmi, & Confirmationis pro certis temporibus coniungebatur. 1.

Modo hic vſus euanuit. 2.

Nec eſt coniungenda collatio Baptiſmatis cum illa Confirmationis. 3.

Antiquitus non conferebatur, niſi matutino tempore. 4.

Modo etiam veſpere. 5.

Regularitèr hæc collatio facienda eſt in Eccleſia. 6.

Non obſtat Pontificale Romanum. 7.

Soluitur obiectum deſumptum ex c. reſponſo de ſent. excom. 8.

Melchiades Pontifex, vt refert *D. Thomas tertia part. q. 72. art. 12. ad primum*, aſſerit, quod Sacramentum Baptiſmi, & Confirmationis ita ſunt coniuncta, vt ab inuicem, niſi morte præueniente ſeparari non poſſint, nec vnum ſine altero perfici poſſit. Intelligunt tam Melchiades, quam D. Thomas de Baptiſmo, quando ſolemnitèr confertur, qui non niſi duobus anni temporibus tunc conferri conſueuerat, nempè in Paſchate, & Pentecoſte, pro quibus temporibus, etiam confirmatio conferebatur. Sed quia modo, nec collatio Baptiſmi reſtricta eſt ad illa

1 Antiquitus collatio ſolēnis Baptiſmi, & Confirmationis pro certis temporibus cōiungebātur.

tem-

tempora, nec quando confertur Baptiſmus, haberi poteſt copia Epiſcopi, qui

2 Modo hic vſus euanuit.

confirmet, ideo ad alia tempora transferri poteſt eiuſdem Confirmationis collatio, &, cum modo nullum tempus ſit ad hoc determinatum, per Epiſcopum iuxta opportunitatem erit determinandum iuxta ea, quæ in præcedentibus innuimus, dum de onere Epiſcoporum ad conferendum hoc Sacramentum Confirmationis.

3 Nec eſt coniungenda collatio Baptiſmatis cũ collatione Confirmationis.

Hoc vnum certum eſt, quod non ſit neceſſitas coniungendi hoc Sacramentum cum illo Baptiſmatis, adeo vt, quando confertur ſolemnitèr Baptiſmus, ſit etiam conferenda confirmatio; quod ex pluribus euincitur primò, quia non ſemper quando ſolemnitèr fit Baptiſmus haberi poteſt Epiſcopus confirmans; ſecundò, quia Baptiſmus confertur regularitèr quando natus eſt infans; confirmatio autem non niſi regularitèr loquendo, & ſecundum communem conſuetudinem, quando peruenit ad vſum rationis. Tertiò, quia conſuetudo obtinuit, vt pro diuerſis temporibus hæc Sacramenta conferantur.

Difficultas ſolummodò circa tempus verſari poteſt in eo, an confirmatio conferenda ſit potius matutino, quam veſpertino tempore. Ex antiquis iuribus *in c. vt ieiuni, & c. vt Epiſcopi de conſecrat. diſt. 4.*

4 Antiquitus non conferebatur, niſi mane.

videtur aſſerendum, non niſi matutino tempore hoc Sacramentum conferendum. Sed modo vſus, qui antiquis iuribus derogare videtur, obtinuit, vt etiam veſpertino tempore conferatur; vnde *D. Thomas d. q. 72. art.* 12. aſſerit eſſe ſolummodo quandam decentiam, vt matutino tempore fiat, quod etiam expreſsè adnotauit Pon-

5 Modo etiam veſpere.

tificale Romanum, & iura in contrarium allegata, vel intelliguntur contraria conſuetudine abolita, vel procedere tantum de quadam conuenientia, non de pręcepto.

Circa locum, in quo miniſtrandum eſt hoc Sacramentum, quantumuis ſupra dixerimus confectionem Chriſmatis faciendam eſſe in Eccleſia, nihilominus quoad locum collationis huius Sacramenti non videtur ita certum, quod ex neceſſitate debeat eſſe Eccleſia; nam *Paludanus in quarto diſt. 7. q. 3. art. 3.* aſſerit, quod poſſit etiam conferri extra Eccleſiam in loco tamen decenti, cum nullibi inueniatur ſcriptum præceptum, quod fiat in Eccle-

6 Regularitèr hæc collatio facienda eſt in Eccleſia.

ſia, & in Pontificali Romano dicitur ſolum, quod fiat in medio altaris, aut in alio loco conuenienti, & in hoc conſentit etiam *Præpoſitus tertia part. q. 72. art. 12. num.* 34. Nihilominus, cum conſuetudo modo vigeat, vt non niſi in Eccleſia fiat huiuſmodi collatio, cenſerem hanc eſſe omnino ſeruandam, cum etiam hoc Sacramentum conferri nequeat ſine ſolemnitate, ad quam videtur etiam pertinere locus ſacer, & ſicuti Baptiſmus ſolemnitèr conferri nequit extra Eccleſiam iuxta diſpoſitionem *Clement. I. de Baptiſmo*, ita nec videtur conferri poſſe confirmatio extra Eccleſiam, & locum ſacrum, cum nequeat licitè, niſi ſolemnitèr conferri; nec obſtat Pontificale Romanum, quod videtur conferre arbitrio Epiſcopi id præſtare, vel in Eccleſia, vel in alio loco conuenienti, dum hoc decernit ſub diſiuncto; non, inquam, 7 Non obſtat Pontificale Romanum.

obſtat, quia, ſi benè perpendatur dictum Pontificale Romanum, non refertur ad alia loca extra Eccleſiam; ibi enim dicit in medio altaris, vel alio loco conuenienti, intelligendo tamen intra Eccleſiam, cum ibi ſupponatur, quod ex magna confirmandorum copia non poſſit commodè in medio altaris fieri.

Neque vlterius obeſſe poteſt, quod *ex c. reſponſo de ſent. excommun.* non interdi- 8 Soluitur aliud obiectum deſumptum *ex c. reſponſo de ſent. excom.*

catur fieri collationem Confirmationis in locis, ſeu Eccleſijs interdictis, ergo etiam fieri poteſt in locis decentibus extra Eccleſiam. Conſequentia probatur, quia loca interdicta habentur, ac ſi non eſſent loca ſacra. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, quod locus ſit interdictus, non deſinit per ſe eſſe conſecratus, ſeu eſſe Eccleſia, vel conſecrata, vel benedicta, ſed ſolum prohibetur, ne fiant in eiſdem Diuina officia; vnde in *eod. c. reſponſo*, cum Ciuitas Ferrarienſis eſſet interdicta, Epiſcopus illius Ciuitatis conſuluit Romanum Pontificem, an ipſi liceret in aliqua Eccleſia illius Vrbis ſemel in hebdomada concionem habere ad populum, baptizare pueros, eoſque ſacro Chriſmate conſignare, & reſponſum recepit, quod vtique liceret; vbi nota, quod petitio facta fuerit de exercendis illis muneribus in Eccleſia, & hoc ſignantèr fuit conceſſum in ordine ad Sacramentum Baptiſmatis, & Confirmationis; ex quibus non licet inferre, quod etiam extra Eccleſiam liceat conferre ſolemnitèr Sacramentum Baptiſmatis, & Confirmationis.

QVÆ.

QVÆSTIO VII.

De effectibus huius Sacramenti.

IAm ad metam huius tractatus deuenimus inueſtigantes effectus, qui ex hoc Sacramento ſingularitèr proueniunt, ex quibus eiuſdem efficacia, vtilitas, dignitas, & cauſa finalis dignoſcitur. Quæ dicta ſunt circa effectus Sacramentorum in genere, & ſingillatim eorum, quæ vltra effectum gratiæ cauſant caractherem, poterunt hic ſeruatis ſeruandis applicari. Præcipui autem effectus iſtius ſunt gratia habitualis, quæ datur ad robur ſpirituale ad profitendam fidem, & caracther, qui in anima imprimitur, per quem quis conſtituitur, & ſignatur tanquam miles Chriſti Domini ad pugnandum contra inimicos fidei, & diabolicas poteſtates.

ARTICVLVS I.

An Confirmatio conferat gratiam, & quamnam.

SVMMARIVM.

Duo errores circa hunc effectum extremè oppoſiti referuntur. 1.
Verè confert gratiam ſanctificantem diſtinctam ab illa Baptiſmi. 2.
Euincitur ex Scripturæ locis, & textibus iuris canonici. 3.
Non tamen ex genere ſuo, & per ſe producit primam gratiam. 4.
Soluitur argumentum deſumptum ex eo, quod confirmatio dicatur complementum Baptiſmi. 5.
Confirmatio præſupponit gratiam per Baptiſmum collatam. 6.
Gratia poſt Baptiſmum amiſſa non reſtauratur per ſe per Confirmationem. 7.
Excluditur Raimundus Lulus volens non conferri gratiam Baptiſmi, niſi poſt ſuſceptam Confirmationem. 8.

1 Errores circa hũc effectum referuntur.

DUos errores extremè oppoſitos circa hunc titulum inuenio, alterum illorum, qui nullam gratiam conferre arbitrantur, qui etiam in duas claſſes quoad rationes huius erroris ſunt diuiſi, cum alij negent hunc effectum Confirmationi, quia exiſtimant hanc non eſſe Sacramentum, alij, quia tollunt quamcunque efficaciam in gratiam in omnibus Sacramentis nouæ legis; Alterum illorum, qui primam gratiam attribuunt Confirmationi, non Baptiſmo, licet præſupponant Baptiſmum ad eandem Confirmationem; exiſtimant enim Baptiſmum per ſe non conferre primam gratiam ſanctificantem, niſi, cum aduenerit Confirmatio, per quam perficitur; atque hic ſecundus error tribuitur Raimundo Lulo. Non immoramur in confutatione huiuſmodi errorum, cum ſatis conſtet ex præcedentibus hanc eſſe verum Sacramentum, & omnia Sacramenta nouæ legis conferre ex genere ſuo gratiam, & Baptiſmum per ſe conferre gratiam remiſſiuam, nedum originalis peccati, ſed omnium actualium antecedentèr ad ipſum commiſſorum.

2 Verè cõfert effectum gratiæ diſtinctum ab illo Baptiſmatis.

Quamobrem veritas catholica eſt, quod confirmatio ritè accepta conferat effectum gratiæ ſanctificantis diſtinctum ab illo collato per Sacramentum Baptiſmatis. Hoc expreſſe declarat *D. Thomas tertia part. q. 72. art. 7. in corp., & in quarto diſtinct. 7. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 1. in corpore.* Hoc omnibus ſcripturæ locis euincitur, quibus dicitur per impoſitionem manuum conferri Spiritum Sanctum, & eiuſdem plenitudinem, quod fit per gratiam eiuſdem. Hoc apertè conuincunt plures textus iuris canonici *ſub tit. de conſecrat. diſt. 5.* in quorum altero dicitur per hoc Sacramentum plenos Chriſtianos fieri, vbi ly *plenos* importat augmentum ſuper gratiam receptam in Baptiſmo; in altero *in c. Spiritus Sanctus eod. tit.*, vbi dicitur per idem Sacramentum baptizatis augmentum præſtari ad gratiam, & in *c. Nouiſſimè eod. tit.* habetur, quod per vnctionem, quæ fit in Baptiſmo in vertice capitis intelligatur Spiritus Sancti deſcenſio ad habitationem, ſed in Confirmatione declaratur Spiritus Sancti ſeptiformis gratia cum omni plenitudine ſanctitatis, & ſcientiæ, & virtutis in hominem. Ex quibus omnibus habes Confirmationem diſtinctam gratiam ab illa, quam confert Baptiſmus, conferre, cum ſupra illam importet augmentum, & plenitudinem.

3 Euincitur ex Scripturæ locis & textibus iuris canonici.

4 Non tamen habet per ſe producere primã gratiam.

Quamuis autem ex genere ſuo habeat hoc Sacramentum gratiam producere, non habet tamen per ſe primam cauſare, quidquid obſtrepat Raimundus Lulus, quod non ſolum conuincitur ex generali regula, ſecundum quam dicuntur ſolum Sacramenta mortuorum per ſe inſtituta eſſe, ad cauſandam primam gratiam, quæ habet vitam ſpiritualem cauſare in eo, qui prius erat mortuus Deo per peccatum, non ſic Sacramenta viuorum, quæ ſupponunt vitam in eo, qui ea recipit; denegari au-

tem non poteſt, quod Confirmatio ſit Sacramentum viuorum; Nec obſtare poteſt, ſi dicatur, quod Sacramentum Confirmationis ſit complementum, & perfectio Baptiſmatis, & quod Baptiſma non
5 cauſet ſuos effectus, niſi habeat complementum, adeoque non niſi poſita eadem Confirmatione, ea proportionali ratione qua pleriquę aſſerunt, quod Sacrificium Miſſæ, quantumuis ſecundum eſſentialia perficiatur in conſecratione, non cauſet tamen ſuos effectus, niſi poſita ſumptione, quæ eſt complementum eiuſdem Sacrificij; Non, inquam, obſtare poteſt, quia ſecundum communem SS. PP., & Theologorum ſententiam Baptiſmus per ſe habet purgare omnia crimina antecedentèr ad ipſum commiſſa non ſolum quoad culpam, ſed etiam quoad reatum cuiuslibet pænæ etiam temporalis; remiſſio autem, ſeu purgatio culpæ non fit, niſi per gratiam remiſſiuam, & inhærentem.

Solutur argumẽtum deſumptũ ex eo quod cõfirmatio dicatur complementum Baptiſmi.

Dixi non ſolum ex generali regula mox appoſita, ſed etiam quia confirmatio
6 ſupponit Baptiſmum, ſine quo validè recipi non poteſt, cum ſit ianua omnium Sacramentorum, & ſic ſupponit vitam in ſubiecto per ipſum Baptiſmum cauſatam, ergo ipſa Confirmatio ſuperueniens non habet ipſam vitam ponere, ſed dumtaxat augere; Quod, ſi ſupponas, quod poſt Baptiſmum eandem vitam perdiderit per peccata læthalia, quæ poſtea committit, & dicas hoc reparari per ipſam Confirmationem; tunc dicam, quod vel ille, qui poſt ſuſceptum Baptiſmum commiſit peccata læthalia non deleta per Sacramentum Pænitentię, accedit ad Saeramentum Confirmationis ſine debitis diſpoſitionibus, vel cum illis; ſi ſine illis, tunc non conſequitur effectum gratiæ, remanente in eodem obice ad illam, quinimmò, ſi culpabilitèr
7 ſine diſpoſitionibus accedit, potius nouum peccatum committit, quam deleat præcedentia; ſi cum debitis diſpoſitionibus; iſtæ eſſe non poſſunt, niſi per contritionem perfectam, vel per atritionem Sacramentalem ſimul cum confeſſione, & ſic prima gratia erit, vel per eandem contritionem, vel per atritionem ſimul cum Confeſſione Saeramentali; vnde confirmatio non poterit, niſi ſecundam, ſeu augmentum gratiæ conferre.

Confirmatio præſuponit gratiam per Baptiſmũ collatam.

Gratia poſt Baptiſmum amiſſa non reſtauratur per ſe per Confirmationem.

Quod, ſi viterius ſupponas accedere ad hoc Sacramentum cum indiſpoſitione quidem ſecundum ſe, ſed negatiua, & inculpabili; quatenus arbitretur ſe habere contritionem ſufficientem, quam tamen reuera non habet, cum non ſit perfecta charitate formata; tunc erit idem dicendum, quod dictum fuit in quæſtionibus de Sacramentis in genere, & in illis de Sacramento Euchariſtiæ, & Extremæ Vnctionis, & quando etiam daremus cauſare primam gratiam, non cauſaret per ſe, ſed ſolummodò per accidens, quod non aduerſatur huic noſtræ concluſioni.

Reſtat hic ſolum, vt reſpondeamus cuidam obiecto, quod deſumit ex ſacris paginis, nempè ex ſæpè repetito loco Ioannis. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt intrare in Regnum Dei.* Raimundus Lulus, vbi duo Sacramenta diſtinguit alterum Baptiſmi indicatum per ly *ex aqua*, alterum Confirmationis per ly *ex Spiritu Sancto*, ex quo poſtea infert, quod non ſit perfecta regeneratio, niſi cum acceſſerit Confirmatio, per quam Spiritus Sanctus confertur. Sed ad hoc 8
reſpondemus, Raimundum Lulum contra communem omnium SS. PP., Conciliorum & Theologorum conſenſum referre illa verba *ex Spiritu Sancto*, poſita in illo textu Ioannis ad Sacramentum Confirmationis, cum ſolum importent gratiam Spiritus Sancti, quæ in Sacramento Baptiſmi confertur tanquam effectus eiuſdem, quod indicat illud verbum *Renatus*, quod importat generationem ſpiritualem, quæ habetur per Baptiſmum, non per Confirmationem, quæ ſolum vitæ confert robur, & augmentum.

Eluditur Raimundus Lulus, & eius aſſumptũ.

ARTICVLVS II.

Quanta gratia per hoc Sacramentum producatur.

SVMMARIVM.

Quantitas duplex, alia abſoluta, alia comparatiua, & quid vtraque. 1.

Quoad abſolutam tanta confertur, quanta eſt diſpoſitio ſumentis. 2.

Rationes ſuadentes quoad comparatiuam maiorem conferri in Baptiſmo, quam in Confirmatione. 3.

Probabilius ex genere ſuo maiorẽ confert gratiam Confirmatio, ac conferat Baptiſmus, & alia Sacramenta, ſi excipias Euchariſtiam. 4.

Reijcitur D. Bonauentura volens conferre maiorem gratiam ſolum prout coniungitur cum gratia Baptiſmi. 5.

Comparatur cum cæteris Sacramentis. 6.

Quoad Sacramentum Ordinis auctor remiſſiuè procedit. 7.

Ratio, ob quam excipitur Euchariſtia. 8.

Reſpondetur rationibus contrarijs pro Sacramento Baptiſmi. 9.

Titulus poteſt procedere, vel de quantitate abſoluta, vel de quantitate comparatiua; quoad quantitatem abſolutam nil certum poteſt definiri, niſi, quod, 1

Quantitas duplex alia abſoluta, alia comparatiua.

ſi non

ſi non fuerit cum diſpoſitione poſitiua, quatenus nullam habeat, dummodo tamen ſit ſine obice, gratiam non niſi minimam conſequatur; ſi vero fuerit cum diſpoſitione poſitiua maiorem, vel minorem
2 acquirat iuxtà maiorem, vel minorem diſpoſitionem iuxta ea, quæ diximus in quæſtionibus de Sacramentis in genere. Quamobrem titulus examinabitur ſolummodo quoad quantitatem comparatiuam inquirendo, an confirmatio conferat maiorem gratiam ex genere ſuo, ac conferat Baptiſmus, & alia Sacramenta.

Abſoluta eſt tanta, quanta eſt diſpoſitio ſumentis.

Videtur prima fronte aſſerendum, maiorem conferri gratiam in Baptiſmo,
3 ac conferatur in Confirmatione; ſiquidem in Baptiſmo gratia confertur per modum regenerationis, & eſt perfectè remiſſiua tam originalis peccati, quam omnium actualium antecedentèr ad ipſum commiſſorum, & non ſolum quoad culpam, ſed etiam quoad pænam, quod non præſtant regularitèr alia Sacramenta; Item Baptiſmus eſt Sacramentum maximæ neceſſitatis, cui propterea præſumendum eſt, quod Chriſtus Dominus vberiorem gratiam promiſerit; Confirmatio vero eſt Sacramentum ſolummodo vtilitatis, & ad melius eſſe, non ad ſimplicitèr eſſe; ideoque &c.

Rationes ſuadētes quoad comparatiuam maiorem conferri in Baptiſmo, quam in Confirmatione.

Probabilius tamen eſt, quod ex genere ſuo maiorem conferat gratiam Sacramen-
4 tum hoc Confirmationis, quam illud Baptiſmi, & cætera omnia, ſi excipias illud Euchariſtiæ. In hanc videtur magis inclinare *D. Thomas tertia part. q. 72. art. 11. ad ſecundum, & tertium, & in quarto diſt. 7. q. 1. art. 1. quæſtiunc. 3.*, & ibi *Sotus art. 7.* Idem *D. Thomas tertia part. q. 65. art. 3.*, vbi aſſerit via perfectionis Confirmationem ſuperare Baptiſmum. Dixi *ex genere ſuo*, nam quandoque ex vi maioris, & perfectioris diſpoſitionis in ſuſcipiēte Baptiſmum poteſt maior gratia in iſto produci per ipſum Baptiſmum, quam in ſuſceptione Confirmationis. Rationes plures pro hoc aſſerto adducit *Suarez diſp. 34. ſect. 2.*, propter quas aſſerit eſſe valdè probabile, licet dicat eſſe incertum. Ego potiſſimum ad hoc moueor ex energia, & encomijs, quibus SS. PP., & Concilia hoc Sacramentum commendant, dum appellant plenitudinem Spiritus Sancti, per quam confertur ſeptiformis gratia, plena ſanctitas, omniſque virtus; ex comparatione eiuſdem ad Baptiſmum, ſicuti viri perfecti ad puerum recentèr natum, cum certè maior ſit quantitas in viro perfecto, ac ſit in puero, non ſolum comparando totam quantitatem, quam habet homo perfectus tam à natiuitate, quam ab augmento, quod habet poſt eandem per continuam nutritionem ad quantitatem pueri, ſed etiam comparando quantitatem, quam ſibi acquiſiuit poſt natiuitatem ad quantitatem, quam habuit in ipſa natiuitate; illa etenim certè maior eſt, quam iſta.

Ex genere ſuo maiorem confert gratiam Confirmatio, ac cōferant alia Sacramenta, ſi excipias Euchariſtiā.

Rationes pro hoc aſſerto.

Et hinc eluditur id, quod aſſerit *D. Bonauentura in quarto diſt. 7. art. 2. q. 3.* quem poſtea ſecuti ſunt alij plures Theologi aſſerentes effectum Confirmationis dici perfectiorem, & vberiorem, non quia talis ſit in ſe, ſed quia coniungitur cum illo Baptiſmi, & addit ſupra illud aliquid aliud. Eliditur, inquam, quia per hoc non reſultaret illa maior perfectio, & dignitas, & exuberantia, quam tribuunt SS. PP., & Concilia Sacramento Confirmationis, ſi computaretur ſolum illa perfectio ex effectu vtriuſque Sacramenti, & minus eſſet id, quod conferret Sacramentum Confirmationis ſupra illud, quod præſupponitur ex Baptiſmo; fieret enim ſolummodo comparatio vtriuſque Sacramenti ad Baptiſmum ſolum, non comparatio Confirmationis ad Baptiſmum, quod eſt id, quod quæritur in præſenti quæſtione, in qua vniuerſalitèr præferunt SS. PP. Confirmationem Baptiſmo, & ſignantèr Melchiades Papa, qui interrogatus, quænam maior eſſet efficacia in ordine ad effectum, an Baptiſmi, an Confirmationis reſpondit *Scitote vtrumque magnum eſſe Sacramentum, & ſicuti vnum à maioribus ſit idest à Summis Pontificibus, quod à minoribus perfici non poteſt, ita, & maiori veneratione venerandum, & tenendum eſt.*

5 *Reijcitur opinio D. Bonauenturæ volentis Confirmationē ex ſe non conferre maiorem gratiam, ſed ſolū prout coniungitur cū gratia Baptiſmi.*

Comparando iam Sacramentum Confirmationis ad alia Sacramenta à Baptiſmo, hoc magis certum videtur, quod hoc Sacramentum in ordine ad iterabilia maiorem effectū gratiæ producat, vt probat *Cacheranus Theol. aſſert. tract. 8. de Sacramentis in genere c. 4. §. 7. nu. 120.*, quia denegari non poteſt, quin irriterabilitas inferat maiorem excellentiam, & cum habeat ſolum vna vice Sacramentum irriterabile producere ſuos effectus, vberiores illa vice producat. Sed quid, ſi comparetur ad Sacramentum Ordinis? Tunc quia confertur maior poteſtas in hoc, quam in Sacramento Confirmationis, & vtique in ordine ad corpus Chriſti, videtur etiam maior gratia conferri ad ratam eiuſdem poteſtatis, quæ confertur, cum in ratione irriterabilitatis æqualem contineant perfectionem. Verum ex alia parte ex poteſtate collata non videtur maior effectus gratiæ arguendus, cæteroqui maior gratia conferretur in ſuſceptione ordinis, per quem confertur maior poteſtas, quam in ſuſceptione Euchariſtiæ, in quo DD. non conſentiunt. In hoc non audeo definire.

6 *Comparatur cū cæteris Sacramentis.*

7 *Quoad Sacramentum Ordinis auctor ſe remittit.*

Dixi, *ſi excipias illud Euchariſtia*, nam,

8 *Ratio, ob quam excipitur Euchariſtia.*

cum in hoc contineatur ipſe fons ſubſtantialis ſanctitatis corporalitèr, per ipſum videtur conferri ex genere ſuo maior gratiæ vbertas. In hoc conſentiunt *Dominicus Sotus in quarto diſt. 7. q. vnica art. 7., & alij magis communitèr.*

Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur, iam reſpondendum eſt; & quidem ad primam dicendum eſt cum *D. Thoma d. q. 72. art. 11. ad ſecundum*, ex eo, quod Sacramentum Baptiſmatis ſit regeneratiuum, & remittat quodcunque peccatum ante ipſum commiſſum, & quoad culpam, & quoad pænam, argui quidem, quod ſit efficacius quoad remotionem mali, non autem,

9 *Reſpondetur rationibus pro Baptiſmo.*

quod ſit efficacius ad proficiendum in bono, nam ad vincendum, ſeu amouendum malum ſufficit quicunque gradus gratiæ, quæ non compatitur cum malo; ad proficiendum autem in bono augmentum, ſeu maior gratia requiritur. Ad ſecundam dicendum eſt ex neceſſitate Sacramenti non argui vberiorem efficaciam in effectum, cum neceſſitas ſolummodò conſideretur in ordine ad tollendum peccatum, ſeu obicem ad gloriam conſequendam, ad quod ſufficit quilibet gradus gratiæ, qui potens eſt ad delendum quodcunque peccatum.

ARTICVLVS III.

Per quid differat gratia Sacramentalis huius Sacramenti à gratia aliorum Sacramentorum.

SVMMARIVM.

Per quid differat gratia Sacramentalis à gratia ſimplicitèr dicta. 1.
Gratia huius Sacramenti differt ab illa aliorum ratione iuris, quod habet ad ſpecialia auxilia pro conſtanter fide profitenda. 2.
Rationes pro aſſerto. 3.
Sententia docens illud ius, quod adnectitur gratia Confirmationis eſſe quid Phyſicum. 4.
Probabilius non eſt, niſi quid morale. 5.
Hoc ius fundatur in Diuina voluntate expreſſa. 6.
Explicatur mens D. Thomæ. 7.
Auxilia actualia, ad quæ refertur illud ius, non conferuntur ſimul cum gratia. 8.

1 *Per quid differat gratia Sacramentalis à non Sacramentali.*

Recolenda ſunt ea, quæ diximus in quæſtionibus de Sacramentis in genere, dum de differentia gratiæ Sacramentalis à non Sacramentali, ſeu à gratia habituali ſimplicitèr, quam differentiam in eo cognouimus conſiſtere, quod gratia Sacramentalis addit ſupra merè habitualem non Sacramentalem ius morale ex Diuina inſtitutione proueniens, & reſpiciens ſpecialia auxilia danda ad peculiares effectus, & fines Sacramentorum; atque in hoc conſentiunt *D. Thomas tertia part. q. 62. art. 2., Arriaga diſp. 16. ſect. 1., Herinex diſp. 4. q. 1. n. 19.*

2 *Gratia huius Sacramenti differt ab illa aliorum per ius ad ſpecialia auxilia ad fidem profitenda.*

Ex his facilè erit deducere effectum huius Sacramenti Confirmationis conſiſtere in gratia habituali cum iure ad actualia auxilia ad Spiritus Sancti protectionem, & ad fidem viuam conſtantèr tenendam, & profitendam. In hoc ſignantèr conſentit *Suarez tom. 3. in tertiam part. D. Thomæ diſp. 34. ſect. 2. verſ. vltimo dicendum eſt.* Ratio ex eo deducitur, quia ex vna parte gratia, quæ in hoc Sacramento, ſicuti in cæteris omnibus, habet ſanctificare, vel ſimplicitèr, ſi ſit prima, vel ſecundum quid maius, ſi ſit ſecunda, ſubiectum in quo recipitur; ex alia parte, cum Sacramenta diuerſa dentur in ordine ad diuerſos fines debent conferre id, per quod poſſint conſequi illi fines diſtincti,

3 *Rationes pro aſſerto.*

ergo, quia illa gratia habet ſanctificare, habet rationem gratiæ habitualis, quia vero habet conducere ad illos determinatos fines, debet conferre ius ad habenda media, quibus conſequi poſſint illi fines; cum igitur Confirmatio detur in ordine ad fidem profitendam conſtantèr, debet conferre gratiam cum iure ad habenda auxilia actualia pro eadem profitenda.

4 *Sententia docens illud ius annexum gratiæ Confirmationis eſſe quid Phyſicũ.*

Hic diſputant DD., an illud ius, quod oritur cum gratia habituali in Sacramento Confirmationis pro fide conſtantèr tenenda, & profitenda, ſit aliquid Phyſicum ſupra eandem gratiam habitualem, an aliquod dumtaxat morale? *D. Thomas 3. part. q. 62. art. 2. in corpore*, videtur aſſerere, eſſe quid Phyſicum diſtinctum ab eadem gratia habituali; dum ſic loquitur. *Sicut virtutes, & dona addunt ſuper gratiam communitèr dictam quandam perfectionem determinatè ordinatam ad proprios actus potentiarum, ità gratia Sacramentalis addit ſuper gratiam communitèr dictam, & ſuper virtutes, & dona quoddam Diuinum auxilium ad conſequendum Sacramenti finem;* virtutes autem, & dona addunt aliquod Phyſicum ſupra gratiam communitèr dictam, ergo, ea gratia Sacramentalis ſecundum mentem S. Doctoris addit aliquod Phyſicum ſupra merè habitualem, quod etiam videtur magis firmare, dum comparat gratiam Sacramentalem ad non Sacramentalem, ſicuti ſpeciem ad genus; ſpecies autem ſupra genus importat aliquòd Phyſicum, ergo &c.

5 *Probabilius non eſt, niſi quid morale.*

Nihilominus ſentiendum eſt, conſiſtere in aliquo dumtaxat morali, prout ſentit *Cacheranus d. tract. 8. de Sacrament. in genere c. 4. n. 87.* Ratio eſt, quia ex eo præcisè,

quod

quod Chriſtus Dominus in inſtitutione Sacramentorum ordinet gratiam habitualem, quæ ex Sacramentis conſurgit ad diuerſos fines, & effectus, iam eadem gratia habet relationem ex eadem inſtitutione ad eóſdem fines, & effectus; talis autem ordo ex Diuina inſtitutione non eſt quid Phyſicum, ſed merè morale, ergo gratia Sacramentalis non addit ſupra gratiam communitèr dictam, niſi ius morale; Neque dicas, omne morale debet fundari in aliquo Phyſico; hoc autem Phyſicum non poteſt eſſe gratia merè habitualis, cum hæc ſtet ſine illo iure, & indifferens ſit, vt cum illo coniungatur, vel non coniungatur, ergo debet eſſe aliquod aliud Phyſicum, in quo illud ius fundetur; contrà enim impugnaberis, quia illud, in quo fundatur illud ius morale, eſt Diuina voluntas expreſſa in ipſa inſtitutione ordinans gratiam, pro vt oritur à Sacramentis ad diuerſos fines, & effectus iuxta diuerſitatem eorundem Sacramentorum.

6 Hoc ius fundatur in Diuina voluntate expreſſa.

Reſpondendum nunc remanet ad ea, quæ obijciebantur ex mente D. Thomæ; quibus dic, D. Thomam non intelligere, quod gratia Sacramentalis importet nouum diſtinctum habitum ſupra ipſum habitum gratiæ communitèr dictæ, & ſupra habitum cæterarum virtutum, & donorum, ſicuti important ipſæ virtutes, & dona habitus diſtinctos ab habitu eiuſdem gratiæ communitèr dictæ, quod etiam fatentur Thomiſtæ, ſed ſolum velle, quod eadem gratia, vt Sacramentalis importet non mera auxilia actualia, quæ, cum ſe habeant per modum motionis, & excitamenti, tranſeunt, ſed aliquod permanens ſiue hoc ſit Phyſicum, ſiue morale; hoc autem eſt illud ius morale fundatum in Diuina inſtitutione ordinante eandem gratiam habitualem ad illos effectus, quos intendit in inſtitutione Sacramentorum.

7 Explicatur mens D. Thomæ.

Hinc habemus, quod in ſuſceptione huius Sacramenti, ſicut & cæterorum non conferantur actu illa auxilia actualia neceſſaria ad conſecutionem finis in illo Sacramento intenti, ſed tantum in radice in illo ſcilicet iure morali, quod ex Diuina ordinatione comitatur ipſam gratiam habitualem communitèr dictam, quæ poſtea auxilia actualia opportunis temporibus conferuntur iuxta exigentiam eiuſdem iuris moralis perſeuerantis.

8 Auxilia actualia, ad quæ confertur illud ius, non conferuntur ſimul cū gratia.

ARTICVLVS IV.

De caracthere, qui producitur in hoc Sacramento.

SVMMARIVM.

De fide eſt, quod in hoc Sacramento producatur caracther. 1.
Rationes ſuadentes caractherem Confirmationis eſſentialitèr non ſupponere illud Baptiſmi. 2.
Eſſentialitèr, & abſolutè illum præſupponit. 3.
Caracther Confirmationis eſt qualitas omninò diſtincta ab illa Baptiſmi. 4.
Effectus etiam ſunt diuerſi. 5.
Proponuntur nonnulla obiecta contra hanc diuerſitatem. 6.
Soluuntur eadem obiecta. 7.
Sententia docens caractherem Confirmationis eſſe partim actiuum, partim paſſiuum. 8.
Habet potius rationem potentiæ actiuæ. 9.
In ſubiecto diſpoſito in eodem inſtanti temporis producitur ſimul gratia, & caracther. 10.
Prioritate naturæ ſententia aſſerens gratiam præcedere caractherem. 11.
Sententia docens caractherem præcedere gratiam. Ibid.
Caracther, & gratia nullam ad inuicem habent cauſalitatem Phyſicam. 12.
Quoad cauſalitatem moralem caracther præcedit gratiam. 13.

IN Sacramento Confirmationis, ſi validè recipiatur, produci caractherem eſt veritas Catholica communitèr recepta, definita in pluribus Concilijs Florent. in decret. Eugenij *Trident. ſeſſ. 7. de Sacramentis in genere can. 9.* Ibi: *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi caractherem in anima, hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, vnde ea iterari non poſſunt, anathema ſit.* Rationes congruentiæ, ob quas imprimatur caracther in hoc Sacramento, aſſignat *D. Thomas tertia part. q. 72. art. 5.*, vbi etiam reſpondet obiectis obſiſtentibus, quod idem habet *in quarto diſt. 7. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 1. in corp.*

1 De fide eſt, quod in hoc Sacramento producatur caracther.

Suppoſita iam exiſtentia huius caractheris nonnulla circa ipſum veniunt examinanda, prout ſignantèr pertinent ad caractherem huius Sacramenti, nam quæ communia ſunt cæteris recolenda ſunt ex ijs, quæ dicta ſunt de Sacramentis in genere. Hæc autem omnia breuitèr expediam per ſequentes dubitationes, & ſuas reſpectiuè reſponſiones.

Dubi-

Dubitatur primò. An caracther Confirmationis eſſentialitèr præſuponat illum Baptiſmi. Mouent hanc difficultatem nonnulla, quæ ſibi proponit *D. Thomas d. q. 72. art. 5.*, & primò, quod non prius infundatur gratia Sacramentalis in Sacramentis imprimentibus caractherem, ac imprimatur caracther; conſtat autem *Actorum 10.*, quod gratia Spiritus Sancti, quæ ſpecialitèr per Confirmationem infunditur, data fuit ante ſuſceptionem Baptiſmi; ibi enim dicitur, quod loquente Petro Spiritus Sanctus cecidit ſuper audientes, quos poſtea Petrus iuſſit baptizari, ergo prius acceperunt gratiam Spiritus Sancti, antequam acceperint Baptiſmum. Secundò, quia finis Sacramenti Confirmationis eſt in ordine ad profitendam publicè, & conſtanter fidem; plerique autem ante Baptiſmi ſuſceptionem palam, & fortitèr profeſſi ſunt vſque ad proprij ſanguinis, & vitæ profuſionem. Nihilominus

3 Rationes ſuadentes caracherem Confirmationis non eſſentialiter præſuponere illū Baptiſmi.

Reſpondeo, abſolutè caractherem Confirmationis præſupponere eſſentialitèr illum Baptiſmi, nec poſſe exiſtere ſine iſto. In hoc conſentire tenentur omnes Catholici, qui agnoſcunt Sacramentum Baptiſmatis eſſe ianuam omnium Sacramentorum. Ratio ex eo deſumitur, quod habet *D. Thomas d. art. 6. in corpore*, nempè, quod ita ſe habet confirmatio ad Baptiſmum, ſicuti vir perfectus ad puerum vix natum, ſeu, quod idem eſt augmentum ad generationem, ſed non poteſt eſſe augmentum ſine præuia generatione; quod enim natum non eſt, non poteſt augeri, ergo, nec &c.

3 Eſſentialitèr, & abſolutè illū præſuponit.

Nec obſtant, quæ in ratione dubitandi afferebantur; nam, quod aliqui ante Baptiſmum fortitèr dimicauerint contra hoſtes fidei, & victoriam per martirium reportauerint, & quod Auditores Petri repleti fuerint Spirito Sancto, antequam reciperent Baptiſmum, arguit quidem, quod independentèr à Baptiſmo illi, qui fortitèr dimicarunt, habuerint efficacia auxilia ad pugnandum, & vincendum, & quod auditores Petri habuerint plenitudinem Spiritus Sancti, non tamen, quod habuerint caractherem Confirmationis; non enim virtus Diuina eſt ſolummodo alligata Sacramentis, ſed poteſt independenter ab illis operari; vnde potuerunt habere effectum Sacramenti independentèr ab ipſo Sacramento.

Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ.

Dubitatur ſecundò. An caracther Confirmationis ſit diſtinctus ab illo Baptiſmi. Difficultas non eſt, an caracther Confirmationis inducat aliquam poteſtatem, ſeu efficaciam ſupra poteſtatem, & efficaciam, quam confert Baptiſmus, cum certum omnino ſit, conferre maiorem efficaciam non ſolum in ordine ad eundem effectum fortius exercendum, ſed etiam in ordine ad diuerſum quodamodo effectum, nam Baptiſmus confert virtutem ad perficiendum baptizatum in fide quoad ſe, confirmatio vero ad perficiendum, & roborandum ipſum ad profitendam conſtantèr fidem coram alijs, quam diuerſitatem conſiderauit *D. Thomas d. q. 72. art. 5. in corpore*. Igitur dubium ſolum reducitur ad hoc, an per Confirmationem producatur diuerſa qualitas ab ea, quæ fuit producta permanentèr in Baptiſmo, an ſolummodo quædam modificatio eiuſdem qualitatis per Baptiſmum productæ.

Reſpondeo, caracther Confirmationis eſt qualitas omnino diſtincta ab illa collata in Baptiſmo, nec eſt ſolummodò modificatio eiuſdem. In hanc conſentiunt *Gabriel in quarto diſt. 7. dub. 4.*, *Suarez tom. 3. in tertiam part. D. Thomæ diſp. 34. ſect. 1. verſ. ſolum poteſt hoc loco inquiri*. Ratio eſt, quia non ſolum hæc Sacramenta ſunt eſſentialitèr, & realitèr inter ſe diſtincta, ſed etiam ſunt ordinata ad fines omnino diuerſos, & habent effectus diſtinctos, ergo cauſant caractheres omnino diuerſos. Antecedens quoad primam partem, patet, quia hæc duo Sacramenta non ſunt ſolum numero diuerſa, ſed etiam ſpecie, cæteroqui non eſſet ſeptem Sacramenta, ſed ſex dumtaxat; quoad ſecundam etiam ſic euincitur, quia per Baptiſmum baptizatus perficitur in ordine ad ſe, per Confirmationem perficitur in ordine ad profitendam fidem coram alijs, & per Baptiſmum conſtituitur præcisè membrum Chriſti, & per Confirmationem conſtituitur miles Chriſti Domini; ſicuti autem in Republica, qui eſt ſubditus Principis, non eſt eius miles, ita &c.

4 Caracther Confirmationis eſt qualitas omnino diſtincta ab illa Baptiſmi.

5 Effectus ſunt diuerſi.

Nec obeſſe poteſt, ſi dicatur primò, quod Confirmatio ſit perfectio, & complementum Baptiſmatis; ſecundò, quod Confirmatus comparetur ad baptizatum, ſicuti comparatur vir adultus ad ſe ipſum, vt infantem, & vix natum, adeoque, quod, ſicuti perfectio, & complementum ſolum complent, & perficiunt entitatem, cuius ſunt complementum, & perfectio, ita non importent, niſi modum perficientem eandem entitatem, non importent diuerſam entitatem, & ſicuti adultus non diſtinguitur à ſe ipſo, vt infante, niſi ſecundum quantitatem extenſiuam, ita, nec confirmatio diſtinguatur à Baptiſmo, niſi ſecundum quandam maiorem perfectionem extenſiuam. Non, inquam, obeſſe poſſunt; non primum; quia confirmatio dicitur perfectio, & complementum Baptiſmi non quia ſit perfectio in eadem linea, & ordine, cum ſint duo Saramenta in ſpecie diſtin-

6 Proponuntur nonnulla obiecta contra hanc diuerſitatē.

diſtincta, ſed quia vtrumque eſt in ordine ad fidem, quæ poteſt ſub diuerſis reſpectibus concipi, à Baptiſmo ſcilicet in ordine ad accipientem, à Confirmatione in ordine ad alios, & quæ ſunt in ſpecie diuerſa licet habeant aliquam habitudinem inter ſe, non poſſunt conſtituere quid vnum; Non ſecundum, quia illa comparatio Confirmationis ad Baptiſmum, ſicuti viri perfecti ad ſe ipſum, vt infantem, non eſt ſumenda metamaticè adeout debeat adæquari in omnibus, ſed ſufficit, quod proportionetur ſecundum quandam analogiam; cæterum, ſi eſſet commenſuranda in omnibus, dicenda eſſet Confirmatio, & Baptiſmus vnum Sacramentum, ſicuti infans, & adultus dicuntur vnus homo, non duo homines; quod eſt contra ſenſum vniuerſæ Eccleſiæ. Proportionantur igitur ſolum in eo, quod habeant quandam habitudinem ad eandem fidem, licet ſub diuerſo reſpectu, vt ſupra; cæterum, ſicuti ſunt diuerſa Sacramenta in ſpecie, ita habent diuerſum caractherem.

7 Soluuntur eadē obiecta.

Dubitatur tertiò, an caracther Confirmationis, ſeu, qui producitur à Sacramento Confirmationis habeat pòtius rationem potentiæ actiuæ, quam paſſiuæ. Caietanus *tertia part. q. 72. art. 5.* ſentit, tam caractherem Baptiſmi, quam illum Confirmationis eſſe partim actiuum, partim paſſiuum, & in hæc adinuicem conformari, D. Thomas *d. q. 72. art. 5. ad ſecundum*, videtur innuere Sacramentum Baptiſmatis potius pertinere ad potentiam paſſiuam, cum per illum reddatur capax ad recipienda alia Sacramentà; caractherem vero Confirmationis potius ad potentiam actiuam cum per illam diſponatur confirmatus ad profitendam fidem coram alijs. Nos vero quoad caractherem Baptiſmatis potius agnouimus rationem potentiæ paſſiuæ, quam actiuæ; Quoad caractherem vero Confirmationis

8 Sententia docens caractherem Baptiſmi, & Confirmationis eſſe partim actiuū, partim paſſiuum.

Modo dicimus habere potius rationem potentiæ actiuæ, quam paſſiuæ, & in hoc conſentiunt *D. Thomas loc. cit., & Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ d. diſp. 34. ſect. 1. verſ. ſolum poteſt hoc loco.* Ratio deducitur ex fine, ad quem inſtitutum eſt hoc Sacramentum, nempè ad profitendam fidem, quam recepit in Baptiſmo coram alijs, vnde confert robur, & conſtantiam; & hinc eruitur etiam alia ratio prò Confirmatione præcedentis dubij, quod ſcilicet huiuſmodi caractheres ſcilicet Baptiſmi, & Confirmationis ſint diſtincti, cùm vnus conferat potentiam dumtaxat paſſiuam; alter actiuam; & hinc etiam deducere poſſumus ex genere ſuo perfectiorem eſſe caractherem Confirmationis, ac ſit ille Baptiſmi.

9 Habet potius rationem potentiæ actiuæ.

Dubitatur quartò, an inter caractherem, & gratiam in hoc Sacramento detur aliquis ordo prioritatis, & poſterioritatis. Non loquimur hic de prioritate, & poſterioritate temporis in ſubiecto, quod ſit diſpoſitum ad vtrumque effectum recipiendum, quia certum eſt vtrumque pro eodem temporis inſtanti produci, cum Sacramenta ſuos effectus ſtatim producant, ac fuerint ſubſtantialitèr poſita. Dixi *in ſubiecto, quod ſit diſpoſitum ad vtrumque effectum*, nam poteſt contingere, quod ſubiectum capax recipiendi hoc Sacramentum habeat obicem ad gratiam; tunc enim certum eſt, quod conſequatur immediatè caractherem, & non recipiat gratiam, niſi quando obex remouetur. Procedit igitur dubium ſolummodò de prioritate, & poſterioritate naturæ.

10 In ſubiecto diſpoſito eodem tempore confertur gratia, & caracther.

Videtur dicendum gratiam prioritate naturæ præcedere caractherem prout videtur indicaſſe *Sotus in quarto diſt. 1. q. 4. art. 4.*, dum dicit caractherem conſequi fidem, cuius ſignum eſt, fides autem conſequitur gratiam, ergo gratia ex genere ſuo prioritate ſaltem naturæ præcedit ipſum caractherem. Alij tamen exiſtimantes caractherem eſſe diſpoſitionem ad gratiam, ex hoc ipſo, quod ſit talis, ſentiunt eandem gratiam debere præcedere ſaltem prioritate naturæ.

11 Duæ ſententiæ circa præexiſtentiam gratiæ ad caractherem, & ē contra.

In hoc ego ſentio cum *Cacherano Theol. aſſert. tract. 8. de Sacramentis in genere c. 5. n. 15.* caractherem, & gratiam Sacramentalem nullam adinuicem habere cauſalitatem Phyſicam, & quoad moralem caractherem præcedere gratiam, & in hoc conſentit etiam *Suarez diſp. 11. ſect. 1. verſ. ſed dubitabit aliquis.* Ratio primæ partis quoad cauſalitatem Phyſicam ea eſt, quia, nec ratione Sacramenti, vt ſic, nec ratione Sacramenti, vt talis vnus effectus dependet ab altero, ergo, nec prioritate naturæ vnus ex genere ſuo præcedit alterum. Antecedens quoad primam partem probatur, quia Sacramentum, qua Sacramentum eſt, poteſt cauſare gratiam ſine caracthere, vt videre eſt in Sacramentis iterabilibus, & caractherem ſine gratia, vt videre eſt, quando adeſt obex in ſubiecto ad gratiam in Sacramentis irriterabilibus, ergo, quantum eſt ex vi Sacramenti, vt ſic, vnus effectus non exercet in alterum cauſalitatem, ideoque non eſt, cur vnus debeat natura alterum præcedere. Probatur idem antecedens quoad ſecundam partem; quia, quamuis Sacramentum, vt tale, quantum eſt ex ſe habeat vtrumque effectum cauſare, ſequitur quidem, quod idem Sacramentum exerceat cauſalitatem in vtrumque, non tamen, quod vnus

12 Gratia, & caracther nullam adinuicem habent cauſalitatem Phyſicā.

ca

Digitized by Google

Ex his cauſalitatem exerceat in alterum; & quidem, quod gratia non exerceat cauſalitatem in caractherem ex eo euincitur, quia poteſt in ſua origine eſſe caracther ſine gratia, vt videre eſt in eo, qui ratione obicis in ipſo exiſtentis recipit Sacramentum validum, ſed informe; Quod vero caracther non influat, nec exerceat cauſalitatem in gratiam, ex eo euincitur, quod caracther nullam habet proportionem ad eandem, cum ab ipſa præſcindat, & æquè eſſe poſſit cum peccato, ac cum eadem gratia.

13 Quoad cauſalitatẽ moralem caracther præcedit gratiam.

Ratio ſecundæ partis, quod ſcilicet moralitèr caracther præcedat gratiam ex eo euincitur, quod poſſit eſſe a Sacramento caractherizante caracther, & non eſſe gratia, ergo, quando admittere deberemus aliquam naturæ prioritatem in alterutro, hæc potius caractheri, quam gratiæ eſſet tribuenda.

ARTICVLVS V.

De Sacramento Confirmationis non iterando.

SVMMARIVM.

Omni iure cautum eſt hoc Sacramentum validè ſuſceptum non poſſe iterari. 1.

Dictum D. Auguſtini non procedit de Sacramento Confirmationis. 2.

Quando non eſt validè receptum, poteſt iterari. 3.

In dubio inuincibili de receptione poteſt recipi ſub conditione. 4.

Etiam præciſo ſine ſuſcipiendi ordines. 5.

Etiam in dubio inuincibili validæ ſuſceptionis. 6.

1 Omnia iura probant hoc Sacramentum validè ſuſceptũ non poſſe iterari.

OMnia iura clamant Sacramentum hoc non eſſe iterandum. Hoc definit Concilium Florentinum in decreto vnionis; Hoc Concilium Toletanum 8.; Hoc Cabilonenſe II. c. 27. Hoc Concil. Trident. ſeſs. 7. de Sacram. in genere can. 9. Hoc iura Pontificia ſtatuunt *in c. dictum eſt de conſecrat. diſt. 5. in c. de homine de conſecr. ead. diſtinct.*, ex Gregorio III. in Epiſt. 1. ad Bonifacium. Hoc euincit textus ad Hæbreos 6. *Impoſſibile eſt eos, qui ſunt illuminati per Baptiſmum, & participes facti ſunt Spiritus Sancti, iterum renouari*, quod plurimi ex SS. PP. intelligunt de Sacramentis Baptiſmi, & Confirmationis. Hoc tandem concludit caracther, quem imprimit hoc Sacramentum, ex quo rectè ipſius irriterabilitas conuincitur.

Solum aliquid negotij videtur ingerere id, quod aſſerit *D. Auguſtinus lib. 3. de Baptiſmo c. 16.* Ibi- *Manus autem impoſitio ſicut Baptiſmus, repeti non poteſt, quid enim eſt aliud, niſi oratio ſuper hominem.* Varios dicendi modos ad exponendum hunc textum Auguſtini, vt non repugnantem veritati catholicæ refert *Suarez dicta diſp. 34. ſect. 1. à verſ. ad hoc teſtimonium vſque ad finem.* Nobis placet aſſerere D. Auguſtinum ibi non loqui de Sacramento Confirmationis, quod ſatis indicant verba eiuſdem. *Quid enim eſt aliud, niſi oratio ſuper hominem*; loquitur ad ſummum ibi de quadam manuum impoſitione reconciliatiua, vel cæremoniali.

2 Dictum D. Auguſtini non procedit de Sacramento Confirmationis.

3 Quando primo nõ eſt validè receptum poteſt iterari.

Hæc, quæ dicta ſunt de irriterabilitate huius Sacramenti, intelligenda ſunt, quando primo ritè, & certè receptum eſt; ſi etenim eſſet inualidè receptum, vel defectu debitæ materiæ, vel formæ proportionatæ, vel aliquo alio defectu ſubſtantiali certo, tunc procul dubio poſſet iterari, quinimmò, nec tunc propriè diceretur iterari, cum primum perindè eſſet, ac ſi non eſſet collatum, nec caractherem impreſſiſſet.

4 In dubio inuincibili de receptione poteſt recipi ſub conditione.

Dixi, *& certè receptum eſſet*, nam, ſi eſſet dubium de receptione eiuſdem, & dubium illud eſſet inuincibile, non dubitarem poſſe iterari ſub conditione, *ſi non eſt receptum*, quod præcipuè verificaretur, ſi vrgeret aliqua neceſſitas puta recipiendi ordines, ad quos ex Concil. Trident. ſaltem ex maxima congruitate præmittenda eſt confirmatio. Sed quid in hoc dubio eſſet dicendum, ſi nulla eſſet neceſſitas, nec congruentiæ ratione alterius finis ad iterum Sacramentum illud recipiendum? Ratio dubitandi in eo conſiſtit, quod periculum irritandi ſecundam Confirmationẽ caſu, quo prima collata eſſet valida, videtur præpõderare illi vtilitati, quam poſſet conſequi ex ſecunda, ſi prima eſſet irrita, cum hoc Sacramentum non ſit neceſſitatis, ſicuti eſt illud Baptiſmi, in quo propter ſummam neceſſitatem ad conſulendum certiori ſaluti, permittitur illa iteratio ſub conditione. Nihilominus ſentiendum eſt, poſſe iterari ſub conditione. Ratio eſt, quia quiſque ius habet non ſolum ſibi conſulendi in neceſſarijs, ſed etiam in ſibi vtilibus in ordine ad ſalutem conſequendam; nec in hoc inferretur aliqua irreuerentia Sacramento, cum exiſtente dubio inuincibili per conditionem appoſitam expurgaret quamcunque irreuerentiam.

5 Etiam præciſo ſine ſuſcipiendi ordines.

6 Etiam in dubio inuincibili validæ ſuſceptionis.

Eadem ratione iterari poſſet hoc Sacramentum Confirmationis, ſi dubium eſſet inuincibile de ſubſiſtentia prioris Confirmationis ob aliquem defectum ſubſtantialem, vel circa materiam, vel circa formam, poſſet enim contingere, quod prius collatum eſſet inualidum, & propte-

rea

terea poſſet velle, qui ſic confirmatus eſt, vt ſibi certior reddatur illa magna vtilitas, quæ conſequitur ex hoc Sacramento.

ARTICVLVS VI.

An Confirmatio iterata inducat eaſdem pœnas, quas inducit iteratio Baptiſmi.

SVMMARIVM.

Pœna potiſſimum contra rebaptizantes, & rebaptizatos eſt irregularitas. 1.

Rationes ſuadentes eandem pœnam extendi ad reconfirmantem, & reconfirmatum. 2.

Probabilius non extenditur. 3.

In pœnalibus non fit extenſio etiam ex paritate rationis. 4.

Explicatur textus in c. dictum de conſecr. diſt. 5. 5.

1 Pœnæ contra rebaptizantes, & rebaptizatos.

IN præcedenti *part. 2. de Sacram. Baptiſmi q. 10. art. quinto*, inſinuauimus plures pœnas, quæ tam à iure ciuili, quam à canonico erant impoſitæ contra rebaptizantem, quas tamen reduximus ad ſolam irregularitatem, cum aliæ contraria conſuetudine intelligantur abolitæ, & *in c. 7. eiuſdem quæſtionis*, recenſuimus pœnas etiam illatas contra rebaptizatos, & ſignantèr eandem irregularitatem. Modo iam inquirimus, an eaſdem pænas incurrerent tam confirmans, quam confirmatus, ſi ille reiteraret, iſte reciperet iterationem eiuſdem Confirmationis.

2 Rationes ſuadentes extendi ad recōfirmantē, & reconfirmatū.

Videtur ex fine, quo inducta eſt hæc irregularitas contra rebaptizantem, & rebaptizatum, extendenda etiam ad reconfirmantem, & reconfirmatum; ideo enim in rebaptizatione inducta eſt, vt exploderetur quorundam Hæreticorum error, qui aſſerebant Baptiſmum eſſe iterabilem; hæc autem eadem ratio militat etiam in reconfirmatione, & propter hanc rationem aſſerunt etiam in iſta contrahi hanc irregularitatem *Nauarrus in man. c. 27. n. 247.*, *Maiolus de irregul. lib. 3. c. 15.*, *Dinus Antoninus tertia part. tit. 28. c. 6.* Nihilominus

3 Probabilius non extenditur.

Probabilius ſentio, hanc irregularitatem non contrahi in reconfirmatione, quamuis grauiſſima noxa contrahatur. *Vgolinus c. 35. §. 4.*, *Auila part. 7. diſp. 7. dub. 5.*, *Suarez diſp. 42. n. 6.*, *Valentia tom. 3. diſp. 5. qu. 1. punct. 4. circa fin.*, *Filliutius tract. 19. c. 7. q. 1.*, *Reginaldus lib. 3. tract. 2. n. 187.* Ratio autem ea eſt, quia irregularitas vtpotè grauiſſima pæna non incurritur, niſi ſit in iure expreſſa, & ob delictum determinatum, ſed hæc irregularitas, quantumuis ſit in iure expreſſa in rebaptizatione tam contra rebaptizantem, quam contra rebaptizatum, non eſt tamen expreſſa in reconfirmatione contra reconfirmantem, & reconfirmatum, ergo non eſt extendenda ad iſtos.

Neque obſtant, quæ ex aduerſo afferebantur, quia in pænalibus non eſt facienda extenſio, neque ex paritate, nec ex maioritate rationis, quod præcipuè verificatur in irregularitate, quæ ex diſpoſitione iurium *in c. qui diſt. 68.* non incurritur, niſi ſit in iure expreſſa. Quod ſi repetas, quod in iure pariformitèr procedatur in rebaptizatione, & reconfirmatione, vt præcipuè habetur *in c. 1. d. diſt. 68.*, vbi dicitur, quod ſemel baptizatus iterum baptizari non poſſit, & quod ſemel conſecratus iterum conſecrari; ſtatim impugnaberis, quia licet ibi vtraque iteratio prohibeatur, nulla tamen ibi pæna imponitur, & ſi alibi irregularitas imponatur, non imponitur contra vtramque, ſed dumtaxat contra rebaptizationem, quæ propterea non videtur extendenda. 4 In pænalibus non fit extenſio.

Quod, ſi vrgeas, quod vtraque iteratio ſit in eadem ſpecie delicti, cum ſit contra eandem in ſpecie virtutem, & habeat idem obiectum formale Religionis ob reuerentiam debitam his Sacramentis, ideoque non fiat extenſio irregularitatis extra ſpeciem delicti, quod iura vetant ſub illa pæna; ſtatim impugnaberis, quia, cum delictum procedat a diuerſo principio, nempè à diuerſo Sacramento, quamuis aduerſetur eidem virtuti Religionis, poteſt ſubeſſe diuerſis iuribus, prout prouenit a Baptiſmo, ac prout prouenit a Confirmatione, cū poſſit ſubeſſe cauſa pro vno ſtatuendo illam pænam, quæ fortè non ita vrget pro altero. Fortè pro tempore, quo condita eſt lex pænalis contra baptizantem iteratò; & contra rebaptizatum, delictum hoc erat in vſu, non ſic illud reconfirmationis, ideò &c.

5 Explicatur textus in c. dictum de conſecrat. diſt. 5.

Vrgebis vlterius *ex c. dictum de conſecrat. diſt. 5.*, *& c. cum quidem 1. q. 1.*, vbi etiam quoad hanc pænam irregularitatis videntur parificari reconfirmatio, & rebaptizatio; quandoquidem ibi dicitur, quod qui bis, vel ter baptizatus, aut confirmatus fuerit non ſæculo, ſed ſoli Deo ſub habitu Regulari, ſeu Clericali religioſiſſime famuletur, & ibi Gloſa ſubdit, quod debeat habere veſtem Clericalem ſcilicet clauſam, non tamen ſit Clericus, & Maiolus latius explicans, & extendens textum dicit non poſſe Clericari, niſi cum diſpenſatione, ex quo arguit irregularitatem. Sed contra, quia licet in illo textu vtrique ponatur pæna famulandi Deo ſub habitu regulari, ſeu clericali; ibi tamen non imponitur pæna irregularitatis, &

 exten-

Digitized by Google

extenſio, quæ ibi fit à Maiolo ab illa pæna famulandi Deo ad irregularitatem, non aliud habet fundamentum, niſi proprium ipſius arbitrium.

Reliqua, quæ poſſunt deſiderari circa caracèherem, & irriterabilitatem huius Sacramenti, recolenda ſunt ex ijs, quæ dicta ſunt in prima parte huius voluminis, dum de caracthere Sacramentorum in genere, & in ſecunda parte de Baptiſmo, dum de caracthere eiuſdem. Iam finem imponimus quæſtionibus de Sacramento Confirmationis, a quo, ſicuti in cognitione per hucuſque explanata inſtruimur, vtinam ita confirmemur in fide, vt per ipſam perducamur ad contemplanda in ſuo eſſe miſteria, quæ non niſi in enigmate penetrauimus.

FINIS.

AD LAUDEM,
ET GLORIAM OMNIPOTENTIS DEI,
ET DEIPARÆ VIRGINIS,
ET DOCTORIS GENTIUM.

40.417

Digitized by Google

INDEX RERUM.

P. ſignificat Partem, Q. Quæſtionem, A. Articulum, S. Sectionem, N. Numerum marginalem, P. Paginam.

A

Ablutio.

ABlutio eſt materia proxima Sacramenti Baptiſmi. P.2. q.2. a.2. n.1. p. 178
Materia proxima conſiſtit in actione tranſeunte. Ibid. n. 3. p. 178
An ablutio formalis conſiſtat in actione, an vero in paſſione remiſſiuè. Ibid. n.4. p. 178
Ablutio debet eſſe per Phyſicum contactum. Ibid. n.7. p. 179
Non eſt neceſſe, quod mundet aliquas ſordes corporales. Ibid. n. 8. p. 179
Tunc ablutio conſequitur ſuum effectum, quando poſita ſufficienti ablutione perficitur forma. Ibid. n. 12. p. 179
Non eſt de neceſſitate Sacramenti, quod ablutio fiat, vel per immerſionem, vel per infuſionem aquæ. Ibid. a. 3. o. 2. p. 180
Nec eſt de neceſſitate eiuſdem triplex immerſio. Ibid. n.3. p. 180
Explicantur nonnulli textus, vt non repugnantes noſtro dicto. Ibid. n.4., & 5. p. 180
Seruandus eſt ex præcepto circa ablutionem ritus vniuſcuiuſque Eccleſiæ. Ibid. n.6. p. 181
Non eſt neceſſaria neceſſitate Sacramenti emerſio. Ibid. n.9. p. 181
Ad emundationem ſpiritualem ſufficit contactus aquæ ſucceſſiuus. Ibid. n. 12. p. 182
Non eſt valida ablutio vno immergente, altero verba proferente. Ibid a.4. n.7. p. 184
An valida ſit ablutio, ſi vnus immergat, alter dicat, Nos te abluimus remiſſiuè. Ibid. n. 8. p. 184
Miniſter ſubmittens puerum aquis pluuialibus, & proferens formam validè baptizat. Ibid. n.9. pag. 184

Amentes.

Perpetuo amentes ſunt remotè capaces Baptiſmatis, Confirmationis, & Ordinis, non vero Pœnitentiæ, Matrimonij, & Extremæ Vnctionis. P.1. q.4. a.2. n. 11. p. 61
Perpetuo amentibus ſecundum aliquos poteſt actu conferri Euchariſtia in articulo mortis. Ibid. n.12. p. 61
Probabilius non poteſt actu. Ibid. n. 13. p. 61
Amentibus, qui gauiſi ſunt vſu rationis, & exhibuerunt ſigna pœnitentiæ in periculo mortis conferenda eſt Euchariſtia. Ibid. n. 14. p. 62
Intellige ſub duabus conditionibus, ibid. n. 15. pag. 62
Non facilè eſt conferenda annua communio. Ibid. n.16. p. 62
Amentes, & furioſi, qui nunquam gauiſi ſunt vſu rationis, poſſunt, & debent baptizari. P.2. q.3. a.1. S.8. n.2. p. 201
Amentes, & furioſi, qui gauiſi ſunt vſu rationis poſſunt baptizari, ſi ante furorem, & amentiam Baptiſmum petierint, vel voluntatem recipiendi ſenſibilitèr exhibuerint. Ibid. n. 3. pag. 201
Secus, ſi nec petierint, nec voluntatem recipiendi ſenſibilitèr exhibuerint. Ibid. n 4. p. 201
Si non petierint, quia notitiam non habuerunt Baptiſmi, probabilius poſſunt baptizari. Ibid. n.5. p. 202
Qui gauiſus eſt lucidis interuallis, & in eiſdem petijt Baptiſmum poteſt in amentia baptizari, ſi non ſit ſpes, quod reuerſurus ſit ad ſanam mentem. Ibid. n. 7. p. 202
Qui ſunt amentes, non tamen tales, vt nequeant de ſua ſalute cogitare, volentes poſſunt baptizari. Ibid. n. 8. p. 202

Aqua.

Aqua elementaris eſt materia remota Sacramenti Baptiſmatis. P.2. q.2. a.1. n. 8. p. 176
Excluduntur alij liquores, qui non ſint aqua. Ibid. n. 9. p. 176
Aqua poteſt amittere ſuam puritatem, vel per commixtionem, vel per alterationem. Ibid. n. 10. pag. 176
Quandonam reddatur inhabilis ad Baptiſmum. Ibid. n.11. p. 176
Glacies, vt talis, non eſt apta materia. Ibid. n.12. pag. 177
Aqua fluminis turbida eſt apta. Ibid. n. 13. p. 177
Item aqua maris. Ibid. n. 14. p. 177
Item aqua commixta balſamo in modica quantitate. Ibid. n.15. p. 177
Item aquæ pluuiales, & ſulphureæ. Ibid. n. 16. pag. 177
Non licet tamen has adhibere. Ibid. n. 17. p. 177
Aqua, quæ fluxit ex latere Chriſti, fuiſſet ſufficiens. Ibid. n. 18. p. 177
In neceſſitate poteſt adhiberi aqua dubia, ſed ſub conditione. Ibid. n. 19 p. 177
Quænam quantitas aquæ requiratur ad validam ablutionem. Ibid. a. 2. n. 5. p. 178
Si puer baptizetur in mari non tota aqua maris eſt materia pueri baptizati. Ibid. a.4. n.1. p.183
Aqua ex pane cocto diſtillata eſt materia dubia. Ibid. n. 2 p. 183

Digitized by Google

In neceſſitate poteſt ſub conditione adhiberi. ibid. n. 3. p. 183
Ceſſante neceſſitate puer eſt rebaptizandus ſub conditione. ibid. n. 4. p. 184
Lutum ex aqua, & puluere compactum non eſt materia apta. ibid. n. 5. p. 184
Aqua ex luto extracta eſt materia apta. ibid. n. 6. pag. 184

Atritia.

In adultis baptizandis prærequiritur atritio de peccatis actualibus commiſſis ante Baptiſmum ad fructuoſam receptionem eiuſdem. P. 1. q. 4. a. 4. n. 5. p. 70
Atritio ad remouendum obicem in Baptiſmo cum eodem ſuſcepto æquè prodeſt pro venialibus, ac pro læthalibus. ibid. a. 7. n. 7. p. 84
Sententia docens in adulto recepturo Baptiſmum non prærequiri atritionem de peccatis commiſſis. P. 2. q. 3. a. 5. n. 3. p. 219
Sententia aſſerens ſine dolore remitti per Baptiſmum originale, non actualia commiſſa. ibid. n. 4. p. 219
In eo, qui ſibi conſcius eſt originalis, & læthalium, prærequiritur dolor. ibid. n. 5. p. 219
Non ſufficit ad hoc voluntaria ſuſceptio Baptiſmi. ibid. n. 7. p. 219
Nec in ipſa continetur virtualis pænitentia. ibid. n. 8. p. 220
Non poteſt remitti peccatum originale ſine actualibus læthalibus. ibid. n. 9. p. 220
Exiſtentibus ſolum venialibus cum originali, & non poſita atritione de illis remittitur per Baptiſmum ſolum originale. ibid. n. 10. p. 220
Si adeſſet ſolum originale in adulto non eſſet neceſſaria atritio. ibid. n. 11. p. 220
Sententia docens prærequiri contritionem perfectam. ibid. n. 12. p. 221
Sententia docens ſufficere contritionem putatam. ibid. n. 13. p. 221
Sententia docens ſufficere diſplicentiam merè naturalem ibid. n. 14. p. 221
Atritio ſupernaturalis ad ſuſcipiendum Baptiſmum cum effectu eſt ſufficiens, & neceſſaria in habente peccata actualia. ibid. n. 15. p. 221
Non eſt neceſſaria contritio perfecta, ibid. n. 16. p. 221
Nec etiam eadem, vt putata. ibid. n. 17. p. 221
Non ſufficit diſplicentia merè naturalis. ibid. n. 18. p. 222
Atritio ſufficit ad delenda peccata originale, & actualia commiſſa ante Baptiſmum, quæ non fuerunt deleta in ſuſceptione ipſius ob indiſpoſitionem inculpabilem. ibid. a. 6. n. 4. p. 223
Per atritionem ſolum remouetur obex. ibid. n. 5. pag. 223
Ad delenda peccata commiſſa in ipſa ſuſceptione Baptiſmi non ſufficit ſola atritio ſubſequens, ſed requiritur, vel contritio, vel atritio cum Confeſſione Sacramentali. ibid. a. 6. n. 14 p. 225
Illa peccata dicuntur potius ſubſequentia Baptiſmum, quam comitantia. ibid. n. 16. p. 225

B

Balſamum.

Balſamum non eſt materia adæquata Sacramenti Confirmationis. P. 2. q. 1. a. 1. n. 9. p. 351
Balſamum ſignificat robur alijs communicabile. ibid. n. 10. p. 351
Quod ſit commixtum cum oleo eſt de neceſſitate Sacramenti. ibid. n. 12. p. 352
Materia Confirmationis appellatur vnguentum, quod in ſolo oleo nequit conſiſtere. ibid. n. 14. pag. 352
Cur potius conſtituatur ex balſamo, quam ex alio liquore odorifero. ibid. n. 15. p. 352

Baptiſmus.

Si infantes infidelium baptizentur ſine conſenſu parentum validè baptizantur. P. 1. q. 4. a. 3. n. 3. p. 64
Intentio exhibita ab infideli curandi omnia media neceſſaria ad ſalutem non eſt ſufficiens, vt baptizetur. ibid. n. 14 p. 67
Quid, ſi infidelis exhibuerit intentionem ingrediendi Eccleſiam. ibid. n. 15. p. 67
Ad ſuſceptionem licitam Baptiſmi non prærequiritur in ſuſcipientibus ſtatus gratiæ. P. 1. q. 4. a. 4. n. 2. p. 69
Nec in infantibus, & perpetuo amentibus fides, & atritio. ibid. n. 3. p. 69
In adultis prærequiritur fides. ibid. n. 4. p. 70
Item atritio de peccatis actualibus commiſſis ante Baptiſmum. ibid. n. 5. p. 70
Baptiſmum ſuſceptus cum obice remoto obice reuiuiſcit. P. 1. q. 4. a. 5. n. 5. p. 73
Sacramentum Baptiſmi, quando auſertur obex, licet non exiſtat actu, exiſtit tamen virtute. ibid. n. 11. p. 74
Quando Baptiſmus ſuſceptus eſt cum obice culpabili, ad illum remouendum non eſt ſufficiens ſola atritio. ibid. n. 13. p. 75
Illud peccatum nouum commiſſum in ſuſceptione Baptiſmi non eſt materia eiuſdem Baptiſmi. ibid. n. 14. p. 75
Quando peccatum commiſſum in ſuſceptione Baptiſmi remittitur per contritionem, vel per Sacramentalem Confeſſionem originale, & commiſſa ante Baptiſmum remittuntur virtute eiuſdem Baptiſmi. ibid. n. 15. p. 75
Prius auſertur obex, quam gratia infundatur. ibid. n. 16. p. 76
Baptiſmus ſuſceptus cum obice tum peccatorum læthalium, quam venialium remoto obice quoad vtraque reuiuiſcit quoad omnia. ibid. a. 7. n. 2. p. 83
Quomodo remoueatur obex tam quoad læthalia, quam quoad venialia. ibid. n. 3. p. 83
Æquè proſunt diſpoſitiones pro venialibus, ſiue ponantur ſimul cum diſpoſitionibus ad læthalia remouenda, ſiue ex interuallo. ibid. n. 6. pag. 84
Baptiſmus non reuiuiſcit quoad peccata commiſſa in ſuſceptione eiuſdem, ſiue conſiſtant in fictione formali, ſiue materiali. ibid. n. 8. p. 84
Interueniente ſolum diſpoſitione pro læthalibus venialia non remittuntur. ibid n. 10. p. 85
Interueniente ſolum pro venialibus, nec læthalia, nec venialia remittuntur. ibid. n. 11. p. 85
Sacramentum Baptiſmi remoto quocunque obice reuiuiſcit etiam quoad remiſſionem pænæ. ibid. n. 14. p. 85
Inſtitutio, & exiſtentia Baptiſmi euincitur ex ſacris paginis, & Conciliorum definitionibus, P. 2. q. 1. a. 1. n. 1. p. 158
Sententia docens Baptiſmum inſtitutum fuiſſe, quando Chriſtus in Iordane baptizatus eſt. ibid. n. 2. p. 159
Eius rationes. ibid. n. 3., & ſeqq. vſq. ad 7. p. 159
Sententia docens tunc inſtitutum eſſe, quando Chriſtus dixit, *niſi quis renatus fuerit*. ibid. n. 7. p. 159

Sen-

Digitized by Google

Sententia docens inſtitutum eſſe, quando *Matthæi* 28. dixit, *Euntes baptizate*. ibid. n. 9. pag. 160
Baptiſmus quoad ſubſtantiam inſtitutus eſt, quando Chriſtus baptizatus eſt in Iordane; quoad neceſſitatem declarata eſt *Ioaanıs* 3. per illa verba, *niſi quis renatus fuerit &c.* quoad vſum poſt paſſionem, & mortem Chriſti; quoad diuulgationem, quando *Matthæi vltim.* dixit, *Euntes docete omnes gentes baptizantes &c.* ibid. n. 10. p. 160
In Baptiſmo Chriſti Domini fuit deſignata materia, & implicitè indicata forma. ibid. n. 11. pag. 160
Chriſtus Dominus ſanctificauit aquas. ibid. n. 12. pag. 160
Euincitur, quod obligatio Baptiſmi fuerit impoſita, quando dixit, *niſi quis renatus fuerit*. ibid. n. 14. p. 160
Non tamen tunc vigebat quoad vſum. ibid. n. 15. pag. 160
Euincitur, quod promulgatio facta fuerit *Matthæi vlt.* ibid. n. 16. p. 161
A tempore inſtituti Baptiſmi ad mortem Chriſti Domini non vrgebat præceptum Baptiſmi. ibid. n. 18. p. 161
Si quis fuiſſet baptizatus ante mortem Chriſti non indiguiſſet circuncisione. ibid. n. 19. p. 161
Per mortem Chriſti fuit conſummatus quoad vltimum effectum. ibid. n. 20. p. 161
Poſt paſſionem cæpit eſſe in præcepto. ibid. n. 21. pag. 161
Poſt promulgationem omnes obligat. ibid. n. 22. pag. 161
Baptiſmus alius fluminis alius ſanguinis, alius flaminis. ibid. a. 2. n. 1. p. 162
Baptiſmus ſanguinis conſiſtit in martirio propriè ſumpto. ibid. n. 2. p. 163
Non eſt neceſſe, quod ſit cum ſanguinis effuſione. ibid. n. 3. p. 163
Baptiſmus flaminis quid propriè ſit. ibid. n 4. p. 163
Baptiſmus ſanguinis quomodo perficiatur. Vide verbo *Martirium*.
Baptiſmus flaminis debet eſſe cum voto informato debitis qualitatibus, & tunc eſt ſufficiens, quando in re haberi non poteſt. ibid. a. 3. n. 1. p. 167
Obiecta ex D. Auguſtino deducta. ibid. n. 2. p. 168
Quamuis quis poſſit per Baptiſmum in voto iuſtificari, regularitèr tamen non poteſt glorificari ſine illo in re. ibid. n. 4. p. 168
Satisfit obiectis ex D. Auguſtino deductis. ibid. n. 6. p. 168
Votum Baptiſmi debet eſſe informatum dolore perfecto. ibid. n. 7. p. 169
Dolor perfectus non poteſt eſſe ſine voto implicito Baptiſmi. ibid. n. 8. p. 169
Regularitèr ſufficit votum implicitum Baptiſmi. ibid. n. 11. p. 169
Neceſſarius eſt Baptiſmus ad ſalutem, ſiue in re, ſiue in voto. ibid. a. 4. n. 1. p. 170
Et vtique neceſſitate medij. ibid. n. 2. p. 170
Refellitur ſententia agnoſcens ſolum neceſſitatem præcepti. ibid. n. 4. p. 171
Eſt neceſſarius neceſſitate medij in re, quando haberi poteſt, vel in voto, quando haberi non poteſt. ibid. n. 5. p. 171
Sententia docens pueros ante vſum rationis, quandoque ſaluari ſine Baptiſmo in ſe. ibid. n. 6. p. 171
Abſolutè ſaluari non poſſunt. ibid. n. 8. p. 172
Non ſufficit infanti Baptiſmus incohatus, vel inualidè collatus. ibid. n. 10. p. 172
Voluntas parentum non ſufficit ad iuſtificandos filios ſine Baptiſmo. ibid. n. 15. p. 573
Eſſentia Phyſica Baptiſmi conſiſtit in eo, quod ſit exterior corporis ablutio ſub præſcripta forma verborum. ibid. a. 5. n. 1. p. 174
Definitio metaphyſica eiuſdem. ibid. n. 3. p. 174
Baptiſmus quoad materiam remotam. Vide verb. *Materia*, & *Aqua*.
Baptiſmut quoad materiam proximam. Vide verb. *Ablutio*.
Baptiſmus quoad ſubiectum capax eiuſdem. Vide verb. *Subiectum*, & *Puer*.
Baptiſmus, in qua parte corporis ſit conferendus. Vide verb. *Subiectum*.
Baptiſmus quoad formam. Vide verb. *Farma*.
Baptiſmus quoad tempus collationis. Vide verbo *Tempus*.
Baptiſmus quoad effectus. Vide verb. *Effectus Baptiſmi*, *Gratia*, *Caracther*.

C

Caracther:

CAracthes non producitur, nec moralitèr per ſolum votum Sacramenti. P. 1. q. 6. a. 5. n. 7. pag. 117
Quid ſit caracther. P. 1. q. 7. a. 1. n. 2. p. 133
Non eſt ens rationis, nec denominatio extrinſeca. ibid. n. 3. p. 133
Nec conſiſtit in ſimplici relatione. ibid. n. 6. pag. 134
Nec conſiſtit in modo ſuperaddito. ibid. n. 8. p. 135
Conſiſtit in qualitate reali. ibid. n. 9. p. 135
Caracther lato modo ſpectare poteſt ad qualitatem formæ, & figuræ. ibid. a. 2. n. 2. p. 135
Item ad conditionem paſſibilis qualitatis. ibid. n. 3. p. 136
Item ad rationem potentiæ. ibid. n. 4. p. 136
Eluduntur obiecta Suarez. ibid. n. 5., & ſeqq. pag. 136
Magis propriè conſiſtit in qualitate habitus. ibid. n. 9. p. 137
Soluuntur obiecta oppoſita. ibid. n. 10. p. 137
Definitur quid propriè ſit caracther. ibid. n. 12. pag. 138
Subiectu remotum caractheris Baptiſmi, & Confirmationis eſt homo, ſiue maſculus, ſiue fæmina. ibid. a 3. n. 1. p. 138
Subiectum ordinis remotum eſt ſolus maſculus. ibid.
Subiectum proximum non eſt organum corporis. ibid. n. 3. p. 138
Eſt ipſa ſubſtantia animæ. ibid. n. 4. p. 139
Rationes ſuadentes recipi in intellectu. ibid. n. 8. pag. 139
Rationes ſuadentes recipi in voluntate. ibid. n. 9. pag. 140
Caracther eſt indelebilis ab anima etiam poſt vitam. ibid. a. 4. n. 1. p. 140
Nullum habet contrarium, nec dependet à corpore in conſeruari. ibid. n 4. p. 141
Non opponitus prauis operationibus. ibid. n. 5. pag. 141
Perſeuerat in damnatis. ibid.
Et à fortiori in Beatis. ibid. n. 6. p. 141
Ad quem finem ſeruetus. ibid. n. 8. p. 141
De potentia Dei abſoluta eſt deſtruibilis. ibid. n. 9. p. 142
Indelebilitas ei conuenit ex natura. ibid. n. 10. pag. 142
Non eſt ſignum naturale, ſed ad placitum. ibid.

Digitized by Google

ibid. n. 11. p. 142
Non eſt figura entitatiua, nec intentionalis. ibid. n. 13. p. 142
Caractheres ab eodem Sacramento producti ſunt æquales tam in ratione ſpecifica, quam in intenſiua. ibid. a. 5. n. 2. p. 144
Maior, & minor diſpoſitio ſubiecti in hoc non confert. ibid. n. 3. p. 144
Caractheres eſſe æquales prouenit ex natura rei. ibid. n. 5. p. 145
Caracther, qui in vnoquoque ordine imprimitur, eſt indiuiſibilis. ibid. n. 7. p. 145
Caracther cum ſubiecto componit per modum actus, & potentiæ. ibid. n. 2. p. 148
Munus caractheris eſt ornare animam. ibid. n. 3. pag. 146
Non vniuntur caractheres inter ſe ad conſtituendam qualitatem magis intenſam. ibid. n. 4 p. 146
Sunt qualitates ſpecie diuerſæ. ibid. n. 5. p. 146
Conſtituunt extenſionem impropriè ſumptam. ibid. n. 8 p. 147
Et quoddam ens per accidens improprium. ibid. n. 9 p. 147
Euincitur contra Lutherum in Baptiſmo produci caractherem. P. 2. q. 10. a. 1. per totum. p. 324., & 325
Indelebilitas caractheris non prouenit ex iure poſitiuo humano. ibid a. 2. n. 1. p. 325
Nec ex verbis, & rebus, quibus conficitur hoc Sacramentum. ibid n. 2. p. 326
Prouenit ex conditione caractheris dependenter ab inſtitutione Chriſti. ibid. n. 3. p. 326
De fide eſt, quod in Sacramento Confirmationis producatur caracther. P 3. q. 7. a. 4. n. 1. p. 413
Caracther Confirmationis ſecundum aliquos eſſentialiter non præſuponit illum Baptiſmi. ibid. n. 2. p. 414
Caracther Confirmationis eſt qualitas omnino diſtincta ab illa Baptiſmi. ibid. n. 4. p. 414
Soluuntur nonnulla obiecta contra hanc diuerſitatem. ibid. n. 7. p. 415
Caracther Confirmationis habet potius rationem potentiæ actiuæ. ibid. n. 9. p. 415
In ſubiecto diſpoſito in eodem inſtanti recipitur gratia, & caracther. ibid. n 10. p. 415
Gratia, & caracther nullam ad inuicem habent cauſalitatem Phyſicam. ibid. n. 12 p. 415
Quoad cauſalitatem moralem caracther præcedit gratiam. ibid. n. 13. p. 416

Catechiſmus.

Catechiſmus in ordine ad adultum, & in ordine ad paruulos. P. 2. q. 7. a. 3. n. 1. p. 288
In ordine ad adultos duplex, & qualis. ibid. n. 2. pag. 288
In quo conſiſtat Catechiſmus paruulorum. ibid. n. 3. p. 288
In adulto ex præcepto præmittendus eſt vterque Catechiſmus. ibid n. 5. p. 288
Etiam in ſolemni Baptiſmo paruulorum præmittendus eſt Catechiſmus. ibid. n. 6. p. 288
Pueri ſunt capaces inſtructionis in habitu, & quomodo. ibid. n. 8. p. 289
Ratio, ob quam Catechiſmus adhibetur pueris, cum baptizantur, & non expectetur ad vſum rationis. ibid. n. 9. p. 289

Catechumenus.

Quomodo intelligendum ſit dictum deſumptum ex libro Eccleſiaſticorum dogmatum aſſerens nullum Catechumenum ſaluari, quamuis in bonis operibus defunctum. P. 2. q 9. a 9. n. 1. p. 320
Sententia aſſerens non ſaluari excluditur. ibid. n. 2. p. 320
Sententia docens ſolum dictum illud intelligendum eſſe, quando fuit in mora culpabili ad ſuſcipiendum Baptiſmum, & hæc quoque excluditur. ibid. n. 3. p. 320
Præfertur ſententia D. Thomæ aſſerentis non conſequi immediatè vitam æternam, quia Baptiſmus flaminis non delet omnem pœnam temporalem. ibid. n 4. p. 321
Si tamen Baptiſmus flaminis in Catechumeno coniungatur cum martirio liberat à quacunque pœna, & Catechumenus immediatè conſequeretur vitam æternam. ibid. n. 5. p. 321

Cauſa efficiens.

Cauſa efficiens principalis Phyſica omnium Sacramentorum eſt Deus. P. 1. q. 3. a. 1. n. 2. p. 31
Chriſtus, vt Deus non poteſt eſſe cauſa moralis. ibid. n. 3. p. 31
Chriſtus, vt homo fuit auctor, & inſtitutor omnium Sacramentorum poteſtate principalis miniſterij, & excellentiæ. ibid. n. 4. p. 32
Eſt tantum de facto cauſa moralis. ibid. n. 5. p. 32
Chriſtus, vt homo immediatè per ſe ipſum omnia ſeptem Sacramenta inſtituit. ibid. n. 6. p. 32
Etiam Extremam Vnctionem immediatè inſtituit. ibid. n. 9. p. 33
Et etiam Confirmationem. ibid. n. 10. p. 33
Sententia docens poteſtatem inſtituendi Sacramenta non eſſe communicabilem puræ creaturæ. ibid. a. 2. n. 1. p. 34
Rationes pro hac ſententia. ibid. n. 3. p. 34
Probabilius eſt communicabilis. ibid. n. 4. p. 34
Eſſet tamen ſolum cauſa moralis inſtituens auctoritate communicata. ibid. n. 6. p. 35
Soluuntur rationes contrariæ ſententiæ. ibid. n. 9, & 10. p. 35., & 36

Chriſma.

Chriſma de fide eſt materia Confirmationis. P. 3. q. 1. a. 1. n. 8. p. 351
Debet eſſe confectum ex oleo, & balſamo. ibid. n. 9. p. 351
Et vtique ex neceſſitate Sacramenti. ibid. n. 12. pag. 352
Materia huius Sacramenti appellatur vnguentum, quod non poteſt in ſolo oleo conſiſtere. ibid. n. 14. p. 352
Cur potius conſtituatur ex balſamo, quam ex alio liquore odorifero. ibid. n. 15. p. 352
Ex diſpoſitione Conciliorum Chriſma debet eſſe recens illius anni. ibid. a. 2. n. 1. p. 354
Non eſt tamen de neceſſitate Sacramenti, quod ſit recens, & illius anni. ibid. n. 2. p. 364
Eſt tamen de neceſſitate præcepti. ibid. n. 5. p. 355
Ratio, ob quam ſtatutum eſt Chriſma debere eſſe nouum. ibid. n 8. p. 355
Quomodo computandus ſit annus, quo Chriſma debet renouari. ibid. n. 9. p. 355
Rationes ſuadentes æqualem debere eſſe quantitatem olei, & balſami. ibid. a 3. n. 1. p. 356
Non requiritur tanta ſubſtantia balſami, quanta olei. ibid. n. 3. p. 356
Maioris eſt actiuitatis balſamum, ac oleum. ibid. n. 6. p. 356
Sufficit, vt ſit tanta quantitas balſami, *vt* communicet moralitèr ſuas qualitates *oleo*. ibid. n. 8. p. 357
Chriſma ſecundum aliquos non exigit ex neceſſitate Sacramenti, vt ſit conſecratũ. ibid. a. 4 n. 1. p 357

Ratio-

Rationes pro hac ſententia. ibid. n. 2., & 3. p. 357
Certius eſt neceſſitate Sacramenti debere eſſe benedictum. ibid. n. 4. p. 357
Chriſtus per ſuum contactum non ſanctificauit oleum, ſicuti ſanctificauit aquas. ibid. n. 5. pag. 358
Non poteſt ſimplex Sacerdos ex vi ſuæ ordinationis validè Chriſma conſecrare. ibid. a. 5. n. 2. pag. 360
Sententia aſſerens ex commiſſione Summi Pontificis, vel etiam proprij Epiſcopi poſſe ſimplicem Sacerdotem Chriſma conſecrare. ibid. n. 7. pag. 361
Salua Eccleſiæ cenſura probabilius non poteſt. ibid. n. 9. p. 361
Non valet argumentum à commiſſione conferendi Confirmationem ad commiſſionem conſecrandi Chriſma. ibid. n. 12. p. 361

Chriſtus Dominus.

Chriſtus, vt Deus eſt cauſa Phyſica principalis efficiens Sacramentorum poteſtate imparticipata. P. 1. q. 3. a. 1. n. 2. p. 31
Vt Deus non poteſt eſſe cauſa moralis. ibid. n. 3. pag. 31
Chriſtus, vt homo fuit auctor, & inſtitutor omnium Sacramentorum poteſtate principalis miniſterij, & excellentiæ. ibid. n. 4. p. 32
Eſt tantum de facto cauſa moralis. ibid. n. 5. p. 32
Chriſtus, vt homo immediatè per ſe ipſum omnia ſeptem Sacramenta inſtituit. ibid. n. 6. p. 32
Etiam Extremam Vnctionem immediatè inſtituit. ibid. n. 9. p. 33
Et etiam Confirmationem. ibid. n. 10. p. 33

Cognatio Spiritualis.

Tenens puerum in Baptiſmo priuato non contrahit cognationem ſpiritualem. P. 2. q. 6. a. 1. n. 5. p. 270
Infideles non baptizati tenentes puerum Catholicum non contrahunt hanc cognationem. ibid. a. 2. n. 1. p. 271
Etiam Catechumenus non contraheret hanc cognationem, ſi teneret. ibid. n. 5. p. 272
Duobus tenentibus altero fideli, altero infideli ſolus fidelis contrahit. ibid. n. 7. p. 272
Si fidelis teneat filium infidelis non contrahit cum Patre infideli hanc cognationem. ibid. n. 8. p. 272
Hæretici non ſunt admittendi, ſi tamen admittantur, an contrahant hanc cognationem remiſſiuè. ibid. n. 9. p. 272
Si Catholici non confirmati teneant verè contrahunt cognationem. ibid. n. 10. p. 272
Pater, & Mater, ſi teneant proprium filium in Baptiſmo non contrahunt inter ſe hanc cognationem. ibid. n. 14 p. 273
Si vnus fuerit tantum deſignatus ad munus Patrini, & alij non deſignati ſimul cum illo tenuerint ſolus deſignatus contrahit hanc cognationem. ibid. a. 3. n. 4. p. 275
Si plures non deputati ſuſcipiant omnes contrahunt. ibid. n. 6. p. 276
Omnes deſignati à Parentibus ſimul tenentes contrahunt. ibid. n. 10. p. 277
Si plures fuerint deſtinati à Parentibus, alij à Paroco ſolum deſtinati à Parentibus contrahunt. ibid. n. 12. p. 277
Vide verb. *Patrinus*.
Quando Baptiſmus fit per infuſionem tunc contrahitur cognatio, quando Patrinus tenet, & Sacerdos complet formam. ibid. a. 4. n. 3. p. 279
Quando fit per immerſionem tunc contrahitur, quando Patrinus leuat puerum de manu Sacerdotis. ibid. n. 4. p. 279
Non ſufficit, quod Patrinus ſit præſens, ſed debet tenere, vel leuare. ibid. n. 5 p. 279
Solum tenentes, quando perficitur Sacramentum, contrahunt. ibid. n. 6. p. 279
Si vnus teneat puerum in Baptiſmo priuato, & poſtea etiam in ſupplemento cæremoniarum in neutra actione contrahit hanc cognationem. ibid. a. 5. n. 2. p. 279
Baptizans priuatim ſecundum vnam opinionem non contrahit hanc cognationem. ibid. n. 6. pag. 280
Secundum aliam, & veriorem opinionem contrahit. ibid. n. 7., & 8. p. 280
Tenens per Procuratorem, nec ipſe, nec Procurator contrahit cognationem. ibid. a. 6. n. 2., & 5. p. 281
Tenens in Baptiſmo puerum cum errore perſonæ, ſi determinatè intenderit ſuſcipere filium Pauli, & fuerit filius Franciſci, non contrahit cognationem. ibid a. 7. n. 2 p. 282
Si intenderit tenere illum puerum præſentem, ſiue ſit filius Pauli, ſiue Franciſci verè contrahit. ibid. n. 5. p. 283
Si Baptiſmus iteretur in dubio ſuſpenſiuo de valore prioris probabilius Patrinus non contrahit cognationem. ibid. a. 8. n. 2. p. 283
Secus in dubio opinatiuo magis inclinante ad inualiditatem. ibid. n. 3. p. 283
Tenens nouiter conuerſum ad fidem, qui ante baptizatus fuerit conſueta forma, non contrahit. ibid. n. 4. p. 283
Poſt Concilium Tridentinum ſublata eſt cognatio fraternitatis inter baptizatum, & filios baptizantis, & tenentium. ibid. a. 9. n. 3. p. 284
Item compaternitas inter ſuſceptores inter ſe. ibid.
Item inter eorum vxores. ibid.
Filij tenentium, & baptizantis modo poſſunt contrahere cum baptizato. ibid. n 4. p. 284
Impedimenta ſublata per Tridentinum referuntur etiam ad contracta ante ipſum. ibid. n. 6. pag. 285
Cognatio ſpiritualis in Confirmatione contrahitur ſolum cum illis perſonis, cum quibus contrahitur in Baptiſmo. P. 3. q. 5. a. 12. n. 1. p. 402
Non contrahitur inter Patrinum, & confirmantem. ibid. n. 4. p. 402
Ratio, ob quam contrahitur inter Patrinum, Patrem, & Matrem confirmati, non inter Patrinum, & confirmantem. ibid. n. 9. p. 402
Non baptizatus tenens in Baptiſmo baptizandum non contrahit cognationem ſpiritualem. ibid. a. 13. n. 1. p. 403
Baptizatus non confirmatus tenens confirmandum ſecundum aliquos verè contrahit. ibid. n. 2. p. 403
Probabilius non contrahit. ibid. n. 4. p. 403
An non confirmatus tenens confirmandum contrahat grauem culpam remiſſiuè. ibid. n. 7. pag. 404
Patrinus, qui ſuſcepit in Baptiſmo, ſi ſuſciperet etiam eundem in Confirmatione validè ſuſciperet. ibid. a. 14. n. 3. p. 404
Probabilius, nec grauiter peccaret. ibid. n. 6. pag. 405
Contraheret nouam cognationem. ibid. n. 7. p. 405
In impetratione diſpenſationis vtraque eſſet exprimenda. ibid. n. 8. p. 405

Digitized by Google

Confirmatio.

Sacramentum Confirmationis fuit immediatè à Chriſto Domino inſtitutum. P. 1. q. 3. a. 1. n. 10. p. 33
Confirmatio poteſt conferri validè pueris ante vſum rationis. P. 1. q. 4. a. 2. n. 2. p. 59
Reſpectu eorum paruulorum non ſolum eſſet valida, ſed etiam licita receptio. ibid. n. 9. p. 61
Reſpectu tamen conferentis eſſet illicita collatio. ibid. n. 10. p. 61
Confirmatio exigit in ſuſcipiente intentionem ſaltem interpretatiuam. ibid. a. 3. n. 17. p. 68
Confirmationis Sacramentum fuit immediatè inſtitutum à Chriſto Domino. P. 3. q. 1. a. 1. n. 2. pag. 341
Excluditur opinio ſtatuens fuiſſe inſtitutum à Melchiade Papa, vel à Concilio Meldenſi. ibid. n. 3. p. 341
Colligitur inſtitutio huius Sacramenti facta à Chriſto Domino ex promiſſione facta Apoſtolis mittendi Spiritum Sanctum. ibid. n. 4. p. 342
Chriſtus Dominus inſtituit non exhibendo, ſed promittendo. ibid. n. 5. p. 342
Docuit materiam huius Sacramenti in vltima cæna. ibid. n. 6. p. 342
Inſtituit, antequam Cælum aſcenderet. ibid. n. 7. pag. 342
Non fuit tunc inſtitutum, quando oblati Chriſto fuerunt pueri, vt manus eis imponeret. ibid. n. 8. p. 342
Nec quando inſufflauit in diſcipulos dicens, *Accipite Spiritum Sanctum*. ibid. n 9. p. 342
Nec fuit inſtitutum in die Pentecoſtes. ibid. n. 10. pag. 343
Probabilius fuit inſtitutum in vltima cæna. ibid. n. 11. p. 343
Vſus tamen fuit ſeruatus poſt aduentum Spiritus Sancti. ibid. n. 12. p. 343
Error Hæreticorum negantium Confirmationem eſſe Sacramentum. ibid. a. 2. n. 1. p. 343
De fide eſt eſſe Sacramentum. ibid. n. 2. p. 344
Promiſſio plenitudinis gratiæ huic Sacramento. ibid. n. 4. p. 344
Non intelligitur ſolum de celebri miſſione viſibili Spiritus Sancti. ibid. n. 5. p. 344
An, & quomodo primitus in ſimplici manuum impoſitione ſaluaretur ratio Sacramenti. ibid. n. 6. p. 344
Altiori ordine tunc obtinebatur effectus Sacramenti, non ipſum Sacramentum. ibid. n. 7. pag. 345
Argumenta Hæreticorum, eorumque ſolutio. ibid. n. 8. 9., & 10. p. 345
Euincitur eſſe Sacramentum ex traditione Apoſtolorum. ibid. n. 12. p. 346
Cur non fuerit aliqua figura huius Sacramenti in lege veteri. ibid. n. 14. p. 346
Confirmatio in ordine ad finem non eſt ſimpliciter neceſſaria. ibid. a. 3. n. 2. p. 347
Valdè tamen confert ad eundem finem. ibid. n. 3. pag. 347
Confert ad ſpecialia auxilia. ibid. n. 4. p. 347
Producit effectum ſupernaturalem. ibid. n. 5. pag. 347
Robur, & fortitudinem ad profitendam fidem. ibid. n. 6. p. 347
In ordine ad alia Sacramenta non eſt neceſſaria Confirmatio ſimpliciter. ibid. n. 7. p. 347
Non includitur aliquod præceptum in fine huius Sacramenti. ibid. n. 9. p. 348
Tametſi gratiam quam confert, non eſt ſufficientiæ, ſed abundantiæ. ibid. n. 10. p. 348
Eſt conueniens ad alia Sacramenta. ibid. n. 13. pag. 348
Ad ordines ſuſcipiendos eſt neceſſaria ex præcepto. ibid n. 14. p 348
An hoc præceptum obliget ſub graui remiſſiuè. ibid. n. 15. p. 349
Confirmatio quandoque eſt neceſſaria per accidens, & quando ibid. n. 16. p. 349
Confirmatio confert gratiam diſtinctam ab illa Baptiſmi. P. 3. q. 7. a. 1. n. 2. p. 409
Non confert per ſe primam gratiã. ibid n. 4. p. 409
Præſuponit gratiam per Baptiſmum collatam. ibid. n. 6. p. 410
Non reparat per ſe gratiam poſt Baptiſmum amiſſam. ibid. n. 7. p. 410
In Confirmatione tanta gratia abſolutè confertur, quanta eſt diſpoſitio ſumentis. ibid. a. 2. n. 2. p. 411
Ex genere ſuo maiorem confert gratiam confirmatio, quam cætera Sacramenta, ſi Euchariſtiam excipias. ibid. n. 4. p. 411
An maiorem conferat, quam Sacramentum Ordinis remiſſiuè. ibid. n. 7. p. 411
Gratia Sacramenti Confirmationis differt ab illa aliorum ratione iuris, quod confert ad ſpecialia auxilia pro fide conſtantèr profitenda. ibid. a. 3. n. 2. p. 412
Illud ius, quod adnectitur gratiæ Confirmationis non eſt quid Phyſicum, ſed morale. ibid. n. 4., & 5. p. 412
Hoc ius fundatur in Diuina voluntate expreſſa. ibid. n. 6. p. 413
Auxilia actualia, ad quæ confertur illud ius, non conferuntur ſimul cum gratia. ibid. n. 8. p. 413
De fide eſt, quod in Sacramento Confirmationis producatur caracther. ibid. a. 4. n. 1. p. 413
Caracther Confirmationis ſecundum aliquos non eſſentialitèr præſuponit illum Baptiſmi. ibid. n. 2. p. 414
Verè ſupponit. ibid.
Vide verbo *Caracther*.
Confirmatio ritè recepta non poteſt iterari. ibid. a. 5. n. 1. p. 416
Quando primò non eſt validè recepta poteſt iterari. ibid n. 3. p. 416
In dubio inuincibili de receptione poteſt recipi ſub conditione. ibid. n. 4. p. 416
Etiam præciſo fine ſuſcipiendi Ordines. ibid. n. 5. pag. 416
Etiam in dubio inuincibili validæ ſuſceptionis. ibid. n. 6. p. 416
Reiteratio quoad pænas. Vide verb. *Pæna*.

D

Diaconus.

Diaconus non eſt miniſter ex officio Baptiſmi. P. 2. q. 5. a. 1. n. 4. p. 250
Quomodo intelligenda ſint verba ordinationis Diaconi. ibid. n. 10. p. 250
Eidem confertur ſolum aptitudo, vt poſſit deputari. ibid.
Qualis ſit facultas, quæ datur Diacono prædicandi. ibid. n. 12. p. 250
Aptitudo, quæ confertur Diaconis, vt deputentur ad ſolemnitèr baptizandum, an ſit de iure Diuino remiſſiuè. ibid. n. 14. p. 251
Diaconus ſolemnitèr baptizans ſine deputatione grauiter peccat. ibid. a. 5. n. 6. p. 260
Diaconus abſente Epiſcopo, vel Paroco baptizans

zans ſolemnitèr peccat grauitèr. ibid. n. 8. pag. 260

Diſpoſitio.

Diſpoſitiones requiſitæ ad licitam, & fructuoſam Sacramentorum receptionem. P. 1. q. 4. a. 8. n. 13. p. 71
An maior diſpoſitio ad remouendum obicem conferat ad maiorem reuiuiſcentiam gratiæ ſententia affirmatiua cum ſuis rationibus. ibid. a. 6. n. 2. p. 79
Diſpoſitio, ſiue maior, ſiue minor, quæ adhibetur in remotione obicis non confert ad maiorem gratiam in reuiuiſcentia. ibid. n. 4. p. 80
Diſpoſitiones præuiæ ad Sacramentum ſuſceptum cum obice culpabili non reuiuiſcunt. ibid. n. 5. pag. 80
Si cum obice inculpabili probabilius reuiuiſcunt. ibid.
Maior diſpoſitio, per quam remouetur obex, non tribuit maiorem vim Sacramento præcedenti. ibid. n. 6. p. 80
Sacramentum, dum reuiuiſcit cauſat tantum gratiam moralitèr, & minimam. ibid. n. 8., & 9. p. 81
Non valet argumentum à diſpoſitione in ſuſceptione ad diſpoſitionem in remotione obicis. ibid. n. 12. p. 81
Diſpoſitiones ad remouendum obicem, qui præextitit ad Baptiſmum, æquè proſunt pro venialibus, ac pro lethalibus. ibid. a. 7. n. 6. p. 84
Ex parte baptizantis requiruntur in collatione Baptiſmi diſpoſitiones, quæ requiruntur in aliorum Sacramentorum adminiſtratione. ibid. a. 8. n. 1. p. 168
Intentio miniſtri requiritur, ſiue Baptiſmus conferatur ſolemnitèr, ſiue priuatim. ibid. n. 2. pag. 168
Fides non requiritur ad valorem. ibid. n. 3 p. 168
Requiritur tamen ad licitam ſolemnem collationem. ibid. n. 4. p. 268
Ad licitam ſolemnem collationem requiritur in baptizante ſtatus gratiæ, non ſic in priuata in caſu neceſſitatis. ibid. n. 5. p. 268
Ratio, ob quam in priuata collatione non ſit neceſſarius ſtatus gratiæ. ibid. n. 6. p. 268
Etiam in Baptiſmo priuato requiritur exclusio cuiuſcunque praui finis. ibid. n. 7. p. 269

Dormientes.

Dormientes, ſi antecedentèr ad dormitionem petierint Baptiſmum poteſt eiſdem conferri. P. 2. q. 3. a. 1. S. 10. n. 3. p. 204
Præſumitur perſeuerantia eiuſdem voluntatis in eodem. ibid. n. 4. p. 204
Extra periculum mortis Baptiſmus eſt deferendus. ibid. n. 6. p. 204
Si nulla præceſſit petitio, nec voluntas non eſt dormienti Baptiſmus conferendus. ibid. n. 7. pag. 205
Exiſtente aliqua ſenſibilitate voluntatis recipiendi poteſt conferri ſub conditione. ibid. n. 8. pag. 205

E

Effectus Baptiſmi.

ERror Hæreticorum negantium quamcunque cauſalitatem Baptiſmi in gratiam. P. 2. q. 9. a. 1. n. 1. p. 304
Error contrarius tribuens Baptiſmo gratiam remiſſiuam cuiuſcunque peccati etiam poſt ipſum commiſſi, vel ſaltem occultationem. ibid. n. 2. p. 304
Excluditur primus error. ibid. n 3. p. 304
Excluditur etiam error aſſerens per Baptiſmum remitti quidem originale, non autem actualia ante ipſum commiſſa. ibid. n. 5. p. 305
Excluditur etiam ſecundus error aſſerens per Baptiſmum remitti etiam actualia poſt ipſum commiſſa. ibid. n. 6. p. 305
Poteſt tamen Baptiſmus conferre ad vitanda peccata futura. ibid. n. 7. p. 305
Per Baptiſmum non ſolum peccata occultantur, ſed etiam tolluntur. ibid. n. 8. p. 305
Baptiſmus ritè ſuſceptus penitus aufert peccatum originale. ibid. n. 9. p. 306
Item actualia ante ipſum commiſſa. ibid. n. 10. pag. 306
Remittuntur etiam venialia, ſi retractentur. ibid. n. 12. p. 306
Peccata commiſſa poſt Baptiſmum non remittuntur per ipſum. ibid. n. 13. p. 306
Pro peccatis actualibus ante Baptiſmum commiſſis prærequiritur dolor. ibid. n. 15. p. 307
Per Baptiſmum ritè ſuſceptum remittitur omnis pæna etiam temporalis. ibid a. 2. n. 2. p. 307
Per Baptiſmum incorporamur paſſioni, & morti Chriſti Domini. ibid. n. 4. p. 308
Per ipſum morimur, conſepelimur, & reſurgimus cum Chriſto. ibid. n. 5. p. 308
An per Baptiſmum auferantur pænalitates. Vide verbo *Pænalitates*.
Per Baptiſmum non tollitur conditio ſeruilis. ibid. a. 4. n. 8. p. 310
Nec aufertur pæna vltimi ſupplicij debita ob enormia delicta. ibid.
Baptiſmus purgat infamiam, ſine iuris, ſine facti. ibid. a. 5. n. 3. p. 312
Purgat omnes maculas morales præcedentes. ibid. n. 4. p. 312
Tollit omnem irregularitatem prouenientem ex delicto. ibid. n 7. p. 312
An tollat irregularitates, quæ non proueniunt ex delicto ſententia negatiua exponitur. ibid. n. 9. p. 312
Sententia auctoris exponitur. ibid.
Baptiſmus confert gratiam ſanctificantem, & inhærentem in ſubiecto apto. ibid. a. 6. n. 1. pag. 313
Et cum eadem omnia dona ſupernaturalia, quæ comitantur eandem gratiam. ibid. n. 2. p. 313
Cur remaneat pronitas ad malum, ſi cum gratia infunduntur habitus virtutum. ibid. n. 3. p. 313
Habitus virtutum infunduntur ſimul cum gratia æquè in pueris, ac in adultis. ibid. n. 5. p. 314
Ex Baptiſmo ritè ſuſcepto oritur etiam abundantia Diuini luminis, & fæcunditas bonorum operum. ibid. n. 7. p. 314
Conſiderata ratione Sacramenti effectus, qui producuntur ab eodem, ſunt æquales in omnibus. ibid. a 7. n. 3. p. 315
Non datur vna anima perfectior alia perfectiore naturali ſubſtantiali. ibid. n. 4. p. 315
Si daretur non haberet ius ad maiorem gratiam. ibid. n. 5. p. 316
Non currit paritas de Angelis. ibid. n. 6. p. 316
Cur Deus hanc liberalitatem exhibeat Angelis, non hominibus. ibid. n. 7. p. 316
Quilibet gradus gratiæ eſt ſufficiens ad delenda omnia peccata. ibid. n. 8. p. 316
Remiſſio plurium peccatorum in vno æquè diſpoſito, ac in alio habente pauciora prouenit

ex conditione ſubiecti. ibid. n. 9. p. 316
Maior ſanctitas in miniſtro non confert ad maiorem gratiam in ſubiecto ex opere operato. ibid. n. 11. p. 317
Maior, & minor gratia producitur ex opere operato in ſubiecto iuxta maiorem, vel minorem diſpoſitionem eiuſdem. ibid. n. 12. p. 317
Habentes æquales diſpoſitiones ſortiuntur æqualem gratiam. ibid. n. 14. p. 317
Ad maiorem diſpoſitionem conſequuntur etiam intenſiores habitus virtutum, & donorum ſupernaturalium. ibid. n. 15. p. 317
In Baptiſmo non remittuntur venialia, ſi ſit complacentia ad ipſa. ibid. n. 16. p. 317
Remoto per attritionem obice poſtea eadem venialia remittuntur. ibid. n. 17. p. 318
Effectus, qui per accidens proueniunt à Baptiſmo, non ſemper ſunt æquales in omnibus. ibid. n. 18. p. 318
Sententia docens non prius infundi habitus fidei, ac ſpei, ac infundatur habitus gratiæ. ibid. a. 8. n. 1. p. 318
Sententia docens poſſe infundi ſpem, & fidem ante habitum gratiæ. ibid. n. 2. p. 318
Exiſtente obice ad gratiam, & non ad fidem, & ſpem poteſt infundi fides, & ſpes ſine gratia. ibid. n. 3. p. 318
Non exiſtente poſitiua diſpoſitione ad fidem, & ſpem probabilius eſt non infundi habitus earundem. ibid. n. 4. p. 319
Explicatur, in quo ſenſu ſumendum ſit Concil. Trid. ibid. n. 6. p. 319
Per Baptiſmum confertur ius ad actualia auxilia ad profitendam fidem. ibid. a. 10. n. 1. p. 321
Confertur etiam interna pax, & ſacra animi tranquilitas. ibid. n. 2. p. 322
Aperit Regna Cælorum. ibid. n. 3. p. 322
Cur apertio Regni Cælorum tribuatur potius Baptiſmo, quam pænitentiæ. ibid. n. 4. p. 322
Per paſſionem Chriſti Cæli aperti ſunt in vniuerſum, ſingulis per Baptiſmum. ibid. n. 5. p. 322
Baptizatis ante paſſionem Chriſti quomodo dicantur Cæli per Baptiſmum aperti. ibid. n. 6. pag. 322
Conferuntur etiam per Baptiſmum illuminationes, & quænam. ibid. n. 10. p. 323
Non redduntur tamen per ipſum baptizati liberi ab omni lege. ibid. n. 11., & 12. p. 323
Effectus caractheris. Vide verb. *Caracther*;

Epiſcopus.

Epiſcopus ſecundum aliquos eſt miniſter ordinarius Sacramenti Confirmationis neceſſitate præcepti, non Sacramenti. P. 3. q. 5. a. 1. n. 1. pag. 384
Solus Epiſcopus ex officio eſt miniſter ordinarius huius Sacramenti tum neceſſitate præcepti, quam Sacramenti. ibid. n. 4. p. 384
Rationes coniecturales, ob quas Chriſtus hoc officium alligauit Epiſcopis. ibid. n. 9. p. 385
Varij Epiſcoporum ſtatus. ibid. a. 2. n. 1. p. 386
Epiſcopus ſimpliciter electus, & confirmatus non eſt miniſter ordinarius. ibid. n. 2. p. 386
Poteſtas ordinaria confirmandi dependet à conſecratione Epiſcopi. ibid. n. 3. p. 386
Epiſcopus conſecratus, ſed ſuſpenſus, vel excommunicatus poteſt validè hoc Sacramentum conferre. ibid. n. 4. p. 386
Nequeunt licitè Epiſcopi excommunicati, & ſuſpenſi conferre hoc Sacramentum. ibid. n. 10. pag. 388
Sententia docens Epiſcopum ſuſpenſum, & excommunicatum poſſe licitè exiſtenti in articulo mortis, & petenti conferre hoc Sacramentum. ibid. n. 11. p. 388
Probabilius non poteſt. ibid n. 12. p. 388
Recipiens ignorantèr hoc Sacramentum ab Epiſcopo ſuſpenſo, vel excommunicato validè, & licitè recipit. ibid. n. 13. p. 388
Recipiens ſcientèr illicitè recipit, & nouum peccatum committit. ibid. n. 14. p. 388
Excipe, niſi recipiat ab excommunicato tolerato. ibid. n. 15. p. 388
Epiſcopus in propria Diæceſi poteſt licitè confirmare ſubditos alterius Diæceſis. ibid. a. 3. n. 3. pag. 389
Ex præſumpta voluntate proprij Epiſcopi. ibid. n. 4. p. 389
Epiſcopus extra propriam Diæceſim, nec ſubditos illius Diæceſis, nec proprios poteſt confirmare ſine facultate Epiſcopi illius Diæceſis. ibid. n. 7. pag. 390
Epiſcopus poteſt confirmare Clericum alienum, qui ad ſe accedit cum dimmiſſorijs proprij Epiſcopi, in quibus nulla ſit mentio de Confirmatione. ibid. n. 10. p. 390
Epiſcopus extra generalem Confirmationem in propria Diæceſi de facili non debet confirmare ſubditum alterius Diæceſis. ibid. n. 12. p. 390
Ratio, cur poſſit in generali Confirmatione, non ſic facilè in priuata. ibid. n. 13. p. 391
Epiſcopus tenetur ſub graui aliquoties opportunis temporibus generales Confirmationes habere. ibid. a. 4. n. 2. p. 391
Quænam teneatur Epiſcopos ſeruare in Confirmatione quoad materiam, formam, & quoad ritus. ibid. n. 4. 5., & 6. p. 392
Rationes ſuadentes Epiſcopum in collatione huius Sacramenti debere eſſe ieiunum. ibid. a. 5. n. 2. p. 392
Non requiritur ieiunium in conferente. ibid. n. 3. pag. 393
Epiſcopus in ſua Diæceſi non poteſt ſimplici Sacerdoti committere munus confirmandi. ibid. a. 8. n. 2. p. 396
Epiſcopus conſecratus, qui non recepit Sacramentum Confirmationis, poteſt validè confirmare. ibid. a. 9. n. 3. p. 398
Epiſcopus ſic confirmans non peccaret grauitèr. ibid. n. 6. p. 398
Etiam ſimplex Sacerdos non confirmatus ex commiſſione Pontificis confirmans non grauitèr peccaret. ibid. n. 9. p. 399

Error.

Si contingat error ex parte miniſtri circa materiam, & formam Sacramentorum in ſubſtantia irritatur Sacramentum. P. 1. q. 2. n. 1. p. 24
Si error ſit circa accidentalia ex ignorantia, vel inaduertentia miniſtri, non irritat Sacramentum. ibid. n. 2. p. 25
Si error fuerit ex malitia miniſtri intendentis nouum ritum inducere in Eccleſia, huncque exiſtimet eſſentialem, irritat Sacramentum. ibid. n. 3. p. 25
Illa intentio cum tali errore eſt contraria intentioni Eccleſiæ. ibid. n. 4. p. 25
Si error fuerit formalis etiam circa accidentalia irritat, & hoc explicatur. ibid. n. 5. p. 25

Euchariſtia.

Poteſt conferri validè pueris ante vſum rationis. P. 1. q. 4. a. 2. n. 2. p. 59
Reſpectu eorum non ſolum eſſet valida ſuſceptio,

tio, ſed etiam licita. ibid. n. 9. p. 61
Reſpectu tamen conferentis eſſet illicita collatio. ibid. n. 10. p. 61
Perpetuo amentibus ſecundum aliquos poteſt acru conſerri Euchariſtia in articulo mortis. ibid. n. 12. p. 61
Probabilius non poteſt. ibid. n. 13. p. 61
Amentibus, qui gauiſi ſunt vſu rationis, & exbibuerunt ſigna pænitentiæ, in periculo mortis conſerenda eſt Euchariſtia. ibid. n. 14. p. 62
Intellige ſub duabus conditionibus. ibid. o. 15. pag. 62
Non facilè eſt eiſdem conferenda annua communio. ibid. n. 16. p. 62
Euchariſtia exigit in ſuſcipiente intentionem interpretatiuam ſaltem io articulo mortis. ibid. n. 19. p. 68
Dormientibus, & ſumentibus per modum cibi materialis oon prodeſt. ibid. o. 20. p. 68

Excommunicatio.

Moderatio Martini V. quoad excommunicatos. P. 1. q. 4. a. 8. n. 3. p. 87
Excommunicatus vitandus poteſt in articulo mortis conſtituto conferre Sacramenta. ibid. n. 4. pag. 88
Extra mortis articulum non ſunt ab eodem petenda Sacramenta. ibid. o. 5. p. 88
In articulo mortis poteſt etiam ab eodem peti Sacramentum, quod non ſit oeceſſitatis. ibid. n. 8., & 9. p. 89
Excommunicatus vitandus extante alio miniſtro idoneo non poteſt conferre Sacramenta indigenti. ibid. n. 11. p. 90
Etiam proprius Parochus excommunicatus vitandus non poteſt licitè conferre alio idoneo exiſtenté. ibid. n. 12. p. 90
Parochus excommunicatus vitandus præferendus alijs vitandis. ibid. o. 13. p. 90
Exiſtente Sacerdote vitando cum Diacono in adminiſtratione Sacramenti Baptiſmi eſt præferendus Diaconus. ibid. n. 14. p. 90
Ex cauſa ab excommunicato toleraro peti poſſunt Sacramenta. ibid. n. 15. p. 91
Quænam ſit cauſa petendi. ibid. n. 17. p. 91

Exorciſmi.

Exorciſmi adhibendi io Baptiſmo in quo conſiſtant. P. 2. q. 7. a. 1. n. 1. p. 289
Sententia docens non iuſtè præferri Baptiſmo huiuſmodi exorciſmos. ibid. n. 2. p. 290
Non ſolum iuſtè, ſed etiam debitè ſunt præferendi. ibid. n. 2., & 3. p. 290
Exorciſmi ſecuodum aliquos ſolum ſignificant, & non efficiunt. ibid. a. 5. n. 1. p. 290
Non ſolum ſignificant, ſed verè efficiunt. ibid. n. 2. p. 291
Non ſolum negatiuè, ſed etiam poſitiuè. ibid. n. 3. p. 291
Etiam alia ab ijs, quæ adhibentur in Sacramentis poſſunt eſſe ſigna, & cauſæ. ibid. n. 5. p. 291
Exorciſmi etiam poſt ſubſtantiam Baptiſmi collati ſuum conſequuntur effectum. ibid. n. 6 p. 291
Diſpoſitiones negatiuæ poſſunt eſſe ſubſequentes. ibid. n. 7. p. 291
Exorcizare videtur ex vi ordinationis competere exorciſtis. ibid. a. 6. n. 2. p. 292
D. Thomas tribuit hoc munus principalitèr Sacerdotibus, & ſolum miniſterialitèr alijs. ib n. 3.
Antiquitus exercebatur ab exorciſtis. ibid. n. 4. pag. 292
Exorciſtæ ſolum exercebant exorciſmos priuatim. ibid. n. 5. p. 292
Nunc ſolis Sacerdotibus reſeruatur. ibid.

Expoſiti.

Expoſiti in duplici ſtatu. P. 2. q. 3. a. 1. S. 9. n. 1. pag. 203
Si nullum præferunt ſignum ſunt baptizandi. ibid. n. 2. p. 203
Conſulendum eſt expoſitis de certiori ſalute. ibid. n. 3. p. 203
Probabilius debent baptizari ſub conditione. ibid. n. 4. p. 203
Si præferant ſignum ſuſcepti Baptiſmatis non ſunt baptizandi. ibid. o. 5. p. 203
In hoc tamen caſu ſupplendæ ſunt cæremoniæ. ibid. n. 6. p. 203

F

Fictio.

QVid veniat nomine fictionis in ſuſceptione Sacramentorum. P. 1. q. 4. a. 5. n. 1. p. 72
Sacramenta validè ſuſcepta cum fictione remota fictione reuiuiſcunt. ibid. n. 5. p. 73., & o. 18. pag. 76
Vide verb. *Reuiuiſcentia*, & verb. *Peccatum*.
Fictio formalis, & materialis quomodo diſtinguantur. ibid. a. 7. n. 8. p. 84

Fides.

Ad validè ſuſcipiendum Sacramentum Baptiſmi non requiritur fides ſupernaturalis. P. 2. q. 3. a. 3. n. 1. p. 208
Ad licitam perceptionem prærequiritur in adulto fides. ibid. n. 4. p. 208
Stante infidelitate ſtat obex ad gratiam. ibid. n. 5. p. 208
Cur ſine fide producatur caracther, oon gratia. ibid. n. 6 p. 208
Habitus fidei infunduntur ſimul cum gratia in ſuſceptione licita Baptiſmi. P. 2. q. 9. a. 6. n. 2. pag. 315
Sententia docens non poſſe prius infundi habitum fidei, ac infundatur habitus gratiæ. ibid. a. 8. n. 1. p. 318
Exiſtente obice ad gratiam, & non ad fidem poteſt infundi fides ſine gratia. ibid. n. 3. p. 318
Non exiſtente poſitiua diſpoſitione ad fidem probabilius non infunditur habitus eiuſdem. ibid. n. 4. p. 319
Explicatur in quo ſenſu ſumendum ſit Concil. Trid. ibid. n. 6. p. 319

Forma.

Omnia Sacramenta nouæ legis conſtant verbis tanquam forma. P. 1. q. 2. a. 1. n. 6. p. 13
Inter materiam, & formam requiritur aliqua ſimultas. ibid. a. 3. n. 1. p. 15
In aliquibus maior requiritur, in alijs minor ſufficit. ibid. n. 2. p. 16
Regularitèr ſufficit moralis. ibid. n. 3. p. 16
Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo exigunt maiorem ſimultatem. ibid. n. 4. p. 16
Pænitentia non exigit tantam ſimultatem. ibid. n. 5. p. 16
Idem dic de Matrimonio. ibid. n. 6. p. 16
Quid de ſimultate in Sacramento Ordinis. ibid. n. 7. p. 16
Euchariſtia exigit ſimultatem Phyſicam. ibid. o. 8. p. 16
Forma in vnoquoque Sacramento habet determina-

minationem ex inſtitutione Chriſti Domini. ibid. a. 4. n. 2. p. 17
Forma eſt magis determinatiua. ibid. n. 3. p. 17
Si forma mutetur ſolum accidentalitèr, non tollitur Secramentum, ibid. a. 5. n. 2. p. 19
Explicatur in caſibus particularibus, quandonam ſit mutatio ſolum accidentalis in forma. ibid. n. 8. p. 21
Forma partim adhibita in vno idiomate, partim in alio ſubſiſtit. ibid. n. 9. p. 21
Forma Baptiſmi concepta in nomine Domini Ieſu Chriſti ſecundum aliquos ſubſiſtit. ibid. n. 10. pag. 22
Reuera non ſubſiſtit. ibid. n. 11. p. 22
Concepta item in nomine Trinitatis non ſubſiſtit. ibid. n. 13. p. 22
Quandonam mutatio formæ per additiooem irritat, & quando non. ibid. n. 14. p. 23
Quandonam irritet mutatio per detractionem, & quando non. ibid. n. 15. p. 23
Quando per interruptionem verborum. ibid. n. 16. p. 23
Quando per tranſportationem, ibid. n. 17. p. 24
Error miniſtri ex ignorantia, ſi fuerit accidentalis, non irritat. ibid. a. 6. n. 2. p. 25
Si fuerit ex malitia miniſtri intendentis nouum ritum inducere in Eccleſia, huncque exiſtimet eſſentialem, irritat Sacramentum. ibid. n. 3. pag. 25
Si error fuerit formalis etiam circa accidentalia irritat, & hoc explicatur. ibid. n. 5. p. 25
Adhibita forma æquiuoca validitas, & inualiditas Sacramenti deſumenda eſt ab intentione miniſtri. ibid. n. 6. p. 25
Exemplo hoc euincitur. ibid. n. 7. p. 26
Si miniſter in forma conſecrationis Calicis ſumat ly *Hic* aduerbialitèr non conficit Sacramentum. ibid. n. 8. p. 26
Poſita intentione determinatiua ad verum ſenſum Sacramentalem verba impropriata quandoque non irritant. ibid. n. 9. p. 26
Adhibens verba æquiuoca apta ſignificare ſenſum verborum Sacramentalium, & alium ſenſum validè Sacramentum conficit, ſi ſuam intentionem referat ad id, quod intendit Eccleſia. ibid. n. 11. p. 26
Adhibens verba æquiuoca in ſenſu non proprio cum intentione tamen ſe conformandi Eccleſiæ, an validè conficiat, cum diſtinctione reſoluitur. ibid n. 12. p. 27
Forma Sacramentorum non eſt merè concionatoria, ſed verè conſecratoria. ibid. a. 7. n. 4. p. 58
Errores Hæreticorum circa formam Baptiſmi. P. 2. q. 4. a. 1. n. 1. p. 232
Reijcitur error, quo forma Baptiſmi concipiebatur ſub nomine Patris ignoti, & veritatis omnium Matris. ibid. n. 2. p. 232
Item error, quo ad formam requirebatur concio præcedens. ibid. n. 3. p. 233
Debet in forma exprimi actio miniſtri. ibid. n. 4. pag. 233
Ratio, ob quam requiritur talis expreſſio. ibid. n. 5. p. 233
Forma ſufficiens, & neceſſaria conſiſtit in illis verbis, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. ibid. n. 7. p. 233
Diſcrimina, quæ intercedunt inter formam Græcorum, & illam Latinorum. ibid. a. 2. n. 1. pag. 234
Euincitur formam Græcorum non differre ſubſtantialitèr ab illa Latinorum. ibid. n. 4. p. 235
Forma Baptiſmi concepta præciſè ſub nomine Chriſti non eſt valida. ibid. a. 3. n. 5. p. 237
Quomodo intelligendum ſit, quod Apoſtoli baptizabant in nomine Ieſu. ibid. n. 9. p. 238
Forma Baptiſmi concepta ſub his terminis, *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati*, vel non eſt valida, vel ſaltem valdè dubia. ibid. n. 11. p. 238
Nec eſt valida forma concepta ſub inuocatione Sanctiſſimæ Trinitatis in communi. ibid. n. 15. pag. 239
Nec concepta ſub nomine trium Diuinarum Perſonarum. ibid. n. 16. p. 239
Concepta in virtute Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, eſt valdè dubia. ibid. n. 17. p. 239
Concepta in nominibus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, eſt inualida. ibid. n. 18. p. 240
Concepta repetito nomine ad ſingulas perſonas eſſet inualida. ibid. n. 20. p. 240
In forma eſt exprimenda vnitas eſſentiæ, & diſtinctio perſonarum. ibid. n. 23. p. 241
Forma quoad mutationem verborum. Vide verb. *Mutatio*.
Expreſſio vniustantum perſonæ in forma Baptiſmi non eſt ſufficiens ad illius valorem. ibid. a. 5. n. 2. p. 247
Reſpondetur dicto Diui Ambroſij. ibid. n. 3. pag. 247

Forma Confirmationis.

Exponitur conſueta forma huius Sacramenti. P. 3. q. 4. a. 1. n. 1. p. 378
Ex eo, quod alicubi pro ly Chriſmate ſalutis, dicatur Chriſmate ſanctificationis, non variatur ſubſtantialitèr forma. ibid. n. 3. p. 379
An varietur ſubſtantialitèr, ſi dicatur confirmetur ſeruus Chriſti remiſſiuè. ibid. n. 4. p. 379
Illa duo verba *conſigno*, & *confirmo*, non ſunt ſuperflua. ibid. n. 5. p. 379
Confirmatio vtpotè complementum Baptiſmi debet quid aliud importare. ibid. n. 6. p. 379
Forma Confirmationis ſecundum ſubſtantiam inſtituta eſt à Chriſto Domino. ibid. a. 2. n. 2. pag. 380
Licet non conſtet ex ſacris paginis ab eodem fuiſſe inſtitutam, conſtat tamen ex traditione Apoſtolorum. ibid. n. 5. p. 380
Sententia docens expreſſam inuocationem Sanctiſſimæ Trinitatis non eſſe de neceſſitate huius Sacramenti. ibid. a. 3. n. 1. p. 381
Verè eſt de neceſſitate, ibid n. 2. p. 381
Non valet argumeotum à forma Sacramenti Pœnitentiæ, in qua talis inuocatio expreſſa non eſt neceſſaria. ibid. n. 5. p. 381
Enumerantur mutationes ſubſtantiales circa formam Confirmationis remiſſiuè. ibid. a. 4. n. 2. p. 382
Referuntur etiam plures accidentales, quæ non irritant. ibid. n. 3. p. 382
Si pro ly *confirmo*, dicatur *vngo*, ſecundum aliquos irrita eſt forma. ibid. n. 4. p. 382
Secundum veritatem non eſt irrita. ibid. n. 5. pag. 383
Forma concepta ſub his terminis, *Obſignetur ſeruus Chriſti* eſſet valida, non tamen licita. ibid. n. 6. pag. 383
Concepta ſub his terminis, *Conſignet te Chriſtus* eſt inualida. ibid. n. 7. p. 383

✠✠✠

Gratia.

G

Gratia.

NOn eſt eſſentiale Sacramento, vt ſic cauſare Phyſicè gratiam. P. 1. q. 1. a. 2. n. 12. p. 9
Nec item eſt eidem eſſentiale cauſare gratiam internam moraliter. ibid. n. 14. p. 9
Eſt tamen eidem intrinſecum ſignificare gratiam perfectam. ibid. a. 3. n. 3. p. 10
Gratia, quæ confertur in reuiuiſcentia Sacramentorum non commenſuratur cum maiori, vel minori diſpoſitione, qua remouetur obea. P. 1. q. 4. a. 6. n. 4. p. 80
Gratia, quæ cauſatur in reuiuiſcentia, prout correſpondet Sacramento, eſt minima. ibid. n. 8. pag. 81
Et cauſatur ſolum moralitèr. ibid. n. 9. p. 81
Vide verb. *Reuiuiſcentia*.
Gratia immediatè cauſatur à Sacramentis nouæ legis. P. 1. q. 5. a. 1. n. 3. p. 103
Et vtique ea opere operato. ibid. n. 5. p. 103
Vide verb. *Sacramentum*.
Gratia cauſatur immediatè moralitèr à Sacramentia. P. 1. q. 5. a. 3. n. 1. p. 107
In quo conſiſtat hæc moralis cauſalitas. ibid. n. 4. pag. 108
Vide verb. *Sacramentum*.
Gratia per ſe loquendo poteſt etiam Phyſicè produci à Sacramentis. ibid. a. 4. n. 9. p. 112
Per ſe loquendo etiam de facto per ſe producunt Phyſicè gratiam. ibid. n. 14. p. 113
Gratia propriè non creatur. ibid. n. 12. p. 112
Quandoque tamen ſolum producitur moralitèr. ibid. n. 19. p. 114
An in Matrimonio inter abſentes cauſetur Phyſicè gratia remiſſiuè. ibid. n. 22. p. 115
Quid ſentiendum ſit in Sacramento Pænitentiæ, & Ordinis. ibid. n. 23. p. 115
Gratia producitur in Sacramentis in vltimo inſtanti prolationis formæ. ibid. a. 5. n. 8 p. 117
Quomodo omnes partes formæ concurrant ad gratiam. ibid. n. 11. p. 118
Prima gratia per ſe producitur à Sacramentis mortuorum. ibid. a. 6. n. 1. p. 119
Non tamen per ſe à Sacramentis viuorum. ibid. n. 4. p. 120
Gratia ſecunda quandoque producitur à Sacramentis mortuorum. ibid. n. 12. p. 121
An prima quandoque producatur per accidens à Sacramentis viuorum, rationes pro vtraque parte, & auctor remiſſiuè procedit. ibid. n. 12. ad fin. p. 121., & 122
Gratia Sacramentalis non differt à non Sacramentali ea eo, quod procedant à diuerſis principijs. ibid. a. 7. n. 2. p. 123
Nec ea eo, quod Sacramentalis importet habitum diſtinctum à gratia communitèr dicta. ibid. n. 3. p. 123
Nec ex eo, quod Sacramentalis importet modum ſupra non Sacramentalem. ibid. n. 4. p. 124
Nec conſiſtit in caracthere, nec in ornatu extrinſeco. ibid. n. 6. p. 124
Sacramentalis differt inadæquatè à non Sacramentali. ibid. n 7. p. 125
Hæc inadæquata diſtinctio conſiſtit in eo, quod Sacramentalis importet ſupra non Sacramentalem ius ad ſpecialia auxilia. ibid.
Ius ad illa auxilia non exigit ſemper in actu illa habere, ſed quando expedit illa habere. ibid. n. 10. p. 126
Hoc ius morale fundatur in ipſis Sacramentis. ibid. n. 11. p. 126
Explicatur quomodo gratia Sacramentalis trahat ſecum ius ad ſpecialia auxilia. ibid. n. 12. pag. 126
Sententia docens hoc ius morale Phyſicè produci à Sacramentis. ibid. n. 13. p. 127
Probabilius producitur ſolum moralitèr. ibid. n. 14. p. 127
Sacramentalis differt ſolum ſpecie morali à non Sacramentali. ibid. n. 15. p. 127
Gratia in Sacramentis inæqualitèr producitur iuxta maiorem, vel minorem perfectionem Sacramentorum. ibid. a 8. n. 2. p. 128
Ab eodem Sacramento producitur in ſubiecto maior, vel minor gratia iuxta maiorem, vel minorem diſpoſitionem eiuſdem ſubiecti. ibid. n. 9. p. 129
Baptiſmus confert gratiam iuſtificantem, & inhærentem in ſubiecto apto. P. 2. q. 9. a. 6. n. 1. p. 313
Et cum eadem omnia dona ſupernaturalia, quæ comitantur eandem gratiam. ibid. n. 2. p. 313
Quilibet gradus gratiæ eſt ſufficiens ad delenda omnia peccata. ibid. a. 7. n. 8. p. 316
Maior, & minor gratia in ſubiecto producitur ex opere operato iuxta maiorem, vel minorem diſpoſitionem eiuſdem. ibid. n. 12. p. 317
Habentes æqualem diſpoſitionem ſortiuntur æqualem gratiam. ibid. n. 14. p. 317
Ad maiorem diſpoſitionem conſequuntur etiam intentiores habitus virtutum. ibid. n. 15. p. 317
Gratia verè confertur per Sacramentum Confirmationis, quæ eſt diſtincta ab illa Baptiſmi. P. 3. q. 7. a. 1. n. 2. p. 409
Prima gratia per ſe non confertur in Sacramento Confirmationis. ibid. n. 4. p. 409
Confirmatio præſuponit gratiam per Baptiſmum collatam. ibid. n. 6. p. 410
Gratia poſt Baptiſmum amiſſa non reſtauratur per ſe per Confirmationem. ibid. n. 7. p. 410
In Confirmatione tanta gratia abſoluta confertur, quanta eſt diſpoſitio ſumentis. ibid. a. 2. n. 2. p. 411
Ex genere ſuo maiorem confert gratiam confirmatio, quam alia Sacramenta, ſi Euchariſtiam excipias. ibid. n. 4. p. 411
An maiorem conferat, ac Sacramentum Ordinis remiſſiuè. ibid. n. 7. p. 411
Ratio, ob quam excipitur Euchariſtia. ibid. n. 8. pag. 412
Gratia Sacramenti Confirmationis differt ab illa aliorum Sacramentorum ratione iuris ad ſpecialia auxilia. ibid. a. 3. n. 2. p. 412
Illud ius probabilius non eſt quid Phyſicum, ſed morale. ibid. n. 4., & 5. p. 412
Auxilia actualia, ad quæ confertur illud ius, non conferuntur ſimul cum ipſa gratia. ibid. n. 8. pag. 413

I

Indignus.

INdignitas miniſtri qualis, & quotuplex. P. 1. q. 4. a. 8. n. 1. p. 87
Qualis indignitas in miniſtro ipſum impediat ab adminiſtratione Sacramentorum. Vide verb. *Miniſter*, & verbo *Excommunicatio*.
Qualis indignitas in ſuſcepturo Sacramenta ipſum prohibeat à petitione, & ſuſceptione eorum

eorundem Sacramentorum. Vide verb. *Peccatum*, & *Peccator*.

Infantes.

Sunt proximè capaces Baptiſmatis, Confirmationis, Euchariſtiæ, & Ordinis, non tamen Pænitentiæ, Matrimonij, & Extremæ Vnctionis. P. 1. q. 4. a. 2. n. 2. p. 59
Infantes infidelium, ſi baptizentur ſine conſenſu parentum, validè intelliguntur baptizati. ibid. q. 4. a. 3. n. 3. p. 64
Infantes infidelium, an poſſint baptizari inuitis parentibus. Vide rerb. *Infidelis*.

Infidelis.

Infantes infidelium, ſi baptizentur ſina conſenſu parentum, validè intelliguntur baptizati. P. 1. q 4 a. 3. n. 3. p. 64
Intentio axbibita ab infideli curandi omnia media neceſſaria ad ſalutem non ſufficit, vt illi poſſit conferri Baptiſmus. ibid. n. 14. p. 67
Quid, ſi infidelis exhibuerit intentionem ingrediendi Eccleſiam. ibid. n. 15. p. 67
Varia genera infidelium. P. 2. q. 3. a. 1. S. 5. n. 2. pag. 194
Filij infidelium, ſi peruenerint ad vſum rationis, & Baptiſmum petierint, poſſunt baptizari inuitis parentibus. P. 2. q. 3. a. 1. S. 5. n. 1. p. 194
Filij infidelium infantes, qui non communicarunt cum Eccleſia, non ſunt baptizandi inuitis parentibus. ibid. n. 3. p. 194
Infantes infidelium in extremo mortis periculo poſſunt baptizari. ibid. n. 8. p. 195
Cautelæ in hoc adhibendæ. ibid. n. 9. p. 195
Poſſunt etiam infantes infidelium baptizari, ſi vnus ex parentibus fuerit baptizatus. ibid. n. 10. pag. 195
Etiam ſi alter parentum conuerſus fuerit ad fidem. ibid. n. 11. p. 196
Etiam ſi vterque parens perſeueret in infidelitate, ſed alter conſentit in Baptiſmum filij. ibid. n. 12. p. 196
Infantes infidelium degentium ſub ditione Principum Chriſtianorum nequeunt licitè baptizari inuitis parentibus. ibid. n. 13 p. 196
Filij infidelium, qui communicarunt in Eccleſia per Baptiſmum poſſunt baptizari inuitis parentibus. ibid. n. 16. p. 197
Si infantes ſeruorum infidelium per Dominos Catholicos fuerint ab eiſdem ſeruis ſeparati poſſunt ipſis inuitis baptizari. ibid. S. 6. n. 2. pag. 197
Poſita ſeparatione non fit iniuria parentibus. ibid. n. 4. p. 198
Non ſeparati à parentibus nequeunt ipſis inuitis baptizari. ibid. n. 7. p. 198
Baptizantes filios ſeruorum infidelium non ſeparatos ab ipſis ſententia docens non peccare contra iuſtitiam. ibid. n. 11. p. 199
Sententia affirmans. ibid. n. 12. p. 199
Præfertur prima ſententia. ibid. n. 13. p. 199

Intentio.

Intentio miniſtri ſecundum aliquos non ingreditur intrinſecè Sacramenta. P. 1. q. 2. a. 2. n. 1. p. 13
Secundum alios intrinſecè ingreditur. ibid. n. 3. pag. 14
Probabilius non ingreditur intrinſecè. ibid. n. 5. pag. 14
Sacramenta in fieri important actionem, cui intrinſecum eſt agens; in facto eſſe illam connotant, cui propterea non eſt intrinſecum agens. ibid. n. 8. p. 15
Sententia docens ſufficere in confectione Sacramentorum intentionem conficiendi ſerio opus pure externum. P. 1. q. 3. a. 5. n. 2. p. 43
Rationes, & iura comprobantia hanc ſententiam. ibid. n. 3., & ſeqq. p. 44., & 45
Non ſufficit intentio peragendi opus merè externum. ibid. n. 10. p. 45
Euincitur ea definitionibus Conciliorum. ibid. n. 11. p. 45
Non requiritur intentio directa producendi effectum Sacramenti, ſed ſufficit indirecta. ibid. n. 12. p. 46
Eccleſia non facit opus, vt merè externum, ſed vt Sacramentum. ibid. n. 13. p. 46
Explicatur in hoc mens D. Thomæ ibid. n. 16. 17. p. 47., & 48
Miniſtri non ſunt inſtrumentum merè inanimè. ibid. n. 18. p. 48
Per intentionem materia, & forma determinantur. ibid. n. 20. p. 48
Soluuntur omnia argumenta contrariæ ſententiæ. ibid. n. 21., & ſeqq. p. 48. 49., & 50
Non eſt neceſſaria intentio inducendi effectum Sacramenti. ibid. n. 28. p. 50
Eſt neceſſaria intentio faciendi, quod intendit Eccleſia. ibid. n. 30. p. 50
Quid importet Sacramentum ſupra opus externum ſerio factum. ibid. n. 31. p. 51
Triplex intentio, actualis, virtualis, & habitualis. ibid. a. 6. n. 1. p. 51
Quid importet virtualis intentio ſupra habitualem. ibid. n. 2. p. 51
Sententia docens virtualem præſuponere actum, non ſic habitualem. ibid. n. 3. p. 51
Sententia docens per actum produci qualitatem, qua perſeuerante eſt virtualis intentio. ibid. n. 4. p. 52
Reijcitur hæc ſententia. ibid.
Sententia volens conſiſtere in actu præcedenti, ſed dimminuto. ibid. n. 5. p. 52
Reijcitur etiam hæc opinio. ibid.
Sententia volens virtualem habere aliquid præſens in imaginatiua. ibid. n. 6. p. 52
Reijcitur etiam hæc ſententia. ibid.
Virtualis conſiſtit in perſeuerantia virtuali prioris actus in actibus externarum potentiarum. ibid. n. 7. p. 53
Explicatur quomodo hoc verificetur. ibid. n. 8. pag. 53
Quid requiratur ad moralem actuum interruptionem. ibid. n. 9. p. 53
Intentio actualis in miniſtro non eſt neceſſaria. ibid. n. 10. p. 54
Habitualis non ſufficit. ibid. n. 11. p. 54
Virtualis eſt neceſſaria, & ſufficiens. ibid. n. 12. pag. 54
Soluuntur rationes ſuadentes eſſe neceſſariam actualem. ibid. n. 13. p. 54
Nonnulla dubia pertinentia ad intentionem. ibid. n. 14. p. 55
In adultis ad recipienda Sacramenta neceſſaria eſt aliqua intentio. ibid. q. 4. a. 3. n. 1. p. 63
Euincitur ea Concilijs, & SS. PP. ibid. n. 2. p. 63
Intellige quoad Sacramenta omnia. ibid. n. 5. p. 64
Exceptio quoad Sacramentum Euchariſtiæ. ibid. n. 6. p. 65
Sufficit intentio voluntaria ſecundum quid. ibid. n. 7. p. 65
Excipe in Matrimonio. ibid. n. 8. p. 65
Ad receptionem Sacramentorum ſufficit intentio habitualis, ibid. n. 10. p. 66

Requi-

Digitized by Google

Requiritur paſſio rationalis, & voluotaria. ibid. n. 11. p. 66
In aliquibus requiritur magis expreſſa, in alijs ſufficit minor. ibid. n. 12. p. 66
In quo conſiſtat interpretatiua intentio. ibid. n. 13. pag. 67
Intentio exhibita ab infideli curandi omnia media neceſſaria ad ſalutem probabilius non ſufficit, vt illi poſſit conferri Baptiſmus. P. 1. q. 4. a. 5. n. 14. p. 67
Quid, ſi infidelis exhibuerit intentiooem ingrediendi Eccleſiam. ibid. n. 15. p. 67
Quænam Sacramenta exigant expreſſam, & quænam implicitam intentionem. ibid. n. 16. p. 68
Confirmatio, & Extrema Vnctio contenta ſunt in ſuſcipiente implicita intentione. ibid. n. 17. pag. 68
Pænitentia exigit expreſſam. ibid. o. 18. p. 68
Euchariſtia contenta eſt interpretatiua in articulo mortia. ibid. o. 19. p. 68
In Matrimonio exigitur expreſſa intentio. ibid. n. 22. p. 69
Requiritur in adulto ad recipiendum Baptiſmum intentio habitualis. P. 2. q. 5. a. 2. n. 1. pag. 206
Sufficit, vt ſit voluntaria ſimpliciter, licet ſit inuoluntaria ſecundum quid. ibid. n. 2. p. 206
Quot modis intentio poſſit eſſe inuoluntaria ſecundum quid. ibid. n. 3. p. 206
Hæc inuoluntarietas compatitur cum intentione ſufficienti. ibid.
Intentio neutralis in adulto non eſt ſufficiens. ibid. n. 9. p. 207
Sine actu non poteſt quis ingredi oouam vitam. ibid. n. 10. p. 207
Requiritur in quocunque baptizante etiam priuatim intentio baptizandi. ibid. a. 4. n. 3. p. 209
Nec præſumitur Deus, vel Eccleſia ſupplere defectum intentionis. ibid. n. 4. p. 209
Hoc idem euincitur. ibid. a. 4. S. 1. n. 5. p. 211
Nec intelligitur ſupplere talem defectum in ordine ad effectum Sacramenti. ibid. n. 7. p. 211
Quamuis ſuppleret in ordine ad hunc effectum, non conſtitueretur ſubiectum aptum ad alia Sacramenta. ibid. n. 8. p. 211
Intentio habitualis non conſiſtit in mera non repugnantia. ibid. S. 3. n. 2. p. 213
An habeatur æquiualenter in actu complacentiæ. ibid. n. 3. p. 213
Probabile eſt per eandem ſufficienter haberi. ibid. n. 4. p. 213
Bona fides, & complacentia quandoque eſt ſufficiens ad effectum Sacramenti. ibid. n. 5. p. 213
In intentione generali ſeruandi omnia Dei præcepta continetur implicitè voluntas Baptiſmi. ibid. n. 6. p. 214
Elucidatur exemplis. ibid. n. 7. p. 214
Suppoſito, quod illa bona fides, & complacentia æquiualeat intentioni habituali poteſt Parochus inualidè baptizatum ſecreto baptizare. ibid. n. 8. p. 215

Irregularitas.

Irregularitas non contrahitur à Sacerdote baptizante ſine facultate Epiſcopi, vel Parochi. P. 2. q. 5. a. 5. n. 3. p. 259
Diaconus baptizans ſolemniter ſine commiſſione cootrahit irregularitatem. ibid. n. 9. p. 260
A fortiori eandem contraheret Subdiaconus. ibid. n. 10. p. 260
Etiam Clericus, & Laicus ſolemniter baptizantes eandem contraherent. ibid. n. 15. p. 261
Inducentes extra neceſſitatem Sacerdotem ſimplicem ad ſe, vel puerum baptizandum non contrahunt. ibid. a. 6. n. 1. p. 263
Nec etiam inducentes Diaconum. ibid. n. 3. p. 263
Presbyter rebaptizans probabilius contrahit irregularitatem. P. 2. q. 10. a. 5. n. 5. p. 329
Sententia docens hanc irregularitatem eſſe abſolutam, & impedire ordinum ſuperiorum. ſuſceptionem, & exercitium ſuſceptorum. ibid. a. 6. n. 1. p. 330
Sententia docens impedire ſolum ſuſceptionem ordinum ſuperiorum. ibid. n. 2. p. 330
Miniſtrans Presbytero rebaptizanti interdicitur ſolum aſcenſu ad ordines ſuperiores, Presbyter verò rebaptizans etiam exercitio ordinum ſuſceptorum. ibid. n. 3. p. 331
Soluuntur rationes ſententiæ volentis Presbyterum non priuari exercitio Ordinum ſuſceptorum. ibid. n. 4. p. 331
Sententia docens hanc pœnam irregularitatis eſſe ſolum ſententiæ ferendæ. ibid. n. 5. p. 332
Probabilius eſt latæ ſententiæ. ibid. n. 6. p. 332
Etiam ſi hæc irregularitas ſit reſpectiua. ibid. o. 7. p. 332
Sententia docens non contrahi, ſi rebaptizatio ſit occulta. ibid. n. 8. p. 332
Sententia ſtatuens contrahi. ibid. n. 9. p. 332
Sententia aſſerens baptizantem occultè contrahere, non ſic miniſtrum eidem deſeruientem. ibid. n. 10. p. 332
Acolythus inſeruiens non contrahit, ſi rebaptizatio ſit occulta. ibid. n. 11. p. 333
Presbyter baptizans quantum eſt ex vi *c. eos quos de conſecr. diſt.* 4. contrahit. ibid. n. 13. p. 333
Contra rebaptizatos viget pœna irregularitatis. ibid. a. 7. n. 4. p. 334
Rebaptizatus etiam in Eccleſia Catholica contrahit irregularitatem. ibid. n. 6. p. 334
Explicatur textus *in c. qui in qualibet ætate* 1. *q.* 4., vt non repugnans ſenſui noſtro. ibid. n. 7. pag. 334
Pueri ante vſum rationis rebaptizati non fiunt irregulares. ibid. n. 8. p. 335
Nec ignoranter bis baptizatus. ibid. num. 10. pag. 335
Ratam habens rebaptizationem ignoranter receptam non fit irregularis. ibid. n. 12. p. 335
Patrini concurrentes ad rebaptizationem verè contrahunt irregularitatem. ibid. a. 8. n. 2., & 3. p. 336
Si reiterarentur cæremoniæ non reiterato Baptiſmo, nec reiterans, nec reiteratus, nec Patrini contrahunt hanc irregularitatem. ibid. a. 10. n. 3. p. 338
Regulariter poteſtas diſpenſandi ſuper hac irregularitate, quando contracta eſt, pertinet ad Romanum Pontificem. ibid. n. 5. p. 338
Excipe quando delictum eſt occultum. ibid. n. 6. pag. 338
Item, quando qui eam contraxit, ſe recipit in Religionem. ibid. n. 7. p. 339
Ingreſſus in Religionem indiget ſuper hac diſpenſatione. ibid. n. 8. p. 339
Hæc diſpenſatio in ſic ingreſſo poni poteſt per Prælatum Religionis. ibid. n. 9. p. 339

M

Martirium.

Martirium non eſt Sacramentum. P. 1. q. 1. a. 2. pag. 8

Mar-

Digitized by Google

Martirium eſt Baptiſmus ſanguinis. P. 2. q. 1. a. 1. n. 2. p. 163
Non eſt neceſſe, quod ſit cum ſangninis effuſione. ibid. n. 3. p. 163
Explicatur qnid propriè ſit martirium. ibid. n. 5. pag. 163
In adultis requiritur intentio ſuſcipiendi martirium pro Chriſti nomine. ibid. n. 6. p. 163
In paruulis hæc intentio non requiritur. ibid. n. 7. p. 163
Hæc intentio in adnltis debet eſſe charitata regulata. ibid. n. 8. p. 163
Nec ſufficit attritio. ibid. n. 9. p. 163
Requiritur, vt cruciatns, & mors ſubſequatur. ibid. n. 11. p. 164
Qui accepit læthale vulnus pro Chriſto, & ab eodem liberatus, ſi morte naturali obierit, an ſit dicendus martir remiſſiuè. ibid. n 12. p. 164
D. Ioannes paſſus eſt vſque ad mortem. ibid n. 13 pag. 164
Martirium debet eſſa toleratum ob cauſam honeſtam. ibid. n. 14. p. 164
Sufficit, ſi ſit ex motiuo caſtitatis. ibid. n. 15. p. 164
Sufficit, ſi referatur in actnm honeſtum præteritum. ibid. n. 16. p. 165
Requiritur, vt tirannus cruciatus, & mortem inferat in odium Chriſti, & Religionis. ibid. n. 17. p. 165
Baptiſmus ſanguinis propriè ſumptus confert remiſſionem culpæ, & pœnæ. ibid. n. 18. p. 165
Probabilitèr confert talem remiſſionem ex opere operato. ibid. n. 21. p. 166
Martirium ſecundum aliquos confert effectum, quando infligitur læthale vulnus. ibid. n. 23. pag. 166
Secundum alios in vltimo inſtanti terminatiuo extrinſeco. ibid. n. 24. p. 166
Probabilius cauſet in vltimo inſtanti intrinſeco. ibid. n. 27. p. 167

Materia.

Omnia Sacramenta nouæ legis conſtant rebus, & verbis. P. 2. q. 2. a. 1. n. 2. p. 12
Quidnam habeat rationem materiæ in Sacramento Pænitentiæ. ibid n. 3. p. 12
Quid in Sacramento Matrimonij. ibid. n. 4. p. 12
Quid in Sacramento Ordinis. ibid. n. 5. p. 13
Res in Sacramentis nouæ legis habent rationem materiæ. ibid. n. 6. p. 13
Materia, & forma debent ſibi coexiſtere aliquo modo. ibid. a. 3. n. 1. p. 15
In aliquibus maior coexiſtentia requiritur, in aliquibus minor. Ibid. n. 2. p. 16
Regularitèr ſufficit moralis. ibid. n. 3. p. 16
Quænam ſimultas requiratur in Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine. ibid. n. 4. p. 16
Quænam in pænitentia, & Matrimonio. ibid. n. 5., & 6. p. 16
Quænam in Euchariſtia. ibid. n. 8. p. 16
Materia in omnibus ferè Sacramentis habet determinationem ex inſtitutione Chriſti Domini. ibid. a. 4. n. 2. p. 17
Magis tamen determinatur per formam. ibid. n. 3. pag. 17
Materia in aliquibus Sacramentis eſt magis determinata, io alijs minus. ibid. n. 6. p. 18
Idem dicendum eſt de vno Sacramento comparato ad aliud. ibid. n. 7. p. 18
Mutatio accidentalis in materia Sacramentorum non irritat Sacramentum. ibid. a. 5. n. 2. p. 19
Benè tamen mutatio ſubſtantialis. ibid.
Mutatio ſubſtantialis in materia non ſolum contingit, quando res mutatur ſubſtantialitèr Phyſicè, ſed etiam quando remanente ſubſtantia Phyſicè mutatur ſecundum ſignificationem. ibid. n. 5. p. 20
Explicatur in caſibus particularibus quandonam contingat ſolum mutatio in materia. ibid. n. 7. pag. 21
Mutatio accidentalis in materia inducit culpam in mutante. ibid.
Materia Baptiſmi. ibid. n. 18. p. 24
Confutatur error Gnoſticorum aſſerentium aquam ſenſibilem non eſſe materiam remotam Baptiſmi. P. 2. q. 2. a. 1. n. 2. p. 175
Item error Galatarum, & Iacobitarum conſtituentium materiam in igne. ibid. n. 4. p. 175
Item error flagellantium conſtituentium materiam in ſanguine. ibid. n. 7. p. 176
Materia propria Baptiſmi eſt ſola aqua elementaris. ibid. n. 8. p. 176
Excluduntur alij liquores, qui non ſint aqua. ibid. n. 9. p. 176
Aqua poteſt amittere ſuam puritatem, vel per admiationem, vel per alterationem. ibid. n. 10. pag. 176
Quandonam reddatur inhabilis. ibid. n. 11. p. 176
Glacies, vt talis non eſt apta materia. ibid. n. 12. pag. 177
Aqua fluminis turbida eſt apta. ibid. n. 13. p. 177
Item aqua maris. ibid. n. 14. p. 177
Item aqua commixta balſamo in modica quantitate. ibid. n. 15. p. 177
Item aqua ſulphurea, & plunialis. ibid. n. 16. pag. 177
Non licet tamen extra neceſſitatem has adhibere. ibid. n. 17. p. 177
Aqua, quæ fluxit à latare Chriſti fuiſſet ſufficiens. ibid. n. 18. p. 177
In neceſſitata poteſt adhiberi materia dubia, ſed ſub conditione. ibid. n. 19. p. 177
Materia proxima Sacramenti Baptiſmi. Vide verb. *Ablutio.*

Materia Confirmationis.

Opinio antiquorum conſtituentium hoc Sacramentum in ſola manuum impoſitione proſcripta quacunque alia re ſenſibili. P. 3. q. 2. a. 1. n. 1. p. 350
Vltra manuum impoſitionem requiritur certa, & determinata materia. ibid. n. 2. p. 350
Quomodo ſaluetur confirmatio paſſiua, & actiua Apoſtolorum in primordijs Eccleſiæ. ibid. n. 4. pag. 350
Santentia docens ſolum oleum oliuarum eſſe materiam aſſentialem huius Sacramenti. ibid. n. 5. p. 350
De fide requiritur Chriſma tanquam materia. ibid. n. 8. p. 351
Chriſma debet eſſe confectum ea oleo, & balſamo. ibid. n. 9. p. 351
Oleum ſignificat gratiam, balſamum robur alijs communicabile. ibid. n. 10. p. 351
De neceſſitate Sacramenti eſt, quod oleum ſit commixtum balſamo. ibid. n. 12. p. 352
Cur potius conſtituitur ex balſamo, quam ex alio liquore odorifero. ibid. n. 15. p. 352
Si oleum præcisè adhiberetur eſſet inualidum Sacramentum. ibid. n. 17. p. 352
Explicatur dictum Innocentij III. *ibid.* n. 18. pag. 352
Paulus III. non diſpenſauit, vt fieri poſſet vnctio in alio liquore à balſamo, ſed declarauit illum liquorem eſſe balſamum. *ibid.* n. 19. p. 353

Oleum ex neceſſitate Sacramenti debet eſſe oliuarum. ibid. n. 20. p. 353
Per oleum oliuarum explicatur plenitudo Spiritus Sancti. ibid. n. 21. p. 353
Materia proxima Confirmationis. Vide verbo *Vnctio*.

Mater.

An Mater prægnans periclitans in vita teneatur pati ſciſſionem ad extrahendum fœtum in eius vtero exiſtentem remiſſiuè. P. 2. q. 3. a. 1. S. 2. n. 2. p. 187
An mortua Matre prægnante ſecandus ſit eius vterus ad extrahendam prolem. ibid. n. 3. pag. 187
Sententia docens mortua Matre, nec per inſtans viuere prolem in eius vtero exiſtentem. ibid. n. 4. p. 187
Mortua Matre non ſolum licitum eſt ſcindere eius vterum ad extrahendam prolem, vt baptizetur, ſed etiam debitum. ibid. n. 5. p. 187
Exemplis euincitur mortua Matre poſſe viuere fœtum, & extrahi viuum. ibid. n. 7. p. 188

Miniſter.

Soli homines de lege ordinaria ſunt miniſtri Sacramentorum. P. 1. q. 3. a. 3. n. 1. p. 36
Sententia docens ſolos homines viatores eſſe miniſtro, Sacramentorum, & rationes eiuſdem. ibid. n. 2. p. 37
Sententia extendens hoc miniſterium etiam ad comprehenſores cum ſuis rationibus. ibid. n. 3. pag. 37
Probabilius de lege ordinario hoc miniſterium de facto non competit comprehenſoribus. ibid. n. 4. p. 37
Soluuntur rationes contrariæ ſententiæ. ibid. n. 5. p. 37
Si anima poſt ſeparationem reuniretur corpori, & naturaliter viueret, poſſet Sacramenta conficere. ibid. n. 6. p. 38
Quoad aliqua tamen pertinentia ad iuriſdictionem, & politiam poſt reſurrectionem non remanet eadem poteſtas. ibid. n. 7. p. 38
De lege extraordinaria poſſunt Angeli eſſe miniſtri. ibid. n. 8. p. 38
Non eſt neceſſe, quod verba proferantur vitali modo, ſed quod ſint ſignificatiua. ibid. n. 9. p. 38
Et debent proferri cum debita intentione. ibid. n. 10. p. 30
Ex vi præſentis inſtitutionis non omnis homo eſt omnium Sacramentorum miniſter. ibid. n. 11. pag. 39
Quænam Sacramenta omnis homo rationis capax poſſit conficere, & quænam non. ibid. n. 12. pag. 39
Infidelitas, & improbitas in miniſtro non irritat Sacramentum. ibid. a. 4. n. 2. p. 40
Intellige, ſi ſint cætera requiſita. ibid. n. 3. p. 40
Iura pro aſſerto. ibid. n. 4. p. 40
Solutiones contrariorum. ibid. n. 5. p. 40
Actio miniſtri poteſt dici actio Dei prout eſt ſenſibilis, & ſignificatiua, non quatenus deficit à recta ratione. ibid. n. 6. p. 41
Vindicatur in hoc D. Ciprianus à nota erroris. ibid. n. 7. p. 41
Sacramenta ab Hæreticis collata conferunt ſuſceptoribus gratiam. ibid. n. 8. p. 41
Improbitas miniſtri reddit illicitam illius actionem. ibid. n. 10. p. 42
Vt licitè adminiſtret, requiritur in eodem ſtatus gratiæ. ibid. n. 11. p. 42

Miniſter quoad intentionem. Vide verbo *Intentio*.
Indignitas miniſtri qualis, & quotuplex. P. 1. q. 4. a. 8. n. 1. p. 87
A miniſtro excommunicato non tolerato licitum eſt petere Sacramentum in articulo mortis. P. 1. q. 4. a. 8. n. 4. p. 88
Extra articulum mortis non eſt licitum ab eo petere. ibid. n. 5. p. 88
Sententia docens in articulo mortis non poſſe ab excommunicato vitando peti Sacramenta, quæ non ſunt neceſſitatis. ibid. n. 7. p. 89
Præfertur ſententia docens etiam alia Sacramenta poſſe peti. ibid. n. 8., & 9. p. 89
Soluuntur argumenta contraria. ibid. n. 10. p. 89
Extante alio miniſtro idoneo non eſt licitum petere Sacramenta ab excommunicato vitando. ibid. n. 11. p. 90
Nec à proprio Paroco vitando peti poſſunt alio idoneo exiſtente. ibid. n. 12. p. 90
Parochus vitandus præferendus eſt alijs vitandis. ibid. n. 13. p. 90
Extante Sacerdote excommunicato vitando cum Diacono non excommunicato in ordine ad adminiſtrationem Baptiſmi præferendus eſt Diaconus. ibid. n. 14. p. 90
Ex cauſa licitum eſt ab excommunicato tolerato petere Sacramenta. ibid. n. 15. p. 91
Cauſa petendi eſt vtilitas petentis, & multo magis præceptum ſumendi. ibid. n. 17. p. 91
Exiſtentibus duobus Sacerdotibus excommunicatis, altero parato conferre, altero non parato petendum eſt Sacramentum à parato. ibid. n. 18. p. 92
A miniſtro publicè criminoſo ex cauſa licitum eſt petere Sacramenta. ibid. n. 19. p. 92
Limita in duobus caſibus. ibid. n. 20. p. 92
A miniſtro non publicè criminoſo, ſed noto petenti licitum eſt petere. ibid. n. 21. p. 92
Miniſter non poteſt licitè conferre Sacramenta incapaci ad validè recipiendum. ibid. n. 22. pag. 92
Poteſt conferre Sacramenta peccatori occulto publicè petenti. ibid. n. 23. p. 93
In hoc non præualet præceptum vitandi ſacrilegium. ibid. n. 25. p. 93
Occulte petenti probabilius ſunt Sacramenta neganda. ibid. n. 26. p. 93
Limita in caſu, quo delictum nouerit ex confeſſione. ibid. n. 28. p. 94
Etiam neganda ſunt, ſi petat coram duobus conſcijs delicti. ibid. n. 29. p. 94
Si peteret coram duobus conſcijs, & duobus non conſcijs deberet conferre. ibid. n. 30. p. 94
Peccatori publico, & notorio ſunt deneganda Sacramenta. ibid. n. 32. p. 95
Intellige donec reſipuerit. ibid. n. 33. p. 95
Si peccator notorius recedat à loco, in quo eſt diffamatus, & accedat ad alium locum, in quo non eſt diffamatus, non ſunt ibi eidem neganda Sacramenta. ibid. n. 36. p. 95
Requiritur in miniſtro baptizante intentio baptizandi. P. 2. q. 3. a. 4. n. 3. p. 209
Non præſumitur Deus, vel Eccleſia ſupplere defectum talis intentionis. ibid. n. 4. p. 209
Non ſufficit, quod miniſter intendat facere ſerio opus merè externum. ibid. a. 4. S. 1. n. 1. p. 210
Quinam ſit miniſter Baptiſmi ex officio. P. 2. q. 5. a. 1. per totum. p. 249., & 250
Aliud eſt habere poteſtatem, aliud habere ius baptizandi. ibid. n. 1. p. 249
Quid importet ius baptizandi ſupra poteſtatem. ibid. n. 2. p. 249

Digitized by Google

Iuriſdictio non requiritur ad validum, ſed ad licitum eſſe. ibid. n. 3. p. 249
Conſiderato iura in ordine ad perſonas miniſter eſt Epiſcopus, vel proprius Parochus. ibid. n. 5. pag. 249
In ordine ad Sacramentum miniſter ex officio eſt Sacerdos. ibid. n. 6. p. 249
Diaconus non eſt miniſter Baptiſmi ex officio. ibid. n. 9. p. 250
Quomodo intelligenda ſunt verba ordinationis Diaconi. ibid. n. 10. p. 250
Confertur ſolum poteſtas, & aptitudo, vt poſſit deputari. ibid. n. 11. p. 250
Clericis inferioribus Diacono, nec competit ius baptizandi ex officio, nec aptitudo, vt deputentur. ibid. n. 13. p. 251
Aptitudo, quæ competit Diaconis, & non alijs, an ſit de iure Diuino remiſſiuè. ibid. n. 14. pag. 251
Monaci, & Religioſi ex commiſſione Epiſcopi, vel Parochi poſſunt licitè baptizare. ibid. n. 15. pag. 251
Miniſter neceſſitatis in Baptiſmo eſt omnis homo habens vſum rationis, & potens proferre verba, & applicare materiam. ibid. a. 2. n. 2. pag. 252
Non ſolum maſculi, ſed etiam fœminæ. ibid. n. 4. pag. 252
Non ſolum Eccleſiaſtici, ſed etiam Laici. ibid. n. 5. p. 252
Etiam non baptizatus, ſi adhibeat requiſita. ibid. n. 6. p. 252
Etiam excommunicatus, execratus, & præciſus ab Eccleſia. ibid. n. 8. p. 253
Non tamen anima ſeparata, nec Angelus. ibid. n. 9. p. 253
Nemo poteſt ſe ipſum validè baptizare. ibid. a. 3. n. 2. p. 253
Rationes pro hac aſſerto. ibid. n. 3. p. 253
Comparatio regenerarionis ad generationem. ibid. n. 6. p. 254
Innocentius III. agnouit ſalutem Hæbrei, qui ſe ipſum baptizauit in voto, non in ipſo Baptiſmo. ibid. n. 8. p. 254
Duo poſſunt ſe inuicem baptizare. ibid. n. 9. p. 254
Si duo eundem ſimul immergant, & ſimul proferant formam cum debita intentione totalitèr baptizandi validè baptizant. ibid. a. 4. n. 3. pag. 255
Si tamen vnus perficeret formam ante alium ipſe ſolus conferret Baptiſmum. ibid. n. 4 p. 256
Si duo concurrant ad Baptiſmum ſub hac forma, *Nos te baptizamus*, & vterque intendat per ſe baptizare validè baptizant. ibid. n. 7. p. 256
Si vterque concurrat, vt faciat quid vnum nihil efficiunt. ibid. n. 8. p. 256
Si plures concurrant, ſed intentione partiali nihil efficiunt. ibid. n. 11. p. 256
Si vnus proferret formam, alter applicaret materiam inualidè baptizarent. ibid. n. 13. p. 257
Si vnus partem formæ proferret, alter alteram neuter validè proferret. ibid. n. 14. p. 257
Extra caſum neceſſitatis non ſunt plures ſimul baptizandi. ibid. n. 16. p. 258
Vbi plures ſimul baptizarentur non eſſet neceſſe, vt ſinguli exprimerentur. ibid. n. 17. p. 258
Baptizare plures ſine neceſſitate ſub illa forma, *Ego vos baptizo*, eſt graue peccatum. ibid. n. 19. p. 258
Si plures baptizarentur ſub illa forma eſſent plura baptiſmata formalitèr. ibid. n. 20. p. 259
An peccent baptizantes extra neceſſitatem, qui non habent ius baptizandi, & ſubeant aliquam pœnam. Vide verb. *Peccatum*, & verbo *Pœna*.
Quinam ordo inter eos, qui poſſunt validè baptizare, ſit ſeruandus. ibid. a. 8. n. 1. p. 265
Epiſcopus proprius, & Parochus ſunt cæteris omnibus præferendi. ibid. n. 1. p. 265
Sacerdotes ſunt præferendi Diaconis. ibid. n. 2. pag. 265
Si Sacerdos ſit ſimoniacus in ipſo actu eſt eidem præferendus alius etiam Diaconus. ibid. n. 4. pag. 265
Si non ſit ſimoniacus in ipſo actu, & ſit toleratus, ipſe eſt præferendus. ibid. n. 5. p. 265
Sacerdoti excommunicato non tolerato præferendus eſt Diaconus. ibid. n. 6. p. 265
Diaconus præferendus eſt cæteris Clericis inferioribus. ibid. n. 7. p. 266
Clerici inferiores præferendi ſunt ſecundum maiorem dignitatem. ibid. n. 8. p. 266
Maſculi ſunt regularitèr præferendi fœminis. ibid. n. 9. p. 266
Fideles infidelibus. ibid. n. 10. p. 266
In peruerſione talis ordinis non ſemper contrahitur culpa læthalis. ibid. n. 11. p. 266
Aſſignatur in caſibus particularibus, quando contrahatur culpa læthalis. ibid. n. 12. p. 266
Explicatur in caſibus particularibus, quando contrahatur ſolum venialis. ibid. n. 20. p. 267
Explicatur quando nulla culpa contrahatur. ibid. n. 21. p. 268
Diſpoſitiones, quæ requiruntur ex parte baptizantis. Vnde verb. *Diſpoſitio*.

Miniſter Confirmationis.

An miniſter poſſit licitè illam conferre pueris ante vſum rationis. P. 3. q. 3. a. 1. n. 4. p. 370
Rationes ſuadentes poſſe licitè conferre. ibid. n. 5. p. 370
Rationes ſuadentes, nec licitè, nec conuenientèr poſſe conferre. ibid. n. 6. p. 370
Attento iure præciſè naturali licitè poſſet conferre. ibid. n. 8. p. 370
Magis congruum foret, ſi differret. ibid. n. 9. p. 371
Regularitèr attento iure poſitiuo non eſt conferendum ante ſeptennium. ibid. n. 10. p. 371
Sententia docens collationem factam ante ſeptennium inducere culpam læthalem. ibid. n. 11. pag. 371
Sententia negans cum ſuis rationibus. ibid. n. 12. pag. 371
Probabilius nulla cauſa exiſtente eſſet grauitèr peccaminoſa. ibid. n. 13. p. 371
Niſi conſuetudo alitèr obtinuiſſet, vel alia cauſa vrgeret. ibid. n. 14., & 15. p. 371
Hæreticorum errores aſſerentium quemlibet Sacerdotem ex vi ſuæ ordinationis eſſe miniſtrum huius Sacramenti. P. 3. q. 5. a. 1. n. 1. p. 384
Scholaſtici aliqui aſſerentes Epiſcopum eſſe miniſtrum ordinarium neceſſitate præcepti, non Sacramenti. ibid. n. 2. p. 384
Solus Epiſcopus ex officio eſt miniſter ordinarius huius Sacramenti tam neceſſitate præcepti, quam Sacramenti. ibid. n. 4. p. 384
D. Gregorius non conſtituit Presbyteros miniſtros ordinarios huius Sacramenti, ſed delegauit. ibid. n. 10. p. 385
Vide verb. *Epiſcopus*.
Simplex Sacerdos ex commiſſione Summi Pontificis poteſt confirmare. ibid. a. 6. n. 2., & 3. pag. 393
Confirmata non habet proximam relationem ad finem principalem intentum à Chriſto Domino

no in inſtitutione ordinum . ibid. n.4. p. 394
Munus confirmandi ex commiſſione non pendet eſſentialitèr ab ordine Epiſcopali . ibid. n. 8. pag. 394
Diaconus alijque Clerici inferiores ſecundum aliquos ex commiſſinne Summi Pontificis poſſunt eſſe miniſtri huius Sacramenti . ibid. a. 7. n. 1. p. 395
Quinimmo ſecundum alios etiam Laici . ibid. n. 2. pag. 395
Certè , nec Diaconus , nec alij inferiores poſſunt . ibid. n. 3. p. 395
Non valet argumentum deductum ex Gloſa , quod quis poſſit conferre Sacramentum , quod recepit . ibid. n. 7. p. 396
Epiſcopus in ſua Diæceſi non poteſt committere ſimplici Sacerdoti munus confirmandi . ibid. a. 8. n. 2. p. 396
Vide verb. *Epiſcopus* .

Monſtrum .

Si ex bruto , & muliere naſcatur fætus non præferens ſpeciem hominis non eſt baptizandus . P. 2. q. 3 . a. 1. S. 4. n. 2. p. 189
Si præferat ſpeciem hominis eſt baptizandus. ibid. n. 3. p. 190
Quomodo dici poſſit hic fętus in Adamo peccaſſe. ibid. n. 5. p. 190
Monſtrum quomodo poſſit concipi. ibid. n. 16. p. 193
Si monſtrum conſiſtat in maſſa carnea ſine ſpecie hominis non poteſt validè baptizari . ibid. n. 17. p. 193
Si habeat quandam hominis deorganizationem poteſt ſub conditione baptizari . ibid. n. 19. pag. 193
Si potius præferat ſpeciem animalis non eſt baptizandus . ibid. n. 20. p. 193
Si ortum fuerit cum duplici capite in reliquis ſimile alijs poteſt in vtroque baptizari . ibid. n. 21. p. 193
Si ortum fuerit cum duplici capite , duplici pectore alijſque partibus ſubſtantialibus duplicatis debet duplici Baptiſmo baptizari . ibid. n. 22. p. 194

Mutatio .

Mutatio ; ſiue in rebus , ſiue in verbis altera accidentalis , altera ſubſtantialis . P. 1. q. 2. a. 5. n. 1. pag. 19
Sacramenta poſſunt admittere mutationem accidentalem ſine eorum deſtructione , non ſic ſubſtantialem . ibid. n. 2. p. 19
Per accidentalem mutationem non tollitur ſignificatio . ibid. n. 3. p. 20
Benè tamen per ſubſtantialem . ibid. n. 4. p. 20
Mutatio ſubſtantialis non contingit ſolum, quando res mutatur ſubſtantialitèr Phyſicè , ſed etiam quando remanente ſubſtantia Phyſicè mutatur ſecundum ſignificationem . ibid. n. 5. p. 20
Mutata ſignificatione mutatur ſubſtantia . ibid. n. 6 p. 20
Explicatur in caſibus particularibus , quando contingat ſolum mutatio accidentalis in rebus. ibid. n. 7. p. 21
Item quandonam ſolum accidentalis in verbis. ibid. n. 8. p. 21
Quandonam mutatio per additionem , vel per detractinnem , vel per interruptionem irritet . Vide verb. *Forma* .
Mutatio ex errore miniſtri , quando irritet . Vida verb. *Error* .
Mutatio quoad ritus . Vide verb. *Ritus* .
Quot modis poſſit contingere mutatio in forma Baptiſmi . P. 2. q. 4. a. 4. n. 1. p. 241
Interruptio magna inualidat formam , non ſic modica . ibid. n. 2. p. 242
Eſſet magna , ſi incæpta forma aliundè diuerſaret . ibid. n. 3. p. 242
Item , ſi incæpta forma intentionem retractaret . ibid. n. 5. p. 242
Explicatur in caſibus particularibus , quando ſit modica interruptio . ibid n. 6. p. 242
Subtractio verbi eſſentialis in forma inualidat Baptiſmum . ibid. n. 8. p. 242
Per ſubtractionem particulæ *Ego* non inualidatur . ibid. n. 9. p. 242
Illa tamen ſubtractio eſſet peccaminoſa . ibid. n. 10. p. 242
Et probabilius læthalitèr . ibid. n. 11. p. 242
Per ſubtractionem particulæ *Et* non irritatur forma Baptiſmi , benè per ſubtractionem particulæ *In* . ibid. n. 12. p. 243
Ly *In*, quid aliud importat ſupra exiſtentiam. ibid. n. 14. p. 243
Tranſportatio verborum irritat , quando ſubſtantialitèr mutat ſignificationem . ibid. n. 16. pag. 243
Referuntur plures tranſportationes non mutanter ſignificationem . ibid. n. 17. p. 243
Si corruptio contingat in principio dictionis regularitèr irritat formam . ibid. n. 20. p. 244
Si mutato P. in M. loco Patris dicatur Matris forma eſt irrita . ibid.
Si mutato T. in R. loco dicendi *Te* , dicatur *Re* eſt irrita . ibid. n. 21. p. 244
Si pro ly *baptizo* , dicatur *paptizo* erit valida . ibid. n. 22. p. 244
Si corruptio contingat in fine dictionis , & dicatur *In nomine Patris* , *& Filius* , *& Spiritus Sanctus* ſecundum D. Thomam eſt valida forma . ibid. n. 23. p. 244
Item , ſi dicatur ex ignorantia *In nomine Patria* , *& Filia &c.* ibid. n. 24. p. 244
Quid ſentiendum ſit , ſi corruptio inducta ſit ex induſtria . ibid. n. 26 p. 245
Mutatio per diuerſitatem idiomatum non irritat . ibid. n. 27. p. 245
Vnuſquiſque tamen tenetur ſeruare idioma propriæ Eccleſiæ . ibid. n. 28. p. 245
Ex cauſa quandoque licet vti idiomate propriæ patriæ . ibid. n. 29. p. 245
Quænam mutatio verborum irritet , & quæ non irritet per varios caſus deciditur . ibid. n. 30. pag. 245
Additio corruptiua veritatis irritat . ibid. n. 32. pag. 246
Additio non corruptiua non irritat . ibid. n. 33. pag. 246
Si inuocationi expreſſæ Sanctiſſimæ Trinitatis addatur nomen Deiparæ per modum deprecationis forma non irritatur . ibid. n. 34. p. 246
Secus , ſi addatur , & ponatur tanquam forma cum nominibus perſonarum . ibid. n. 36. p. 246

O

Oleum .

OLeum non eſt materia adæquata Sacramenti Confirmationis . P. 3. q. 1. a. 1. n. 8. p. 351
Oleum ſignificat gratiam . ibid. n. 10. p. 351
De neceſſitate Sacramenti eſt , quod oleum ſit commixtum balſamo . ibid. n. 12. p. 352
Si oleum præciſè adhiberetur, eſſet inualidum Sacra-

Patrini contrahunt cognationem, quam non contrahit Acolytus. ibid. n. 5. p. 335

Patrinus Confirmationis.

In Confirmatione etiam non eſt neceſſarius neceſsitate Sacramenti. P. 3. q. 5. a. 10. n. 5. p. 399
Mos adhibendi Patrinum in hoc Sacramento eſt antiquiſsimus. ibid. n. 2. p. 399
Hic mos probabilius obligat ſub graui. ibid. n. 4. pag. 399
Vnus tantum, vel vnus, & vna debet admitti. ibid. n. 5. p. 400
Fæmina poteſt eſſe ſuſceptria maſculi in hoc Sacramento. ibid. n. 6. p. 400
Sententia docens adhiberi ſolum Patrinum ad ornatum, nec teneri inſtruere. ibid. a. 11. n. 1. pag. 400
Sententia docens contrahere obligationem inſtruendi. ibid. n. 3. p. 400
In actu primo verè contrahit hanc obligationem. ibid. n. 5. p. 401
In actu ſecundo excuſatur ab executione, niſi in certis caſibus. ibid. n. 6. p. 401
Rationes pro obligatione in actu primo. ibid. n. 7. p. 405
Rationes excuſantes ab executione. ibid. n. 9. pag. 401
Cum illis perſonis contrahitur ſolum cognatio ſpiritualis in Confirmatione, cum quibus contrahitur in Baptiſmo. ibid. a. 12. n. 1. p. 402
Inter Patrinum, & confirmantem verè non contrahitur cognatio ſpiritualis. ibid. n. 4. pag. 402
Ratio, ob quam contrahitur inter Patrinos, Patrem, & Matrem confirmati non inter Patrinos, & confirmantem. ibid. n. 18. p. 402
Non confirmatus tenens confirmandum probabilius non contrahit cognationem ſpiritualem. ibid. a. 13. n. 4. p. 403
An ſaltem grauitèr peccet remiſſiuè. ibid. n. 7. pag. 404
Patrinus, qui ſuſcepit in Baptiſmo, ſi ſuſciperet eundem etiam in Confirmatione validè ſuſciperet. ibid. a. 14. n. 3. p. 404
Explicatur textus *in c. in Catechiſmo de conſecr. diſt.* 4. ibid. n. 4. p. 404
Nec grauitèr peccaret. ibid. n. 6. p. 405
Sic tenens contraheret nouam cognationem. ib. n. 7. p. 405

Peccatum originale.

In ſtatu legis naturæ fuit remedium originalis. P. 1. q. 1. a. 1. n. 6. p. 3
Hoc reſpectu paruulorum erat Sacramentum. ibid. n. 8. p. 4
Non ſic reſpectu adultorum. ibid. n. 10. p. 4
Peccatum originale per Baptiſmum in eo, qui ſibi conſcius eſt etiam læthalium, non remittitur ſine læthalibus. P. 2. q. 3. a. 5. n. 9. p. 220
Poteſt remitti non remiſſis venialibus. ibid. n. 10. pag. 220
Ad remiſſionem originalis in eo, qui ſibi conſcius eſt læthalium non eſt neceſſaria contritio perfecta, nec putata. ibid. n. 12., & 13. p. 225
Sufficit atritio ſupernaturalis in receptione Baptiſmi. ibid. n. 15. p. 221
Peccatum originale per Baptiſmum ritè ſuſceptum penitus extinguitur, nun merè occultatur. P. 2. q. 2. a. 1. n. 8., & 9. p. 305

Peccatum, Peccator.

Peccata commiſſa ante Baptiſmum remittuntur virtute eiuſdem Baptiſmi. P. 1. q. 4. a. 5. n. 5. pag. 73
Quantumuis Baptiſmus fuerit ſuſceptus cum obice remoto tamen eodem obice. ibid.
Peccata commiſſa læthalia in ſuſceptione Baptiſmi non ſunt materia Baptiſmi, ſed Pænitentiæ. ibid. n. 13., & 14. p. 75
Peccata commiſſa in ipſa ſuſceptione Baptiſmi non delentur per ſolam atritionem. ibid. n. 14. p. 75
Quando peccata commiſſa in ſuſceptione Baptiſmi remittuntur per contritionem, vel Confeſſionem Sacramentalem, peccatum originale, & commiſſa ante Baptiſmum remittuntur virtute Baptiſmi. ibid. n. 15. p. 75
Prius aufertur obex, quam gratia infundatur. ibid. n. 16. p. 76
Peccata commiſſa ante Baptiſmum ſublato obice remittuntur, & quoad culpam, & quoad pænam, non ſic quoad pænam commmiſſa, vel in ſuſceptionem Baptiſmi, vel poſt ipſum. ibid. n. 17. p. 76
Peccator occultus notus miniſtro, ſi petat publicè Sacramenta, non eſt eiſdem priuandus. P. 1. q. 4. a. 8. n. 23. p. 93
In hoc non præualet præceptum vitandi ſacrilegium. ibid. n. 25. p. 93
Si petat occultè eidem Sacramenta ſunt neganda. ibid. n. 26. p. 93
Limita in caſu, quo miniſter delictum nouerit ex confeſſione ibid. n. 28. p. 94
Si peteret coram duobus conſcijs delicti eſſet priuandus. ibid. n. 29. p. 94
Secus, ſi coram alijs non conſcijs. ibid. n. 30. p. 94
Peccatori publico, & notorio ſunt Sacramenta deneganda. ibid. n. 32. p. 95
Intellige donec reſcipuerit. ibid. n. 33. p. 95
Intellige item in loco, in quo eſt notorius, & diffamatus. ibid. n. 36. p. 96
Delictum quomodo, & quando dicatur notorium. ibid. n. 31. p. 96
Peccata, quæ non fuerunt remiſſa in ſuſceptione Baptiſmi ob indiſpoſitionem inculpabilem, remittuntur poſita atritione. P. 2. q. 3. a. 6. n. 4. pag. 223
Peccata commiſſa in ſuſceptione Baptiſmi, vt remittantur, exigunt contritionem, vel atritionem cum Confeſſione Sacramentali. ibid. n. 14. pag. 225
Illa peccata dicuntur potius ſubſequentia Baptiſmum, quam comitantia. ibid. n. 16. p. 525
Illa peccata, ſi remittantur poſtea per contritionem, ſunt clauibus ſubijcienda. ibid. n. 17. p. 226
Peccata commiſſa poſt Baptiſmum, ſed ante remotionem obicis ſunt clauibus ſubijcienda. ibid. n. 18. p. 226
Cum peccatis commiſſis poſt Baptiſmum non ſunt ſubijcienda clauibus commiſſa ante illum. ibid. n. 19. p. 226
Peccata commiſſa ante Baptiſmum non remittuntur per Sacramentum Pænitentiæ, quando confitentur commiſſa poſt ipſum. ibid. n. 20. pag. 226
Quando peccata commiſſa ante Baptiſmum remittuntur per ablationem obicis non confertur gratia tanta, quanta fuiſſet collata in ipſa ſuſceptione Baptiſmi. ibid. n. 21. p. 227
Peccatores in duplici differentia, & quali. ibid. a. 7. n. 1. p. 228

Pec-

Peccatoribus, vt talibus ex præcedentèr commiſſis interuenientibus debitis diſpoſitionibus conferendus eſt Baptiſmus. ibid. n. 2. p. 228
Peccatoribus, qui tales ſunt ex affectu, & voluntate peccandi, non eſt conferendus Baptiſmus donec reſcipuerint. ibid. n. 3. p. 228
Intellige, ſi habeant complacenriam ad læthalia. ibid. n. 5. p. 228
Peccant grauitèr habentes poteſtatem baptizandi non tamen iuriſdictionem, qui baptizant extra neceſſitatem ſine licentia Epiſcopi, vel Parochi. P.2. q. 5. a. 5. n.2. p. 259
Non ramen contrahunt irregularitatem. ibid. n.3. p. 259
Parochus alienus baptizans ſibi non ſubditum ſine facultate grauitèr peccat, ibid n. 4. p. 259
Quid, ſi puer natus fuerit in ſua Parochia. ibid. n.5. p. 260
Diaconus baptizans ſolemnitèr ſine deputatione grauitèr peccar. ibid. n.6. p. 260
Abſente Epiſcopo, vel Parocho non poteſt ſolemnitèr baptizare. ibid n. 8. p. 260
Baptizans ſic contraheret irregulatitatem. ibid. n.9. p. 260
Clerici inferiores, & Laici extra neceſſiratem baptizantes grauitèr peccant. ibid. n.11. p. 261
Non tamen contraherent irregularitatem. ibid. n 12. p. 261
Si tamen baptizarent ſolemniter probabilius eandem contraherent. ibid. n. 15. p. 261
Non baptizati baptizantes in neceſſitate non peccanr. ibid. n.16. p. 262
Eatra neceſſiratem grauitèr peccant. ibid. n. 18. pag. 262
Reciſi ab Eccleſia extra neceſſitatem baptizantes grauitèr peccant. ibid. n. 19. p. 262
Grauitèr peccant inducentes Sacerdotem ſimplicem extra neceſſitatem ad baptizandum. ibid. a. 6. n. 1. p. 263
Item inducentes Diaconum. ibid. n. 3. p. 263
Item inducentes non baptizatum ad baptizandum extra neceſſitatem. ibid. n. 5. p. 263
Inducentes Parochum excommunicatum non tamen vitandum ad baptizandum non peccant. ibid. n. 6. p. 263
Secus, ſi inducant eundem extra neceſſitatem, ſi ſit vitandus. ibid. n. 7. p. 264
Peccatum reiterationis Baptiſmi. Vide verb. *Reiteratio*.

Pæna.

Sacerdos baptizans ſine facultate Epiſcopi, vel Parochi non contrahit aliquam cenſuram. P.2. q.5. a.5. n.3. p. 259
Diaconus baptizans ſolemnitèr ſine commiſſione contrahit irregularitatem. ibid. n. 9. p. 260
A fortiori eandem contraheret Subdiaconus ſic baptizans. ibid. n. 10. p. 260
Etiam Clericus, & Laicus ſolemnitèr baptizantes contraherent irregularitatem. ibid. n. 15. pag. 261
Inducentes extra neceſſitatem Sacerdotem ſimplicem ad ſe, vel ſuum puerum baptizandum grauitèr peccaret, non tamen contraherent irregularitatem. ibid. a. 6. n. 1., & 2. p. 263
Nec item contrahunt irregularitatem, ſi inducant Diaconum. ibid. n. 3. p. 263
Per Baptiſmum ritè ſuſceptum remittitur omnis pæna etiam temporalis. P.2. q.9. a.2. n.2. p. 307
Pæna vltimi ſupplicij debita ob enormia delicta non tollitur per Baptiſmum. P.2. q.9. a.4. n.8. pag. 310
Referuntur pænæ de iure ciuili impoſitæ contra rebaptizantes. P. 2. q.10. a. 5. n. 1. p. 329
De iure Eccleſiaſtico contra Epiſcopum, & Presbyterum rebaptizantes impoſita eſt pæna depoſitionis. ibid. n.2. p. 329
Hæc pæna non eſt latæ ſententiæ. ibid. n.3. p. 329
Presbyter rebaptizans probabilius contrahit irregularitatem. ibid. n.4., & 5. p. 329
Vide verb. *Irregularitas*.
Recenſentur variæ pænæ tam iuris Canonici, quam Ciuilis contra rebaptizatos. ibid. a. 7. n.1. p. 333
Tres rebaptizatorum ſtatus, & eorum pænæ. ibid. n.2. p. 334
Tres perſonarum conditiones, & pænæ contra ipſas. ibid. n. 3. p. 334
Recenſitæ pænæ ſunt abolitæ, & ſolum viget irregularitas. ibid. n. 4. p. 334
Pæna irregularitatis contra rebaptizantes, & rebaptizatos non afficit reconfirmantes, & reconfirmatos. P. 3. q.7. a.6. n.3. p. 417

Pænalitates.

Quid veniat nomine pænalitatum. P. 2. q.9. a. 3. n.1. p. 308
Per Baptiſmum huiuſmodi pænalitates non tolluntur. ibid. n. 2. p. 308
Si Chriſtus voluiſſet hac vim conferre, potuiſſet, de facto tamen non contulit. ibid. n. 3. p. 308
Rationes, ob quas de facto non contulit. ibid. n. 4. pag. 309
Chriſtus non fuit immunis omnibus pænalitatibus. ibid. n. 5. p. 309
Concupiſcentia, & fomes peccati ſecundum ſe non eſt peccatum. ibid. n. 7. p. 309

Pænitentia.

In Sacramento Pænitentiæ non præerequiritur ſtatus gratiæ. P.1. q. 4. a.4. n. 6. p. 70
Quandoque tamen ipſa gratia præcedit. ibid. n.7. pag. 70

Puer.

Puer in vtero Matris exiſtens ſecundum aliquos poteſt baptizari. P.2. q.3. a.1. S.1. n.2. p. 185
Secundum eoſdem eſt pars Matris. ibid. n. 3. pag. 186
Secundum alios poteſt baptizari per fiſtulam in vtero Matris immiſſam. ibid. n. 5. p. 186
Puer in vtero Matris integer exiſtens non poteſt baptizari. ibid. n. 6. p. 186
Non poteſt immediate aqua pertingi. ibid. n.8. pag. 186
Vt eſt animatus eſt corpus diſtinctum ab illo Matris. ibid. n. 9. p. 186
Eſt ſecundinis obuolutus. ibid. n. 10. p. 186
Non eſt in commercio hominum. ibid. n. 11. pag. 186
Puer natus ſolum ſecundum caput, ſi periculum ſit, ne totus naſcatur poteſt, & debet in capite abſolutè baptizari. ibid. S. 3. n. 1. p. 188
Si non ſit periculum expectanda eſt integra natiuitas. ibid. n.2. p. 188
Si perfectè naſceretur non eſſet iterum baptizandus. ibid. n. 4. p. 188
Si egreſſus fuerit ſecundum partem minus principalem eſt baptizandus in illa ſub conditione. ibid. n.4. p. 188
Si perfectè poſtea naſcatur eſt rebaptizandus ſub conditione. ibid. n. 6. p. 189
Refertur error Hæreticorum aſſerentium pueros ante vſum rationis non eſſe capaces Baptiſmi.

ſiſmi. ibid. S. 4. n. 6. p. 190
Rationes quibus innituntur. ibid. n. 7. p. 190
Refellitur hic error. ibid. n. 8. p. 190
Refellitur etiam error aſſerentium pueros ante vſum rationis non contrahere originale. ibid. n. 9. p. 191
Refellitur etiam error illorum, qui aſſerunt non poſſe conferri Baptiſmum ſine Euchariſtia. ibid. n. 10. p. 192
Sententia docens, vt pueri validè baptizentur, requiri voluntatem parentum. ibid. n. 12. pag. 192
Ad valorem non eſt neceſſaria voluntas parentum. ibid. n. 14. p. 192
An pueri infantes infidelium poſſint baptizari inuitis parentibus. Vide verb. *Infidelis*.
Sententia Marcioniſtarum aſſerentium filios mortuos ante Baptiſmum poſſe baptizari. ibid. S. 7. n. 1. p. 200
Non ſunt capaces Sacramentorum, niſi vt ſunt in via. ibid. n. 2. p. 200
Refellitur veſania Marcioniſtarum. ibid. n. 3. pag. 200
Pueri expoſiti, an poſſint baptizari. Vide verb. *Expoſiti*.

R

Reiteratio.

IN dubio iuris poteſt reiterari Baptiſmus, ſub conditione tamen. P. 2. q. 10. a. 3. n. 2. p. 327
Si Baptiſmus primus publicè collatus eſt, & dubium ſit publicum conditio debet expreſsè apponi ad tollendum ſcandalum. ibid. n. 3. p. 327
Secus, ſi vtrumque ſit priuatum. ibid. n. 4. p. 327
Si dubium fuerit facti, & ſuſpenſiuum Baptiſmus eſt iterandus ſub conditione. ibid. n. 5. pag. 327
Idem dic, ſi dubium fuerit opinatiuum. ibid. n. 6. pag. 327
Niſi fuerint firmi teſtes deponentes de collato Baptiſmo. ibid n. 7. p. 328
Ad excludendum iteratum Baptiſmum ſufficit vnus teſtis fide dignus. ibid. n. 8. p. 328
Exiſtente morali dubio de valore pueris Baptiſmi iterata collatio conditionata non eſt peccaminoſa. ibid. a. 4. n. 1. p. 328
Secus, ſi non ſit morale dubium. ibid. n. 2. p. 328
Iterata collatio eſt ex genere ſuo grauitèr peccaminoſa reſpectu omnium ſcientèr concurrentium. ibid. n. 3., & 4. p. 328
Eſt peccatum enorme in genere ſacrilegij. ibid. n. 5. p. 329
Pœnæ de iure ciuili contra rebaptizantes. ibid. a. 5. n. 1. p. 329
De iure Eccleſiaſtico contra Epiſcopum, & Presbyterum rebaptizantes impoſita eſt pœna depoſitionis. ibid. n. 2. p. 329
Hæc pœna non eſt latæ ſententiæ. ibid. n. 3. p. 329
Presbyter rebaptizans probabilius contrahit irregularitatem. ibid. n. 4., & 5. p. 329
Circa hanc irregularitatem. Vide verb. *Irregularitas*.
In reiteratione Baptiſmi inualidi ſolemnitèr collati probabilius non ſunt reitẽdæ ſolemnitates. ibid. a. 9. n. 2. p. 337
Si reiterarentur cæremoniæ ſine reiteratione Baptiſmi ſecundum Suarez, nec reiterans, nec reiteratus, nec Patrini contrahunt irregularitatem. ibid. a. 10. n. 1. p. 338
Secundum alios verè contrahunt. ibid. n. 2. p. 338

Reuiuiſcentia.

Sacramentum Baptiſmi ſuſceptum cum obice remoto obice reuiuiſcit. P. 1. q. 4. a. 5. n. 5. p. 73
Sacramentum Baptiſmi, quando aufertur obex, licet non exiſtat actu, exiſtit virtualitèr. ibid. n. 11. p. 74
Quando Baptiſmus ſuſceptus eſt cum obice culpabili ad illum remouendum non eſt ſufficiens ſola attritio. ibid. n. 13. p. 75
Illud peccatum nouum in ſuſceptione Baptiſmi non eſt materia eiuſdem Baptiſmi. ibid. n. 14. pag. 75
Quando peccatum commiſſum in ſuſceptione Baptiſmi remittitur per contritionem, vel per Confeſſionem Sacramentalem originale, & commiſſa ante Baptiſmum remittuntur virtute eiuſdem Baptiſmi. ibid. n. 15. p. 75
Prius aufertur obex, quam gratia infundatur. ibid. n. 16. p. 76
Peccata commiſſa ante Baptiſmum remoto obice remittuntur, & quoad culpam, & quoad pœnam totalitèr, non ſic quoad pœnam commiſſa poſt ipſum. ibid. n. 17. p. 76
Etiam alia Sacramenta à Baptiſmo validè ſuſcepta cum obice remoto obice reuiuiſcunt. ibid. n. 18. p. 76
Si Sacramentum Pœnitentiæ poſſet eſſe validum, & informe remoto obice reuiuiſceret. ibid. n. 19. p. 76
Sacramenta recepta cum obice remanent in acceptatione Diuina. ibid. n. 21. p. 77
Si Sacramenta reuiuiſcunt quoad vnum effectum poſſunt reuiuiſcere quoad alios. ibid. n. 22. pag. 77
Ad reuiuiſcentiam aliorum Sacramentorum à Baptiſmo requiritur contritio, vel confeſſio. ibid. n. 25. p. 78
An maior diſpoſitio ad remouendum obicem conferat ad maiorem reuiuiſcentium gratiæ ſententia affirmatiua cum ſuis rationibus. ibid. a. 6 n. 2. p. 79
Diſpoſitio, ſiue maior, ſiue minor, quæ adhibetur in remotione obicis non confert ad maiorem gratiam in reuiuiſcentia. ibid. n. [illegible] 80
Diſpoſitiones præuiæ ad Sacramentum ſuſceptum cum obice culpabili non reuiuiſcunt. ibid. n. 5. p. 80
Si cum obice inculpabili probabilius reuiuiſcunt, ibid.
Illa diſpoſitio, per quam remouetur obex, non tribuit maiorem vim Sacramento præcedenti. ibid. n. 6. p. 80
Sacramentum, dum reuiuiſcit, cauſat gratiam minimam. ibid. n. 8. p. 81
Dum reuiuiſcit cauſat ſolum moralitèr. ibid. n. 9. pag. 81
Non valet argumentum à diſpoſitione in ſuſceptione ad diſpoſitionem in remotione obicis. ibid. n. 12. p. 81
Explicatur in hoc aſſertum Concilij Trident. ibid. n. 13. n. 82
Baptiſmus non reuiuiſcit quoad peccata commiſſa in ſuſceptione eiuſdem. ibid. n. 8. p. 84
Vide verbo *Baptiſmus*.
Reliqua Sacramenta ſuo modo reuiuiſcunt. ibid. n. 15. p. 86
Non tamen quoad remiſſionem cuiuſcunque pœnæ temporalis. ibid. n. 16. p. 86

Ritus.

Ritus.

Quid veniat nomine ritus, prout pertinet ad rem præſentem. P. 1. q. 5. a. 1. n. 1. p. 97
Definitio propria ritus, eiuſque explicatio. ibid. n. 2., & 3. p. 97
Ritus aliqui fuerunt à Chriſto Domino inſtituti, reliqui ab Eccleſia. ibid n. 4 p. 98
Regularitèr inducti ſunt de iure Eccleſiaſtico. ibid. n. 5. p. 98
Rationes, ob quas fuerunt inducti. ibid. n. 9. p. 99
Omiſſio rituum, ſi ſint tantum ſub conſilio, non eſt peccaminoſa. ibid. a. 2 n. 2. p. 99
Ritus, qui cadunt ſub lege, ſiue ſcripta, ſiue non ſcripta regulariter obligant ſub graui. ibid. n. 4. p. 100
Omiſſio ax leuitate materiæ poteſt eſſe leuis. ibid. n. 5. p. 100
Magis obligant ritus, qui inducti ſant ad ſignificationem. ibid n. 6. p. 100
Ritus, qui inducti ſunt circa Sacramenta neceſſitatis, vrgente neceſſitate poſſunt omitti. ibid. n. 7. pag. 100
Explicatur in caſibus particularibus. ibid. n. 8. pag. 100
Etiam ritus pertinentes ad alia Sacramenta non neceſſaria poſſunt omitti imminente morte. ibid. n. 9. p. 101
Exceptio ad mox dicta. ibid.
Variatio accidentalis rituum non inducit grauem noxam, & quandoque nullam. ibid. a. 3. n. 2. p. 101
Mutatio ſubſtantialis eſt ex genere ſuo grauis. ibid. n. 3. p. 101
Excipe, ſi fuerit ex inadnertentia. ibid. n. 4. pag. 102
Subſtancialis eſt etiam grauis reſpectu Epiſcopi. ibid. n. 5. p. 102
Variatio cum intentione inducendi diuerſum ritum eſt grauis. ibid. n. 6. p. 102
Ritus in Baptiſmo referuntur ſolum ad ſolemnem. P. 2. q. 7. a. 1. n. 1. p. 285
Alij ſunt præparatorij, alij concomitantes, alij ſubſequentas. ibid. n. 2. p. 285
Alij conſiſtunt in verbis, & quinam ſint. ibid. n. 3 p. 285
Alij in actionibus, & referuntur. ibid. n. 4. p. 285
Regulariter, qui conſiſtunt in actionibus, habent comitatum verborum. ibid. n. 5. p. 286
In aliquibus ritus ſunt diuerſi in Baptiſmo adultorum, ac in Baptiſmo paruulorum. ibid. n. 6. pag. 286
Calumniæ Hæreticorum aduerſus hos ritus. ibid. a. 2. n. 1. p. 286
Conuenientiſſima fuit inſtitutio huiuſmodi rituum. ibid. n. 2. p. 286
Explicantur in particulari ſignificata ſingulorum. ibid. n. 5. p. 286
Confutantur ſingulæ irriſiones Hæreticorum. ibid. n. 9. p. 287
Inter cæteros ritus numeratur Catechiſmus. Vide verb. *Catechiſmus*.
Ritus quoad Exorciſmos. Vide verb. *Exorciſmus*.
Ritus, qui in Confirmatione pertinent ad materiam. P. 3. q. 6. a. 1. n. 1. p. 406
Primus eſt benedictio balſami ſeparatim ab oleo. ibid. n. 2. p. 406
Secundus benedictio olei, & quomodo hęc fiat. ibid. n. 3. p. 406
Tertius commixtio balſami, & olei, & quibus ritibus hæc fiat. ibid. n. 4. p. 406
Quonam tempore debeat fieri Chriſma, & benedictio eiuſdem. ibid. n. 5. p. 406
Et quonam in loco. ibid. n. 6. p. 406
Ritus in Confirmatione alij præcedentes, alij comitantes, alij ſubſequentes. ibid. a. 2. n. 1. p. 406
Prærequiritur apparatus ſacrarum veſtium. ibid. n. 2. p. 407
Grauiter peccaret Epiſcopus, ſi confirmaret ſine ſacris veſtibus. ibid. n. 3. p. 407
Ieiunium non prærequiritur ex neceſſitate. ibid. n 5. p. 407
Referuntur ritus concomitantes. ibid. n. 6. p. 407
Item ſubſequentes. ibid. n. 7. p. 407
Ritus circa tempus. ibid. a. 3. p. 407
Antiquitus collatio ſolemnis Baptiſmi, & Confirmationis pro certis temporibus coniungebatur. ibid. n. 1. p. 407
Modo hic vſus euanuit. ibid. n. 2. p. 408
Nec coniungitur collatio Confirmationis cum collatione Baptiſmi. ibid. n. 3. p. 408
Antiquitus non conferebatur, niſi manè. ibid. n. 4. p. 408
Modo etiam confertur in veſperis. ibid. n. 5. pag. 408
Regularitèr collatio Confirmationis fieri debet in Eccleſia. ibid. n. 6. p. 408
Nec obſtat Pontificale Romanum. ibid. n. 7. pag. 408

S

Sacramentale.

QVid veniat nomine Sacramentalium. P. 1. q. 8. a. 1. n. 1. p. 148
Etiam ſunt Sacramentalia extra Sacramenta. ibid. n. 2. p. 148
Dari huiuſmodi Sacramentalia eſt communitèr receptum. ibid. n. 3. p. 148
Fuerunt inſtitura ab Eccleſia. ibid. n. 4. p. 148
Definitio Sacramentalium. ibid. n. 6. p. 148
Quotuplex ſit Sacramentale. ibid n. 8. p. 149
Enumerantur huiuſmodi Sacramentalia. ibid. à n. 9. ad fin. p. 149
Cauſæ intrinſecæ Sacramentalium, quæ verſantur circa adminiſtrationem Sacramentorum, conſiſtunt generatim in ritu ab Eccleſia inſtituto. ibid. a. 2. n. 1. p. 150
In Oratione Dominica verba, quibus illa componitur, ſunt materia, pia affectio, qua profertur, eſt forma. ibid. n. 2. p. 150
Enumerantur materia, & forma in alijs Sacramentalibus. ibid.
Aſſignatur cauſa finalis Sacramentalium. ibid. n. 3. p. 150
Cauſa effectiua inſtituens eorundem eſt Eccleſia. ibid. n. 4. p. 150
Aſſignatur cauſa exequens ſingulorum. ibid. n. 5. pag. 151
Regularitèr Sacramentalia non poſſunt induci, niſi per Pontificem. ibid. n. 6. p. 151
Reijcitur error auertens quemcunque cultum Dei externum. ibid. a. 3. n. 2. p. 151
Item error aſſerens eſſe humana figmenta abſque Diuina auctoritate. ibid. n. 3. p. 151
Item aſſerens ſola contenta in ſacris paginis eſſe ſeruanda. ibid. n 4. p. 152
Item error ſtatuens Sacramentalia non poſſe percipi. ibid. n. 5. p. 152
Ex his omnibus euincitur honeſtas, pietas, & Religioſitas Sacramentalium. ibid. n. 6. p. 152

Sacra-

Digitized by Google

Sacramentalia non conferunt gratiam habitualem ex opere operato. ibid. a. 4. n. 4. p. 153
Nec ius ad aliquod auxilium actuale ſupernaturale. ibid. n. 5. p. 153
Quamuis coniungantur cum precibus ad hoc ordinatis illud ius non obtinent ex opere operato. ibid. n. 6. p. 154
Non remittunt immediatè venialia ex opere operato. ibid. n. 8. p. 154
Quamuis coniungantur cum Eccleſiæ precibus ad hoc ordinatis. ibid. n. 9. p. 154
Explicatur textus in *c. aquam de conſecr. diſt.* 3. ibid. n. 10. p. 155
Ex eo, quod alia ordinentur mediatè ad remiſſionem venialium, non ideo ſunt Sacramentalia. ibid. n. 12. p. 155
Sacramentalia ex ordinatione Eccleſiæ poſſunt remittere pœnas. ibid. n. 13. p. 155
Habent vim expellendi Dæmones. ibid. n. 14. pag. 156
Cauſant etiam impetratione conſecutionem bonorum temporalium. ibid. n. 17. p. 156

Sacramentum.

In ſtatu innocentiæ, nec fuit, nec erat neceſſarium aliquod Sacramentum. P. 1. q. 1. a. 1. n. 1. pag. 2
Reſpondetur dicto D. Pauli ad Epheſ. 5. ibid. n. 3. pag. 3
In ſtatu legis naturæ fuit remedium originalis. ibid. n. 6. p. 3
Hoc reſpectu paruulorum erat Sacramentum. ibid. n. 8. p. 4
Non ſic reſpectu adultorum. ibid. n. 10. p. 4
In ſtatu legis ſcriptæ extiterunt plura Sacramenta. ibid. n. 13. p. 4
Sacramenta legis ſcriptæ collata cum Sacramentis nouæ legis. ibid. n. 14. p. 4
Quot, & qualia tunc fuerint Sacramenta. ibid. n. 15. p. 5
In ſtatu legis gratiæ ſeptem fuerunt Sacramenta, nec plura, nec pauciora. ibid. n. 16. p. 5
Non fuerunt hæc Sacramenta inſtituta ex neceſſitate abſoluta. ibid. n. 18. p. 6
Suppoſita inſtitutione aliqua ſunt neceſſaria ſimpliciter, aliqua ſecundum quid. ibid. n. 19. p. 6
Sacramenta non ſunt merè entia per accidens. ibid. a. 2. n. 2. p. 7
Nec entia rationis. ibid. n. 3. p. 7
Variæ definitiones Sacramenti ſomniatæ ab Hæreticis. ibid. n. 5. p. 7
Quid propriè ſit Sacramentum ſecundum veritatem. ibid. n. 6. p. 8
Conuenit omnibus Sacramentis. ibid. n. 8. p. 8
Excluditur à ratione Sacramenti martirium. ibid. n. 9. p. 8
Excluditur etiam Sacrificium, vt tale. ibid. n. 10. pag. 9
Non eſt Sacramento in genere eſſentiale cauſare Phyſicè gratiam. ibid. n. 12. p. 9
Cauſat ſanctitatem aliquam externam, & legalem. ibid. n. 13. p. 9
Nec eſt eſſentiale eidem cauſare gratiam internam moralitèr. ibid. n. 14. p. 9
Sacramenta nouæ, & veteris legis conueniunt vniuocè in eo, quod ſint ſigna ſacra. ibid. a. 3. n. 1. pag. 10
Item in eo, quod ſignificent gratiam perfectam. ibid. n. 3. p. 10
Differunt in modo cauſandi gratiam perfectam, & quomodo. ibid. n. 4. p. 11
Differunt item ex parte cauſæ. ibid. n. 5. p. 11
Omnia Sacramenta nouæ legis conſtant verbis, & rebus ſaltem æquiualenter. P. 1. q. 2. a. 1. n. 2. pag. 12
Quidnam habeat rationem rei in Sacramento Pœnitentiæ. ibid. n. 3. p. 12
Et quid in Sacramento Matrimonij. ibid. n. 4. pag. 12
In Sacramento Ordinis. ibid. n. 5. p. 13
Res habent in Sacramentis nouæ legis rationem materiæ, & verba rationem formæ. ibid. n. 6. pag. 13
Sacramenta ſunt complexa moralia ſubſtantialia. ibid. n. 8. p. 13
An Sacramenta importent intrinſecè intentionem miniſtri. Vide verbo *Intentio*.
Sacramenta exigunt ſimultatem inter materiam, & formam. ibid. a. 3. n. 1. p. 15
Aliqua Sacramenta maiorem, aliqua minorem exigunt ſimultatem. ibid. n. 2. p. 16
Regularitèr contenta ſunt morali. ibid. n. 3. pag. 16
Sacramenta, quæ conſiſtunt in actione tanquam in materia proxima, & fiunt per pronomina demonſtratiua exigunt maiorem ſimultatem. ibid. n. 4. p. 16
Sacramenta nouæ legis habent determinationem quoad res, & verba ex inſtitutione Chriſti Domini. ibid. a. 4. n. 2. p. 17
Verba in eodem Sacramento habent rationem determinatiui. ibid. n. 3. p. 17
In Sacramento Matrimonij, & Ordinis verba habent minorem determinationem, ac alia Sacramenta. ibid. n. 5. p. 18
Res in aliquibus Sacramentis ſunt magis determinatæ, in alijs minus. ibid. n. 6. p. 18
Idem dicendum eſt de vno Sacramento comparato ad aliud. ibid. n. 7. p. 18
An Sacramenta nouæ legis admittere poſſint aliquam mutationem, & quamnam. Vide verb. *Materia*, & *Forma*, & verb. *Mutatio*.
In Sacramentis quid veniat nomine rei, & quid nomine Sacramenti. ibid. a. 8. n. 1. p. 29
In omnibus Sacramentis datur res tantum, Sacramentum tantum, res, & Sacramentum ſimul. ibid. n. 2. p. 30
Aſſignantur res, & Sacramentum in ſingulis. ibid. n. 3. p. 30
In alijs Sacramentis à Baptiſmo, & Pœnitentia ad licitam receptionem eorundem præerequiritur ſtatus gratiæ. P. 1. q. 4. a. 4. n. 8 p. 70
Indignè tractans Sacramenta grauitèr peccat. ibid. n. 11. p. 71
Suſcipiens Sacramenta exiſtimans ſe eſſe in gratia, cum tamen non ſit, non conſequitur gratiam, non tamen peccat. ibid. n. 12. p. 71
Quænam diſpoſitiones prærequirantur in ſuſcepturis Sacramenta. ibid. n. 13 p. 71
An Sacramenta validè ſuſcepta, ſed cum fictione, ſeu obice, remoto eodem obice reuiuiſcant. Vide verb. *Reuiuiſcentia*, & *Fictio*.
Sacramentum Baptiſmi receptum cum obice remoto obice reuiuiſcit. P. 1. q. 4. a. 5. n. 5. p. 73
Etiam alia Sacramenta, ſi validè ſint recepta remoto obice reuiuiſcunt. ibid. n. 18. p. 76
Vide varb. *Reuiuiſcentia*.
Sacramenta quoad aliquos Hæreticos non cauſant gratiam, eorumque rationes. P. 1. q. 5. a. 1 n. 1., & 2. p. 103
Sacramenta nouæ legis verè, & immediatè cauſant gratiam. ibid. n. 3. p. 103
Et vtique ex opere operato. ibid. n. 5. p. 103

Nun ſe habent merè per modum conditionis. ibid. n.6. p. 104

Habent ex inſtitutione Diuina, vt ſint ſigna, & cauſæ. ibid. n. 7. p. 104

Eluduntur Hæreticorum errores. ibid. n.9. p. 104

Sacramenta non cauſant immediatè effectiuè aliquam Phyſicam diſpoſitionem ad gratiam. ibid. a.2. n.3. p. 105

Nec præcisè ſolum effectiuè vnionem animæ cum gratia. ibid. n. 6. p. 107

Sacramenta cauſant immediatè moralitèr gratiam. ibid. a.3. n.1. p. 107

In quo conſiſtat hæc moralis cauſalitas variæ ſententiæ remiſſiuè. ibid. n. 3. p. 108

Explicatur iuxta mentem auctoris, in quo conſiſtat hæc moralis cauſalitas. ibid. n. 4. p. 108

Proponuntur argumenta contraria. ibid. à n. 6. ad 10 p. 108., & 109

Soluuntur eadem argumenta. ibid. à n. 10. ad fin. p. 109., & 110

Merita Chriſti conſiderantur, vt pretium. ibid. n.10. p. 109

Vt ſunt actiones Chriſti reſpiciunt ſolum ſubſtantialia. ibid. n.11. p. 109

Sacramenta applicant merita Chriſti. ibid. n. 12. pag. 109

Principalius Sacramenta ordinantur ad hominum ſanctificationem. ibid. n. 13. p. 109

Sententia negans Sacramenta cauſare Phyſicè gratiam. ibid. a.4. n. 1. p. 110

Sententia tribuens eiſdem cauſalitatem Phyſicam. ibid. n. 2. p. 110

Ratio pro ſententia negante deducta ex Concilijs, & PP. ibid. n. 3. p. 110

Item deducta ex paſſione Chriſti Domini, quæ non cauſat, niſi moralitèr. ibid n. 4. p. 111

Item deducta ex negatione præuiæ actionis ad gratiam. ibid. n.5. p. 111

Item deducta ex negatione exiſtentiæ, quando gratia producitur. ibid. n.6. p. 111

Et hæc ratio maximè viget in reuiuiſcentia Sacramentorum. ibid. n.7. p. 111

Item deducta ex materialitate eorundem Sacramentorum. ibid. n. 8. p. 111

Sacramenta poſſunt Phyſicè cauſare gratiam. ibid. n.9. p. 112

Rationes pro hoc aſſerto. ibid. à n. 10. ad 14. p.112., & 113

Per ſe loquendo etiam de facto Phyſicè producunt gratiam. ibid. n. 14. p. 113

Euincitur auctoritatibus SS PP., & definitionibus Conciliorum. ibid. n.15., & ſeqq. p. 113

Quandoque tamen ſolum producunt moralitèr. ibid. n. 19. p. 114

Euincitur potiſsimum in caſu reuiuiſcentiæ. ibid. n.16. p. 114

An Matrimonium inter abſentes cauſat Phyſicè gratiam remiſsiuè. ibid. n. 22. p. 115

Quid de Sacramento Pænitentiæ, & Ordinis. ibid. n.23. p. 115

Soluuntur argumenta contra cauſalitatem Phyſicam. ibid. à n. 24. ad fin. p. 115

Sacramenta, antequam ſuſcipiantur, quamuis præcedat votum eorundem, nec Phyſicè, nec moralitèr cauſant gratiam. ibid. a. 5. n. 2. p. 116

Votum Sacramenti, quamuis, ſi ſit cum debitis conditionibus coniunctum, operatur, non operatur tamen ex opere operato. ibid. n.4. p. 117

Votum Sacramenti, nec moralitèr cauſat caractherem. ibid. n. 7. p. 117

Sacramenta cauſant gratiam in vltimo inſtanti prolationis formæ. ibid. n.8. p. 117

Perficiuntur in illo vltimo inſtanti. ibid. n. 9. pag. 117

Quomodo omnes partes formæ concurrant ad gratiam. ibid. n. 11. p. 118

Sacramenta mortuorum per ſe cauſant primam gratiam. ibid. a.6. n. 1. p. 119

Sacramenta viuorum non habent per ſe cauſare primam gratiam. ibid. n. 4. p. 120

Nec mortuorum ſecundam. ibid.

Chriſtus Dominus tribuit ſingulis Sacramentis determinatam virtutem. ibid. n. 6. p. 120

Sacramenta viuorum cum ſola attritione non cauſant gratiam. ibid. n. 8. p. 120

Sacramentum Extremæ Vnctionis non delet per ſe peccata. ibid. n.9. p. 121

Sacramenta mortuorum per accidens, quandoque producunt ſecundam gratiam. ibid. n. 12. pag. 121

Rationes ſuadentes Sacramenta viuorum, quandoque cauſare primam gratiam. ibid. n. 13. pag. 121

Rationes ſuadentes, nec per accidens producere. ibid. p. 122

Auctor procedit remiſsiuè. ibid. n.16. p. 122

An gratia, quæ producitur à Sacramentis differat, & quomodo à non Sacramentali. Vide verbo *Gratia*.

Sacramenta ad inuicem comparata cæteris paribus non habent ſecundum ſe producere æqualem gratiam. ibid. a 8. n. 2. p. 128

Procedit de inæqualitate intenſiua. ibid. n. 3. pag. 128

Sacramenta ipſa ſunt in perfectione inæqualia. ibid. n. 4 p. 128

Ex eo, quod Sacramenta ſint neceſſaria non ſequitur, quod producant intenſiorem gratiam. ibid. n.6. p. 128

Recipiens Sacramentum Euchariſtiæ cum æquali diſpoſitione qua recipit Confirmationem, maiorem gratiam recipit. ibid. n.7. p. 129

Vnumquodque Sacramentum in ſubiecto ęquè diſpoſito cauſat ęqualem gratiam. ibid. n. 9. pag. 129

Item in ſubiectis nullam habentibus diſpoſitionem. ibid. n. 10. p. 129

In ſubiecto magis, vel minus diſpoſito idem Sacramentum producit maiorem, vel minorem gratiam. ibid. n. 14. p. 130

Sacrificium.

Sacrificium formalitèr, vt tale non eſt Sacramentum. P.1. q.1. a.2. n.10. p. 9

Seruitus.

Per Baptiſmum non tollitur conditio ſeruilis. P. 2. q.9. a.4. n.8. p. 310

Ratio diuerſitatis inter conditionem ſeruilem, & alias pęnalitates non officit. ibid. n. 9. p. 311

Humana ſeruitus non pugnat cum filiatione adoptiua Dei. ibid. n. 10. p. 311

Nec cum ſeruitute Chriſti Domini. ibid. n. 11. pag. 311

Sigillum Sacramentale.

Etiam ad effectum baptizandi inualidè baptizatum non licet frangere ſigillum Sacramentale. P.2. q.3. a.4. S.2. n.3. p. 212

Pręceptum ſigilli eſt negatiuum. ibidem n. 4. pag. 212

Digitized by Google

An ad illum affectum poſsit ſaltem indirectè violari remiſsiuè. ibid. n. 6. p. 212

Status.

Referuntur quatuor hominum ſtatus. P. 1. q. 1. a. 1. n. 1. p. 2
In ſtatu innocentiæ, nec fuit, nec erat neceſſarium aliquod Sacramentum. ibid. n. 2. p. 2
Explicatur dictum *D. Pauli ad Epheſ.* 5., vt non aduerſans noſtro ſenſui. ibid. n. 3. p. 3
Item dictum *D. Thomæ tertia part. q. 6. art. 2.* ibid. n. 4. p. 3
In ſtatu innocentiæ vix fuiſſet partium inordinatio. ibid. n. 5. p. 3
In ſtatu legis naturæ fuit remedium originalis. ibid. n. 6. p. 3
Non eſt datus ſtatus puræ naturæ. ibid. n. 7. p. 4
Remedium originalis in ſtatu naturæ reſpectu paruulorum erat Sacramentum. ibid. n. 8. p. 4
Reſpectu adultorum illud remedium non erat Sacramentum. ibid. n. 10. p. 4
In eo ſtatu Deus ſolum conſtituit Sacramenta, quæ erant neceſſaria ad ſalutem. ibid. n. 11. pag. 4
Remedium pro actualibus tunc non erat Sacramentum. ibid. n. 12. p. 4
In ſtatu legis ſcriptæ extiterunt plura Sacramenta. ibid. n. 13. p. 4
Sacramenta legis ſcriptæ collata cum Sacramentis nouæ legis. ibid. n. 14. p. 4
Quot, & qualia tunc fuerint Sacramenta. ibid. n. 15. p. 5
In ſtatu legis gratiæ ſeptem fuerunt, nec plura, nec pauciora. ibid. n. 16. p. 6
Non fuerunt hæc Sacramenta inſtituta ex neceſſitate abſoluta. ibid. n. 18. p. 6
Suppoſita inſtitutione aliqua ſunt neceſſaria ſimpliciter, alia ſecundum quid. ibid. n. 19. p. 6
Varij hominum ſtatus ſecundum ordinem naturæ, & ſecundum ordinem ſubiectionis. P. 2. q. 3. a. 1. n. 1. p. 185

Subiectum.

Subiectum Sacramentorum non ſunt creaturæ irrationales. P. 1. q. 4. a. 1. n. 2. p. 56
Angeli, & animæ ſeparatæ de facto non ſunt ſubiectum eorundem. ibid. n. 3. p. 56
De poſſibili poſſunt eſſe ſubiectum. ibid. n. 4. pag. 56
Animæ in corpore immortali exiſtentes ſunt capaces Sacramentorum de lege extraordinaria. ibid. n. 5. p. 56
Omnes homines viatores ſunt capaces Sacramentorum. ibid. n. 6. p. 56
Extra ſtatum viæ de lege ordinaria homines ſunt incapaces gratiæ. ibid. n. 3. p. 57
Fœminæ non ſunt capaces Sacramenti Ordinis. ibid. n. 10. p. 58
Proximè non omnes ſunt capaces. ibid. n. 11. pag. 58
Pueri in vtero matris exiſtentes non ſunt proximè capaces. ibid. n. 12. p. 58
Deipara Virgo fuit capax Sacramentorum. ibid. n. 13. p. 58
Paruuli ante vſum rationis ſunt ſecundum ſe proximè capaces Baptiſmatis, Confirmationis, Euchariſtiæ, & Ordinis, non tamen Pænitentiæ, Matrimonij, & Extremæ Vnctionis. ibid. a. 2. n. 2. p. 59
Intellige de valida receptione. ibid.
Vide verbo *Intentio*.
In ſubiecto recepturo Baptiſmum non prærequiritur ſtatus gratiæ. P. 1. q. 4. a. 4. n. 2. p. 69
In infantibus, & perpetuo amentibus recepturis Baptiſmum non requiritur fides, & attritio. ibid. n. 3. p. 69
In adultis ad licitam perceptionem prærequiritur fides, & attritio de peccatis actualibus commiſſis ante Baptiſmum. ibid. n. 4., & 5. p. 70
In ſuſcepturis Sacramentum Pænitentiæ non prærequiritur ſtatus gratiæ. ibid. n. 6. p. 70
Quandoque tamen ipſa gratia præcedit. ibid. n. 7. pag. 70
Ad licitam perceptionem aliorum Sacramentorum prærequiritur ſtatus gratiæ. ibid. n. 8. pag. 70
Suſcipiens Sacramenta alia exiſtimans eſſe in gratia, in quo non eſt, non peccat. ibid. n. 12. pag. 71
Quænam diſpoſitiones poſitiuæ requirántur ad ſuſceptionem licitam Sacramentorum. ibid. n. 13. p. 71
Subiectum remotum caractheris Baptiſmi, & Confirmationis eſt homo, ſiue maſculus, ſiue fæmina. P. 1. q. 7. n. 1. p. 138
Subiectum ordinis eſt ſolum maſculus. ibid.
Subiectum proximum caractheris quodnam ſit. Vide verbo *Caracther*.
Subiectum Baptiſmi ſecundum aliquos eſt etiam puer in vtero matris exiſtens. P. 1. q. 3. a. 1. S. 1. n. 2. p. 185
Vide verbo *Puer*, & *Monſtrum*.
Subiectum quoad intentionem. Vide verb. *Intentia*.
Ad validè ſuſcipiendum Baptiſmum non requiritur fides ſupernaturalis. P. 2. q. 3. a. 3. n. 1. pag. 208
Ad licitam receptinnem requiritur fides. ibid. n. 4. p. 208
Stante infidelitate ſtat obex ad gratiam. ibid. n. 5. pag. 208
Cur ſine fide producatur caracther, non gratia. ibid. n. 6. p. 208
An in ſubiecto adulto recepturo Baptiſmum requiratur dolor de peccatis commiſſis. Vide verbo *Attritio*.
Subiectum proximum Baptiſmi ſecundum aliquos eſt quælibet pars corporis quantumuis minima. P. 2. q. 3. a. 8. n. 1. p. 229
Secundum alios eſt totum corpus. ibid. n. 2. p. 229
Caput eſt infallibile ſubiectum huius Sacramenti. ibid. n. 4. p. 229
Non eſt Baptiſmus conferendus in membris genitalibus. ibid. n. 6. p. 229
Etiam pectus, & ſcapulæ ſunt certum ſubiectum Baptiſmi. ibid. n. 7. p. 230
Non tamen ex neceſſitate eſt ibi conferendus. ibid. n. 8. p. 230
Incertum eſt, an minima pars corporis ſit ſufficiens. ibid. n. 11. p. 230
In eadem in neceſſitate eſt conferendus Baptiſmus ſub conditione. ibid. n. 12. p. 230
Extra neceſſitatem non eſt conferendus Baptiſmus in manu, & multo minus in digito. ibid. n. 14., & 15. p. 231
Et tunc exiſtente neceſſitate conferendus eſt ſub conditione. ibid. n. 16. p. 231
Soli capilli non videntur eſſe ſubiectum aptum Baptiſmi. ibid. n. 18. p. 231
Si tamen ablutio attigerit caput poſſet eſſe ſufficiens. ibid.
In dubio, an aqua contigerit carnem, poteſt reite-

reiterari Baptiſmus ſub conditione. ibid. n. 20. p. 232

Subiectum Confirmationis.

Solus homo viator eſt capax huius Sacramenti. P. 3. q. 3. a. 1. n. 1. p. 367
Omnes homo viator, qui ſit baptizatus eſt capax eiuſdem. ibid. n. 3. p. 368
Eſt complementum Baptiſmatis, & ordinatum ad fidem, quam omnes debent profiteri. ibid. n. 5. p. 368
Quomodo verificetur, quod in primordijs Eccleſiæ plures receperint Spiritum Sanctum ante Baptiſmum. ibid. n. 7. p. 368
Licet receperint Spiritus Sancti gratiam, non receperunt tamen Sacramentum. ibid. n. 8 p. 369
Secundum D. Thomam pueri ante vſum rationis poſſunt validè, & licitè recipere hoc Sacramentum. ibid. a. 2. n. 1. p. 369
Quantum eſt ex ſe ſunt verè capaces. ibid. n. 3. pag. 370
An miniſter poſſit licitè illis conferre. Vide verbo *Miniſter Confirmationis*.
Perpetuo amentes, & furioſi ſunt capaces huius Sacramenti. ibid. a. 3. n. 1. p. 371
Computantur pro paruulis ante vſum rationis. ibid. n. 2. p. 372
Cur pueris ante vſum rationis regularitèr non ſit conferendum, & perpetuo amentibus ſint conferendum, ſeu poſſit conferri. ibid. n. 4. pag. 372
Si amentes quandoque fuerint ſanæ mentis, & tunc petierint, ſunt confirmandi. ibid. n. 5. p. 373
Secus, ſi non petierint, nec voluntatem exhibuerint. ibid. n. 6. p. 373
An ſufficiat voluntas interpretatiua remiſſiuè. ibid. n. 7. 8., & 9. p. 373
Non conſtante, quod inciderint in amentiam in ſtatu gratiæ, non eſt illis deneganda confirmatio. ibid. n. 10. p. 373
Proximi morti poſſunt confirmari. ibid. a. 4. n. 2. pag. 374
Confirmatio datur ad pugnam ſimul, & ad augmentum gratiæ. ibid. n. 3. p. 374
Nec obſtat, quod non ſit vſus pro illo tempore conferre. ibid. n. 5. p. 374
Conferri poteſt, & debet fæminis. ibid. n. 6, pag. 374
Etiam mutis à natiuitate. ibid. n. 7. p. 374
In ſubiecto Confirmationis præreqwiritur Baptiſmus. ibid. a. 7. n. 1. p. 377
In pueris ante vſum rationis non præreqwiritur aliqua præuia diſpoſitio. ibid. n. 2. p. 377
In adultis præreqwiritur intentio ſaltem habitualis. ibid. n. 3. p. 377
An ſufficiat interpretatiua remiſſiuè. ibid. n. 4. pag. 377
Præreqwiritur item fides de myſterijs reuelatis. ibid. n. 5. p. 377
Ad effectum huius Sacramenti præreqwiritur in ſuſcipiente ſtatus gratiæ. ibid. n. 6. p. 377
In eo, qui ſibi conſcius eſt peccati læthalis, potius eſt remedium Sacramentalis Confeſſionis. ibid. n. 7. p. 377
In aliquo tamen caſu ſufficere poteſt contritio. ibid. n. 8. p. 378
Recipiens ignorantèr Confirmationem ab Epiſcopo excommunicato, vel ſoſpenſo validè, & licitè recipit. P. 3. q. 5. a. 2. n. 13. p. 388
Recipiens ſcientèr ab eodem illicitè recipit, & nouum peccatum committit. ibid. n. 14. p. 388
Excipe, niſi recipiat ab excommunicato tolerato. ibid. n. 15. p. 388

T

Tempus.

Extra tempus neceſſitatis non diu differendus eſt Baptiſmus. P. 2. q. 8. a. 1. n. 2. p. 293
Et ad hoc obligat ius conſuetudinarium, quod habet vim legis. ibid. n. 3. p. 293
Concilium Prouinciale Mediolani obligat ſub excommunicatione ad non differendum vltra nouem dies. ibid. n. 4. p. 294
Hoc decretum Concilij intelligendum eſt quoad dilationem Baptiſmi, & quoad dilationem cæremoniarum. ibid. n. 5. p. 294
An ex cauſa poſſit Baptiſmus differri. ibid. a. 2. n. 1. p. 294
Rationes ſuadentes cauſam maioris apparatus non tribuere ius dilationis. ibid. n. 2. p. 295
Hæc cauſa in ordine ad filios Principum, & Magnatum videtur ſufficiens. ibid. n. 3. p. 295
Congruum tamen foret, vt priuatim baptizarentur a proprio Sacerdote. ibid. n. 4. p. 295
In ordine ad priuatos hæc cauſa non videtur ſufficiens. ibid. n. 5. p. 295
An non extante periculo ſit differendus Baptiſmus quoad omnia, an ſolum quoad cæremonias. ibid. n. 6. p. 295
Magis congruum eſſet, vt ſolæ cæremoniæ differrentur. ibid. n. 7. p. 295
Antiqua conſuetudo conferendi adultis Baptiſmum ſolum in peruigilio Paſchæ, & Pentecoſtes modo abolita eſt. ibid. a. 3. n. 1. p. 296
Adultus, qui non recepit Baptiſmum in infantia non poteſt differre illius ſuſceptionem pro tempore intermedio ad vſum rationis, & mortem, & multominus ad mortem. ibid. n. 3. pag. 296
Dilatio vſque ad mortem eſt iniurioſa Sacramento, & noxia. ibid. n. 5. p. 296
Nouitèr ab infidelitate conuerſus ad fidem regularitèr non eſt baptizandus, niſi poſt congruum experimentum. ibid. n. 10. p. 297
Eccleſia ſecundum D. Thomam poteſt determinare tempus quoad Catechumenos recipiendi Baptiſmum. ibid. a. 4. n. 2. p. 298
Secundum alios non poteſt Eccleſia directè præſcribere tale tempus. ibid. n. 6. p. 299
Eſt tamen ſecundum eoſdem poteſtas declarandi ius Diuinum. ibid.
In ordine ad filios fidelium baptizatorum poteſt tale tempus præſcribere. ibid. n. 7. p. 299
Poteſt Eccleſia obligare ſuos miniſtros ad non conferendum Baptiſmum, niſi pro tali tempore, & non differendum vltra illud, ibid. n. 8. pag. 299
Eccleſia non habet directam poteſtatem obligandi Catechumenos ad recipiendum Baptiſmum pro certo tempore. ibid. n. 9. p. 299
Satisfit rationibus D. Thomæ. ibid.
Determinatio temporis facta ab Eccleſia tanquam interprete iuris Diuini non obligat infideles. ibid. n. 10. p. 300
Rationes, quæ eximunt à tali obligatione. ibid. n. 12. p. 300
Contraria ſententia non caret probabilitate. ibid. n. 13. p. 300
In ordine ad infantes periclitantes in vita, ſi ex Baptiſmi collatione timeatur mors, & ſit

ſpes

ſpes vitæ differendus eſt Baptiſmus, donec eſt ſpes vitæ. ibid. a.5. n.4. p. 301
Si nulla ſit ſpes vitæ eſt eidem ſtatim conferendus. ibid. n.5. p. 302
Adhibenda tamen eſt diligentia in collatione eiuſdem Baptiſmi. ibid. n.6. p. 302
Minitante tiranno mortem infanti, ſi baptizetur, & hic ob infirmitatem ſit in periculo mortis eſt baptizandus. ibid. n.7. p. 302
Si aliundè non ſit in periculo mortis eſt differendus Baptiſmus. ibid. n 8. p. 302
Si tirannus minitetur mortem miniſtro, ſi baptizet infantem, & hic ſit in periculo mortis, tenetur illum baptizare. ibid. n.9. p. 302
Et hoc non ſolum in ordine ad Parochum, ſed etiam in ordine ad alium Sacerdotem non exiſtente Parocho. ibid. n. 10. p. 303
Etiam non periclitante infante tenetur illum baptizare, ſi deſiſtentia deberet eadere in damnum fidei. ibid. n. 11. p. 303
Adultus in mortis articulo exiſtens minitante eidem mortem tiranno tenetur Baptiſmum ſuſcipere. ibid. n.12. p. 303
Si non ſit in mortis periculo poteſt pro tunc deferre, niſi dilatio eaderet in damnum fidei. ibid. n. 13. p. 303

V

Verba.

VErba habent rationem formæ in vnoquoque Sacramento. P.1. q.2. n.6. p. 13
Verba, vt forma Sacramentorum habent determinationem ex inſtitutione Chriſti Domini. ibid. a 4. n.2. p. 17
Et habent quoquo modo rationem determinationi reſpectu materiæ. ibid. n. 3. p. 17
Mutatio verborum formæ quandonam irritat Sacramentum, & quando non. Vide verb. *Forma.*
Verba æquiuoca adhibita in forma Sacramentorum, an irritent. Vide verbo *Forma.*
Referuntur errores Hæreticorum volentium verba formæ Sacramentorum eſſe ſolummodo concionatoria. ibid. a.7. n. 1. p. 27
Verba Sacramentorum ſunt conſeeratoria, non merè concionatoria. ibid. n. 4. p. 28
Pueri ſunt capaces Baptiſmi, non concionis. ibid. n.8. p. 29
Soluuntur argumenta Hæreticorum. ibid. n. 9. pag. 29

Vnctio.

Materia proxima Confirmationis eſt vnctio ex Chriſmate. P.3. q. 1. a.6. n.1. p. 362
Ex neceſſitate Sacramenti requiritur, vt vnctio fiat in formam crucis. ibid. n. 3. p. 363
Euincitur ex forma eiuſdem Sacramenti. ibid. n.5. p. 363
Quænam quantitas vnctionis requiratur, & ſufficiat. ibid. n. 6. p. 363
Si vnctio fiat alio digito à pollice dextero validum eſt Sacramentum. ibid. a.8. n.2. p. 364
Grauitèr peccaret, qui vteretur alio digito extra neceſſitatem. ibid. n. 5. p. 364
Secus vrgente neceſſitate. ibid. n.6. p. 364
Vnctio facta medio inſtrumento ſecundum aliquos eſſet valida. ibid. n.8. p. 365
Probabilius foret inualida. ibid. n. 9. p. 365
Non currit paritas de Extrema Vnctione, & quarè. ibid. n. 11. p. 365
Sententia docens Apoſtolos nunquam confirmaſſe per vnctionem. ibid. a. 8 n. 2. p. 365
Et ſolum per Concilium Meldenſe inæpiſſe. ibid.
Falſum eſt, quod inæperit ſolum poſt Concil. Meldenſe. ibid. n. 3. p. 366
Sententia docens Apoſtolos non confirmaſſe, niſi per ſacram vnctionem. ibid. n. 6. p. 366
Sententia docens aliquando confirmaſſe per ſolam manuum impoſitionem, aliquando per vnctionem ibid. n. 7. p. 366
Ad valorem Sacramenti non requiritur alia manuum impoſitio diſtincta ab illa, qua fit vnctio. ibid. n.8. p. 367
Ex neceſſitate Saeramenti vnctio debet fieri in fronte. ibid. a. 5. n.2. p. 375
Cur potius in fronte, quam in alijs partibus. ibid. n.4. p. 375
Sententia docens non eſſe de eſſentia, quod vnctio fiat in formam crucis. ibid. a.6. n.1. p. 376
Verius eſt de eſſentia, & neceſſitate. ibid. n.2. p. 376
Ipſa vnctio, non præuia actio, debet fieri in formam crucis. ibid. n.5. p. 376
Signaculum crucis debet imprimi per actionem importantem permanentiam. ibid. n.6, p. 377.

Vnctio Extrema.

Sacramentum Extremæ Vnctionis fuit immediatè à Chriſto Domino inſtitutum. P. 1. q. 3. a.1. n. 9. p. 33
Extrema vnctio conferri poteſt amentibus, qui gauiſi ſunt vſu rationis in articulo mortis. P.1. q.4. a.2. n. 17. p. 62
Extrema vnctio exigit in ſuſcipiente intentionem ſaltem interpretatiuum. ibid. a.3. n. 17. pag. 60

Votum.

Votum Baptiſmi informatum debitis qualitatibus ſufficit ad iuſtificationem, quando haberi non poteſt in re. P. 2. q. 1. a.3. n. 1. p. 168
Quamuis ſufficiat ad iuſtificationem, regularitèr tamen ad glorificationem requiritur in re. ibid. n. 4. p. 168
Votum Baptiſmi debent eſſe informatum dolore perfecto. ibid. n. 7. p. 169
Sufficit votum implicitum. ibid. n.11. p. 169

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google